
TEOLOGIA
LITURGICA
BIB.NAZ.NAPOLI

162
N
29—32

DE ANTIQUIS
ECCLESIÆ RITIBUS
LIBRI TRES

EX VARIIS INSIGNIORUM ECCLESIARUM PONTIFICALIBUS, SACRAMENTARIIS, MISSALIBUS, BREVIARIIS, RITUALIBUS, five MANUALIBUS,

Ordinariis feu Confuetudinariis, cùm manufcriptis tùm editis;

EX DIVERSIS CONCILIORUM DECRETIS, EPISCOPORUM STATUTIS ALIISQUE PROBATIS AUCTORIBUS PERMULTIS

COLLECTI ATQUE EXORNATI

A REVERENDO PATRE DOMNO

EDMUNDO MARTENE

PRESBYTERO ET MONACHO BENEDICTINO E CONGREGATIONE S. MAURI.

EDITIO NOVISSIMA

Ab eodem Auctore tertiam ultra partem aucta, & novis uberrimis Indicibus locupletata.

A C C E D U N T

I. Tractatus de antiqua Ecclefiæ Difciplina in Divinis celebrandis Officiis,
II. De Monachorum Ritibus Libri V. denuo illuftrati.
III. Manufcriptorum Opufculorum, ad Monachorum Ritus Appendix.

TOMUS PRIMUS.





ANTUERPIÆ, MDCCLXIII.

PROSTANT VENETIIS

In Bibliopolio Jo: Baptistæ Novelli, fub Signo REDEMPTORIS.



EDITORIS
MONITUM.



On est sane opus, me in commendanda R. P. Edmundi Martene *diligentia, qua Antiquos Ecclesiæ Ritus jam densa præteritorum temporum caligine obrutos, & pene dixerim exstinctos, nova quasi luce donavit, pluribus immorari; cum & jam satis superque Clar. Virum Eruditorum omnium plausus debita laude, ut par erat merito, cumulaverit; atque insuper id satis probet exemplarium raritas, quæ ineunte hoc Sæculo e Rotomagensibus prælis emersa, vix amplius communi litteratorum hominum usui prostabant, & nonnisi gravi pretio, si quæ apud privatos supererant, coemi, modico licet elapso tempore, potuissent: agebatur enim de re, quæ Ecclesiasticæ Liturgiæ cæremonias, & antiquas Sanctorum Patrum in divino cultu præscribendo sanctiones, tot in voluminibus sparsas, uno veluti in manipulo collectas exhibens, non minus addiscendi vetustam Christicolarum disciplinam dignum Orthodoxo homine appetitum in animo cujuslibet excitabat, quam multo etiam vehementiorem accendebat, si præterita cum præsentibus instituta conferre, si variam Ecclesiarum praxim quis nosse atque intelligere peroptasset. Hæc omnia, & multo sane majora, quam hic breviter referre queam, optime præstitit celeberrimus Auctor, qui nulli parcens diligentiæ ac labori sua scripta aureo nitore elucubrata rutilantibus veluti gemmis undequaque exornavit, quam plures scilicet inserens ritus e MStis optimæ notæ Codicibus desumtos, quos sibi non Gallia tantum Patria sua, sed plures aliæ Orientis ac Occidensis Ecclesiæ suppeditarunt.*

Ea fuit, ut omnibus patet, venusta facies, qua in publicum emersit editio prima Operis Marteniani, sed quemadmodum celebri contingit persæpe Sculptori aut Pictori, qui statuam vel effigiem, si penes se habeant, numquam satis expolire, novisque lineis exornare cessant; ita profecto Domnus Edmundus Martene hoc opus concinnum quamvis atque laudabile, additionibus multis, & auctoritatibus, quibus in privatis plurium annorum studiis profecerat, augere atque honestare curavit. Et quoniam amicorum ope delitescentes privatis in Scriniis antiquos Codices intellexit, e quibus nova seges ad rituum sacrorum cognitionem ac ornamentum colligi poterat, id precibus, ac pretio effecit, ut tineis blattisque ereptos publico commodo suis distributos locis in secunda hac editione donaret; quæ ideo novis hisce thesauris ditata ultra tertiam partem mole excedit præcedentem, quemadmodum primo obtutu Lector humanissime dignosces. Ut tamen facilius quæ jam edita Monumenta antiquitatis, & quæ nunc primum e tenebris eruta confestim pateant, id præstare volui, ut ista ✠ signum in fronte præferrent.

Eadem cura, qua Antiquos Ecclesiæ Ritus *Clarissimus Scriptor est prosecutus,* Antiquam *etiam* Ecclesiæ Disciplinam in recitandis Divinis Officiis *expolivit & auxit, quæ omnia tres Tomi in folio complectensur, quos plumbeis caracteribus & chartarum altitudine simillimos reddidi libris iis, ab ipsomet Martene una cum Clariss. Durando editis, ut Anecdota sua e typis emitterent. Id unum supererat, ut tam va-*

riæ cæremoniarum ac rituum species, ea, quæ usui hominum necessaria est, diligentia indicarentur; quapropter meum esse censui, locupletissimum Indicem cuique Volumini adjicere, ne res vel minima, cujus Lector quandoque indigere possit, in eo omitteretur. Plura mihi exponenda superessent, si studium meum in hac curanda editione tibi commendare satagerem: id tantummodo in præsens monere sufficiat, non ea tantum errata, quæ Auctor ad calcem operis indicaverat, me emendasse; sed plura etiam alia, quæ diligentem oculum offendere vel minime possent, abrasisse, ut hoc novo veluti testimonio & meam tam celebris operis æstimationem probarem, & tibi, humanissime Lector, curiosius consulerem. Vale.



ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRÆSULI

D. D. ALBERICO SIMONETTÆ

SS. D. N. PAPÆ CLEMENTIS XII.

PRÆLATO DOMESTICO,

EJUSQUE PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

NOVOCOMENSI EPISCOPO ET COMITI

(POSTREMÆ MEDIOLANENSIS EDITIONIS DEDICATIO.)



Amdiu est, PRÆSUL ILLUSTRISS. *ac* REVERENDISS., *quod memor beneficiorum ab Illustriss.* Comite Antonio *fratre tuo acceptorum, communisque vestræ in me humanitatis, immo universæ nobilissimæ Familiæ patrocinii, cum apud vos olim versarer, commodum adeptus, officium officio rependere meditabar, impari tamen sorte, quod ego solvendo debito satis esse non possim, ob fortunarum tenuitatem, & status conditionem. Nihilo tamen minus quod ab arte non ignobili dari potest, id Amplissimo Nomini tuo dicandum proposui, ut per literas professio debiti nostri latius pateat, gratique animi monumentum sit imposterum vulgatissimum; neque ulterius intra domesticos lares, ut hactenus factum est, contineatur. Quoniam vero de dignitate, studiisque tuis, præ ceteris cogitavi, id etiam animadverti, ut dignum religiosissimo Episcopo donum offerrem; neque me gratius ullum invenire umquam potuisse mihi persuadeo, quam doctissimos libros* R. P. D. Edmundi Martene *Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri* de Antiquis Ecclesiæ Ritibus, *qui ab ipso celebratissimo Auctore tertiam ultra partem aucti, multisque utillimis dissertationibus illustrati, publicam iterum in lucem ære, studioque nostro vulgantur. Jamque te*, PRÆSUL ILLUSTRISS. *ac* REVERENDISS., *serena fronte operis argumentum accepisse non dubito, quod pretium illius optime noveris, & Ecclesiasticæ antiquitatis studiosissimus libros eos pene triveris, cum te ad hanc, in qua nunc es, vitæ formulam efformares. Gaudebis, ni fallor, inscriptos Illustrissimo Nomine tuo libros eos iterum excurrere, & spicilegia, quæ Clariss. Auctor ingenti labore fecisse comperies, in messem etiam tuam coacervare, quo ad majorum tuorum famam accedere possis.*

Non de singulis dico, qui postquam e Brutiis cum Francisco Sfortia in Mediolanensem urbem Illustrissimam gentem tuam venisse legimus, politicis bellicisque artibus, amplissimisque dignitatibus domi forisque floruerunt; sed Ecclesiasticos tantum viros appello, quos inter Jacobum Simonettam *a doctissimis Pontificibus, gravibus meritorum æstimatoribus Clemente VII. ac Paullo III. Pisaurensi primum, mox Purpura & Perusino Episcopatu donatum, Legatum deinde ad Concilium Vicentiæ indictum, postea Tridenti celebratum, una cum Cardinalibus Brundusino, & Campegio, ingentem sibi gloriam comparasse. Extant adhuc monumenta doctrinæ tanti Viri non solum in libro edito* de Reservatione Beneficiorum, *sed in quamplurimis epistolis tanta eruditione refertis, ut*

doctissimus Cardinalis Sadoletus eum ad eloquentiam unice factum, omnibus disciplinis cultissimum, sacrique Senatus lumen ac decus vocaverit; Ludovicum *alterum S. R. E. Cardinalem, & Pisaurensem Episcopum, & ad Tridentinum Concilium Apostolicæ Sedis pariter Legatum doctrina, & Ecclesiastica morum gravitate præstantissimum;* Joannem *Laudensem Episcopum, prius vero in Amplissimum Mediolanensem Senatum ab Imperatore Carolo V. cooptatum;* Alexandrum *in Regno Neapolitano Nuntium;* Julium *Episcopum Pisaurensem ex Tridentini Concilii Patribus;* Franciscum Bernardinum, *qui Jacobi Cardinalis in Perusino Episcopatu successor, virtutes etiam antecessoris sui feliciter est æmulatus;* Franciscum *Fulginatensem Episcopum a Paullo V. Sum. Pontif. ad Sigismundum Poloniæ Regem, Nuntii munere Legatum, apud quem e vita discessit, postquam sexenio integro eximiam Rom. Ecclesiæ, pioque Regi & religiosissimæ genti operam præstiterat, quos inter* Sigismundi *memoria minime posthabenda, Viri literis ornatissimi & Alexandro VI. Sum. Pontif. a cubiculo, &* Bonifacii *Cisterciensis Ordinis Abbatis ab editis duobus operibus clarissimi, quorum primo titulus est* de Pace servanda Venetis, & Nationibus, *alteri* de Persecutione Christianorum, & Vitis Pontificum, *quod Carolo VIII. Galliarum Regi dicavit.*

Hos equidem præcipuos Ecclesiasticos viros ex albo nobilissimæ gentis tuæ, PRÆSUL ILLUSTRISS., *domestica veluti pietatis ac doctrinę perpetua exempla proposui, non ut currentem hominem, ut est in proverbio, stimulis agitarem, sed ut sint argumentum certissimæ laudis nomini tuo debitæ; quod si tantam hi compararunt in iis Episcopalibus sedibus, in quibus nihil erat timendum ab astu & malitia factiosorum hominum, quænam erit nomini tuo futura, cum eo gregi sis præpositus, cui pericula plurima impendent, quemque assidua vigilantia curaque tua verbo & exemplo foveas, & serves. Age itaque,* PRÆSUL ILLUSTRISS. *ut incœpisti, vigila, & sibilo voceque contine traditum tibi gregem, & libros nostros frequenter evolve, qui præstantissimam Ecclesiasticæ antiquitatis partem continent, Pastoribus præcipue necessariam, & me humili obsequio munus offerentem, continuo gratiæ tuæ favore juves precor instantissime. Vale.*

Pridie Idus Decembris MDCCXXXVI.

IN PRIMA EDITIONE CLARISSIMUS AUCTOR SEQUENTI NUNCUPATORIA EPISTOLA TOMUM PRIMUM DICABAT

EMINENTISSIMO PRINCIPI

DOMINO D.

JOSEPHO D' AGUIRRE
S. R. E. CARDINALI.



Ompositis tandem funestis illis bellorum divortiis, quæ popularium utrimque nostrorum animos dissociabant, apertisque hinc inde ad mutua commercia viis, jam libera & expedita ad te, EMINENTISSIME PRINCEPS, *nostra currit oratio, obsequiorum vel sera interpres, nec jam quidquam nostros remoratur affectus, qui dudum ad Eminentiam tuam properare gestiebant. Dolebamus certe eum Ordinis nostri virum, cujus virtus & modestia etiam exteros demulcet, doctrina universam informat ecclesiam, sincerus veri amor nullis præjudiciis retinetur, cujus denique purpuræ honos ad totum Ordinem Benedictinum, adeoque ad nos usque redundat; dolebamus, inquam, talem tantumque virum nullo dum publico observantiæ nostræ testimonio cultum esse, & tamdiu votis nostris publica illa obsistere dissidia, quæ omne fere litterarum commercium diutius intercepere. Sed jam tandem, favente Deo, votis nostris affulsit optata pax, nobisque licet publice testari, quod pridem animo conceptum retinebamus.*

Interim nihil nobis promptius aut opportunius occurrit quam Collectio antiquorum Rituum ecclesiasticorum, quorum duo priora volumina, quæ de Sacramentis Ecclesiæ agunt Eminentiæ tuæ offerre quoddam operæ pretium nobis visum est. Quid enim religionis cultori, eruditissimo Theologo, pietate non minus quam dignitate eminentissimo Principi convenientius offerri poterat, quam hujusmodi opus, in quo gratiæ omnis, totiusque sanctitatis summa continetur? An vero Sacramentis hæc contineri quisquam dubitet? At Ritus sunt Sacramentorum fateor, non ipsa Sacramentorum dogmata quæ his libris passim explicantur. Tuum sit, EMINENTISSIME DOMINE, *Theologica dogmata penitius scrutari & explicare; Ecclesiæ decreta & Canones eruditis illustrare commentariis, moralia præcepta a laxioribus expurgare commentis. Mihi circa inferiora Ecclesiæ elementa jacenti satis fuerit ea explicare, quæ oculis subjecta subtiliori & longius quæsita observatione non indigent. Quamquam cum non unius tantum sed insigniorum ecclesiarum, non unius dumtaxat, sed omnium pene temporum Ritus & Cæremonias contineant, haud sine multo studio & labore colligi potuere, nec sine aliquanta, ut spero, utilitate in publicam lucem emitti. Est etiam Ecclesiæ Ritibus sua dignitas, suaque reverentia, nec parum illi etiam ad Dogmata illustranda conducunt. Quippe rudium fidelium quidam veluti libri sunt, in quibus Ecclesiæ fides quodammodo adumbratur. An non ex baptismi Ritibus & Exorcismis Maximus Doctor Augustinus, catholicam de peccato originali doctrinam non eruit ac comprobavit? An non alii Ecclesiæ Doctores ex cæremoniis in re sacra adhiberi solitis realem Christi Domini in Eucharistia præsentiam non confirmarunt? Denique quod summi Ecclesiæ Doctores, Gregorius Magnus & Ambrosius, quod Isidorus Hispalensis antistes, aliique commentationibus explicare infra se non reputarunt, tibi haud gratum acceptumque esse non posse persuasum habemus. Quamquam non soli ecclesiastici ritus his in libris explicantur, sed subinde dogmata etiam ipsa, ut studiosus Lector facile animadversurus est.*

Vides, EMINENTISS. DOMINE, *me in id omnimode conniti, id serio agere, ut munus hoc meum, immo totius Congregationis nostræ, Eminentiæ tuæ approbem. Quamquam id frustra tentaverim, cum tu longe melius, quam ego ipse, hujus argumenti dignitatem intelligas. Verum patiaris velim me aliorum causa id agere, qui forte ritualem hanc collectionem infra tuam dignitatem, infra meritum tuum esse causabuntur. At quidquid sentiant morosi illi censores, mihi satis fuerit si eam benigno vultu animoque accipias in quoddam grati animi in te nostri monumentum, quod Ordinem Benedictinum sic amare, sic colere pergas, ut te ejus alumnum esse ubique profitearis, glorieris apud omnes; ad hæc quod Congregationem nostram non secus ac tuam diligas & fovere non desinas; de-*

nique

nique quod litterarios sodalium nostrorum labores patrocinio & suffragio tuo digneris, quod magnum est omnibus nobis in litteraria hac palæstra incentivum. Superest ut Deum Optimum Maximum enixe precemur quo te diu incolumem servet. Quod nobis omnibus in votis esse Eminentiæ tuæ omnium nomine contestari possum ac debeo,

EMINENTISSIME DOMINE,

Ex Rotomagensi S. Audoeni Monasterio
Calendis Augusti MDCIC.

E. T. addictissimus & obsequentissimus
Fr. EDMUNDUS MARTENE M. B.

EMINENTISSIMI D.

D. CARDINALIS COLLOREDI

EPISTOLA

De obitu Emin. Cardinalis d'Aguirre.



Vix hanc scripseram epistolam, jamque pene affecta erat horum librorum editio, cum morte interceptus est, maximo nostro dolore, piæ memoriæ Cardinalis d'Aguirre, cui hæc editio nuncupata erat. Hoc audito, nobis suadebant non pauci, ut hos libros alteri cuidam ex amicis nostris viventi dedicaremus. Verum absit, ut quem viventem ob merita coluimus, eumdem vixdum mortuum honorare desinamus. Ergo quos vivens sibi meruit honores,

Ille habeat secum, servetque sepulcro.

Animus erat hic attexere ejus elogium. Verum nobis id meditantibus opportune succurrit præclara epistola Eminentissimi Cardinalis Colloredi, de obitu ipsius ad unum e nostris scripta, quam hic elogii loco apponere visum est, dum alii prolixius de eo elogium conficiant. Epistola sic habet.

Admodum Reverende Pater.



Vix exaruerant lacrymæ, quibus Patri nostro Stephanotio parentavimus, cum iterum revocamur ad fletum, avulsumque alium, si non ex vestra Congregatione, ex vestro tamen instituto deflere compellimur, Josephum nempe tit. S. Mariæ super Minervam presbyterum Cardinalem de Aguirre, qui e Benedictino ordine assumptus ad purpuram, majus illi contulit quam acceperit splendoris ornamentum, sive eximius morum ipsius candor spectetur, sive doctrina ejus & singularis eruditio proponatur. Sed de his judicent alii. Mihi quod inter speciales amicos, & eo loci, ut nulli in hac parte gloriæ secundum fuisse me credam, præ ceteris incumbit in ejusdem memoria dulciter immorari, qui supremis etiam ipsius horis adesse merui. Porro quis non recolat conversationem ejus in Deum piam & sanctam, in nos blandam atque morigeram? Cujus tanta erat in dilectione sinceritas, ut neminem a corde suo excluderet. Non enim erat distinctio apud ipsum Judæi aut Græci; neque ex ore illius prorumpebant frigida illa verba, Meum & Tuum. Respiciens namque in omnibus Christum, universis prodesse satagebat. Egregiam in Deum, in cælites pietatem aperte demonstrabant ignitæ illæ orationes, quibus sursum levabatur, vel cum Sacris interesset, vel cum sacra inviseret templa; multiplex etiam illa piorum libellorum editio, quam curabat, ut torpentibus animis flammas ardentius excitaret. Quid referam de misericordia in pauperes? quos a se vacuos abire non permittebat, & quos ope non poterat, officiis adjuvare nunquam cessabat, Pro Catholica fide tantus illi inerat ardor, ut nihil optatius haberet, quam de Christianæ religionis progressibus audire sermones. Memini aliquando, cum in Consistorio a Sanctissimo læti aliqui nuntii de hujusmodi re afferrentur, talem in se expertum esse lætitiam, ut a lacrymis se temperare neutiquam potuerit. Alias etiam cum sinistri aliqui spargerentur rumores, tactum se dolore cordis, vehementi extrinsecus etiam prodere se fuisse coactum. Hinc etiam zelus ille præcipuus afferendæ ecclesiasticæ dignitatis, pro qua nec vultum potentum, nec domestica est veritus detrimenta. Porro qua animi celsitudine cum de eligendo Pontifice comitia haberentur, nihil propriæ conscientiæ prætulerit, oculis nostris perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt. Sed & libertas illa qua cum de residentia Episcoporum ageretur, vel de temperando erga consanguineos affectu, vel de ceteris rebus ad ecclesiasticam disciplinam spectantibus loquebatur in conspectu Regum ac Pontificum, ejusmodi sane erat qualem Cardinalem decebat, ac hominem illius Curiæ, quæ neminem timere novit, nisi Deum. Affectantibus cathedras Episcopales, seque ipsos ultro intrudentibus præclara illa Bernardi sententia respondebat: *Qui pro se rogat, jam judicatus est.* Viam insuper veritatis eligens, sanam in opinionibus promovere studuit doctrinam: ut abunde non ejus tantum scripta, sed & celebrium scriptorum encomia testantur, quorum amicitiam cum constanter coluerit, pluribus vicissim ab ipsis est litteris frequentatus: ex quibus Gallia vestra quot erga Hispanum hominem amoris & existimationis præbuerit argumenta, non est quod vobis ingeram. Nam præter vestri Ordinis viros, Eminentissimus Janson, illustrissimi Bossuet, Huetius, aliique abunde docebunt. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum, jamque instat tempus, quod calamus refugit, reminisci nempe fer. IV. hebdomadis elapsæ, qua repente sublatum nobis tantum virum ingemuimus. Cum enim de mane e strato surrexisset, velut quæ sibi ventura erant præcognosceret, ter apud confessarium suam voluit deponere conscientiam. Cibo exinde refectus, placidæ tantisper se dedit quieti: sed ecce tibi antiquus denuo insurgit epilepticus morbus, eo gravior, quo frequentior; nec adhibita medicamenta sopitum hominem excitare valuerunt. Monitus ipse accurri, ut benedictio super me veniret. Impletur cubiculum, assistunt religiosi viri, Cardinalis quoque Judice convenit, psalmis, hymnis, rosario B. Virginis, aliisque precibus prosequimur amicum repatriantem, in quo præter motum, nec vox, nec sensus aliquis vigebat. Sacro inunctus oleo, ac piacularibus ritualis Romani precibus ad agonem dispositus, Pontificia insuper benedictione, aliisque adjutus suffragiis, circa horam secundam noctis prope septuagenarius placidissime obdormivit in Domino. Justa in S. Jacobi

bi Hispanorum feria VI. fuere solemniter exhibita, quibus quemadmodum olim S. Cardinali Bonaventuræ Imperator Græcorum, ipsa etiam Poloniarum Regina in odæo voluit interesse. Conditur ibi in sepulchro corpus; sed cor, quod S. Patris Benedicti ab adolescentiæ vestigiis adhæserat, Casinum jussit transferri, ut ubi thesaurus suus erat, ibi esset & cor; nec a suorum consortio penitus disjungeretur in morte, qui vivens duos vel tres ex suo cœnobio semper retinuit domi, cum quibus diu noctuque versatus, nihil monasticæ perfectionis dereliquit. Utinam M. meo tamdiu producatur vita, quo ad hæc usque perveniens tempora, novum hoc Benedictinæ familiæ sidus suis possit Annalibus inserere, sitque mihi in tam dilecti amici amissione levamen hoc grande, quod memor sis mihi in tuis orationibus.

Rom. 25. Aug. 1699.

FACULTAS SUPERIORUM.

PRæsidens & Definitores Capituli Generalis Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti in Majori-monasterio prope Turones congregati, *Libros quatuor de Antiquis Ecclesiæ Ritibus, collectos ex variis insigniorum ecclesiarum Pontificalibus libris, Sacramentariis, Missalibus, Breviariis, Ritualibus seu Manualibus, Ordinariis cum manuscriptis tum editis; ex diversis conciliorum decretis, episcoporum statutis, aliisque probatis auctoribus permultis, studio & opera D. Edmundi Martene ejusdem Congregationis monachi & presbyteri:* & ab aliquibus nostræ Congregationis Theologis examinatos & probatos tenore præsentium typis mandari permittimus. Datum in Majori-monasterio die decima tertia mensis Junii anni millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti.

De mandato Capituli generalis
Fr. SIMON BOUGIS
Definitor & Scriba Capituli.

APPROBATIO.

EGo infra scriptus sacræ Theologiæ Facultatis Parisiensis Doctor, testor me egregium opus *De Antiquis Ecclesiæ Ritibus* inscriptum, studio & opera Rev. P. EDMUNDI MARTENE Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione Sancti Mauri perlegisse, nihilque in eo deprehendisse quod non sit rectæ fidei aut bonis moribus consonum, & quod non futurum sit omnibus disciplinæ Ecclesiasticæ & Rituum studiosis utilissimum, in cujus rei fidem subscripsi Rotomagi die 22. Octobris an. 1699.

AUVRAY, Ecclesiæ Rotomagensis
Ecclesiastes & Pœnitentiarius.

APPROBATIO.

EGo infra scriptus in sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, testor me legisse librum *De Antiquis Ecclesiæ Ritibus, &c.* opus eruditionis plenum, a D. EDMUNDO MARTENE Ordinis Sancti Benedicti e Congregatione S. Mauri Monacho editum, in quo nihil Catholicæ fidei aut bonis moribus adversum, multa illustrandæ Ecclesiasticæ Disciplinæ accommoda deprehendi, in cujus fidem subscripsi 9. Calendas Novembris anni millesimi sexcentesimi nonagesimi noni.

BULTEAU.

Ter-

TERTIUM HUJUS OPERIS TOMUM ERUDITISSIMUS AUCTOR IN PRIMA EDITIONE HACCE EPISTOLA DICABAT

EMINENTISSIMO PRINCIPI
DOMINO D.
LEANDRO COLLOREDO
S. R. E. CARDINALI
ET MAJORI PŒNITENTIARIO.



On satis dignitatis tuæ rationem habere fortasse videbimur, EMINENTISSIME DOMINE, *qui dimidiatum munus, id est duos posteriores Rituum ecclesiasticorum libros, Eminentiæ tuæ offeramus. Verum ea fuit inter Te & piæ memoriæ Cardinalem Aguirium, cui duos priores nuncupavimus, necessituda & morum consensio, ut non dubitemus quin facile probaturus sis hoc munus tibi cum illa esse commune, quem viventem amicitia tua honorasti, cui morienti adfuisti, & quem mortuum præclaro decorasti elogio. Ob hoc vel unum illius virtutis privatum testimonium, quod a te recens ex ejus abitu conceptus expressit dolor, quodque vix te conscio publicum evasit, totum tibi devinxisti Benedictinum Ordinem, cujus ille professionem tanti faciebat, ut præ ea vix se meminisset esse Cardinalem. Hæc nimirum optimi viri modestia erat, quæ id effecit, ut intimo amicitiæ vinculo tibi conjungeretur, quod ipse præclaro illo contestatus es elogio. Hanc quippe virtutem præ ceteris ab ineunte ætate sectatus es*, EMINENTISSIME DOMINE, *cum præclara nobilissimæ gentis decora in Vallis-cellæ sacris latebris deposuisti: ubi doctrina, pietate, ceterisque virtutibus sic clarus evasisti, ut beatæ memoriæ Innocentius XI. te in purpuratorum Patrum numerum summa omnium gratulatione provexerit, concessa insuper Clavium apostolicarum potestate, ut pro tua caritate, prudentia & sagacitate, facinorosis quibusque januam vitæ aperires. His quam pie ac sapienter utaris, novit Roma, & ipsa testis virtutum tuarum. Has prædicare cum modestia tua vetet, saltem nobis liceat non reticere toties expertam benevolentiam & beneficentiam in nos tuam, ob quam nos in æternum tibi devinctissimos & addictissimos Eminentia tua habebit.*

Calendis Februarii MDCCII.

E. T. addictissimus & obsequentissimus
Fr. EDMUNDUS MARTENE
M. B.

D. ED-

D. EDMUNDI MARTENE
MONACI BENEDICTINI
E CONGREGATIONE SANCTI MAURI
AD TOMUM PRIMUM.

PRÆFATIO.



EA eſt Sacrorum Rituum natura, ut quandam divinarum rerum reverentiam inſpirent, menteſque in ſui conſideratione vel minimum intentas ſenſim ad cæleſtia rapere ſoleant. Unde & nulla umquam extitit in orbe ſeu vera ſeu falſa religio, quæ ſuos ritus non habuerit, quibus quaſi incitamentis ad debitum ſuo numini cultum populi allicerentur. Hinc & Numa Pompillus octo cæremoniarum ad religionem pertinentium libros ſcripſiſſe refertur. Hinc inſignis ille veteris legis promulgator non inanem operam impendiſſe ſe exiſtimavit, cum in deſcribendis ſacrificiorum Deo offerendorum ritibus, integrum Scripturæ librum inſumſit. Verum quantum veteri novum præſtat Teſtamentum, quantum veritas umbræ ac figuris; tanto omnes legis Moſaicæ cæremonias ſuperant intervallo Chriſtianæ religionis ritus, a quibus inſtituta a Chriſto, atque ab apoſtolis, viriſque apoſtolicis promulgata myſteria cuncta, non parvum decorem ac robur accipiunt. Nam ut ſcite ſcripſit piæ ac claræ memoriæ Cardinalis Bona, *licet ipſæ cæremoniæ nullam ſecundum ſe perfectionem, nullam contineant ſanctitatem: ſunt tamen actus externi religionis, quibus quaſi ſignis excitatur animus ad rerum ſacrarum venerationem, mens ad ſuperiora elevatur, nutritur pietas, fovetur caritas, creſcit fides, devotio roboratur, inſtruuntur ſimpliciores, Dei cultus ornatur, conſervatur religio, & veri fideles a pſeudochriſtianis & eterodoxis diſcernuntur*. Quanta porro ſit earum vis & efficacia docet Valentis imperatoris Ariani exemplum, qui viſis in templo Catholicorum ſacris cæremoniis, maximam erga res illorum reverentiam concepit. (*)

Quapropter cum aliquando veteres monachorum ritus unum in corpus collectos edidiſſem, nihil mihi deinceps antiquius fuit, quam ut conſimili de ritibus eccleſiaſticis operi adornando animum adjicerem, huicque labori ſubceſivas poſt regularem obſervantiam, qua nihil carius monachis eſſe debet, horas totas inſumerem; ratus & mihi & aliis, rerum præſertim ſacrarum ſtudioſis, ex hocce opere utilitatis non nihil accedere poſſe, cum obſoletos & pene oblitos, quibus majorum noſtrorum pietas coaluit & crevit, reſuſcitatos ritus ac palam expoſitos viderent. Animos addiderunt mihi amici mei, ac ii præcipue a quibus vitæ meæ rationes & momenta dependent, qui ut huic ſtudio operam navarem, non ſemel auctores fuerunt, totieſque ſuaſerunt ut & perſuaſerint.

Deterrere quidem me poterat ab iſto ſuſcipiendo labore numerus ingens Scriptorum doctrina & ſanctitate inſignium, qui ſimile argumentum jam ante tractaverunt. Quales ſunt ex antiquis Iſidorus Hiſpalenſis, Amalarius Trevirenſis, Rabanus Moguntinus antiſtes, Valfridus Strabo, Micrologus, Rupertus Tuitienſis, Honorius Auguſtodunenſis, Durandus, & alii; ex recentioribus vero Hugo Menardus, &

* *Baron. ad ann.* 370. *n.* 46.

& Johannes Mabillonius, duo Congregationis nostræ atque etiam reipublicæ litterariæ lumina, & Cardinalis Bona, quorum doctissimis lucubrationibus aliquid addere velle, non parvæ temeritatis videbitur, mihi præsertim, cujus ingenium quam sit exiguum, doctrina quam modica, confiteri haudquaquam gravabor.

Verum despondentem animum hæc in primis relevarunt. 1. Quod antiqui scriptores eos tantum ritus attigerunt, quos præ oculis habebant, quique sua ætate erant in usu, anteriores perscrutari haud multum solliciti. 2. Quod iis in exornandis, rationes tantum mysticas adhibuerunt, quod scribendi genus sæculi nostri studiosis minus sapere solet. 3. Quod & antiqui & recentiores illi auctores, aliquos dumtaxat non omnes ritus exponere in se susceperunt: Nam alii divinis tantum officiis illustrandis incubuerunt, alii sacram missæ liturgiam, alii alios ritus investigavere. Atque ita ex recentioribus Menardus notis in S. Gregorii Sacramentorum librum contentus fuit: Cardinalis Bona divinis explicandis officiis, rebusque Liturgicis totus fuit: Mabillonius Gallicanam Liturgiam atque antiquos Romanos Ordines suis Observationibus & Commentariis exornavit. 4. Quod nec omnes, etiam in his quæ summa cum diligentia pertractarunt, omnia dixisse putandi sunt, nec omni prorsus errore immunes.


His igitur attente consideratis, alicujus opellæ pretium visum est, si quantum per imbecilles ingenii mei vires licet, posthabitis rationibus mysticis, quas apud editos scriptores quisque consulere potest, universos ecclesiæ ritus more historico hic repræsentarem: quod ut præstare utcumque valerem, totum hoc opus meum quatuor in libros partitus sum, quibus universa quæ in editis vulgo Ritualibus, in Pontificalibus libris, & in insigniorum ecclesiarum Ordinariis solent contineri, comprehenduntur. Nam primus de Antiquis Sacramentorum ritibus agit. Secundus Benedictiones sacras exhibet. Tertius de variis ad ecclesiasticam disciplinam pertinentibus ritibus differit. Quartus denique in illustrandis divinis officiis totus versatur.

Ceterum non nudam hic habes sacrarum cæremoniarum narrationem, sed complura etiam antiquæ disciplinæ ecclesiasticæ argumenta, ac præcipua fidei dogmata, de materia præsertim, forma, & ministris Sacramentorum pertractata reperies: adeo ut non solis sacrorum rituum studiosis lectoribus utiles esse possint isti libri; sed etiam veteris ac purioris disciplinæ sectatores perplura hinc testimonia informandis in melius clericorum moribus apta, haurire; atque ipsi Theologi enodandis illustrandisque de re sacramentorum quæstionibus non parum inde lucis accipere queant. Unde etiam sperare licet piorum eruditorumque animos ex hujusmodi rerum expositarum varietate aliquantulum recreandos, quos ut ab omni tædio relevarem, a minutiis quamplurimis referendis abstinui, quibus plus æquo inhærendum non existimavi; Complura etiam de Eucharistiæ ac Pœnitentiæ sacramentis uberius tractare prætermisi; ne jam ab aliis dicta iterum regererem; quandoquidem istud argumentum non minus docte quam diffuse ante nos agitaverunt Cardinalis Bona & Johannes Morinus, quorum opera omnium jam eruditorum manibus teruntur.

Hanc autem in scribendo methodum mihi servandam proposui, ut ea primum quæ sive in diversis ecclesiæ conciliis, summorum Pontificum decretis, sanctorum episcoporum statutis, aliisque probatis auctoribus permultis collegeram, sub certis capitibus & articulis redigerem, deinde antiquos Rituales libros, quales in manuscriptorum codicum infinita prope multitudine reperiuntur, subjicerem: quales, inquam, in scriptis illis libris reperiuntur, hoc est cum nævis & barbarismis atque incongruis loquendi rationibus, in quibus aliquid mutare mihi religio fuit: tum quia ex hujusmodi loquutionibus antiquitas Ritualium ac cæremoniarum in iis contentarum aliquando dijudicatur, tum ne forte aliquid incaute corrigerem, neve aliorum errata emendare cupiens, in errorem ipse incurrerem: qua in re summos plerosque viros eruditione ac scribendi peritia notissimos, duces habui. Has itaque lectiones retinui *incipiunt ordo* pro *incipit ordo*. *Pro illum* & *per illo*, pro *pro illo* & *per illum*. *Canto* & *fructo* pro *cantu* & *fructu*. *Ambolat in circuito* pro *ambulat in circuitu*. *Sacerdus* pro *sacerdos*. *Singolus* pro *singulos*. *Unumquemque aurem* pro *unamquamque aurem*. *Ipsa chrismo* pro *ipsum chrisma*; aliasque hujusmodi complures loquendi formulas, quibus eruditorum virorum aures haudquaquam offendi probe tenemus.

In referendis vero Ritualibus libris id præcipue observavi, ut collectos ex variæ ætatis codicibus proferendo, antiquiores semper præponerem, donec ad omnino recentiores devenirem: ut vel ex his sacrorum rituum traditio & factæ subinde in iis mutationes facilius a quolibet deprehendi possint. Orationes integras in præcipuis tantum maximeque vetustioribus retuli: in recentioribus earum dumtaxat initia exhibere satis esse existimavi, tum quia ex præcedentibus aut subsequentibus, atque ex vulgatis Ritualibus vel Pontificalibus nullo negotio colligi possunt: tum quia brevitati mihi ante omnia studendum fuit. Et quoniam aliquando omissis aut additis vocibus quibusdam nonnumquam erravere codices manuscripti, sensumque reddiderunt intricatum, eorum emendationes propter rationes supra allatas, peritioribus relinquendas existimavi, aut si quando conjecturis locum tribui, id quod rarius contigit, conjecturas adnotare non prætermisi. Hæc omnia lectores præmonere opus fuit, ne nostram hoc in opere diligentiam forte desiderarent.

Præter antiquos auctores, & libros Rituales manuscriptos editosque, quos magno numero percurri, eos etiam consului scriptores, qui suam in exponendis ecclesiasticis ritibus operam contulerunt; a quibus sic me profecisse profiteor, vix ut aliquid in iis deprehenderim, quod ex propriis fontibus, hoc est ex antiquioribus scriptoribus, prius non hausissem. Inter illos autem scriptores haud satis notus est Petrus Danetius Vaurensis episcopus, vir sua ætate eruditione vix ulli secundus. Is Lutetiæ Parisiorum natus, Guillelmo Budæo usus præceptore, tantum in bonis artibus, & in utraque lingua profecit, ut in percelebri academia Parisiensi græcæ & hæbraicæ linguæ docendæ creatus fuerit professor: Deinde Serenissimi Francorum Delphini factus præceptor, tum Regis Christianissimi ad Tridentinum concilium missus Orator, elegantem ad congregatos Patres sermonem habuit. Vaurensis factus episcopus, variis legationibus functus, fato ipse functus est Parisiis, & in suburbana S. Germani Pratensis basilica sepultus. Plurima ingenii sui monimenta reliquisse perhibetur, quæ post illius obitum cum in amicorum manus incidissent, hactenus delitescunt, præter tres *de Ritibus ecclesiæ catholicæ libros*, quos cum manuscriptos cum universa Danetii bibliotheca comparasset Stephanus Durantus primus in amplissimo senatu Tolosano præses, publica tandem sub ejus nomine donati sunt luce, post illatam ipsi in publico civium tumultu anno 1589. immeritam cædem. Hæc Johannes Bertius episcopus Rivensis a Petro Bertio avunculo suo Montalbanensi antistite, qui & Danetium & Durantum familiares habuerat, didicisse se testatum reliquit. Et certe non laicum auctorem sed theologum opus ipsum non uno in loco proclamat. Hanc observationem debeo clarissimo viro D. *Lebret* Montalbanensis ecclesiæ præposito, qui in scripta a se compendiosa historia universali ipsam inseruit. Plurimum quoque debere me profiteor Cl. V. Stephano Baluzio bibliothecæ Colbertinæ præfecto, qui pro solita in omnes urbanitate perplures ejusdem bibliothecæ codices mss. utendos præbuit, quorum indicem subsequens syllabus declarabit.



D. ED-

D. EDMUNDI MARTENE
MONACI BENEDICTINI
E CONGREGATIONE SANCTI MAURI
AD TOMUM TERTIUM.
HUJUSCE OPERIS,

PRÆFATIO,



Rodit tandem in lucem noster *De antiquis Ecclesiæ ritibus* tomus tertius, duos complectens libros, secundum scilicet & tertium, sacras benedictiones aliosque ad disciplinam ecclesiasticam spectantes ritus, commentariis nostris illustratos exhibentes: de quibus nihil præter ea, quæ ad librum primum præfatus sum, in præsentiarum dicendum decrevi. At uno dumtaxat verbo hic faciam satis iis, qui meam improbaverunt impugnaveruntque sententiam de auctore trium librorum *de Ritibus ecclesiæ catholicæ*, qui sub nomine Stephani Duranti in amplissimo Senatu Tolosano supremi Præsidis hactenus vulgati sunt.

Nimirum dixeram, verum ac legitimum horum librorum parentem extitisse Petrum Danesium, episcopum Vaurensem, virum eruditione suo ævo nulli secundum, & multis ingenii sui monumentis relictis, Parisiis defunctum: cujus scripta cum in varias post obitum amicorum suorum manus incidissent, hactenus delituerunt, præter dictos *de Ritibus ecclesiæ catholicæ* libros, quos una cum Danesii bibliotheca cum comparasset Durantus, sub ejus nomine post immeritam ipsius cædem publica tandem luce donati sunt. Hujus sententiæ patronum habebam Johannem Bertium episcopum Rivensem, qui a Petro Bertio episcopo Montalbanensi avunculo suo, utrique, Danesio scilicet & Duranto familiari, illam referebat acceptam. Præterquam & quod opus ipsum auctorem suum Theologum, non laicum, non uno in loco proclamat.

Huic sententiæ unicum dumtaxat opponitur argumentum, sed adeo, sicuti putant, validum, ut ineluctabile omnino videatur. Repetitur ex ejusdem Duranti epistola, quam in carcere constitutus triduo ante mortem dedit ad amicum suum Johannem Barrerii Abbatem Fuliensem, virum tunc temporis singulari pietate conspicuum, qua velut in certissimum amicitiæ signum rogat, ut post ejus obitum, curet Romæ approbari, ac deinde typis mandari *librum suum* de ritibus ecclesiæ catholicæ. Ecce, inquiunt, Durantus ipse perspicuis ac disertis verbis librum de Ritibus *suum* pronunciat, quid in re tam clara desideramus adhuc testimonium? Quis post tanti viri declarationem dubitationis scrupulus superesse potest? aut sine fraude tanto ipsum thesauro spoliare?

Verum argumentum istud quod nonnullis videtur Achilleum, mihi plane nullius ponderis aut momenti comprobatur: non quod Durantum in suspicionem malæ fidei vocare velim, quasi opus alienum sibi ipsi arrogare temere præsumserit: (Absit hoc a viro probo & justi tenace); sed quia cum soluto pretio Danesii librum comparasset, proprium ac *suum* vocare potuit opus, quod jam sui juris evaserat, tametsi ipsius auctor numquam extiterit. Maneant ergo Petro Danesio tamquam legitimo parenti libri tres de *Ritibus Ecclesiæ catholicæ*, donec certiora nobis proferantur argumenta, quæ Petri Bertii viri sinceri testimonio præponderare debeant.

At nonnihil emendari cupio in columna 131. tomi primi, ubi tabellam delineari curavi, situm ministrorum diebus solemnibus ad altare servientium in Ecclesia Viennensi exhibentem, juxta consuetudinem in eadem ecclesia ante decennium observatam. Nam monuit me unus ex amicis meis, vir eruditus, & in sacris ritibus versatissimus, quatuor ab hinc annis illustrissimum Archiepiscopum Viennensem septem diaconis, totidemque subdiaconis, ac paris numeri acolythis adjecisse sex presbyteros, qui majoris solemnitatis diebus sibi ex primævo ejusdem ecclesiæ instituto ad altare celebranti assisterent: id quod hactenus observant religiose canonici Lugdunenses etiam episcopo non celebrante.

Monuit me etiam idem amicus, in ecclesia Lugdunensi jam dudum abrogatam esse consuetudinem standi ad elevationem sanctissimi sacramenti in majori sacro. Quapropter quod in contrarium fultus auctoritate Gilberti Grimaldi qui ante annos quadraginta Lugduni librum de sacra Liturgia edebat, col. 149. ejusdem tomi conscripsi, omnino deleri deprecor. Neque enim nos pudere debet aliquando emendare si quid forte incautum aut a veritate dissonum dictaverimus: pergratumque nobis semper facient amici nostri, aut quivis alii; amplissimasque eis reddemus gratias, cum nos errantes ex caritate corrigent, atque eorum censuræ ex animo subscribemus, cum nos errasse certissimis demonstrabunt argumentis. Verum qui nos injuria, & absque ratione reprehendent, non eamdem animi submissionem a nobis expectare debebunt. Quapropter neglexi hactenus emendationes in Carmine S. Orientii tomo primo novæ Collectionis veterum Scriptorum a me vulgato, factas præterito mense Augusto a nescio quo correctore, utpote vel omnino inutiles & non necessarias, vel absque judicio, aut mala omnino fide vulgatas.

Inutiles ac non necessarias eas voco, quæ scriptoris aut typographi errata tantummodo carpunt, cum absque correctoris monitu nullo negotio a benevolis lectoribus emendari queant atque suppleri. Alioquin emendandus esset ipse corrector, intra cujus quatuor brevissimas pagellas typographus septies erravit. Nam ter *dentis* pro *densis* posuit, *latentibus* pro *labentibus*, *usque* pro *utque*, *delictis* pro *deliciis*, *pratia* pro *prælia*.

Factæ absque ullo rationis judicio emendationes illæ sunt, quas ad insulsam & importunam suæ latinitatis ostentationem temere facere præsumsit. Non enim eodem modo castigantur antiquioris ævi, ecclesiastici præsertim auctores, quo puerorum in scholis scriptiunculæ corriguntur. Nam ut scite scribit Delrius *in ecclesiasticis scriptoribus multa sæpe contra legem pedariam, ut qui Orbilio manum subtraxerunt*. Quapropter cum primum S. Orientii librum mendoso in codice reperisset, purum putum qualem invenit, ipsa etiam errata quasi reveritus, typis mandavit, *nihil mutans*, inquit, *eorum quæ in contextu sunt mendorum*. Eadem religione usus est cl. vir Jacobus Sirmondus, Societatis JESU presbyter eruditissimus, nec umquam sine debita laude nominandus, cum beati Eugenii Toletani episcopi ac Dracontii diaconi versus publicam emisit in lucem, quos quidem non castigatos aut purioris latinitatis ornatu decoros, sed *rudes atque impolitos, & crassa ac soloce filo textos* edidit, uti ipse testatur in nuncupatoria ad illustrissimum principem Henricum Borbonium epistola, qui tum humanioribus litteris comparandis in Claromontano S. J. Collegio Parisiensi operam dabat. Neque enim, ut ejusdem Sirmondi verbis utar, vetera hujusmodi sanctorum monumenta, e pulvere ac tenebris, in quibus per multa jacuerant sæcula, eruuntur, *ut oratoriæ poeticæque artis exempla tradant*, sed *ut christianæ mentis officia, moderati, sobrii, ac caduca atque æterna recte dijudicantis animi documenta* inspirent: Quæ si humili ac Deum reverenti corde quis legat, facile animadvertit *sub tenui palliolo latere sapientiam, quæ ipsa plerumque in dictionis artisque neglectu, velut gemma in centone clarius micat*. Hos si Corrector consuluisset magistros, Delrium dico & Sirmondum, quibus nec purior latinitas, nec recte emendandi facultas deerat, multo sane ac incasso labori pepercisset, aut ad utiliorem forte operam calamum direxisset. At saltem meminisse debuerat triti illius in scholis proverbii *grammaticæ leges plerumque ecclesia spernit*. Certe quam incautæ atque insulsæ sint ejus correctiones demonstrare nullo negotio possem, si eadem carpendi libidine affectus essem, aut lectoribus tædium hisce næniis procreare non timerem: ne tamen intactum se omnino glorietur Corrector, nonnullas hic attingam, quas mala prorsus fide, aut dissimulando,

do, aut fingendo, aut detrahendo, aut corrumpendo verba audacissimus ille Corrector facere non erubuit.

Hujusmodi est illa quam in istis versibus pag. 7. nostræ editionis facere præsumsit

Ecce manum poscis lapsus, solatia mœstus,
Auxilium trepidus, consilium dubius.
Id mœstis, dubiis, trepidis, labentibus offers.

Legendum, inquit Corrector, cum Delrio *offer*, non *offers*. Hic peccat Corrector ille acutissimus in duobus. Primo quod dissimulet hanc meam notam marginalem *l. offer*, qua hunc versum ita emendandum esse significabam, ac omnem correctionis ansam auferebam. Secundo, quod absque ullo mendacii scrupulo audacter asserat Delrium legisse *offer* non *offers*. Certe tres ipsius consului editiones Parisiensem, Coloniensem, & Lugdunensem, quæ omnes, ut in mss. constanter retinent *offers*, non *offer*.

Pagina 7. nostræ editionis hunc versum *Crimine falso alios insimulare noli*, ita carpit: Præferenda est lectio Delrii *insimulare time*. Triplicem hic pro unica correctionem meretur Corrector. Nam primo editio nostra non habet *insimulare*, sed *insimulasse*. Secundo Delrius non legit *insimulare*, sed *instimulasse*. Tertio vera & non adulterata Delrii lectio nostræ non est præferenda ut melior, sed rejicienda ut pejor.

Pagina 8. nostræ editionis versui 5. *Ut te, quem recte fugiens commendat honestas*, hanc adhibet correctionem: Potior est Delrii lectio *vitæ fugiens*. Mirum plane qua fronte Corrector ille hanc emendationem apponere præsumserit. Nam primo textum meum corrupit, tollendo virgulam post *ut te*, quæ sensum omnino planum reddit. Secundo ne sensus auctoris clarior appareret, sequentem reticuit versum, qui priori subjungi debebat hoc modo:

Ut te, quem recte fugiens commendat honestas,
Perpes post obitum gloria suscipiat.

Tertio infideliter omnino Delrii lectionem retulit, separata simul verba conjungendo, omissis intermediis, quæ diversum omnino sensum reddunt. Nam integrum hunc versiculum ita expressit Delrius:

Vitæ quem rectæ fugiens commendat honestas

Quarto quis sinceram Delrii lectionem qualem ipse protulit, non qualem effinxit dolosus artifex, nostræ potiorem nisi omnis prorsus luminis expers existimabit? Immo quis non ut pravam atque corruptam rejiciendam dijudicabit? Quis *honestatem vitæ rectæ fugientem* asserere audebit? Certe ne ipse quidem Delrius, qui ut sensum aliqualem suæ attribuat lectioni, mirum in modum suum torquet ingenium, recurrens ad figuratam locutionem. *An hypallage*, inquit, *pro quem vitæ rectæ fugientis (h. transactæ) honestas commendat.*

Pagina 11. nostræ editionis ad hunc versum *Ut membris lacero dispersis funere Gabaat*, exclamat Corrector, Scripturam legere *Gabaa* & *Gabaon*, non vero *Gabaat*. Egregia sane & acuta correctio, ac singulari attentione digna, sed quæ Correctoris si non malam fidem, saltem inscitiam prodit. Nam si bona eam fide protulit, ostendit se in legendis purioris latinitatis scriptoribus profanis longe versatissimum esse, quam in evolvendis sacris Bibliis; alioquin non modo *Gabaa* aut *Gabaon*, sed etiam *Gabaath* in sacris codicibus deprehendisset. Et ne quis ea de re dubitandi scrupulus ipsi supersit, consulat librum Josue cap. 18. v. 28. & inveniet *Jebus, quæ & Jerusalem, Gabaath & Cariath*, & cap. 24. v. 33. *Et sepelierunt eum in Gabaath*. Legat & librum 2. Regum cap. 23. v. 29. & librum 1. Paralipomenon cap. 11. v. 31. & reperiet *Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin*. Legat & Isaiæ prophetiam, & cap. 10. v. 29. inveniet *Obstupuit Rama Gabaath Saulis fugit*.

Pagina 12. nostræ editionis ad hunc versum, *Qui nunc in luxa tremulus pia pelle vacillat*, iterum lectoribus imponit Corrector, asserens legendum esse cum Delrio

rio *tremulus pes*, nam Delrii textus non *tremulus pes*, *sed tremulus perpelle* habet. Pagina 15. nostræ editionis ad hos versus:

Cur itur in somnos tenuatur lucida vitro
Marmoribus variis lubrica cella tibi.

Legendum, inquit, *queritur*, ut notat Delrio. Verum hæc nota non est Delrii, sed Lipsii.

Præponere debueram correctionem versus 24. paginæ 5.

Aut si formidas pelagus, carpenta movebis,
Teque suis sternet terra notata rotis.

Quæ correctio ita effertur: Oportes *seque tuis*, non *teque suis*. Irrepsit fateor hic vel typographi vel scriptoris oscitantia error in verbo *suis* pro *tuis*, quem quivis benevolus lector vel ipso visu facillime corrigere potest. Hoc verbo igitur ex caritate restituto, non possum insimulare malæ fidei Correctorem, qui hanc notam meam marginalem *f. seque* dissimulavit, qua significabam forte legendum esse *seque tuis*. Quod si *suis* retineri voluissem, certe observare non omisissem, Delrium legisse *tuis*.

Ad paginam *6.* nostræ editionis ubi leguntur isti versus;

Gaudebit certe, si quis de nocte viantem
Blandus vicinum ducat in hospicium.

Hanc intrudit correctionem: Pone cum Delrio *gaudebis* pro *gaudebit*. Hic iterum lectoribus imponit Corrector. Nam Delrii lectio perinde ac nostra non *gaudebis*, sed *gaudebit*: quæ lectio cum duorum sit mss. non est immutanda, maxime cum optimum efficiat sensum, si horum versuum dictio ita construatur. *Si quis blandus ducat in vicinum hospicium de nocte viantem*, ille *certe gaudebit*.

His plura adjicere supersedeo, ne forte lectoribus tædio sint meæ observationes, ut certe fuerunt correctoris importunæ emendationes. Sed dum hæc scribo, audio mense Octobri proxime elapso longe plures ab eo promulgatas ejusdem farinæ castigationes, de quibus, cum eas necdum legerim, nullum ferre judicium possum. Sed si suus ei secundus labor ita feliciter cessit ut primus, non tam responsione indiget, quam instantissimis ad Deum precibus, ut ejus livori & invidiæ pro sua pietate mederi dignetur. Certe si tanta corrigendi prurigine laborat, auctor sum ei, Summam Theologicam Doctoris Angelici castigandam suscipiat: amplissimam ibi ostentandæ suæ latinitatis segetem metet. Sed forte multo utilius corrigendis propriis vitiis ac lugendis peccatis operam navaret. Atque utinam nostrum utrique hæc sit deinceps una occupatio. Parcant mihi lectores benevoli has meas observationes, quas iteratis amicorum meorum precibus negare non potui. Nam qui me noverunt, quam sim alienus ab omni contentione haudquaquam ignorant.

SYL-

SYLLABUS

Librorum Sacramentorum, Miſſalium, Pontificalium, Ritualium ſeu Manualium, Ordinariorum, tam manuſcriptorum quam editorum, ex quibus hæc ſacrorum rituum collectio compacta eſt.

*Additi in præſenti editione * notantur.*

Albi. ALBIENSIS eccleſiæ miſſale ante annos 300. ms. ex bibliotheca Colbertina n. 2799.

Amiens. AMBIANENSIS eccleſiæ pontificale ms. cujus apographum mecum perhumaniter communicavit Cl. V. Johannes *Deslions* inſignis eccleſiæ Silvanectenſis Decanus, non minus virtute quam editis libris notus.

Excerpta ex veteri Rituali ſeu Ordinario anno 1120. manu deſcripto.

Ex miſſali anno 1506. edito.

Ex Rituali anno 1524. edito, communicavit R. P. Domnus Johannes Mabillonius.

Milan. AMBROSIANÆ ſeu MEDIOLANENSIS eccleſiæ miſſale duplex, unum anno 1560. alterum anno 1669. editum.

Breviarium duplex, unum anno 1487. regnante Johanne Galeazio Maria Vicecomite duce editum, alterum anno 1588. juſſu S. Caroli Borromæi.

Proceſſionale Ambroſianum.

Cæremoniale Ambroſianum juſſu Frederici archiepiſcopi & cardinalis editum.

Rituale Ambroſianum anno 1645. juſſu Cæſaris Montii archiepiſcopi Mediolanenſis editum. Quos omnes libros utendos mihi præbuit Cl. V. Dominus *Du Tronchet*, pietate & eruditione commendandus.

Angers. ANDEGAVENSIS eccleſiæ pontificale annorum 300. ex bibliotheca regia num. 4473. Præter iſtud pontificale quatuor alia reperi in Andegavenſi S. Sergii monaſterio, quintum in ejuſdem civitatis cœnobio S. Albini, ſextum in monaſtario S. Nicolai, omnia, uno excepto S. Sergii pontificali, regio longe antiquiora.

Codex alter ms. ejuſdem eccleſiæ ante 700. annos exaratus.

ANDEGAVENSIS item monaſterii S. Albini codex ms. ante annos 700. exaratus continens expoſitiones in Ritus baptiſmi, & miſſæ Romanæ.

D'Angleterre. ANGLICANUM pontificale duplex; unum ex bibliotheca eccleſiæ Rotomagenſis habui beneficio Cl. V. D. *Regnaud* ejuſdem bibliothecæ præpoſiti, alterum ex monaſterio Gemmeticenſi optimę notæ, utrumque judicio virorum peritorum annorum 900. aut circiter.

Miſſale vetus Anglicanum circa annum milleſimum ſcriptum, & anno 1032. ex Anglia allatum, monaſterio Gemmeticenſi circa annum 1050. dono datum liberalitate Roberti ex abbate Gemmeticenſi epiſcopi Londinenſis ac poſtea archiepiſcopi Cantuarienſis. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii.

Apamie en Syrie. APAMIENSIS eccleſiæ in *Syria* pontificale optimæ notæ anno 1214. ſcriptum, cum Latini eccleſiam illam occuparent, ſuoſque uſus ac ritus in eam invexiſſent. Cujus uſu perfrui licuit, Cl. V. Johannis *Deslions* beneficio.

* Aliud annor. 500. circiter.

Aiguevive. AQUÆ VIVÆ monaſterii Canonicorum Regularium in diœceſi Turonenſi Rituale, annorum circiter 300. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii.

Aix en Provence. AQUENSIS eccleſiæ pontificale, ſeu Romanum ad uſum eccleſiæ Aquenſis accomodatum ante annos 400. manu exaratum. Ex bibliotheca Regia n. 3873.

Ejuſdem Eccleſiæ Breviarium extat in eadem bibliotheca Regia n. 4446.

Arles. ARELATENSIS eccleſiæ pontificale ms. ante annos 400. exaratum. Ex bibliotheca Colbertina n. 1587.

Miſſale ms. annorum circiter 400. Ex eadem bibliotheca n. 1583.

Miſſale aliud ms. ante annos 300. Ex eadem bibliotheca n. 1820.

Miſſale aliud ab annis circiter 200. editum. Ex eadem bibliotheca.

Arelatenſis eccleſiæ Breviarium ms. extat in bibliotheca Regia n. 4443.

* ARGENTINÆ ex ms. Ordinario ejusd. eccleſiæ anno 1364. ſcripto. *Strasburg.*

ATREBATENSIS eccleſiæ Ordinarium vetuſtiſſimum, cujus fragmentum ex ſchedis Cl. V. Petri Pithœi edidit Claudius le *Pallitier* cum codice canonum Eccleſiæ Romanæ. *Arras.*

AUTISSIODORENSIS eccleſiæ miſſale ms. ante annos 500. Ex bibliotheca Colbertina n. 421. *Auxerre.*

Pontificale ms. ejuſdem eccleſiæ, cujus caracter accedit ad annos 400. Ex bibliotheca monaſterii S. Johannis Laudunenſis.

Miſſale vetus auctoritate Franciſci de Dentavilla Pariſiis editum. Ex bibliotheca Colbertina n. 422.

AUGUSTODUNENSIS eccleſiæ miſſale vetus anno 1556. editum. Ex eadem bibliotheca. *Autun.*

* Expoſitio brevis antiquæ Liturgiæ Gallicanæ auctore uti conjicimus S. Germano epiſcopo Pariſienſi ex ms. Monaſt. S. Martini Auguſtodunenſis.

* Theodulfi Aurelianenſis epiſc. ſecund. Capitular. apud Balux. tom. 5. Miſcellaneorum.

AURELIANENSIS eccleſ. Breviarium recens editum. *Orleans.*

BAJOCENSIS eccleſiæ Ordinarium ante annos 400. quantum conjicere licet exaratum, cujus excerpta mecum communicavit V. Cl. Dominus *Du Tronchet*. *Bayeux.*

* BASILEENSE ms. ann. circiter 600 Monaſterii S. Gregorii in Valle Gregoriana Diœceſis Baſileenſis. *Bale.*

BECCENSIS monaſterii in diœceſi Rotomagenſi pontificale duplex annorum minimum 500. utrumque optimæ notæ. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii. *Le Bec.*

Rituale vetus annorum circiter 400. Ex eadem bibliotheca.

Rituale aliud annorum minimum 300. aliudque recentius. Ex eadem bibliotheca.

* Beccenſis monaſterii Conſuetudinarium, annorum 400. in biblioth. Bigotiana.

* Alter codex ms. ejuſdem monaſterii n. 96.

BELLOVACENSIS eccleſiæ pontificales libros & Rituales perplures ad proprium commodum olim deſcripſerat V. Cl. Godefridus Herman ejuſdem eccleſiæ Canonicus, vir libris editis longe notiſſimus, qui cum viveret apographum ſuum mihi utendum perhumaniter præbuit. *Beauvais.*

BELLOVACENSIS monaſterii S. Luciani pontificale vetus ab annis circiter 700. ſcriptum, Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii.

* BIGOTIANUS ms. codex continent Tractatum de Profeſſione Monachorum.

BISUNTINÆ eccleſiæ pontificale vetus ab annis circiter 600. exaratum & ad uſum eccleſiæ Turonenſis accomodatum, codex optimæ notæ. In canone miſſæ inſeritur S. Anidii epiſcopi Biſuntini nomen, meminit Portæ Martis, ſtationes varias adſignat ad eccleſias quæ in Biſuntina civitate reperiuntur. Hunc codicem ut & multos alios ſuppeditavit bibliotheca inſignis eccleſiæ Turonenſis. *Beſançon.*

Bourges. BITURICENSIS ecclesiæ missala triplex, unum anno 1493. alterum anno 1512. tertium anno 1526. editum.

Breviarium jussu Reginaldi *de Beaune* archiepiscopi Parisiis anno 1586. impressum.

Ejusdem ecclesiæ Rituale vetus.

Ejusdem ecclesiæ Processionale anno 1525. editum.

Ejusdem ecclesiæ cæremoniale Gallico idiomate conscriptum, ex quibus omnibus excerpta propria manu descripta misit ad me noster Bartholomæus *Monteil*.

Bobio. * BOBIENSE antiquum sacramentarium Gallic. annor. 1000.

Bologne. * BOLONIENSIS ecclesiæ Cartular.

la Brie. * BRIANENSIS ms. codex.

Chalon sur Saone. CABILONENSIS ecclesiæ Ordinarium ms. quod a V. Cl. Domino *Vitte* ejusdem ecclesiæ Canonico acceptum mihi transmisit R. P. Cælestinus a S. Josepho Carmelite Cabilonensis.

Chelles. CALENSIS monasterii Sanctimonialium in diœcesi Parisiensi antiquus Sacramentorum liber ante annos 800. exaratus.

Ejusdem monasterii liber Evangeliorum per totum annum legendorum optimæ notæ ante annos 800. exaratus.

Cambray. CAMERACENSIS & ATREBATENSIS ecclesiæ Ordinarium vetustissimum, cujus fragmentum ex schedis V. Cl. Petri Pithœi cum Codice canonum Ecclesiæ Romanæ edidit Claudius *le Pelletier*.

Cameracensis item ecclesiæ Pontificale annorum uti conjicere licet minimum 500. cujus apographum mihi commodavit V. Cl. Johannes *Deslions*.

Ejusdem ecclesiæ Manuale annorum 300. Ex bibliotheca monasterii S. Nicolai in Silva Vedogii in diœcesi Laudunensi.

Champagne. CAMPANIENSIS monasterii Ordinis Cisterciensis in diœcesi Cenomanensis Lectionarium annorum circiter 500. Ex bibliothece ejusdem monasterii.

Carcassone. CARCASSONENSIS ecclesiæ liber Sacrementorum annorum minimum 800. cujus excerpta descripsit noster Claudius Stephanotius.

Chartres. CARNOTENSIS monasterii S. Petri Sacramentorum liber ante annos 600. scriptus. Ex bibliotheca ejusdem monasterii.

CARNOTENSIS S. Johannis monasterii canonicorum Regularium Ordinarium ante annos 500. scriptum. Ex bibliotheca Colbertina n. 2756.

Chartreux. Ex CARTUSIENSIUM Statutis.

Cartusiensium Sanctimonialium Rituala.

Mont-Cassin. CASINENSIS monasterii ms. codex.

Cassene. CASSANENSIS monasterii canonicorum Regularium Consuetudinarium anno 1387. renovatum, cujus axcerpta descripsit noster Claudius Stephanotius.

Chalon en Campagne CATALAUNENSIS ecclesiæ Breviarium vetus annorum circiter 400. ab amico acceptum utendum mihi præbuit noster Placitus *Porcheron*.

Pontificale manuscriptum quod usui fuit Johanni *Sesreberuche* episcopo Catalaunensi.

Ejusdem ecclesiæ vetus Rituale. Item Missale anno 1543. impressum, quorum usum mihi permisit Illustrissimus abbas *de Noailles* ejusdem aeclesiæ episcopus, qui & vetustissimum Sancti Gregorii Sacramentarium ente annos 800. exaratum pro solita in omnes benignitate mihi commodavit.

* Liber antiquus Sacramentorum ejusd. ecclesiæ tempore Gebuini episcopi manu exaratus.

* Item Tabule annalis insignis ecclesiæ Cathalaunensis a Paschate anni Domini 1708. usque ab Pascha anni Domini 1709.

Cahors. CATURCENSIS ecclesiæ pontificale vetus optime notæ ante annos 800. exaratum. Ex bibliotheca Colbertina n. 6170.

Le Mans. CENOMANENSIS ecclesiæ Ordinarium annorum circiter 300. Ex manuscripro ejusdem aeclesiæ.

CENOMANENSIS monasterii S. Vincentii Ordinis S. Benedicti vetus missale annorum circiter 600. Ex bibliotheca ejusdem monasterii.

CENOMANENSIS monasterii B. Mariæ Magdalenæ Bellilocensis Rituala, annorum circiter 310. Ex bibliotheca Canonicorum Regularium S. Genovefæ Parisiensis.

* D. CHAUVELIN Regiorum sigillorum custodis ms. codex.

* —— Alter ejusdem ante annos 800 axaratus.

COLBERTINÆ bibliothecæ vetustissimus Sacramentorum liber, annorum circiter 900. n. 1348.

Libri alii Sacramentorum quetuor, unus ante annos 800. exeratus n. 2376. tres alii 400. annorum n. 1388. 1389. 6198.

* Ejusdem ms. codex, in quo Instrumentum poblicum continetur de inauguratione Caroli V. Regis Navarræ.

COPHTITARUM Rituale, interprete Athanasio Kircherio S. J.

Compiegne COMPENDIENSE Pontificale ms, S. Cornelii ad usum ecclesiæ Suessionensis, ante an. 600 scriptum.

Pœnitentiale ms. ejusdem Biblioth, n. 1348. ante an. 800. exaratum.

Cuenca en Espagne, sous la metropole le Tolede. CONCHENSIS ecclesiæ in Hispania pontificale vetus ante annos 500. scriptum, quod usui fuit etiam ecclesiæ Xantonensi. Ex bibliotheca Majoris-monasterii.

Constantinople. CONSTANTINOPOLITANÆ ecclesię pontificale vetus ad latinos ritus accommodatum, cujus caracter ad annos 500. accedit, scriptum proinde eo tempore quo, urbe a Gallis occupata, latinis ritibus serviebat. Ex bibliotheca RR. PP. Prædicatorum majoris Conventus Parisiensis.

Corbie. CORBEJENSIS monasterii libri Sacramentorum duo: unus a Rodrado presbytero qui circa annum 853. florebat scriptus, alter jussa Ratoldi abbatis qui anno 986. vivere desiit exaratus.

Cosence. CUSENTINÆ ecclesiæ in Italia Ordinarium a Luca Cusentino archiepiscopo digestum, qui ab anno 1203. ad 1224. eidem ecclesiæ præfuit. Ex Romana bibliotheca Conventus S. Isidori n. 110.

* DESMARAIS cod. ms. ante ann. 400. exaratus.

S. Denys en France. DIONYSIANI monasterii prope Parisios antiquus liber Sacramentorum circa tempora Caroli Magni scriptus & in inclyto ejusdem monasterii Thesauro asservatus.

Ejusdem monasterii alius Sacramentorum liber annorum circiter 800. Ex bibliotheca Colbertina n. 2585.

Dijon, DIVIONENSIS S. Benigni monasterii Ordinis S. Benedicti, vetus Sacramentorum liber ante annos 800. optima scriptus. Ex bibliotheca ajusdem monesterii n. 271.

Yorck. EBORACENSIS ecclesiæ, sive Egberti Eboracensis archiepiscopi pontificale literis Saxonicis ab annis circiter 950. elegantee scriptum, Ex bibliotheca ecclesiæ Eboracensis.

Embrum, EBREDUNENSIS ecclesiæ missale vetus, cujus caracter accedit ad annos circiter 300. Ex bibliotheca regia n. 3878.

Evreux, EBROICENSIS ecclesiæ ritus in Cœna Domini ab annis circiter 800. scripti ad calcem pontificalis Egberti.

Ejusdem ecclesiæ vetus missale annorum 300. Ex bibliotheca Gemmeticensis monasterii.

Missale alterum annorum circiter 500. quod eidem ecclesiæ usui fuit. Ex bibliotheca Rotomagensia S. Audoeni monasterii.

Ordinarium vetus ann. circ. 400.

Fecam. FISCANNENSIS monasterii Ordinis S. Benedicti in diœcesi Rotomagensi missale duplex, unum annorum 600. alterum annorum 300. Ex bibliotheca ejusdem monasterii.

Ordinarium vetus ab ennis circiter 400. scriptum. Ex eadem bibliotheca.

Fleury, ou S. Benoist sur Loire, FLORIACENSIS monasterii Ordinis S. Benedicti in diœcesi Aurelianensi Pœnitentiale pervetustum. Ex bibliotheca ajusdem monasterii.

Rituale vetus annorum circiter 500. Ex eadam bibliotheca.

Fulde. FULDENSIS Monast. Missele ante ann. 700. scriptum.

GALLICANA Liturgie triplex a Josepho Thomelio viro doctissimo Romanis typis mandata, & demum a nostro Mabillonio Parisiis recusa.

Gallicana altera Liturgia ex Codice Bobiensi

anno-

annorum circiter mille in Musei Italici tomo I. edita.

Gastine. GASTINENSIS monasterii canonicorum regularium in diœcesi Turonensi Ordinarium ante annos 400. scriptum. Ex bibliotheca S. Genovefæ Parisiensis.

GELASII papæ I. antiquus Sacramentorum liber a Josepho Thomasio editus.

Gellone, ou S. Guilhem es desers au diocese de Lodeve. GELLONENSIS monasterii Ordinis S. Benedicti in diœcesi Lodevevensi vetustissimus Sacramentorum liber ante annos 900. exaratus. Ex bibliotheca S. Germani a Pratis.

Missale ejusdem monasterii pervetustum cujus excerpta descripsit noster Claudius Stephanotius, uti & Consuetudinarii ejusdem monasterii.

Jumieges. GEMMETICENSIS Monasterii Ordinis S. Benedicti in diœcesi Rotomagensi Rituale vetus tempore Theodorici abbatis, qui anno 1032. obiit, exaratus: cujus excerpta transcripsit noster Nicolaus *Quitrebeuf*.

Missale ejusdem monasterii intrante seculo XII. scriptum.

Collectaneum vetus anno 1168. scriptum.

Ejusdem monasterii antiquum Ordinarium idem descripsit. Ritus pro triduo ante pascha, Ex ms. ejusdem bibliothecæ ante annos 700. scripto.

* Liber Sacramentorum annor. 900. circiter.

* Pontificale Anglicanum ejusdem monast. ann. circiter 900.

Bielaro. * GEMUNDENSIS ms. codex.

S. George. S. GEORGII monasterii Ordinis S. Benedicti in diœcesi Rotomagensi Ordinarium, Rituale & Missale annorum circiter 300. quorum excerpta propria manu descripta transmisit noster Richardus *Houssaye*.

Glaidpac. * GLADBACENSIS monasterii in diœcesi Colon. Lib. Sacr. antiquiss.

Glandeves. GLANDATENSIS ecclesiæ missale vetus jussu Johannis Bonifacii episcopi circa annum 1420. scriptum. Ex bibliotheca regia n. 3878.

S. Gregoire. GRÆCORUM Euchologium cum notis Jacobi Goartii.

Græcorum pontificale cum notis Isaaci Haberti episcopi Vaurensis.

S. GREGORII papæ Sacramentorum liber editus & notis illustratus a Menardo.

Idem a Pamelio editus.

Idem scriptus ante annos 800. ad usum monasterii S. Germani a Pratis. Ex bibliotheca Colbertina n. 1927.

Idem ante annos 800. Nonantulensi monasterio dono datus a Johanne Aratino episcopo, Ex bibliotheca Colbertina n. 2376.

Idem ad usum ecclesiæ, uti videtur, Parisiensis annorum circiter 800. Ex eadem bibliotheca n. 1364.

* GRIMBERGENSIS abbatiæ ms. codex.

Salzbourg. JUVAVENSIS sive SALISBURGENSIS ecclesiæ pontificale vetus ante annos 600. scriptum. Ex duobus mss. optimæ notæ, uno ex bibliotheca Regia n. 3866. altero ex bibliotheca Vindocinensis monasterii.

Lodi en Italie. LAUDENSIS ecclesiæ vetus Rituale ab annis circiter 200. scriptum. Ex bibliotheca S. Genovefæ Parisiensis.

Laon. LAUDUNENSIS ecclesiæ vetus Ordinarium optimæ notæ ante annos 400. scriptum. Ex ms. ejusdem ecclesiæ.

Lehon. LEHONENSIS ecclesiæ missale vetus ad usum Antonii *de Longueil* Lehonensis episcopi scriptum. Ex bibliotheca Colbertina n. 2450.

Limoges. LEMOVICENSIS ecclesiæ vetus Ordinarium ms. ex codice ejusdem ecclesiæ.

Missale vetus anno 1500. editum.

Ejusdem ecclesiæ Breviarium anno 1459. editum.

Rituale pervetustum transcribi mihi curavit noster Carolus *Conrade* abbatiæ S. Augustini prope Lemovicas Prior Claustralis.

LEMOVICENSIS ecclesiæ S. Martialis antiquum Ordinarium ms.

Ejusdem ecclesiæ Constitutiones chori anno 1470. jussu Guidonis de Alvina ejusdem ecclesiæ Prioris Claustralis scriptæ.

Vetus Rituale ejusdem loci. Transcribi curavit idem Carolus *Contade*.

* S. Stephani Lemovicensis ms. codex.

LEODIENSIS ecclesiæ Rituale anno 1553. editum. *Liege.*

* Pontificale vetus.

LINGONENSIS ecclesiæ vetus Ordinarium ms. cujus longa excerpta obtinui beneficio Cl. V. Domini *Gentilhomme*, ejusdem ecclesiæ canonici. *Langres.*

Missale vetus anno 1517. editum. Ex bibliotheca Colbertina.

LUGDUNENSIS ecclesiæ Pontificale vetus ante annos 600. scriptum quod usui fuit Helinardo archiepiscopo. Ex bibliotheca S. Benigni Divionensis. *Lyon.*

Pontificale aliud quod usui etiam fuit ecclesiæ Tarentasiensi, annorum circiter 300. Ex bibliotheca V. Cl. Petri Menardi civis Turonensis.

Pontificale tertium annorum circiter 500. vidi Cenomanis in bibliotheca Parochi S. Nicolai.

Ordinarium vetus ante annos 500, exaratum. Ex bibliotheca Regia n. 4457.

Missale antiquum anno 1524. typis mandatum.

LUGDUNENSIS monasterii S. Martini Athanacensis missale vetus anno 1531. impressum, Ex bibliotheca Colbertina. *Aynè.*

LUXOVIENSIS monasterii Lectionarium vetus ante annos 1000. scriptum. *Luxevil.*

LYRENSIS monasterii Ordinis S. Benedicti in diœcesi Ebroicensi pontificale ms. annorum 600. Ex bibliotheca ejusdem monasterii. *Lyre.*

MABILLON. Musei Ital. t. 1.

MAJORIS-MONASTERII Turonensis antiquus Sacramentorum liber ab annis circiter 700, exaratus. Ex bibliotheca ejusdem monasterii. *Marmoutier.*

Missale vetus annorum circiter 400. Ex bibliotheca ejusdem monasterii.

Missale anno 1508. editum. Ex eadem bibliotheca.

Anonymi Tractatus Theologicus ante annos 400. scriptus. Ex eadem bibliotheca.

MEDIOLANENSIS, vide AMBROSIANÆ.

MELDENSIS ecclesiæ Ordinarium. *Meaux.*

MELODUNENSIS ecclesiæ vetus missale ms. annorum circiter 400. Ex bibliotheca Colbertina n. 347. *Melun.*

METTENSIS ecclesiæ pontificale vetus annorum circiter 400. Ex bibliotheca Colbertina n. 4496. *Mets.*

MIMATENSIS ecclesiæ pontificale ms. a Guillelmo Durando episcopo digestum, quod fuit usui Johanni *Sairberuche* Catalaunensi antistiti. Ex libris illustrissimi abbatis *de Noailles*, post Catalaunensis præsulis. *Mande.*

MINORUM FRATRUM vetus missale annorum circiter 200. optimæ notæ. Ex bibliotheca illustrissimi archiepiscopi Rotomagensis. *Des Cordeliers.*

MOGUNTINÆ ecclesiæ pontificale vetus ms. in cujus fine habetur imago Christiani archiepiscopi, qui ab anno 1249. ad 1250. eamdem rexit ecclesiam, cui Fredericus monachus codicis scriptor hunc librum exhibet. Extat in bibliotheca Regia num. 4223. *Mayence.*

Pontificale alterum annorum circiter 400. quod usui fuisse videtur ecclesiæ Spirensi: nam in consecratione chrismatis, ubi fit mentio sermonis faciendi, in margine altera manu scriptum legitur: *Hæc non observatur in nostra Ecclesia Spirensi*. Ex bibliotheca Regia n. 3870.

MOISACENSIS monasterii Ordinis S. Benedicti antiquus Sacramentorum liber annorum circiter 800. codex optimæ notæ. Ex bibliotheca Colbertina n. 428. *Moysac.*

* MONASTERIENSIS diœcesis in cœnobio Werthensi pontificale antiquum. *Munster.*

Ordo ad scrutinium.

* Aliud pervetustum pontificale ejusdem Cœnobii ante 700. annos exaratum.

* DE MONTVERT Dapiferi ecclesiæ Lugdunensis antiqua statuta mss. ejusdem ecclesiæ sæculo XII. renovata.

MOZARABUM missale vetus & Breviarium jussu Francisci Ximenes archiepiscopi Toletani typis mandatum, & in ecclesia Toletana restaura- *Mozarabes, ou de Tolede.*

tum

tum. Ex bibliotecha Colbertina.

Nantes. NANNETENSIS ecclesiæ antiquum Ordinarium anno Domini 1263. ab Elia Cantore concinnatum. Ex bibliotheca Parisiensi S. Genovefæ n. H. 12.

Narbonne. NARBONENSIS ecclesiæ vetus Rituale sæculo XII. scriptum.

* Pontificale ejusdem ecclesiæ aliud ante ann. 700. scriptum.

Ejusdem ecclesiæ aliud ad usum Petri *Judie* archiepiscopi anno 1350. a monacho Benedictino exaratum. Ex libris ecclesiæ Narbonensis mihi transcribi curavit R. P. Domnus Arnaldus *Boiserie*, Prior B. Mariæ Deauratæ apud Tolosanos.

Ejusdem ecclesiæ vetus Ordinarium ante annos 300. exaratum cujus apographum propria manu descriptum mihi transmisit noster J. R. *Lagoree*.

Missale Narbonense anno 1528. typis mandatum.

Noyon. NOVIOMENSIS ecclesiæ vetustissimus Sacramentorum liber ante annos 900. scriptus. Ex bibliotheca ejusdem ecclesiæ.

Missale vetus annorum circiter 800. quod scriptum videtur ad usum alicujus monasterii Benedictini. Ex eadem bibliotheca.

Pontificale antiquum quod usui fuit Radbodo episcopo, annorum circiter 800. Ex eadem bibliotheca.

Pontificale alterum ante annos 600. scriptum. Ex eadem bibliotheca.

Pontificale tertium ante annos 400. exaratum. Ex eadem bibliotheca.

Pontificale quartum ejusdem circiter ætatis. Ex bibliotheca Compendiensis S. Cornelii monasterii.

Rituale annorum circiter 300. Ex bibliotheca Noviomensi.

Ordinarium ejusdem ecclesiæ annorum circiter 300. Ex eadem bibliotheca.

Paris. PARISIENSIS ecclesiæ pontificale vetus annorum circiter 300. Ex bibliotecha RR. PP. Prædicatorum majoris conventus Parisiensis.

Missalia mss. tria, quorum unum est annorum circiter 400. Ex bibliotheca Regia n. 3867. alterum annorum circirer 300. quod usui fuit Ludovico Cardinali Borbonio. Ex eadem bibliotheca n. 4226. Tertium ejusdem circiter ætatis quod fuit olim ecclesiæ S. Marcelli. Ex bibliotheca Sorbonica.

Breviarium vetus annorum circiter 400. Ex bibliotheca regia n. 4445.

Processionale recens.

* Ejusdem ecclesiæ Capituli antiqua Cartularia, & Registr.

PARISIENSIS ecclesiæ S. Crucis vulgo dictæ *de la Bretonnerie*, canonicorum regularium S. Augustini vetus Ordinarium annorum circiter 400.

* Magni Senonensis archiepisc. Libellus de misterio bapt. jussu Caroli M. editus. Ex monasterio Coisliniano.

Poitiers. PICTAVIENSIS ecclesiæ pontificale vetustissimum, annorum circiter 800. cujus apographum mecum communicavit V. Cl. Joannes *Deslions* decanus ecclesiæ Silvanectensis; autographum vero extat in Parisiensi bibliotheca conventus RR. PP. Minimorum.

Missale vetus annorum circiter 300. Ex bibliotheca Colbertina n. 385.

Missale alterum ejusdem ætatis. Ex bibliotheca RR. PP. Minimorum Conventus Tusonensis.

Missale tertium anno 1498. editum.

* Liber Sacramentorum annor. 900. circiter.

Pontlevoy en diocese de Blois. PONTELEVIENSIS monasterii B. Mariæ vetus Rituale, annorum 500.

Des Jacobins de S. Quentin. RR. PP. PRÆDICATORUM vetus missale ante annos 400 scriptum. Ex libris insignis ecclesiæ S. Quintini apud Augustam Veromanduorum.

Premonstrè. PRÆMONSTRATENSIUM antiquum Ordinarium. Ex bibliotheca Præmonstratensi.

de Prez. * A PRATIS monasterii S. Germani missale vetus annor. cir. 600.

* Pontificale ejusdem monasterii ab annis circiter 600. manu exaratum.

REGIÆ bibliothecæ antiquus Sacramentorum liber annorum 900. n. 3865.

Ejusdem bibliothecæ alter Sacramentorum liber, annorum minimum 600. n. 428.

* De officio diac. card. festivis diebus papæ celebranti ministrantis ms. n. 4130.

* MS. codex ejusdem biblioth. qui ad ann. 800. accedit.

* MS. codex n. 4234. ann. ad summum 300.

* Ejusdem bibliothecæ ms. Pontificale S. Dunstani Cantuariensis archiep.

* Ejusdem biblioth. ms. cod. n. 4226. ann. minimum 300.

* Ejusdem biblioth. ms. cod. n. 4208.

REDONENSE missale ms. monasterii S. Melanii, annorum circiter 700. Ex biblioth. Turonensi S. Gatiani. *Rennes.*

Ejusdem bibliothecæ vetus rituale ms. ann. cir. 300. n. 4234.

Ejusdem bibliothecæ codex 4227. ann. cir. 300. continens ritus ad coronandum regem Alemanniæ.

Ejusdem bibliothecæ codex 4228. continens ritus ad coronandum regem, estque ann. 400.

Ejusdem bibliothecæ codex 4464. continens ordinem ad coronandum regem Franciæ cum picturis ante annos 400. scriptus.

REMENSIS ecclesiæ pontificale vetus circa tempora Hincmari exaratum. Ex bibliotheca B. Mariæ Remensis. *Reims.*

Pontificale duplex in folio utrumque annorum 500.

Pontificale in 4. triplex unum annorum 600. alterum annorum 500. tertium annorum 400.

Pontificale in folio annorum 300. Ex eadem bibliotheca.

Ordinarium ejusdem ecclesiæ annorum circiter 400. Ex bibliotheca S. Remigii Remensis.

Rituale ad usum diœcesis Remensis vetus editum ex libris V. Cl. Domini *Duchesne* bibliothecæ illustrissimi archiepiscopi Rotomagensis præfecti.

Rituale ad usum provinciæ Remensis alterum typis mandatum. Ex libris ejusdem.

Missale vetus editum. Ex bibliotheca monasterii S. Albini Andegavensis.

REMENSIS archimonasterii S. Remigii antiquum pontificale ante annos 900. litteris Longobardicis exaratum, Tirpini archiepiscopi Remensis nomine vulgo appellatum.

Libri Sacramentorum tres, unus anno regni Caroli-Magni imperatoris 31. ac proinde ante annos 800.

Pontificale duplex, utrumque annorum minimum 500.

Rituale vetus ante annos 400. scriptum. Omnia ex bibliotheca ejusdem archimonasterii.

* Monasterii S. Theodorici prope Remos ms.

ROMANUS Ordo vulgatus editus in Bibliotheca Patrum. *Roma.*

Romani Ordines antiqui a Mabillonio vulgati in Musei Italici tomo 2.

* Romani Ritus ex antiquissimo ordine Romano ad usum monasteriorum ab annis circiter mille conscripto.

Romanum pontificale ms. annorum circiter 400. Ex bibliotheca regia n. 3867.

Romanum pontificale aliud ms. annorum circiter 300. Ex bibliotheca Colbertina n. 4160.

Romanum pontificale ab Augustino Patricio tempore Innocentii VIII. adornatum.

Antiphonarium a Thomasio vulgatum.

Romanum pontificale tempore Leonis papæ X. editum.

Romanum pontificale tempore Gregorii papæ XIII. Venetiis editum.

Romanum pontificale a Clemente VIII. recognitum.

Romanum missale duplex ms. annorum circiter 400. Ex bibliotheca Regia n. 4209. & 4454.

* Missale vetus ad usum Fratrum Minorum annor. circiter 200.

Romanum Ordinariorum annorum circiter 300. Ex bibliotheca Regia n. 4460.

* Romanum Officium ex ms. bibliothecæ Regiæ num. 4130.

ROMANI S. Pauli monasterii Consuetudines tempore S. Odilonis abbatis Cluniacensis manu exaratæ.

* Ex-

* Expositio missæ Romanæ Auctore Anonymo qui ante ann. 900. scriptissa videtur.

* Romanus Ordo Vallicellanus.

Remiremont. ROMARICENSIS monasterii missala vetus anta annos 600. descriptum. Ex bibliotheca Victorina.

Rouen. ROTOMAGENSIS ecclesiæ pontificale ms. ann. circiter 200. Ex bibliotheca Sorbonica.

Rotomagensis ecclesiæ missala duplex: unum annorum minimum 400. Ex bibliotheca Fiscannensis monasterii, aliud annorum 300. Ex bibliotheca ecclesiæ Rotomagensis.

S. Ouen. Rotomagensis S. Audoeni monasterii vetus missale ante annos 400. manu exaratum.

Antiquum Ordinarium annorum circiter 300.

Vatus Rituala ajusdem ætatis.

Hos libros aliosque plures habui beneficio clarissimi viri D. *Le Tellier*, ejusdem cœnobii magni Prioris, cujus studium in recuperandis veteribus sui monasterii libris, ac munificentiam in divinum cultum nullus umquam satis laudare poterit.

Vetus Breviarium ad usum ejusdem monasterii aditum.

* Rotomagensi in pago monasterii S. Georgii ms. codex.

S. RUFFI Canonicorum Regular. mss. Consuetudines.

Canon. Regul. S. Laudi Ordinarium vatus.

SALISBURGENSIS. *V.* JUVAVENSIS.

S. Florent de Saumur SALMURIENSIS Monaster. in Diœces. Andegav. Consuetudines.

Salisbery. SARISBERIENSIS ecclesiæ vetus missale. Ex bibliotheca Fiscannantis monasterii.

Sans, SENONENSIS ecclasiæ liber Sacramentorum anta annos 800. exaratus ea biblicaheca illustrissimi D. *de Harlay* primi Senatus Parisiensis præsidis.

Pontificala Senonense ante annos 500. optima scriptum. Ex bibliotheca Ragia n. 4219.

* Pontificale altarum ante annos 800. exaratum quod servatur in bibliothaca illustrissimi D. *Chauvelin* regiorum sigillorum custodis.

Pontificale alterum annorum circiter 300. cujus apographum propria manu descriptum mecum communicavit V. Cl. Dominus *Duchesne*.

Ritnale vatus ad usum diœcesis Senonensis editum, Ex libris ejuidem.

* Senonensis monast. S. Petri Vivi ms. codex.

Senlis. SILVANECTENSIS ecclesiæ vetus Ordinarium annorum circiter 400. communicavit V. Cl, Johannes *Deslionis* ajusdem ecclasiæ dacanus.

Pontificale Petri de Triniaco episcopi ab eodem communicatum.

Stablo. * STABULENSIS monasterii ms., qui videtur olim fuisse acclasiæ Virdunensis.

Soissons. SUESSIONENSIS ecclesiæ pontificale anta annos 600. manu axaratum optimæ notæ. Ex bibliotheca Compendiensis S. Cornelii monasterii.

Rituale pervetustum tempore Nivelonis II. episcopi scriptum *Mandatum* vulgo appellatum. Ex libris acclesiæ Suessionensis.

* Ejusdem ecclesiæ ms. Rituale.

Monastarii S. Medardi codex continans fariam evangeliorum per anni circulum legendorum, ad calcem libri avangeliorum aureis uncialibus litteris scripti, quem olim eidem monasterio dono dedit Ludovicus Pius imperator.

* SYRORUM Maronitarum Ordinationes ex versione, & editione Johannis Morini.

* Syrorum Jacobitarum, & Euthychianorum Ordinationes.

Toulon. THOLONIENSIS ecclasiæ missala annorum circiter 300. Jubenta Reynaldo Fresquati canonico Tholoniansi scriptum. Ex bibliotheca Regia n. 3877.

Toulouze. TOLOSANÆ ecclasiæ vetus missale.

Ritnale vetus anno 1476. editum.

Ritnala aliud anni 1514.

Braviarium antiquum ajusdam ecclesiæ.

Statuta antiqua ajusdem ecclasiæ. Omnium horumce librorum excarpta mihi scribi curavit R. P. D. Arnaldus *Boisserie* Prior Claustralis B. Mariæ Deauratæ.

Troye. TRECENSIS ecclesiæ vatus pontificale, quod dono datum fuit Arremarensi monasterio a S. Prudentio Trecansi episcopo, qui ante annos 840. aandam regabat ecclesiam. Ejus apographum macum communicavit V. Cl. Johannes *Deslions*.

Trecense ritnale annorum circiter 300. Ex bibliotheca S. Genovesæ Parisiensis.

* Missale annorum circiter 300.

Tours. TURONENSIS ecclasiæ libri Sacramentorum quinque aut sex ante annos 800. scripti, Ex bibliotheca ajusdem aaalasiæ.

Missalia duo annorum minimum 600. Ex eadem bibliotheca.

Missalia tria annorum circiter 300. Ex eadem bibliotheca.

Missale vetus anno 1533.

Ordinarium ecclesiæ Turonensis ante 300. annos axaratum. Ex eadem bibliotheca,

Breviarium ms. antiquum. Ex eadam bibliotheca.

Speculum ecclesiæ ms. ante annos 400. ab Anonymo ejusdem ecclesiæ compositum. Ex aadem bibliotheca. His omnibus libris uti mihi licuit beneficio Cl. VV. Renati *Ouvrard* & Domini *Leppin* ejusdam ecclesiæ Canonicorum.

* Ejusdem ecclesiæ alii mss. codd. ante ann, 800. axarati.

* Ejusdem S. Gatiani missale ante 400. annos exar.

TURONENSIS S. Martini ecclesiæ vetus Ritnale anta ann. 400. exaratum.

Ejusdam ecclasiæ Ordinarium ann. 1450. conscriptum.

Ejusdem ecclesiæ Antiphonarium vetus ms. Quorum usum debao Cl. Viris Gatiano *de Galiczon* ejusdem ecclesiæ Præcentori, & Domino *Girard* Canonico.

Vennes. VENETENSIS ecclesiæ in Britannia minori missale annorum circiter 300. Ex bibliotheca Rotomagensi S. Audoeni.

S. Victor de Paris. VICTORINÆ bibliothecæ libri Rituales duo ante annos 500. scripti n. gg. 14. gg. 15.

Vienne en Daufine. VIENNENSIS ecclesiæ vetus Cæremoniale ms. cujus excerpta accepi a Cl. V. Domino *Du Tronchet* ragiæ Capellæ Parisiensis Canonico, & Domino *Gentilhomme* ecclesiæ Lingonensis Canonico.

* MS. Ordinarium ejusdem ecclesiæ.

Villeloin. VILLALUPENSIS monasterii Ordinis S. Benedicti in diœcesi Turonensi vetus Ritnale annorum 500. Ex bibliotheca ejusdem monasterii.

* Liber Sacramentorum annor. 500.

Verdun. VIRDUNENSIS codex pervetustus S. Vitoni Virdunensis.

Uzez. UTICENSIS seu Ucetiensis ecclesiæ vetus Ordinarium annorum minimum 300. cum ms. Statutis Synodalibus Eliæ Uticensis episcopi. Ex bibliotheca Colbertina n. 4053.

S. Evrouk. UTICENSIS monasterii S. Ebrulfi vetus missala annorum circiter 600. Ex bibliotheca S. Audoeni.

I N D E X
CAPITUM, ET ARTICULORUM
TOMI PRIMI.

*Ordines * signati in præsenti editione ab eodem Auctore additi sunt.*

LIBER PRIMUS.

De Ritibus in Sacramentorum administratione observatis.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT

CAPUT VI.

CAPUT VII.





DE ANTIQUIS ECCLESIÆ RITIBUS

LIBER PRIMUS.

De Ritibus in Sacramentorum administratione observatis;

CAPUT PRIMUM.

DE RITIBUS BAPTISMI.



Nriquos Ecclesiæ ritus descripturi, ab his in primis ducimus exordium, qui speciali ratione Sacramenta respiciunt: allecti non materiæ dumtaxat dignitate, qua nihil hoc in genere prestantius, nihil augustios; sed etiam naturali rerum ordine, quo nihil prius. His etiam in Christo nascimur, roboramur, nutrimur. Nascimur, cum salutari regenerationis lavacro abluti, Ecclesiæ filii efficimur: roboramur, cum Episcopali manuum impositione in fide confirmamur: nutrimus, cum pretioso Corpore & Sanguine Christi reficimur. Quæ tria cum simul olim præstarentur iis, qui Christo nomen dantes, Ecclesiæ membris accersebantur; officii nostri ratio exigit, ut de his ante omnia dicere incipiamus. Jam vero quia inter alia Sacramenta, baptismus primum obtinet locum; non immerito ab ejus ritibus hoc opus exordiri instituimus. Sed antequam singulos illius ritus discutiamus; nonnulla de tempore & loco, quibus olim conferretur, deque ejus ministro disserere alicujus opellæ pretium existimamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quo tempore olim conferretur Baptismus.

Baptismus olim in Vigiliis Paschæ & Pentecostes celebratus.

I. QUi de veteri Ecclesiæ disciplina ex hodierno usu dijudicare solent, ii nonnisi reluctanti animo audire forte poterunt, duo dumtaxat olim in toto integro anno ad recipiendum baptismum designata fuisse tempora: Paschalem scilicet solemnitatem & Pentecosten: cum ex hujusmodi consuetudine evidenti damnationis æternæ periculo, complurium animarum salus exponatur. Et tamen constans est & indubitata apud eruditos sententia; quam infinitis prope veterum scriptorum testimoniis comprobare possemus. Insignis est hanc in rem Tertulliani locus in libro de baptismo cap. 19. cujus suffragio nihil certius aut antiquius proferri potest: (Diem, inquit, baptismo solemniorem Pascha præstat, cum & Passio Domini, in quo tinguimur adimpleta est . . . . Exinde Pentecosta ordinandis lavacris latissimum spatium est.) Eadem tempora designat S. Hieronymus ad Pammachium scribens adversus Joannem Jerosolymitanum, & Fortunatus in libro 3. Carmine 7. ubi agit de solemnitate Paschali, & libro 5. Carmine 4. agens de Judæis a S. Avito Arvernensi Episcopo ipso die Pentecostes baptizatis: sed & Anonymus scriptor respondens ad capitula ab archiepiscopis jussu Caroli Magni missa in Appendice ad Capitularia Regum Francorum [ab erudito Baluzio edita tomo 2. (Hoc sacratissimum, inquit, non celebratur mysterium, nisi in Pascha & Pentecosten.) Quibus accedunt duorum celeberrimorum Præsulum decreta: Ahytonis nempe Basileensis Episcopi, qui circa annum 822. pro suæ Diœceseos meliori informatione nonnulla edidit Capitula, Spicilegii tomo 6. vulgata, in quorum septimo decernitur, ut Presbyteri (sciant tempora legitima ad baptizandum in anno: id est Sabbato Sancto Paschæ, ut illa trina mersio in Baptismate imitetur triduanam mortem Domini clarificatam resurrectione . . . . . . aliud vero tempus baptismatis Sabbato Sancto Pentecostes celebrandum.) Ex Herardi Turonensis archiepiscopi, qui in scriptis anno 858. Capitulis prescribit, (ut certis temporibus Paschæ & Pentecostes Bptismata fiant, & hoc in vicis, excepta causa infirmitatis.)

II. Idem sub summa districtione decernunt etiam plures Summi Pontifices, maxime vero Siricius Papa & Leo Magnus. Primus quidem non solum auctoritate Sedis Apostolicæ fretus; sed omnium etiam Ecclesiarum consuetudinem in medium adducens: Secundus vero tamquam regulam ab Apostolis institutam, & continua successione in Ecclesia traditam sequens. Horum testimonia inferius proferemus. Simili prorsus modo Gelasius Papa epistola 9. ad universos episcopos scribens (baptizandi, inquit, sibi quisquam passim quocumque tempore nullam credat fiduciam, prætes Paschale festum & Pentecoste venerabile Sacramentum: excepto dumtaxat gravissimi languoris incursu.) Quæ quidem verba Capitulari suo, cap. 17. inseruit Atto Vercellensis episcopus Spicileg. tom. 8. Similiter & Gregorius II. in epistola ad clerum & plebem Thuringiæ, quæ refertur in Vita S. Bonifacii episcopi Moguntini & martyris, auctore Othlono: (Sancti autem baptismi Sacramentum non nisi in Paschali festivitate & Pentecostes noveris esse celebrandum.)

III. His accedunt plurima Concilia, quæ idem expresse decernunt, ut Gerundense anno 517. canone 4. Antissiodorense anno 578. canone 18. Matisconense II. anno 585. canone 3. Moguntinum anno 813. canone 4. Parisiense VI. anno 829. celebratum, part. 1. cap. 7. Meldense anno 845. can. 48. Moguntinum anno 847. can. 3. Wormatiense anno 868. can. 1. Triburiense anno 895. canone 12. & Rotomagense anno 1072. canone 23. Wintoniense anno 1074. can. 7. Leo Papa IV. in homilia de cura pastorali, & Nicolaus Papa I. in Responsione ad consulta Burgarorum cap. 69. Quibus addere possemus Regum Christianissimorum Capitularia. Nam Capitulare in Salz datum anno 804. præscribit (ut nullus baptizare præsumat, nisi in Pascha & Pentecosten; excepto infirmo.) Capitularia a Benedicto Levita collecta libro 1. num. 171. (Ut Baptismus non fiat, nisi statutis temporibus, id est Pascha & Pentecosten, nisi infirmitas intercesserit.) Et libro sequenti num. 181. (Ut nullus baptizare præsumat, nisi per duo tempora, id est vigilia Paschæ & vigilia Pentecostes, præter mortis periculum. Idem patet etiam ex hortatione, quæ fiebat olim ab Episcopo ad ordinandos, quam ex codice Thuaneo, qui nunc servatur in Biblio-

theca Colbertina, vulgavit Johannes Morinus, ex Sancto Hildephonso lib. 1. adnotationum de ordine Baptismi cap. 108. & Rodulfi Archiepiscopi Bituricensis Capitulari num. 20. & ex Synodica Ratherii Veronensis Episcopi Spicilegii tom. 2. edita.

Etiam in Epiphania.

IV. Paschæ Pentecostesque diebus Græci tertium Epiphaniæ festum addiderunt, qui in memoriam dati hac die a Johanne Christo Baptismatis solemnem hoc in festo Baptismum, nullo refragante, omni tempore celebrarunt, ut patet non solum ex eorum Euchologio, & ex S. Gregorio Nysseno, qui hac die orationem de Baptismate dixit ad baptizandos; sed etiam ex Johanne Moscho in Prato Spirituali capite 214. ubi agit de Baptisterio Sorubę vici ad radices Civitatis Cocauensium siti, quod in Epiphania per tres horas ita sudaret, ut peracto Baptismate sensim desinerat. Sed & Ratherius Veronensis in Sermone I. de Quadragesima idem docet his verbis: (Sciendum sane quod cum sub una fide sint consuetudines Ecclesiarum diversæ; Orientales & longiorem & austeriorem, quam nos, faciunt Quadragesimam: & idcirco Paschale gaudium ad horam Sabbati Sancti inchoant, ut dicitur, (quod nobis licet minime,) tertiam. Baptismum enim ut nos eo die, sed in Epiphania & Pentecoste dicuntur solummodo contra institnta licet nostrorum canonum celebrare.) Verum quod ait, Orientales in Paschate contra consuetudinem Occidentalium non baptizare, falsi convincitur ex epistola S. Joannis Chrysostomi ad Innocentium, ex Palladii Dialogo de Vita ejusdem Chrysostomi, ex Johanne Moscho in Prato Spirituali cap. 165. & 215. & ex S. Gregorio Nazianzeno in Oratione de Baptismo, ubi refert excusationes differentium renasci in hunc modum: (Excusationes peccatis prætendis dicens: Luminarium expectabo diem, Pascha mihi honorabilius erit, Pentecosten præstolabor.)

V. Narrat præterea Sozomenus libro 2. cap. 26. Jerosolymis post factam dedicationem constructæ a Costantino Magno Ecclesiæ, solemnem quotannis institutam festivitatem: [adeo ut Baptismi quoque Sacramenta eo die tradantur] inquit, & per continuos septem dies collectæ fiant.

VI. Neque vero singularis fuit Orientalibus in Epiphaniis baptizandi consuetudo. Ea siquidem viguit etiam in Africa, ut constat ex Victoris Vitensis libro 2. de Persecutione Vandalica. Sed & in Sicilia, cujus universos eam ob causam Episcopos redarguit S. Leo Papa in epistola 16. novæ editionis his verbis: (Cum ergo mihi de caritatis vestræ actibus fraterna affectione sollicito certis indiciis innotuerit, vos in eo quod inter Sacramenta Ecclesiæ principale est, ab Apostolicæ institutionis consuetudine discrepare: ita ut Baptismi Sacramentum numerosius in die Epiphaniæ, quam in Paschali tempore celebretis; miror vos, vel prædecessores vestros tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse.)

In Galliis quinque quot annis diebus.

VII. In Galliis quinque potissimum in anno dies ad solemnem Baptismi celebrationem designatos reperio apud Auctores: Natalem Domini, Epiphaniam, Pascha, Pentecosten, & festum Sancti Joannis Baptistæ. De Pascha & Pentecoste constat ex supradictis, & insuper ex Gregorii Turonensis Historiæ Francorum libro 5. cap. 11. De Natali Domini habemus Sancti Aviti Viennensis Episcopi testimonium in Epistola ad Clodoveum Regem, quem scribit eo die baptizatum fuisse; cujus auctoritas Fradegario Hist. cap. 21. & Hincmaro in Epistola ad Episcopos Franciæ cap. 14. qui tradunt Clodoveum in vigilia Paschæ sive cum sex, sive cum tribus Francorum millibus baptizatum esse, prævalere debet: maxime cum robur accipiat ex Anastasii Papæ II. Epistola secunda, in qua Summus Pontifex Regem alloquens: [Tuum, inquit, gloriose fili, in christiana fide cum exordio nostro in Pontificatu contigisse gratulamur.] Porro Anastasius paulo ante Natalis Domini festum Summi Pontificatus thronum ascendit. Idem confirmat Gregorius Turonensis in libro de Gloria Confessorum cap. 69. ubi scribit Marcellinum Episcopum Ebredunensem fecisse Lavacrum ad baptizandum, [in quo Natali Domini & Dominicæ Cœnæ aqua dicitur divinitus exoriri.] Et cap. 76. Augustoduni in Natali Domini (inter septem dies amplius quam mille homines sacri innovatione Lavacri) fuisse renatos. In Anglia quoque decem hominum millia & amplius in Natali Domini baptizasse dicitur Augustinus; qua de re gratulatur S. Gregorius Papa Eulogio Alexandrino Episcopo scribens lib. 7. epist. 30. Indictione 1. His accedit Concilii Gerundensis canon 4. qui in quibusdam codicibus Paschæ Pentecostesque diebus addit Natale Domini, ut videre est in ultima Conciliorum editione in margine: quibus suffragatur Walfridus in libro de rebus Ecclesiasticis.

VIII. Epiphanię festum perinde ac Pascha & Pentecosten consignat antiquus liber Sacramentorum Monasterii Gellonensis ante annos nongentos manu exaratus. Ejusdem diei meminera Carolus Magnus Imperator in epistola ad Gaerbaldum Episcopum Leodiensem, atque Annales Francorum Fuldenses & Metenses ad annum 845. Sed huic consuetudini refragantur nonnulla Galliæ Concilia; qualia sunt Autissiodorense anni 578. & Rotomagense anni 1072. in cujus canone 23. hæc lego: (Vigilia vel die Epiphaniæ ut nullus, nisi infirmitatis necessitate, baptizetur, omnino interdicimus.)

IX. Denique ad festum S. Johannis quod spectat, luculentum habemus Gregorii Turonensis testimonium libro 8. Historiæ Francorum cap. 9. [Post hæc, inquit, Rex Guntrannus Parisius venit, & coram omnibus loqui cœpit dicens: Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquisse, cujus nutritores matre deprecante petierunt, ut eum sancto Lavacro in Dominici Natalis solemnitate deberam excipere, & non venerunt. Rogaverunt deinceps, ut ad sanctum Pascha baptizaretur; sed nec tunc allatus est infans. Deprecati sunt autem tertio, ut ad festivitatem Sancti Johannis exhiberatur, sed nec tunc venit.]

In Hispania Apostolorum Martyrumque festis diebus.

X. His diebus etiam Apostolorum Martyrumque dies festos addiderunt nonnulli Hispaniarum Episcopi: qua de re commotus Siricius Papa scripsit ad Himerium Tarraconensem in hæc verba: (Sequitur deinde baptizandorum, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis & emendanda confusio, quę a nostris Consacerdotibus, quod commoti dicimus, non ratione auctoritatis alicujus, sed sola temeritate præsumitur; ut passim ac libere in Natalitiis Christi, seu Apparitionis, nec non & Apostolorum, seu Martyrum festivitatibus, innumeræ, ut asseris, plebes Baptismi mysterium consequantur: cum hoc sibi privilegium & apud nos, & apud omnes Ecclesias Dominicum specialiter cum Pentecoste sue Pascha defendat.) Idem etiam cum præsumpsissent Episcopi per Campaniam, Samnium & Picenum constituti; non minori eos zelo redarguit Leo Magnus epistola 136. novæ editionis sic scribens: [Magna indignatione commoveor, & multo dolore contristor, quod quosdam ex vobis comperi ita esse Apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos; ut præter Paschalem festivitatem, cui sola Pentecostes solemnitas comparatur, audeant sibimet, non aliqua humanę infirmitatis necessitate cogente, sed sola indisciplinati arbitrii libertate; jus Baptismatis vindicare, & in Natalitiis Martyrum regenerationis celebrare mysteria.] Verum hæc Pontificia Decreta Gallos coercuisse non videtur, quos in Sanctorum festis Baptismum administrasse colligimus ex pervetusto Sermone olim in festo Dedicationis legi solito, cujus stylus Cæsarium repræsentare videtur, in quo hæc leguntur: [Qui vero in aliqua festivitate filium suum baptizare desiderat, justum est, ut vel ante septem dies cum ipso ad Ecclesiam veniat, & ibi jejunet & vigilet, & filium suum, sicut supradictum est, ad oleum vel ad manus impositionem faciat accedere, & sic legitimo ordine Baptismi Sacramenta suscipiat.]

Omni die conferendus.

XI. Sed neque talibus angustiis coarctari volebat S. Augustinus, qui etiam omni die licitum esse suscipere Baptismum asserit. Quod certe [movere deberet, inquit Sermone 6. in Quadragesima, si baptizare & baptizari, nisi in die Paschæ solemnissimo non liceret. At cum *per totum annum*, sicut unicuique vel necessitas fuit, *vel voluntas;* non prohibeatur a Baptismate...... Hoc enim *omni die* licet accipere.] Augustini sententiæ favet Innocentius I. Papa in epistola ad Victricium Rotomagensem Episcopum, cap. 9. ubi Sacerdotes & Levitas, idcirco ab uxoribus abstinere debere asserit, quod (nec prætereat dies, qua vel a Sacrificiis divinis, vel a Baptismatis officio vacent.) Certe S. Guthlacus octavo a nativitate die baptizatus legitur in ejus Vita num. 8.

XII. Sed tantæ libertati longe opposita est consuetudo, quam in Thessalia vidisse se testatur Socrates Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 17. ut solis Paschæ diebus illic baptizaretur: ex quo fiebat, ut plerique apud illos absque Baptismo morerentur.

Quo-

Quoties ingruebat persecutio.

XIII. Porro quamvis a designatis olim Baptismo temporibus eccedere piaculum duceretur; nihilo tamen minus, ut ait Henricus Valesius in Notis ad Eusebii Historiam Ecclesiasticam libro 7. cap. 11. [quoties ingruebat persecutio solebant prius Episcopi populum congregare, ut eum ad retinendam Christi Fidem exhortarentur: deinde infantes & cathecumenos baptizabant, ne sine Baptismo ee hac luce migrarent; & Eucharistiam dividebant fidelibus; cum incertum esset quandiu duratura esset persecutio. Quem morem docuit nos factum Dorothei cujusdam Thessalonicensis Episcopi temporo Justini, quod refertur in Suggestione Germani, Felicis, & Dioscori missa ed Hormisdam Papam anno Christi 519.] Hujus etiam rei praxim videre est in Actis S. Stephani Papæ & Martyris cap. 1. apud Surium 2. Augusti.

Aut quodvis vitæ periculum imminebat.

XIV. Quod de tempore persecutionis hic docet Valesius, idem de tempore obsidionis, & in formidine naufragii præscribit Leo Magnus epistola 16. (ita enim, inquit, ed has duas festivitetes connexas sibimet atque cognatas incolomium, & in pacis securitate degentium libera vote deferimus: ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc veræ salutis præsidium cuiquam denegemus.) Hos præter casus elios etiam recenset Sanctos Gregorios Nyssenus, quibus cathecumeni ad Baptismum convolere solebant, ad eos qui sacram intinctionem differrent sic loquens: (Video quando aliquit terræ motus in Mundo exortus fuerit, aut fames pestisve sævierit, aut irruptio facta sit inimicorum, festinare omnes ad Baptisterium, ne eacui gratie eecedant ab hominibus. Quid vero? an non alii varii & inopinati casus eamdem vim habent, quam illa mala?) Unde eum tempore Sancti Augustini exortus esset in Palæstina terræ motus; septem hominum millia tam ex Judæis, quam ee Paganis & Cathecumenis statim beptizatos fuisse; in Sitifensi vero civitate consimili prorsus casu duo millia, docet idem Augustinus Sermone 19. novæ editionis. Præterea in canone 6. Concilii Neocæsariensis decernitur, ut *quando volunt* prægnantes tingantur.

XV. Cæterum antique certis dumtaxat diebus, maxime in Pascha & Pentecoste baptizandi consuetudo, Sæculo jam XI. desiderat, ut discimus ex Concilio Lemovicensi II. enno 1031. celebrato, asserente, moris antiqui fuisse, Baptismum in Ecclesia S. Martialis in Paschate & Pentecoste celebrandi, (aliis vero temporibus, inquit, per totum annum in Ecclesia Sancti Michaelis de ille superiori Perochia beptizantur infantes.) Immo post medium sæculum X. jam in Anglia, saltem aliquibus in locis, abrogata fueret, ut docent nos canones sub Edgaro Rege anno 967. dati, quorum canon 15. hæc habet: (Ut Sacerdos quilibet Beptismum administret, quam cito requisitus fuerit; & ut per Parochiam suam quisque moneat, ut infantes quoslibet infra XXXVII. noctes curent baptizari, & ut nullus eb Episcopo confirmari diu detrectet.) Et editę circa idem tempus leges Presbyterorum Northumbrensium cap. 10. (infans infra novem noctes baptizetur sub pœna see orarum. Et tamdem sæculo tantum XI. ebrogari cœpisse, testatur Theophilactus Commentario in Lucam ad caput 10. Cujus quidem antiquandæ legis, ee præ cæteris causa extitit, quam affert Rupertus in libro 4. de Divinis Officiis cap. 18. quod cum Christianitas crevisset, [periculosum eret tantam multitudinem differri, propter occasionet mortis, ac maxime propter turbam infantium, e fidelibus parentibus nascentium, quorum tenera adhuc vita persæpe levi occasione succiditur.] Hanc tamen rationem non ita magni existimavit S. Otto Pomeranorum Apostolus, qui sæculo XII. Pirissenses hortabatur, ut parvulis suis (opportuno tempore, scilicet Sabbato Sancto Paschæ & Pentecostes, per manus Sacerdotum) Baptismi sacramentum conferrent, uti legitur in ejus Vite apud Surium 2. Julii. Sed neque Concilium Londoniense anno 1237. celebratum, in quo editus hic canon: (Ad Baptismum solemniter celebrandum, duo, scilicet Sabbatum ante Resurrectionem Domini, & Sabbatum ante Pentecosten, sunt e sanctis canonibus propter mysterium deputata tempora. Sed quidam, ut audivimus, in partibus istis diabolica fraude decepti, periculum suspicantur, si præfatis diebus pueri baptizentur: quod arbitrari vel utcumque metuere, sanæ fidei penitus adversatur, & manifeste convincitur esse falsum: cum Summus Pontifex personaliter illud mysterium someniet, & diebus beptizet solemniter memoratis; & in eliis Mundi partibus servat Ecclesia illud idem &c.) Eumdem canonem renoeavit Concilium Wigorniense anno 1240. can. 5. Verum Statuta Synodalia Ecclesiæ Avenionensis anno 1337. a Johanne Episcopo edite cap. 6. firmiter statuunt, (quod patres & matres infantes natos vel nascituros ultre unum diem naturalem non differant beptizare,) quod Statutum renovaeit postea Alanus Episcopus Avenionensis in Synodo cap. 5. Concilium vero Mechliniense anno 1574. celebratum, tomo 4. Anecdotorum, egens de pueris illegitimis decernit (quod obstetrices ultre juramentum consuetum jurent curare beptizari infra octo dies infantes eb eis exceptos; aut si obsistentibus parentibus vel amicis id efficere non possint, aut si quos etiam sciant non baptizatos, sub juramento pastoribus locorum denuncient.) Sed & Græcos Latini redarguunt, quod infantes ante septimum diem non baptizent, qua de re vide Anonymi fragmentum Disputationis a nobis editum tom. 5. Anecdotorum pag. 852.

ARTICULUS II.

De locis in quibus olim conferretur Beptismus.

Baptismus olim omni in loco celebratus.

I. PRimis Ecclesiæ temporibus, cum nulla Christianæ religionis profitendæ libertas esset, nulla fidelibus essent Templa, Oratoria nulla; nullus etiam ad tingendos Christi discipulos designatus erat locus: sed ubi primum occurrisset aqua, ibi baptizabant. Id probet non modo Philippi Diaconi factum in Actibus Apostolorum relatum, ubi cum se obtulisset aqua. Eunucham Reginæ Candacis beptizasse dicitur; verumetiam Justini Martyris testimonium in Apologia secunda ad Antoninum Imperatorem, ubi sic loquitur: (Quicumque persuasi fuerint, & crediderint vera esse quæ e nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint; orare jejunantes & petere e Deo priorum peccatorum remissionem docentur; nobis eum illic una orantibus & jejunantibus. Deinde eo adducuntur e nobis, ubi est aqua, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur.)

Maxime in fluviis.

II. Communiter tamen id in fluminibus aut in stagnis præstabant, uti scribunt Walfridus Strabo in libro de Rebus Ecclesiasticis capite 26. & Honorius Augustodunensis in libro 3. de Gemma animæ capite 106. Et certe de Apostolis id disertis verbis affirmat Tertullianus in libro de Baptismo capite 1. [Neque quicquam refert, inquit, inter eos, quos Johannes in Jordane, & Petrus in Tiberi tinxit.] S. Victor Martyr Massiliensis conversos ad Christum sui carceris milites [pro tempore diligenter instructos, adscitis Sacerdotibus, ipsa nocte ad mare duxit, ibique beptizatos propriis manibus de fonte levavit,] uti habent ejus Acta apud Ruinartium. Sed & Paulinus Episcopus, unus ee missis e Gregorio Papa eum Augustino in Angliem discipulis, aliquando in fluvio *Trenta* beptizasse legitur apud Henricum Huntidoniensem in Historiæ Anglicanæ libro 3. & apud Bedam libro e. Historiæ cap. 16. qui etiam cap. 14. addit fluvios *Gleni* & *Sualica*: quia, inquit, [nondum Oratoria vel Baptisteria in ipso exordio nascentis ibi Ecclesiæ poterant ædificari.]

Præsertim in Jordane.

III. Verum ex omnibus fluviis, qui ad sacræ regenerationis opus undas suas præbuerunt, nullus aliquando celebrior extitit Jordane, qui eum sanctificandi virtutem ex Christi Baptismate eccepisset; hoc quamplurimis indidit desiderium, ut in eo beptizari vellent: id quod innuit S. Hieronymus libro de locis Hebraicis, ubi sic loquitur: (BETHBAARA trans Jordanem, ubi Johannes in pœnitentiam beptizabet: unde & usque hodie plurimi de Fratribus, hoc est de numero credentium, ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur.) Hoc desiderio captus Constantinus Imperator, ad finem usque vitæ salutaribus undis tingi distulit, ut docet Theodoretus in libro 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 32. his verbis: (Cumque incertum esse vitæ exitum animadverteret, divini Levacri gratiam suscepit: quod quidem ad id usque temporis distulit, cum in Jordane illud suscipere desideraret.) Id quod longe antea scripserat Eusebius in libro 4. de Vite Constantini cap. 62. Sed & idem etiam Basilio Magno insedit desiderium,

tium, ut testatur Amphilochius in ejus Vita cap. 4. si tamen quæ sub ejus nomine a Rosweido edita est S. Basilii Vita, verus & sincerus sit illius fœtus. Sed quidquid sit: longe etiam postea Baptismum in Epiphania eo in flumine celebratum esse constat ex Itinerario Antonini Martyris, cujus hæc verba: (Juxta Jordanem vero ubi baptizatus est Dominus JESUS, est tumulus cancellis circumdatus: & in loco ubi redundat aqua de alveo suo, posita est Crux lignea intus in aqua, & ex utraque parte rupes strata marmore; & in vigilia Theophaniæ magnus ibi fit conventus populorum, & quarta aut quinta vice Gallo canente, fiunt vigiliæ. Completis Matutinis, primo diluculo surgentes, procedunt ad sacra ministeria celebranda sub dio; & Diaconi tenentes Sacerdotem, descendit Sacerdos in fluvium; & hora qua cœpit benedicere aquam, mox Jordanis cum magno rugitu post se revertitur, & stat aqua superior in se usque dum Baptismus perficitur: inferior autem fugit in mare.

Privatis in domibus.

IV. Plerumque etiam privatis tingebantur in domibus, maxime ægroti, qui ipso in lecto undis salutiferis perfundebantur, clinici propterea dicti. Hi ad Præsbyterii gradum promoveri nequibant, vetante id in primis canone 2. Concilii Neocæsariensis. Ita Novatianus urgente morbi necessitate in lecto baptizatus fuit ab Exorcistis, qui ipsum curabant, ut docet Cornelius Papa apud Eusebium libro 6. hist. cap. 43.

In carceribus.

V. Fervente autem persecutionis rabie, qui in carceribus detinebantur Cathecumeni, in ipsis etiam carceribus abluebantur. Id contigisse Rogatiano testantur Acta SS. Fructuosi, Eulogii, &c. edita a nostro Ruinartio. Idem de Donatiano in Actis SS. Montani & Lucii reperio. Sic enim in ipsis legimus: (Donatianus Cathecumenus, qui baptizatus in carcere statim spiritum reddidit, ab aquæ Baptismo ad martyrii coronam immaculato itinere festinans.) Sed qui defectu aquæ, aut quovis alio præpediente impedimento, tingi non poterant; hi proprio sanguine mundabantur: id quod de Sancto Primolo innuere videntur eadem Acta, in quibus additur: [nec non & circa Primolum similis consummationis exitus contigit. Nam & ipsum ante paucos dies habita confessio baptizavit.]

Tandem in Baptisterio.

VI. Reddita autem postmodum per Constantinum Imperatorem Christianum Ecclesiæ pace, cœperunt passim construi Ædes publicæ, ad unum Baptismatis ministerium designatæ: *Baptisteria* vulgo nuncupant, Græci *Illuminatoria*, Sidonius Apollinaris libro 2. epist. ad Domit. *Piscinam*, Fortunatus libro 2. Carmine 12. *Aulam Baptismatis*, Gregorius Turonensis libro 2. Historiæ Francorum *Templum Baptisterii*, Capitularia Pippini Regis Italiæ anni 793. num. 7. & 15. *Baptismales Ecclesias*, ejusdem Capitularia excerpta ex lege Longobardorum n. 16. *Oracula*, Capitularia Caroli Calvi anni 876. *Plebs*, denique Flodoardus in libro 2. Historiæ Remensis cap. 19. *Baptismales titulos*.

Quæ ab Ecclesiis erant separata.

VII. Istiusmodi loca seu Baptisteria, ut plurimum erant ab Ecclesiis disjuncta & separata, ut patet non solum ex S. Paulini epist. 12. ad Severum, ubi de ejus Baptisterio ita canit:

Dives opum Christi, pauper sibi pulcra Severus
Culmina sacratis fontibus instituit.

Et ex Fortunato libro 2. Carmine 12. ubi agit de Baptisterio Moguntiæ ædificato; sed etiam ex pervetusto Martyrologio Corbejensi a nobis edito in tomo 3. Anecdotorum, in quo ad diem XVII. Calendis Maii legitur: (In Antissiodoro Dedicatio Baptisterii, qui est juxta Basilicam Sancti Germani Episcopi & Confessoris.] Et ex Vita Beati Altmanis, cujus in Monasterio cum Sanctus Bonifacius Ecclesiam consecrasset: itaut præter solitum morem fœminis ad eam liber pateret aditus, attamen (fontem quemdam in eodem loco, juxta Ecclesiam positum, ea benedixit ratione, ut mulieri liceret ad eum accedere.) Idem videre est in pluribus Italiæ Civitatibus, ut discimus ex Mabillonii itinere Italico, in quo inter alia multa hæc lego, (Ecclesia Novariensis primaria in honorem Beatissimæ Virginis dedicata, separatum habet insigne Baptisterium Sancti Johannis Baptistæ, uti Romæ, Florentiæ, Pisis, Parmæ, Patavii, aliisque in locis nonnullis.) Et infra ubi de Ravenna, (Baptisterium antiqui operis extra Ecclesiam) memorat. Idem etiamnum observare licet in Turonensi Sancti Martini Ecclesia, quæ separatum quoque a Basilica Baptisterium habet in Æde Sancti Johannis, qua pro Capitulo Canonici uti solent. Denique cernebatur olim Baptismalis Ecclesia in australi parte Cathedralis Hildesheimensis, ex Vita Sancti Godehardi n. 23. apud Bollandum 4. Maii.

Aliquando tamen in Ecclesiis prope januam.

VIII. Plerumque tamen intra Ecclesiæ ambitum continebatur Baptisterium, ut infinitis posset exemplis comprobari, idque prope januam ad lævam: atque ita ex supra citato Itinere Italico in Ecclesia Vercellensi (ingressis ad lævam se se offert vetus Baptisterium ex marmore, duo habens attrinsecus sedilia.) Et Venetiis in Ecclesia Sancti Marci cernitur (Baptisterium ex ære pulcre elaboratum, in sacello ad portam, qua aditus est in contiguum Ducis palatium.) Observat tamen Mabillonius in Itinere Germanico Analectorum tomo 4. in Badenensi apud Helvetios Ecclesia, Baptisterium non ad portam, sed (in superiori navis parte ad Aquilonem positum sub effigie Columbæ suspensæ.)

Baptisterii formam.

IX. Jam vero ad formam seu figuram Baptisteriorum quod spectat; ea rotunda erat in modum turris, ut colligimus ex Sancti Paulini epistola XII. ad Severum, in qua hæc lego:

Iste duas inter diversi culminis aulas
Turrito fontem tegmine constituit.

Atque ita Florentinum Baptisterium nobis repræsentat Vir plurimæ eruditionis Carolus Fresnius in suo Glossario his verbis: (Florentiæ in Italia e regione maximi Templi Ecclesia est rotunda S. Johanni Baptistæ sacra. Hanc Baptisterium appellant. Tota hæc marmorea habens januas, quas æneæ valvæ operis egregii occludunt. In medio illius Ecclesiæ Baptisterium e marmore lucidissimo positum visitur, in quo Florentini omnes Baptismi lavacrum percipiunt.) Quibus ex verbis constat non solum Baptisterium rotunda fuisse figura, sed & fontem ipsum, in quo baptizandi tingebantur in medio Ædis constitutum fuisse: id quod confirmat Johannes Diaconus in libro de Ecclesia Lateranensi cap. 12. ubi fontes Lateranenses ita describit: (Fontes sunt rotundi, inter columnas porphyreticas positi in medio Ecclesiæ, quæ pulcra est & rotunda, ubi Constantini Imperatoris fuit camera.) Tale erat illud, quod, teste Anastasio, Leo Papa III. (a fundamentis Baptisterium in rotundum ampla largitate construens in meliorem erexit statum, atque Sacrum fontem in medio largiori spatio fundavit, & in circuitu columnis porphyreticis decoravit, & in medio fontis columnam posuit, & super columnam Agnum ex argento purissimo fundentem aquam.)

X. Ad eos certo graduum numero descendebatur. Septem recenset S. Isidorus tum in libro 15. Originum capite 4. tum in libro 2. de Divinis Officiis capite 24. ubi sic loquitur: (Fons autem omnium gloriarum origo est, cujus septem gradus sunt: tres in descensu, propter tria quibus renuntiamus: tres in ascensu, propter tria quę confitemur: septimus vero is est, qui & quartus, similis Filio Hominis, extinguens fornacem ignis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo omnis plenitudo Divinitatis habitat corporaliter.) Isidorum describit vulgatus sub nomine Alcuini liber de Divinis Officiis cap. de Sabbato Sancto Paschæ. Utrisque adstipulatur Theodulphus Aurelianensis Antistes in libro de Baptismo cap. 13. & ante eum S. Hildephonsus lib. 1. Adnotationum de Ordine Baptismi cap. 110. quibus addere possemus Hugonem Abbatem Flaviniacensem in Chronico Virdunensi, ubi agens de Malveo, qui postea fuit Virdunensis Episcopus: [Statim, inquit, renatus aqua & Spiritu in septem Baptismatis gradibus septem comprehendit dona Paracliti Spiritus.]

XI. Fontis vasculum ex antiquis Constitutionibus Richardi Episcopi Sarum cap. 18. ex Constitutionibus Sancti Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi cap. 10. & ex Concilio Wigorniensi cap. 5. debet esse lapideum, juxta consuetudinem omnium passim Ecclesiarum: sed in Conci-

lio

lio Ilerdensi prout citatur a Burchardo lib. cap. 13. & apud Gratianum de Consec. dist. 4. cap. 106. decernitur ut (omnis Presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat, quod extra Ecclesiam non deportetur.) Idem præscribit Hincmarus Archiepiscopus Remensis in Capitulis anno 852. Presbyteris datis Art. 3. Instante mortis periculo, cum Baptismum in privatis ædibus conferri necesse est, infantes in vase ligneo tingi permittunt præfat. Constitutiones Sancti Pontificis Edmundi Cantuariensis, uti & Richardi Episcopi Sarum: sed hujusmodi vasa, expleto Baptismo, igne comburi præcipiunt. Verum quod baptizandis Regum Scotorum filiis olim inserviebat, cupreum erat, quod capto Edimburgo in Ecclesiam S. Albani transtulit Richardus Lens Eques auratus tempore Henrici VIII. Anglorum Regis.

XII. Figura vasis uti & Baptisterii, ut plurimum erat rotunda qualis visitur in Baptisterio Pisano. Atque ita S. Julianus primus Cenomanensium Antistes, [in quodam vasculo lapideo in modum dolii] Defensorem Principem cum Goda ejus uxore tinxisse refertur in Gestis Episcoporum Cenomanensium. Sed in Hispaniæ Provincia Lusitana [Piscina ex marmore vario in modum Crucis habebatur,] sicuti scribit Gregorius Turonensis in libro 1. de Gloria Martyrum cap. 23. In celebri vero Monasterio Sancti Dionysii in Francia servatur vas egregium porphyreticum, quod e capta urbe Pictaviensi, ubi fons Baptismalis erat, eo transtulisse Dagobertum Regem, vetusta est Monasterii traditio.

Plures in uno Baptisterio fontes.

XIII. Porro propter baptizandorum multitudinem plures aliquando fontes habebant Baptisteria. Hujusmodi cernuntur in Pisano Baptisterio, cujus in medio, testante Mabillonio in suo Italico Itinere, [extat fons Sacer rotundo opere cum multis fonticulis in petra excisis.] Eadem ratione Baptisteria tantæ debebant esse amplitudinis, quæ plura baptizandorum millia cum suis susceptoribus capere possent. Nam cum olim non nisi ter aut bis in anno Baptismatis officium celebraretur; nec aliunde essent Baptisteria nisi in præcipuis Civitatibus, tanta tingendorum multitudo eo confluebat, ut ad plura dubio procul millia aliquando excresceret. Certe in Ecclesia Constantinopolitana cum Sabbato Sancto adversus S. Johannem Chrysostomum irruissent Theophili satellites; jam tria hominum millia regenerationis Sacramentum perceperant, fugatis reliquis, præsertim mulieribus nudis, quæ separatim a viris Sacro fonti immergebantur, quarum numerus forte nec minor erat. Cum Clodoveus Rex a Sancto Remigio sacris undis ablutus est, tria cum eo Francorum, ut scribit Hincmarus, sex millia recenset Fredegarius, una Baptismi gratiam perceperunt: pluraque hujusmodi exempla proferri possent.

Altaria in Baptisteriis erecta.

XIV. Et quia recens regenerati solebant olim statim post susceptum Baptisma Corpori & Sanguini Domini participare, aliquot etiam Altaria in sacris Baptisteriis vulgo erigebantur, in quibus Missa celebrari posset ad communionem renatorum. Certe Hilarius Papa tria fecisse dicitur Oratoria sive Altaria in Baptisterio Basilicæ Constantinianæ apud Anastasium, scilicet S. Johannis Baptistæ, S. Johannis Evangelistæ, & S. Crucis: pretera in Baptisterio Lateranensi Oratorium S. Stephani. Et de Symmacho Papa idem auctor loquens, (ad fontem, inquit, in Basilica S. Petri Apostoli Oratorium Sanctæ Crucis ex argento, Confessionem & Crucem ex auro &c.) Sed & in Pisano Baptisterio fonti [adhæret Altare cum globo super illud concavo, in quo Eucharistia olim ad usum, ut verisimillimum est, recens baptizatorum asservabatur,] ut refert supra citatus Mabillonius. De ornatu Baptisteriorum plura dicere supersedeo, utpote quæ studiosis lectoribus, & venerandæ antiquitatis amantibus facile occurrere queunt apud auctores. Antequam tamen ultimam huic Articulo manum imponam, nonnulla quæ mihi scitu dignissima videntur, observanda esse existimavi.

Baptisteria olim in solis Cathedralibus Ecclesiis.

XV. Primum est, olim in solis fere Cathedralibus Ecclesiis extitisse Baptisteria. Nam cum soli priscis temporibus baptizarent Episcopi; solæ etiam, in quibus residebat Episcopus Ecclesiæ Baptisteria habebant. Hinc decretum illud Concilii in Vernensi Palatio celebrati cap. 7. (Ut publicum Baptisterium in nulla Parochia esse debeat, nisi ubi Episcopus constituerit, cujus Parochia est, nisi tantum si necessitas creverit pro infirmitate.) Et illud Toletani Concilii a Gratiano 16. quæst. 1. c. 53. relatum: (Plures Baptismales Ecclesiæ in una terminatione esse non possunt; sed tantummodo cum subditis capellis.) Concinit Sanctus Hildephonsus lib. Adnotationum de Ordine Baptismi c. 108. (Baptismi celebritatem duobus tantum temporibus, Pascha & Pentecosten apud legitimorum Episcoporum Sedes coram ipsis fieri & Apostolica & Paterna sanxit auctoritas. In subjacentibus autem vicinis Episcopis Ecclesiis id effici non debere, ne dum passim per diversa loca conventus dividitur populorum, vel non sit quibus conferatur gratia doctrinarum, vel minoretur sublimitas veneranda Pontificum. Per Parochiarum autem Ecclesias longe positas convenienter licet ut fiat, ne dum prolixa itineris longitudo distenditur, desiderabilis & cito perficienda gratia differatur.) Et Rodulphus Archiepiscopus Bituricensis in suo Capitulari num. 20. (His itaque duobus temporibus, inquit, Pascha scilicet & Pentecosten, omnes Sacerdotes ex cellis ad vicos convenire debent (id est ad Cathedrales Ecclesias) & ibi officio peracto, cum summa diligentia baptizandos quosque baptizent. Et tunc ad proprias Ecclesias cum baptizatis suis & ceteris subjectis remeantes, Missarum solemnia persolvant, & baptizati & qui eos a fonte Baptismatis susceperunt, omnes communicent.) Confirmat hanc praxim Augustinus Valerius Cardinalis Veronensis, qui in Annotationibus ad Constitutiones Synodales Matthæi Giberti Episcopi Veronensis ita habet: (Ex quibus verbis colligi potest, non omnibus Parochialibus Ecclesiis datam esse facultatem fontis Baptismalis. Quam rem confirmare videtur usus multarum Ecclesiarum, in quibus non sunt fontes Baptismales. Et idcirco ut omnem ambiguitatem tollamus, decernimus, ut non liceat cuique Curato, ipsius Constitutionis vigore, pro libito suæ voluntatis fontem erigere Baptismalem, nisi prius mandato & licentia speciali obtenta a Nobis. Si secus factum fuerit, fons ipse funditus omnino destruatur, & Parochus ille mulctetur arbitrio nostro.) Idem vigebat usus ante annos quadringentos in civitate Remensi, cujus in Cathedrali Beatæ Mariæ Basilica Parochi suos subditos baptizare veniebant. Saltem id innuit antiquum illius Ecclesiæ Ordinarium, quod MS. asservatur in ejusdem Civitatis Monasterio Sancti Remigii. Nam Ritus Sabbati Sancti exprimens ita legit: (Completa fontium benedictione, ipse Pontifex baptizet unum, si paratus est. Reliquos vero, si plures fuerint, baptizant Presbyteri Parochiales, & confirmat eos Dominus Pontifex.) In Pictaviensi Sancti Johannis Ecclesia, a Cathedrali haud procul sita, ante annos centum omnes amplissimæ Urbis pueri baptizabantur, licet viginti & amplius in ea habeantur Ecclesiæ Parochiales. Sed etiam nunc in Italia in solis passim Ecclesiæ Cathedralis Baptisteriis infantes Sacris undis intingi solent: præsertim Florentiæ, Pisis, Parmæ, Patavii, &c. Eodem privilegio in Galliis apud Arvernos gaudet Aniciensis Ecclesia, apud Armoricos Corisopitensis. In Burdigalensi quoque Urbe amplissima, in qua plures sunt Parochiæ, tres tantum habentur Ecclesiæ Baptismales, Cathedralis S. Andreæ, Monachorum Benedictinorum Sanctæ Crucis, & S. Severini. Seculo IX. tempore Anscharii Episcopi tota Diœcesis Hammaburgensis (non nisi quatuor Baptismales habebat Ecclesias,) uti legimus in ejus Vita num. 30. Attamen Romæ primitus in omnibus fere Basilicis Baptisterium erat, ut ad Sanctum Petrum, ad Sanctum Paulum, & ad Sanctum Laurentium in Damaso, ad Sanctam Agnetem, ad Sanctum Pancratium, & in aliis passim celebrioribus Ecclesiis: id quod ad singulare Urbis illius privilegium refert Josephus Vicecomes, utpote in qua Ecclesiæ principatus, & religionis domicilium constitutum erat, propter multitudinem eorum, qui spretis inanibus Diis, verum Cœli Terræque Conditorem agnoscebant.

Aliquando in Monachorum Ecclesiis.

XVI. Hujusmodi etiam privilegium quibusdam Monachorum Ecclesiis, etiam ab initio, propter Apostolicum vitæ illorum institutum, & reverentiam quam ex populis exigebat virtus sanctitatis eorum, indultum fuisse certissimum est. Nam & in Sancti Pachomii Monasteriis, qui fuit Cœnobiticæ vitæ primus Institutor, Cathecumenos fidei rudimentis imbutos, & regenerationis gratia donatos fuisse, constat ex ejus Vita ab auctore coævo & gravissimo scripta apud Bollandum 14. Maii. Eumdem usum fuisse in Monasterio Penthucla, docet Johannes Moschus in Prato Spirituali cap. 3. In Angeniacensi etiam Sancti

cti Johannis Monasterio celebratum fuisse Baptismum, constat ex Alberici Chronico ad annum 762. Sed & Moguntiæ in Ecclesia S. Albani, quam Monachi Benedictini incolebant, collatum fuisse, patet ex Annalibus Eginardi ad annum 826. Denique ut multa hujusmodi prætereamus exempla, infantes Nobilium Sabbato Sancto in Monasterium Casæ-Dei tingendi *ex more* deferebantur, ut refert Bertrandus in libro tripartito miraculorum S. Roberti Abbatis, dist. 1. num. 23. In Pruliacensi etiam S. Petri Ecclesia Monachorum Ordinis S. Benedicti, Diœcesis Turonensis, ad nostram usque ætatem omnes Urbis infantes baptizati sunt. Sed ex consuetudinibus Monasterii Tarbiensis S. Sabini a nobis editis tom. 1. Anecd. discimus plures olim Parochias Baptismum habuisse in eodem Monasterio. Idem de pluribus Germaniæ Monasteriis possem comprobare. Sed hæc de singulari privilegio; alioqui enim in Monasteriis Baptismata celebrari non consueverant: idque ante omnia vitabant Cistercienses, qui delinquentes hac in re Abbates gravioribus subjiciebant pœnis: hinc Decretum illud Capituli generalis anni 1190. num. 38. (Abbas de Stwrielburoc, in cujus domo infans baptizatus est, & mulieres ingressæ sunt, ipso in domo existente, stet consilio Domini de Firmitate & de Maceriis; & Officiales, de quorum consilio hoc factum est, qualibet sexta feria jejunent in pane & aqua.) Huc referri posse videtur aliud ejusdem Ordinis Decretum editum in Capitulo generali anni 1186. num. 3. [Nimis est grave, & contra canones, & instituta Ordinis, quod Abbates nostri baptizare præsumunt. Propterea quicumque hoc anno baptizaverint, sex sextis feriis jejunent in pane & aqua, & usque ad Nativitatem Domini, Missas non celebrent, & sint extra stallum; Qui autem amodo præsumpserint, omnibus sextis feriis sint in pane & aqua, & extra stallum suum, nec Missam celebrent usque ad unum Capituli, & Monachus qui hoc præsumserit, idem patiatur. Idem patiatur qui aquam consecraverit, vel puerum de Sacro fonte levaverit.] Postea vero concessum fuit quibusdam Ecclesiis, ut Baptisteria haberent, quæ Plebes, seu Plebanæ Ecclesiæ atque matrices nuncupatæ sunt, propterea quod Plebes & Populi ad eas confluerent, ut regenerationis gratiam in iis consequerentur, donec tandem propter multitudinem baptizandorum omnibus passim Parochialibus Ecclesiis id permissum fuit.

XV. Secundum est decimas olim solis Baptismalibus Ecclesiis, non vero subjectis Ecclesiis, quæ intra limites istarum continebantur, datas fuisse, ut videre est in doctissimis Notis eruditi Viri Stephani Baluzii ad Capitularia Regum Francorum tom. 2.

XVIII. Tertio propter dignitatem & reverentiam Baptismalium Ecclesiarum, prohibitum fuit, ut laici eas tenerent, neve in beneficium eis tribuerentur. Hinc illud Caroli Magni Capitulare anno 793. datum num. 2. [De Ecclesiis Baptismalibus, ut nullatenus eas laici homines tenere debeant, sed per Sacerdotes fiant, sicut ordo est, gubernatæ, &c.) Quæ totidem verbis in Capitulari Pippini Regis Italiæ num. 15. continentur.

XIX. Quam cum in reliquis Ecclesiis sufficeret unus Presbyter, in Baptismalibus necessarius erat insuper unus Diaconus cum Presbytero. Istud videre est in vetustis Capitulis ex Codice Vaticano & Casinensi descriptis a Sirmondo, quorum octavum sic habet: [Ut in nulla Ecclesia cujuslibet Diœceseos, ubi Baptismum fit, Presbyter absque Diacono esse reperiatur.] Idem occurrit in Capitulari Attonis Episcopi Vercellensis cap. 20. Spicilegii tom. 8.

XX. Quinto in Baptisteriis mortui sepeliri vetantur ex Concilii Antissiodorensis anni 578. canone 14. Sanctorum tamen Reliquiæ in iis plerumque recondebantur, ut videre est apud Gregorium Turonensem multis in locis; sed præsertim in libro de Vit. Patrum cap. 7. ubi dicit, quod in Baptisterio Divionensi *multæ Sanctorum Reliquiæ tenebantur*. Et in libro 10. Historiæ Francorum cap. 31. loquens de constructo a se Baptisterio, hæc scribit: [Baptisterium ad ipsam Basilicam ædificari præcepi, in quo Sancti Johannis cum Sancti Sergii Martyris Reliquias posui, & in illo priori Baptisterio S. Benigni Martyris pignora collocavi.]

XX. Sexto præcipuam observationem meretur istud Concilii Toletani XVI. Decretum cap. 2. in editione Binii: (Licet initio Quadragesimæ baptizandi generaliter claudatur mysterium; tamen ut nunc Ecclesiasticæ consuetudinis ordo deposcit, necesse est, ut ostia Baptisterii eodem die Pontificali manu & annulo signata claudantur.) His concinit auctor epistolæ secundæ de expositione antiquæ Liturgiæ Gallicanæ tom. 5. Anecdotorum. [Sanctus Deus Archangelorum, inquit, in Quadragesimo concinetur: & non Canticum Zachariæ, quia ista modelatio deprecabilis est populo; sicut verba texti ipsius continentur: & propter hoc non canetur Prophetia, propter quod & Baptisterium claudetur, scilicet quia canones præcipiunt, vel Baptismum Quadragesimæ non est.]

ARTICULUS III.

De Ministro Baptismi.

I. JAm Baptismi tempus locumque habemus: nunc nobis Minister requirendus est, reperiendus plane in Scriptis antiquiorum Patrum, a quibus tanquam a purissimis fontibus, ad nos usque derivavit primæva Ecclesiæ disciplina. Sed hos inter omnes præfulgere videtur Ecclesiæ Africanæ lumen Tertullianus, cujus vix ullam, non dico paginam, sed ne lineam quidem legere est, quæ primorum Christianorum praxim non spiret. Hunc igitur quid in libro de Baptismo cap. 17. præsenti de argumento disserat audiamus: (Superest ad concludendam materiolam, de observatione quoque dandi & accipiendi Baptismum commonefacere. Dandi quidem habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri & Diaconi: non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est. . . . . . . Proinde & Baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest. Sed quando magis laicis disciplina verecundiæ incumbit, cum ea majoribus competat, ne sibi adsumant dicatum Episcopi officium Episcopatus. . . Petulantia autem mulierum, quæ usurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus sibi pariet.) Ex hoc Tertulliani testimonio plurima licet eruere. 1. Ad solos olim Episcopos jus baptizandi pertinuisse. 2. De eorum licentia idem Presbyteris & Diaconis concessum fuisse. 3. Ipsis etiam laicis, si necessitas expostulasset, multo minus inferioribus clericis hoc nec negatum fuisse. 4. Mulieribus nullo umquam casu baptizandi facultatem permittendam esse. De hæreticis vero & paganis nullam mentionem facit; de quibus tamen uti & de aliis breviter disserendum est.

Jus baptizandi olim penes solos Episcopos.

II. Igitur in solis primum Episcopis jus baptizandi resedisse, constans est indubitata sententia; quam non modo Tertulliani suffragio, sed Tertulliano longe antiquioris Ignatii martyris, tertii post S. Petrum Antiochenæ sedis Episcopi, ad Smyrnenses scribentis, (non esse licitum sine Episcopo neque baptizare, neque agapes facere.) Cui concinit illud S. Hieronymi in Dialogo adversus Luciferianos effatum: (Unde venit ut sine Episcopi jussione neque presbyter neque diaconus jus habeant baptismi.) Idem etiam innuit S. Augustinus in libro 22. de Civitate Dei cap. 8. ubi agens de quodam meritis Sancti Stephani divinitus ad Christum converso & baptizari cupiente. (Et ecce, inquit, diluculum clamat, ut ad Episcopum curreretur, &c.) Et Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione de baptismo, nonnullos, qui sub vano prætextu baptisma differebant, sic adorsus: (Ne dicas Episcopus me baptizet, & hic Metropolitanus, vel Hierosolymitanus. . . . . Tibi autem ad purgationem unusquisque fide dignus censeatur: tantummodo sit ex approbatis, & non manifeste damnatis, neque Ecclesiæ alienæ.) Qnibux verbis disertissime ostendit, non nisi approbatos ab Episcopis baptizare posse, ac proinde jus illud ad solos Episcopos pertinere. Idem clare evincit instructio cleri Edesseni ad Photium & Eustathium Episcopos, inserta in Actis concilii Chalcedonensis actione 10. scilicet rogant Ibam Episcopum ad sedem suam propter imminentem Paschalem festivitatem quantocius remitti (in qua, inquiunt, & propter catechismos, & propter eos qui digni sunt sancto baptismate, opus est ejus præsentia.) Et epistola clericorum Italiæ ad legatos Francorum, qui Constantinopolim proficiscebantur, qua deprecantur ut Dacio Mediolanensi episcopo in urbe regia adesse festinent, (postulantes ut eum post quindecim aut sexdecim annos, ad suam ecclesiam redire concedat imperator; quia cum pene omnes episcopi, quos ordinare solet . . . . mortui sint, immensa populi multitudo sine baptismo moritur.) Nam si alii quam episcopi baptizassent, nullus fuisset formidini locus, ne defectu episcoporum, immensa populi multitudo sine regenerationis gratia e vivis excederet. Denique idem non obscure colligitur ex Gregorii Turonensis episcopi libro 10. Historiæ Francorum cap. 15. ubi enarrans stupendam, nec sine horrore referendam seditionem, a Chrodielde moniali ambitiosa excitatam in monasterio Pictaviensi, qua raptam ex ipsis templi penetralibus propriam

priam abbatissam carceri mancipare ansa est, aliaque hujusmodi audaciora facinora perpetrare, hæc subdit: (Hæc autem gesta sunt ante septem dies Paschæ. Cumque episcopus hæc omnia graviter ferret, nec valeret seditionem diabolicam mitigare, misit ad Chrodieldem dicens: relinque abbatissam, ut in his diebus in hoc carcere non retineatur, alioquin non celebrabo Pascha Domini, neque baptismum in hac urbe cathecumenus obtinebit.) Huic Gregorii Turonensis testimonio, aliud Gregorii Magni Papæ adjicere licet, qui libro 1. Registri epist. 32. ad Romanum exarchum conqueritur, quod Blandum episcopum Hortensis civitatis apud se retineat, ex quo fit, inquit, ut (ibidem infantes pro peccatis absque baptismate moriantur.) Et in Dialogorum libro 4. cap. 26. mentionem facit baptismi in vigilia Paschæ ab episcopo collati, ut alios interim multos omittam, qui ab Episcopis tincti leguntur, quales sunt S. Paulinus, qui a Delphino Burdigalensi; & Euthymius, qui ab Otrejo Melitinensi salutaribus undis immersi sunt. Haud tamen hic prætermittere possum id, quod de S. Eligio episcopo scribit S. Audoenus in ejus vita l. 2. c. 8. (Quam copiosum etiam agmen utriusque sexus annis singulis in Paschali solemnitate, quod per totum annum adquirere poterat, manibus propriis baptizans sacro fonte abluebat). Singulare vero est illud quod refert Anonymus scriptor antiquus apud Chesnium Historiæ Francorum tomo 1. Odiliam Aldrici filiam a duobus episcopis baptizatam esse, Herardo scilicet Ratisponensi & Hildolpho Treverensi. Atque hæc fuerunt per aliquot sæcola non inferiora episcoporum munia: quorum praxim confirmat concilium secundum Hispalense anno 619. celebratum can. 7. declarans (neque coram Episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere aut signare.) Sed postmodum sive ob multitudinem baptizandorum, sive ob nimium laborem, quem in alienos humeros deponere non timuerunt, hanc in presbyteros vel diaconos curam rejecere, duos tresve baptizare contenti, ut videre est in septimo, decimo & doodecimo ex Ordinibus Romanis a Mabillonio Musei Italici tomo 2. vulgari, in MS. Pontificali ecclesiæ Apamiensis in Syria, in MS. Ordine celebrandi divini officii, quem pro Cusentina Ecclesia Lucas ejusdem loci archiepiscopus scribi curavit, in MS. Ordinario ecclesiæ Remensis a nobis articulo superiori citato, & in concilio Lemovicensi anni 1031. In MS. tamen Rituali ecclesiæ Suessionensis, tempore Nivelonis præsulis exarato, solus episcopus in vigilia Paschæ baptizare memoratur, nulla presbyterorum aut diaconorum facta mentione. E contrario in MS. Pontificali ecclesiæ Constantinopolitanæ, cujus caracter quingentos circiter annos referre videtur, solis presbyteris vel diaconis hæc cura committitur. Sed neque in Ordinibus Romanis a Jacobo Gaietano Cardinali & Petro Amelio digestis ulla fit mentio baptismi in Sabbato sancto celebrandi: tametsi anno 1237. hoc munus obiret Romanus Pontifex, ut docet nos concilium Londoniense eo anno celebratum can. 3. Et sic sensim & sine sensu factum est, ut episcopi, qui soli olim baptizabant, nunc fere soli non baptizent, ita ut plures mulierculæ & obstetrices privatis in domibus tingant, quam episcopi in templis. Excipio tamen Mediolanenses, de quibus in Ceremoniali Ambrosiano jussu Federici Borromei excuso, hæc lego: (Archiepiscopus bis in anno baptismum administrat solemni ritu, videlicet in Sabbato sancto & in vigilia Pentecostes, post peractam ab eodem fontium benedictionem . . . . . Per annum etiam illos baptizabit, qui adulta jam ætate sunt, si qui interdum vel ex longinquis partibus confugiunt, vel aliquorum nobilium pietate & studio ab infidelitatis tenebris eruti, ad fidem convertuntur . . . . . . Interdum etiam rogatus filios aliquorum principum seu primatum baptizare solet.) Et in concilio 4. Provinciæ Mediolanensis præscribitur, ut infantes hebdomada Paschæ & Pentecosten antecedente in lucem editi, ad præcipuam urbis Ecclesiam deferantur, ut ab Archiepiscopo salutari lavacro regenerentur: a qua solemnitate quemcumque presbyterum tam urbis, quam diœcesis abstinere cautum est. Ad hoc antiquitatis vestigium conservandum, & retinendum, moveri potuerunt exemplo S. Ambrosii, eximii ejusdem Ecclesiæ antistitis, qui quanta sollicitudine simul ac pietate baptismi Sacramentum administraret, testatur Paulinus in ejus Vita: (In rebus etiam divinis implendis fortissimus, in tantum, ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea episcopi tempore quo decessit, vix implerent. Præclaram hanc consuetudinem in Gallia renovare tentarunt eximii septem episcopi, quorum reformationis articulos anno 1587. editos habes in nostrorum Anecdotorum tom. 4., quos inter 78. est hujusmodi (Illud cum antiquo instituto, & multarum Ecclesiarum consuetudine conveniens erit, si quot annis episcopus Sabbato vel Paschæ, vel Pentecostes, coram frequenti populo, aliquot infantibus tunc recenter natis baptismum solemni ritu administraverit, ut fideles melius intelligere assuescant Sacramenti illius dignitatem, ac gratiæ, quæ in illo nobis collata est, excellentiam.)

Postea Presbyteris concessum.

III. Quæ a nobis hactenus dicta sunt, ea prorsus demonstrant solos olim episcopos jus baptizandi habuisse; id quod amplius probari potest ex antiquo auctore tractatus de baptismo hæreticorum, quem inter opera S. Cypriani ex MS. Codice S. Remigii Remensis primus edidit Nicolaus Rigaltius, & post eum Philippus Labbæus in conciliorum tomo primo. Verum multis jam ab hinc sæculis, jus illud ad ipsos etiam presbyteros devolutum est. (Presbyteris sive absentibus, sive præsentibus episcopis, baptizare, & baptizatos chrismate unguere licet; sed quod fuerit ab episcopo consecratum,) inquit Theodulphus episcopus Aurelianensis, libro de Baptismo cap. 17. Sed res paulo altius repetenda videtur. In Constitutionibus apostolicis, presbyteris perinde ac episcopis baptismi ministerium ex æquo conceditur. Sic enim in libro 3. cap. 11. reperio: (Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus, ut lectoribus, cantoribus, janitoribus, aut ministris; nisi tantum episcopis & presbyteris, ministrantibus diaconis.) Huc transferri posset canon 46. concilii Laodiceni: (Baptizandos oportet & fidei Symbolum discere, & quinta feria ultimæ septimanæ vel episcopo, vel presbyteris reddere.) Sed hic canon non tam de baptismo ipso, quam de redditione Symboli intelligendus videtur. Clarius est Gelasii Papæ decretum in epistola ad universos episcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam constitutos: (absque episcopo & presbytero baptizare non præsumat diaconus, nisi prædictis officiis longius constitutis, necessitas extrema compellat.) Simili fere modo loquitur Isidorus in libro 2. de divinis officiis cap. 24., & S. Hildephonsus Toletanus archiepiscopus lib. 1. adnotationum de cognitione baptismi cap. 116. apud Baluzium Miscellan. tom. 6., & ante utrumque concilium Illiberitanum canone 77. (Si quis diaconus regens plebem, absque episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.) Idem videre est in epistola 1. Innocentii I. Papæ ad Decentium Episcopum Eugubinum cap. 3., & apud Johannem Moschum in Prato Spirituali cap. 176. Idque confirmat praxis, quam perspicere licet in Actis Sanctorum martyrum Donatiani & Rogatiani n. 2. S. Victorii n. 11. apud S. Augustinum serm. 324., & in antiquiori Ordine Romano.

IV. Porro causa concedendi presbyteris jus conferendi baptismatis alia nulla fuit, quam multitudo baptizandorum; quibus præsertim in magnis civitatibus tingendis non suffecisset solus episcopus: neque enim ubique reperire erat Ambrosios, qui uni incunctanter explerent, quod vix quatuor aut quinque præstarent episcopi. Hinc Romæ, ut superiori articulo observabamus, multæ fuerunt etiam ab initio ecclesiæ baptismales, & in quibusdam ecclesiis, ut in Pisana, plures in baptisterio erant fontes, in quibus una cum episcopis regenerandos presbyteri immergebant. Perseveravit tamen Romæ vestigium aliquod antiquæ disciplinæ ad usque sæculum duodecimum, immo & decimum tertium: quibus Cardinales ipsi in suis titulis non baptizabant, nisi petita prius a Summo Pontifice facultate, ut palam fit ex Ordine Romano, quem ante annum M. C. XLIII. scripsit Benedictus B. Petri canonicus, in quo inter alia notanda sunt hæc præsertim verba: (Finito officio; Dominus Pontifex descendit ad fontem, cum diaconis & subdiaconis regionariis cantando Litaniam . . . . . . Cardinales autem qui remanserunt in choro, exeant per posterulam post absidem, & intrant per porticum S. Johannis, & vadunt ad Ecclesiam Sancti Venantii. Tunc archidiaconus præcipit duobus, ut eant ad ostium Sancti Venantii, qui obediunt. Accipiunt priorem Cardinalium per manus adextrantes eum usque ante Pontificem: omnes Cardinales sequentes eum. Prior autem inclinat se & dicit: *Jube Domne benedicere*. Pontifex benedicit eum. Progrediens parum, facit similiter, & benedicit. Tertia vice similiter, & benedicit eum Pontifex, & dicit: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Cardinales vero tunc induti cum equitibus revertuntur ad titulos suos.) Eodem prorsus modo loquitur Cencius in Ordine Romano,

quem

quem exeunte sæculo XII. digessit. Unde mirum videri non debet, si in concilio Veruensi anno 755. celebrato canone 8. sancitum fuerit, (ut omnes presbyteri, qui in parochia sunt, sub potestate episcopi esse debeant, & de eorum ordine nullus presbyter præsumat in illa parochia baptizare, nec Missas celebrare sine jussione episcopi in cujus parochia est.) Et in conventu apud Attiniacum anno 874. (Episcopus Barcinonensis se reclamavit quod Tyrsus presbyter Cordubensis ...... sine illius licentia missas & baptisteria in e..m civitate præsumit celebrare.) Multo magis mirabitur forsitan aliquis, Eduardum Henrici III. Anglorum regis filium a Legato non presbytero sacris undis regeneratum fuisse; id quod testatur Matthæus Parisius in Historia Anglorum ad annum 1239. ubi hæc habet: [XVI. Calendas Julii nocte sequenti apud VVestmonasterium natus est regi filius ex regina sua Alienora .....-. Catlenlensis vero episcopus infantem catechizavit: Legatus eumdem baptizavit, licet non esset sacerdos: archiepiscopus autem Edmundus Cantuariensis ipsum confirmavit.] Sed nescio an legati factum probaverit S. Edmundus, qui in suis Constitutionibus vetat, (ne diaconi pœnitentias dare & baptizare præsumant, nisi in iis casibus, cum sacerdos non potest, vel absens est, vel stulte vel indiscrete non vult, & mors imminet puero vel ægroto.] Quæ quidem sancti Præsulis sanctio fundamentum habet in Constitutionibus Apostolorum, in quibus passim, sed præsertim libro 8. cap. 44. & 52. diacono baptizare *fas non esse* dicitur: idque etiam in necessitate prohibere videntur antiqui canones Romanorum ad episcopos missi cap. 7. conciliorum tomo 2. licet jubente aut permittente episcopo vel presbytero, id eis semper licitum fuerit, ut probat Philippi diaconi factum in Actibus Apostolorum, & videre est in variis Ordinibus Romanis, confirmantque innumera Ecclesiæ statuta & Sanctorum Patrum dicta, maxime Tertulliani, cujus verba supra retulimus. Unde & in Ecclesiis baptismalibus, una cum presbytero residere debebat unus saltem diaconus. Non decet tamen diaconos præsente episcopo aut presbytero, qui id muneris commode obire possint, tingendos aquis vitalibus immergere. Multo minus inferiores clericos aut laicos, quibus cogente necessitate Ecclesia baptizare permittit, permisitque semper, episcopo ea supplente, quæ collato ab ipsis baptismo defuerunt, ut patet non solum ex Tertulliano, sed etiam antiquissimo scriptore Tractatus de baptismo hæreticorum adversus Sanctum Cyprianum: [Aut si a minore clero per necessitatem traditum fuerit (baptisma), eventum expectemus, ut aut suppleatur a nobis [episcopis], aut a Domino supplendum reservetur.]

Diaconis permissu episcopi baptizare licet, immo laicis in necessitate.

V. Porro necessitas illa duobus modis intelligi potest: stricta & late. Necessitatem stricte intelligo, cum non baptizato tam evidens imminet mortis periculum, ut expectari non queat episcopus aut presbyter. Late vero, cum propter multitudinem baptizandorum episcopus aut presbyter omnibus regenerandis satis non esset: ita ut minores clericos, aut ipsos laicos ad sacrum ministerium tamquam adjutores adhibendos esse necessarium foret. Atque hoc postremo sensu sæpissime capiendos esse antiquiores Ecclesiæ Patres existimo, cum dicunt minores clericos, ipsosque etiam laicos in necessitate posse baptizare: maxime cum primis illis post Christum sæculis tanta non esset copia sacerdotum, immo nec reddita Ecclesiæ pace. Nam constat etiam temporibus Gregorii Magni, qui sub finem sæculi sexti florebat, plures parochias defectu presbyterorum pastoribus vacuas remansisse. Vel etiam necessitas late sumitur, cum adest quidem infirmitas, sed non periculosa. De hujusmodi necessitate intelligendus videtur canon 38. concilii Illiberitani in Hispania: (Peregre navigante, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum: ita ut si supervixerit, ad Episcopum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.) Nam si evidens instaret mortis periculum, etiam bigamus, nec integrum habens suum lavacrum, idest non confirmatus, deberet eum baptizare. Quo casu (si puer qui creditur moriturus domi fuerit, cum festinatione, ut contingere solet, baptizatus, aqua propter reverentiam baptismi vel fundatur in ignem, vel ad ecclesiam in baptisterium deferatur) ut præscribit consilium incerti loci num. 34. tom. 4. Anecdot. pag. 153. Antequam vero progrediar ultra; non erit forsan inutile hic observare Bonifacii V. Papæ decretum apud vulgatum Anastasium, (ut in Lateranis acolythus non baptizaret cum diacono, sed subdiaconi subsequentes.) Subdiaconis etiam absenti presbytero, baptizare permittunt Statuta Synodalia Caturc. Ruthen. ac Tutel. cap. 6., & Nemausens. cap. 1. num. 8. tom. 4. Anecdotorum.

Feminis baptizare publice illicitum.

VI. Ad feminas quod spectat, ut docere, ita eis & baptizare in ecclesia semper vetitum fuit. (Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, nec docere, nec tinguere,) inquit Tertullianus in libro de Velandis virginibus cap. 9. qui & in libro de Præscriptionibus capite 41. redarguens temeritatem mulierum hæreticarum, addit: (Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingnere:) quod certe in eis non reprehendisset, si licitum eis ea Ecclesiæ legibus fuisset. In Constitutionibus etiam Apostolorum libro 3. extat integrum caput 9. (quod non oporteat mulieres baptizare, hoc esse impium, & a doctrina Christi alienum.) Et concilium Carthaginense 4. canone 100. [Mulier baptizare non præsumat.] Idem docet Sanctus Epiphanius libro 3. adversus hæreses, Hæresi 70., & Johannes Moschus in Prato Spirituali cap. 3. ubi asserit contra canones esse, diaconissas baptizare, excepta scilicet strictissima necessitatis causa. Et tamen Atto Vercellensis episcopus in Epistola ad Ambrosium feminas a diaconissis baptizatas fuisse, clare enuntiat. Nam postquam retulit concilii Chalcedonensis canonem, vetantem diaconam ante annum XL. ordinari, sic infert: [Talibus etiam credimus baptizandi mulieres injunctum esse officium, ut absque ulla penitus verecundia aliarum corpora ab his tractarentur. Nam in Statutis Orientalium scriptum est: Viduæ & Sanctimoniales, quæ ad ministerium mulierum baptizandarum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint aperto & sano sermone docere imperitas, & rusticas mulieres tempore quo sunt baptizandæ, qualiter ad interrogata respondeant, & qualiter accepto baptismate vivant. Sicut enim hæ quæ presbyteræ dicebantur, prædicandi, jubendi, vel edocendi, ita sane diaconæ ministrandi vel baptizandi officium sumserant: quod nunc jam minime expedit; Nam in tanta parvitate ob parentum religionem infantulæ baptizantur, ut nulla eis verecundia, nullus baptizantibus voluptatis possit stimulus impedire. Unde jam statutum est, ut mulier baptizandi usum assumere non præsumat.]

An baptismus ab hæreticis Judæis & gentilibus possit recipi.

VII. Nunc restat ut de hæreticis, Judæis atque gentilibus inquiramus, an aliquando licitum fuerit eorum uti ministerio ad recipiendum regenerationis sacramentum: Atque ut de hæreticis primum dicamus, nota est omnibus celeberrima Cyprianum inter & Stephanum controversia, qua nimirum ille Africanæ ecclesiæ traditioni adhærens, damnato hæreticorum baptismo, universos ab illis tinctos, rebaptizandos asserebat: cujus sententiam alii etiam nonnulli sequebantur episcopi: Stephano e contrario universæ Ecclesiæ traditam ab Apostolis disciplinam retinendam esse contendente; cujus definitionem quam plurima postmodum confirmavere concilia.

VIII. Verum non hic quæstio est, an validum fuerit collatum in debita forma ab hæreticis baptisma: neque enim ullus jam existit, qui contrarium affirmare audeat. Sed an licitum fuerit, idque instante urgentissima necessitate (Nam alioquin quis approbaret?) baptismum ab hæretico postulare & recipere. Hic multis non opus est: Sufficit unum Sancti Augustini suffragium, qui in libro 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 2. præsenti de argumento sic discurrit: (Si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace catholica custodita, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica accepturus: si statim etiam de hac vita migraverit; non eum nisi catholicum deputamus.)

IX. Quod de hæreticis hic docet Augustinus, hoc de Judæis & infidelibus affirmandum videtur. Valet enim, si me non fallit opinio, quod dicit Sanctus Doctor lib. 5. de Baptismo cap. 20. [Si Deus adest sacramentis, & verbis suis; per *qualescumque* administrentur, & sacramenta Dei *ubique* recta sunt.) Quamvis hanc difficultatem definire ausus non fuerit tantus, sed vere humilis Doctor. Nam libro 2. contra Parmenianum cap. 13. proposita sibi quæstione, [utrum ab iis qui numquam fuerunt christiani possit baptismus dari?] Respondet: (Nec temere inde affirmandum est, sine auctoritate tanti concilii, quantum tan-

tantæ rei sufficit.) Et lib. 7. de Baptismo cap. 53. (Sed nobis tutem est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt.) Deinde tamen licet quasi trepidando pro summa Sancti Doctoris modestia sententiam suam proponit hoc modo: [Verum tamen si quis forte me in eo concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret ut dicerem quod ipse sentirem. Si eo modo affectus essem, quo eram cum ista dictarem; nequaquam dubitarem eos habere baptisma, qui *ubicumque & a quibuscumque* illud verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione & cum aliqua fide accepissent.] Augustini sententiam confirmat Nicolaus I. Papa quo ad Judæos, ad consulta Bulgarorum respondens in hæc verba: (A quodam Judæo, nescitis utrum christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid inde sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, unum quippe idem est, ut S. Ambrosius exponit, constat non esse denuo baptizandos.)

X. De gentilibus falsorum deorum cultoribus paulo major est difficultas. Nam Gregorius II. Papa ad Sanctum Bonifacium scribens, ab ipsis baptizatos absolute tingendos iterum esse asserit: [Eosdem quoque, quos a paganis baptizatos esse asseritis; si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis mandamus.] Et liber 7. Capitulariorum ab Ansegiso & Benedicto Levita collectorum num. 401. ita habet: [Præcipimus, ut qui a paganis baptizati sunt, denuo a sacerdotibus in nomine S. Trinitatis baptizentur.] Et num. 405. (Hi qui dubitant utrum sint baptizati, an non; qui vel a Presbytero diis mactanti vel immolatitiis carnibus vescenti fuerint baptizati, ut baptizentur, præceptum est.) Verum illa Capitularia, aut si qua hujusmodi existant alia, intelligenda sunt prorsus de baptizatis sine debita forma; id quod satis innuunt, cum a Christi sacerdotibus *in nomine S. Trinitatis* rebaptizari præcipiunt, nam certissimum est aliunde, quod ait Johannes de Ragusio Fratrum Prædicatorum Præpositus Generalis in Oratione, quam in Concilio Basileensi pronunciavit: [In necessitatis articulo mares & feminæ, pagani, & Judæi, & hæretici, possunt baptizare, dummodo servent formam, & materiam, & intentionem.] Quod certe confirmatur ex Concilio Compendiensi anni 757. can. 9. ubi decernitur, [quod si quis baptizatus est a presbytero non baptizato, & S. Trinitas in ipso baptismo invocata fuerit; baptizatus est, sicut Sergius Papa dixit.] Quæ totidem verbis continentur in libro 6. Capitularium Ansegisi, & Benedicti Levitæ num. 6. Major est difficultas in num. 94. ejusdem libri, quo sancitum est, ut (si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes quos prius baptizavit.) Vererer quidem ne sit error in textu, & pro *& omnes*, legendum sit *non omnes*: aut ne ultima hæc clausula, quæ apud Gratianum, collectores Decretalium, & Innocentium III. cap. *Veniens* desideratur, huic capitulo sit super addita, nisi idem reperirem in antiquissima canonum Collectione tom. 4. Anecdotorum pag. 45. in qua sic lego: (Baptizati a presbytero non baptizato, iterum debent baptizari.) Quod diximus de collato ab hæreticis, Judæis, & paganis baptismate, idem de collato ab excommunicatis judicium ferendum est; audi quid ea de re sanciant Statuta Synodalia Caturcens. Rothen. & Tutelens. cap. 6. tom. 4. Anecd. (Tenet hoc Sacramentum, si conferatur ab excommunicato, hæretico, vel pagano in forma Ecclesiæ, licet conferri a talibus non debeat.)

ARTICULUS IV.

Expenduntur nonnulla, quæ baptismi ministrum respiciebant.

Minister baptismi quæ ad ejus celebrationem spectant scire debet.

I. POstquam articulo superiori de ministro baptismi dictum est, quis pro legitimo olim haberetur; jam nonnulla quæ ad ipsum singulari ratione spectabant investiganda esse videntur. Atque in primis illud observatu dignum est, quod ita plene & integra omnium, quæ baptismi celebrationem respiciunt, instructus esse debebat, ut *signaculum* & *baptisterium*, id est ordinem seu ritus præcipue in conferendo regenerationis Sacramento observari solitos *memoriter teneret*, sicuti præscribunt Caroli Magni Capitularia anno 804. ad Salz data presbyteris num. 3. Unde & in Capitulari Ahitonis Basileensis Episcopi Spicilegii tomo 6. cap. 6. inter alia, quæ *ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum*, una cum psalterio, antiphonario & aliis hujusmodi, recensetur *baptisterium*. Et in concilio Turonensi 3. can. 18. decernitur, ut (episcoporum magna sit sollicitudo presbyteris suis tradere baptismi Sacramentum:) atque etiam in Capitulari 3. Caroli Magni anno 789. edito n. 7. (ut audiant episcopi baptisterium presbyterorum:) quibus concinit Capitulum 376. libri 6. ex collectis a Benedicto Levita, (ut episcopi diligenter discutiant per suas parochias presbyteros, ut eorum fidem, *baptisma*, & missarum celebrationes bene sciant.) Et quia instante necessitate, possunt laici sive masculi sive feminæ baptismum administrare; ne quis forte in tanti re momenti, error subrepere valuisset; nihil frequentius aut in conciliis aut in sanctorum Pontificum statutis occurrit, quam ut curati sæculares viros seu feminas sedulo instruant de materia & forma hujus Sacramenti materna lingua pronuncianda, sicuti videre est in editis anno 1217. Constitutionibus Richardi episcopi Sarum in Anglia cap. 16. in concilio Londoniensi anni 1237. can. 3. apud Mathæum Parisium, in Constitutionibus anonymi anni 1238. apud Spelmannum tomo 2. Conciliorum Angliæ, & in concilio Wirgoniensi anni 1240. cap. 5. in Constitutionibus synodalibus Eliæ Uticensis episcopi, quæ MSS. asservantur in Bibliotheca Colbertina, in Statutis synodalibus Guillelmi Gubernatoris episcopi Maclovienfis pag. 570. quo casu, quia materia & forma solæ servabantur, uti decernit concilium Remense anni 1583. reliqua postmodum, si supervixisset infirmus, supplebat episcopus aut presbyter; idque infra dies novem juxta illud S. Caroli statutum Act. part. 1. Constit. lib. 2. (Quod si baptizatus postea vixerit, omnino intra nonum ab ortu diem, vel cum primum per valetudinem licuerit, eum Ecclesiæ sistant, ubi si rectam baptismi formam servatam esse constiterit; ei tantum ritus ac ceremoniæ baptismi suppleantur.)

In aliena parochia aut alterius subditos baptizare non licet.

II. Secundo quia falcem alienam in messem mittere cautum est: cautum etiam semper fuit, aut in aliena parochia tingere, aut in propria alterius subditos. Hanc in ecclesia disciplinam a primis sæculis viguisse discimus ex his S. Gregorii Nazianzeni verbis Orat. 40. (Tibi unusquisque ad purgationem fide dignus censeatur: tantummodo sit ex probatis, & non manifeste damnatis *neque ecclesiæ alienis*.) Idem insequutis temporibus etiam obtinuit, ut patet ex libro 5. Capitularium Benedicti Levitæ cap. 60. quo decernitur, (ut nullus presbyter præsumat in aliena parochia baptizare, nec missas celebrare, sine jussione episcopi, in cujus parochia est.) Huc facit quod in Theodulpi Aurelianensis episcopi Capitulari cap. 17. legitur: (Si parvulus ægrotus ad quemlibet presbyterum baptismi gratia de cujuslibet parochia allatus fuerit; ei baptismi Sacramentum non negetur.) Quod procul dubio haudquaquam statuisset, si ex alterius parochia infantes salutari lavacro regenerare licitum fuisset. Idem superiori sæculo renovavit S. Carolus, edito hoc statuto: Videat parochus ubi primum infans baptismi causa ad se delatus est, an suæ parochiæ sit: quem si alienæ esse novit, eum nisi instante necessitate, ne baptizet: sed ad parochum proprium, a quo baptizetur, deferri jubeat.) Idem legitur in Statutis synodalibus Guillelmi Gubernatoris episcopi Macloviensis.

Baptismus publice celebrandus.

III. Tertio ex quo per christianos imperatores libero religionis exercitio potita est ecclesia, ea semper & ubique consuetudo obtinuit, ut non nisi in publice ecclesiæ facie, numquam vero in privatis domibus aut oratoriis; una excepta necessitatis causa, baptismus celebraretur. Extat ea de re concilii Quini-sexti can. 59. (In æde oratoria, quæ est intra domum, baptismus nequaquam peragatur. Sed qui illuminatione ab omnibus sordibus aliena digni habendi sunt, ad catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Si quis autem quæ a nobis constituta sunt, non servare convictus fuerit; si sit quidem clericus, deponatur; si autem laicus, segregetur.) Huic decreto, quod infirmare tentavit Leo imperator in sua Novella 15. favere videtur concilium Meldense anni 845. can. 48. quo sancitum est, (ut nemo presbyterorum baptizare præsumat nisi in civitatibus & temporibus constitutis.) Clarius concilium Viennense sub Clemente V. libro 3. Clement. tit. 15. & insecuta postmodum plurima alia, ut Coloniense anni 1536. part. 7. cap. 7. Colo-

niense

niensa alterum anni 1549. Parisiansa anni 1557. Burdigalense anni 1582. Remensa anni 1583. Aquense anni 1585. quorum omnium testimoniis referendis, ne sim nimius, supersedeo. Sat erit concilii Coloniansis anni 1536. varba hic adducere: (Magna certa ratione acclesiasticis patribus visum ast, ut baptismus in conspectu ecclesiæ in loco sacro recipiatur . . . . . Quapropter displicet nobis, quod quidam fastuosi, templum Domini despicientes, ambiunt magis suos infantes in domibus privatis baptizari, quod deinceps, nisi necessitas idipsum exegerit, & causę cognitio præcessarit, indulgeri nolumus.) Ab hac tamen lege excipiuntur reges & principes ax Clementina supra citata, etiam ex Statutis synodalibus Guillelmi Gubernatoris, quibus adde Statuta synodalia ecclesiæ Caturcensis a nobis adita Anecdotorum tom. 4. pag. 684. in quibus hæc leguntur: (Ne quis de cetero in aulis, vel in cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in ecclesiis, in quibus sunt fontes specialiter deputati, ubi baptizandi dabent deportari & adduci, libere baptizare præsumat, nisi sint filii regum & principum, quibus in his deferre convenit.)

Idque a jejuniis.

IV. Quarto antiquissimus in ecclesia usus ad nostra fere tempora viguit, ut sicut a jejunis recipitur, ita & a jejunis conferretur: cujus quidem veritatis illustra habemus testimonium S. Justini martyris in Apologia 2. ad Antoninum imperatorem, in qua scribit eos qui Christo nomen in baptismo dare cupiebant, (orare jejunantes [edoceri] *nobis*, inquit, *cum illis una orantibus & jejunantibus;*) & sic aquis salutaribus immergi. Et sane id sequi nemo non videt ex supradictis. Nam cum olim non nisi Paschę Pentecostesque vigiliis, quibus solemne cunctis indictum arat jejunium, baptisma celebraratur; necessa omnino arat episcopos, presbyteros, aliosque illius ministros jejunos existere; id quod planum & clarum fit ax concilio Parisiensi, jussu Ludovici Pii imperatoris anno 839. celebrato. Nam cum congregati illuc ax quatuor provinciis Patres accepissent, plerosque episcopos post perceptionem cibi & potus, per impositionem manuum tradere Spiritum-Sanctum; posito ob oculos Sanctorum Apostolorum exemplo, sanxerunt, ut (sicut baptismus excepra infirmorum causa, non nisi a jejunis celebretur sacerdotibus; ita etiam traditio Spiritus Sancti.) Idem habet concilium Meldeose a Gratiano citatum da Conf. dist. 5. & Rotomagense anni 1072. cujus canon 5. ita effertur: (Nullus Sacerdos baptizet infantem, nisi jejunus, & indutus alba & stola, nisi necessitata.) Denique ut paucis absolvam, concilium Moguntinum anno 1540. celebratum can. 16. sancivit, (ut tanto mysterio debita omnino reverentia exhibeatur, parochos & acclesiarum ministros serio monemus, ut mana intra officia divina, aut mox post ea peracta; non autem tempore pomeridiano post epulas & prandia, nisi necessitas aut periculum infantium accelerare baptismum exposcat, cum multa sobrietate & accurata devotione baptismum administrent.)

Et sacra veste indutis.

V. Quinto citra persecutionis tempus, & unam necessitatis urgentis causam, numquam licitum fuit in vulgari & profano habitu baptismi sacramantum administrare. Egregium ea de re argumentum suppeditat Theodoritus in libro 2. Historię ecclesiasticæ capite 27. ubi referente Acacio, asserit (Cyrillum vendidisse sacram vestem, quam Constantinus omni laude celebrandus ad exornandam Jerosolymorum ecclesiam, Machario ejus loci episcopo donavarat, ut ea indutus divini baptismi ministerium perageret.) Quæ quidem vestis, ut ibidem additur, *aureis filis contexta erat*. Communiter tamen albi fuisse coloris constat ex antiquissimo Ordine Romano, quo præscribitur, (ut post peractam fontium benedictionem, presbyteri aut diaconi, etiam si necesse fuerit, acolythi, discalceati induentes se aliis vestibus mundis vel candidis, ingrediantur fontes intro aquam,) & baptizent primo masculos, deinde feminas. Ubi particula *vel* sumitur copulative pro *&*. Idem patet ex antiquissima expositione Liturgiæ Gallicanę a nobis edita tom. 5. Anecdotorum pag. 99. ubi hæc leguntur: (Præcinctio autem vestimenti *candidi*, quo Sacerdos baptizaturus præcingitur, in signo S. Johannis agitur, qui præcinctus baptizavit Dominum. Albis autem vestibus induatur in Pascha secundum quod Angelus ad monumentum albis vestibus cerneretur. Albæ enim vestes exultationem significant.) Huc referendus videtur locus ex Testamento S. Remigii Remensis episcopi, in quo futuro suo successori relinquere se asserit, *amphibulam album Paschalem*. Et alter ax Gregorio Turonensi in vita S. Nicetii: (Capsa autem hujus vestimenti ita dilatata arat atque consuta, ut solent in illis *candidis* fieri, quæ per Paschalia festa sacerdotum humeris imponuntur.) Nam tempore Paschali præsertim baptismus celebrabatur. Clarior & planior est locus supra citatus concilii Rotomagensis, præscribentis, ut nullus sacerdos baptizet, nisi *indutus alba & stola*. Nostris varo temporibus albæ vicem tenet superpelliceus, quo ad minus & stola minister debet esse indutus, ut habet antiquum Rituale ecclesiæ Lemovicensis. Sed ex Ceremoniali Ambrosiano jussu Federici Borromæi Mediolanensis Archiepiscopi edito, (cum ad baptizandum procedendum erit, paratis omnibus, & præsertim parocho astante, archiepiscopus adhibitis assistantibus de more, in seda sua induit paramenta violacei coloris, videlicet albam, cingulum, amictum, crucem, stolam, pluviale & mitram simplicem, cum duobus acolythis, qui candelabra cum duobus cereis accensis deferant, cum baculo pastorali ad fores Ecclesię accedens, ascendet super gradum a terra elevatum atque stratum, super quem ascendet etiam patrinus, si sit magnus princeps vel hujusmodi . . . . . Tunc archiepiscopus legit omnia, ut in Sacramentali, si ipse catechizare & exorcizare voluerit. Deinde tempore congruo antequam baptizandus in ecclesiam introducatur, deposito pluviali & stola violacea, induit alteram stolam & pluviale albi coloris, & reliqua omnia perficit.)

Et quidem gratis.

VI. Sexto quia scriptum est, gratis accepistis, gratis date; vix dici potest, quanta sollicitudine omni tempore precaverit Ecclesia, ne sacramentorum ministri, ac præsertim baptismi, pretium a baptizatis exigerent. Nihil aliud clamant concilia, nihil aliud summorum pontificum decreta, nihil aliud editæ ab episcopis sanctiones; quorum omnium testimoniis referendis ne longius progrediar, aliqua dumtaxat hic suggeram. Concilium Eliberitanum (emendari, inquit, placuit, ut hi qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant, ne sacerdos quod gratis accepit, pretio distrahare videatur.) Paulo severius Gelasius Papa in epistola ad episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos cap. 5. [Baptizandis consignandisque fidelibus sacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impositis, exagitare cupiant renascantes; quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil a prædictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate cogentę deterriti, val indignatione revocati, redemptionis suæ causas adire despiciant. Certum habentes, quod qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris.] Concilium Emeritense in Hispania tempore Recesvinthi regis circa annum 666. celabratum canone 9. (Presbyteri qui sanctum Dei baptisma infantibus tradunt, nihil pro talis a parentibus aorum auferre præsumant. Quod si quis aliquid offerat per bonam voluntatem, accipiat grate: nihil tamen, ut diximus, auferatur quacumque occasiona. Si quis sententiæ hujus ordinem non custodierit, eumque transgredi præsumpserit; tribus mensibus sub pœnitentia excommunicatus manebit.) Multo rigidius concilium Toletanum XI. ne quidem sponte oblata percipere sustinens: ita quippe habet canone 8. (Quicumque deinceps in ecclesiastico ordine constitutus pro baptizandis consignandisque fidelibus . . . . . pretia quælibet vel præmia voluntarie oblata pro hujusmodi ambitione susceperit: si scienta loci episcopo, tale quidquam a subditis perpetratur, idem episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat . . . . . Sin autem suorum quispiam eodem nesciente, quodcumque . . . . accipiendum esse sibi crediderit: Si presbyter est, trium mensium excommunicatione plectatur: si diaconus, quatuor: subdiaconus vero vel clericus his cupiditatibus servians, competenti verbere & debita excommunicatione plectendus est.) Vida concilium Bracarense III. cap. 7. concilium Remense sub Leone IX. anni 1049. can. 5. concilium Rotomagense anni 1050. can. 16. Capitularia Benedicti Levitæ lib. 5. n. 173. & lib. 6. num. 83. Constitutiones Galonis legati anno 1208. in concilio Sagiensi, ut præfert MS. codex Majoris monasterii, sub Silvestro episcopo promulgatæ cap. 2. Statuta synodalix ecclesiæ Meldensis a nobis edita tom. 4. Anecdotorum pag. 903. in quibus sub pœna axcommunicationis prohibetur ne presbyteri pro collato baptismi Sacramento aliquid exigant. Denique Acta ecclasiæ Mediolanensis parte 1. lib. 2. Constit. quibus decernitur, ut (detestabilem consuetudinem baptizatos infantes in altare collocandi, ut muneribus compatrum redimantur, episcopi severe vindicent.)

A R-

ARTICULUS V.

De officio Catechistæ.

I. Quæ de ministro baptismi satis fuse hactenus dicta sunt ea me movent, ut de catechistæ officio, qui rudibus instruendis ab Ecclesia designatus erat, pauca subjiciam. Et ne funem longius traham, neve studio plura dicendi lectoribus oneri sim & tædio; tria dumtaxat de illo hic breviter inquiram. Scilicet quinam huicce muneri deputarentur, quibus in locis rudes gentilesque instruerent; quibus de rebus eos imbuerent.

Catechistæ quales eligebantur.

II. Primum quod spectat, etsi ipsi Apostoli eorumque successores Episcopi non pauci, catechistæ officio perfuncti fuerint; nihilo tamen minus quia variis utilioribusque curis solent ad alia distrahi; ea semper in Ecclesia invaluit consuetudo, ut id muneris aliis committeretur. Verum hoc in negotio semper provisum fuit, ut non nisi viri pietate, ingenio ac doctrina præstantes deligerentur, quales Alexandriæ extiterunt Pantenus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionysius, ut docet Eusebius lib. 6. hist. c. 5. lib. 6. c. 3. 5. 10. 23. Et certe cum eis non infrequenter res esset cum philosophis aliisque profanæ scientiæ eruditis viris, qui non tam ingenio, quam fide rudes erant; non levem Ecclesia passa esset injuriam, si eorum argumentis subtilioribusque sophismatis respondere nequivissent: quod non infrequenter accidisset, nisi ingenio & doctrina insignes extitissent. Hinc Lactantius in libro 6. Divinarum Institutionum capite 21. (Homines literati, inquit, si non fuerint ab aliquo perito doctore fundati, minus credunt. Assueti enim mollibus & politis sive orationibus, sive carminibus, divinarum literarum simplicem communemque sermonem pro sordido aspernantur.) Quapropter non semper ordinis aut dignitatis hac in re habebatur ratio, sed etiam aliquando laici publice docere permittebantur, ut manifestum facit exemplum Origenis, qui annos octodecim dumtaxat natus, Alexandriæ instituendis catechumenis præfectus est, pateque ex Constitutionibus Apostolorum, in quarum libro 8. cap. 38. hæc lego: (Qui docet, quamvis sit laicus, peritus tamen sermonis & moribus gravis doceat. Erunt enim omnes docibiles Dei.) Aliquando simplices lectores, ut constat ex S. Cypriani epistola 24. ad presbyteros & diaconos, in qua *Optatum inter lectores doctorem audientium* se constituisse asserit. Frequentius tamen ad id muneris diaconi designabantur, ut colligere licet ex S. Augustino, qui aureum illum libellum de Catechizandis Rudibus rogatus a Deogratias diacono Carthaginensi, ut ipsi *usui esset* conscripsit. Hinc forte etiam in præfato libro 8. Constitutionum Apostolorum cap. 38. decernitur, ut (qui primo ad mysterium pietatis accedunt, per *diaconos* adducantur ad episcopum vel presbyteros, & causæ exquirantur, cur ad Dominicum sermonem accesserint, &c.) Plerumque etiam e presbyteris gentiles instruebantur, ut docet vulgatus Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia, ubi antiquos ritus describit adducendi rudes ad presbyterum, his verbis: (Qui autem horum, quæ vere cœlestia sunt, particeps fieri cupit, cum aliquem eorum qui initiati sunt adiit, suadet ille quidem, ut se recta ad sacerdotem ducat; ipse autem se omnino ea quæ tradantur, secuturum esse pollicetur, petitque ut ad eum adducatur, & vitæ omnis, quam deinceps aget, curam suscipiat. Illum autem, qui ejus quidem salutis sancte cupiditate ducitur, sed ea rei magnitudine hominis ingenium metitur, horror quidem repente reique difficultas deterret: ad extremum tamen id quod petivit, benigne se facturum esse promittit. Acceptumque eum ducit ad sacerdotem. Hic vero lætus, quasi ove in humeros virorum imposite, primum quidem principium, quod unum boni causa est, & e quo vocentur ea quæ vocantur, & quæ adipiscuntur salutem, eam consequuntur, mentis gratiarum actione corporeaque adoratione veneratur. Deinde omni sacro cœtu & adjuvandæ celebrandæque ejus salutis & divinæ bonitati gratiarum agendarum causa in sacrum chorum convocato, ipse principio hymnum quemdam, qui in divinis scriptis continetur, cum omni ecclesiastico Ordine recitet. Deinde sacram mensam osculatus, ad virum qui adest venit, eumque interrogat cur venerit, &c.)

Catecheses ubi fiebant.

III. De loco faciendis catechesibus designato, illud in primis observare licet; apostolos, virosque apostolicos, qui prima apud gentiles fidei semina disperserunt, non in ædibus, sed in foro præsertim, & in plateis publicis, solitos fuisse concionari. Ejusmodi occurrunt exempla nonnulla in Actibus apostolorum non modo, sed etiam in Vitis & Historiis Sanctorum. Ita nimirum S. Otto Babebergensis episcopus & Pomeranorum apostolus apud Pirissenses *de loco editiori*, apud Stetitenses *per vicos & capita platearum*, apud Havelbergenses *de edita ante portam civitatis* omni coadunato populo verbum salutis prædicasse legitur, in ejus Vita apud Surium 2. Julii: Postquam vero aliquorum in cordibus altas agere radices cœpit Christiana religio, crescente in dies discipulorum Christi numero, cœperunt non quidem in ecclesiis aut in oratoriis, sed in privatis ædibus, ad eos qui eo in numero censeri cupiebant, fieri catecheses. Certe eam fuisse Alexandriæ Origenis consuetudinem, satis innuit vir doctissimus Daniel Huetius Abrincarum episcopus in Origenianorum lib. 1. c. 1. ubi agens & incitato in Origenem gentilium furore, ait statim domum eius, *quam frequentari catechumenis adverterant*, armatis hominibus circumsessam fuisse; id quod evidentius patet ex literis Demetrii Alexandrini episcopi ad Alexandrum Hierosolymorum & Theoctistum Cæsariensem, quibus conqueritur quod contra morem & consuetudinem Origenem in ecclesia publice coram episcopo concionari permisissent. Quo ex loco vir clarissimus Henricus Valesius in Notis ad Eusebii Historiam Ecclesiasticam lib. 6. cap. 19. infert. (Origenem, qui catecheses fecerat Alexandriæ, in privato auditorio, non autem in ecclesia catechumenos instituisse. Neque enim Alexandro & Theoctisto episcopis id objiceret Demetrius, quod Origenem in ecclesia docere jussissent, si Alexandriæ idem ab Origene factum fuisset.) Additque, (Certe catecheses olim non fiebant in ecclesia, sed in baptisterio, aut in aliquo alio extra ecclesiam loco.) Id quod probat ex epistola Johannis Hierosolymitani ad Theophilum Alexandrinum. Addere etiam potuisset S. Ambrosii epistolam 20. novæ editionis ad Marcellinam sororem, in qua symbolum competentibus *in baptisterio* se tradidisse asserit. Plura hujusmodi facta adjicere possemus, nisi brevitati nobis esset studendum.

Rudes in fide quomodo instituendi.

IV. Tertium quod hoc in articulo nobis inquirendum proposueramus, ea potissimum respicit, de quibus rudes in fide essent instituendi, nimirum ut abjecto inanium deorum cultu, solum verum & unicum Deum venerarentur, mores vitamque ad meliorem frugem converterent, omnibus fidei articulis sponte & animo subjicerentur. Quanam vero ratione id fieri posset, eleganter prosequitur S. Augustinus, singulari edito tractatu de Catechizandis Rudibus, in quo etiam duas catechismi formulas profert, quas utpote longiores ultro prætermittimus. Ejusdem tamen libri quasi compendium ex Alcuino in epistola 7. ad Carolum Magnum hic referre non pigebit: (Igitur ille ordo in docendo virum ætate perfectum diligenter, ut arbitror, servandus est, quem B. Augustinus ordinavit in libro, cui *de Cathechizandis Rudibus* titulum prænotavit. Prius instruendus est homo de animæ immortalitate, & de vita futura & de retributione bonorum malorumque, & de æternitate utriusque sortis. Postea pro quibus peccatis & sceleribus pœnas cum diabolo patiatur æternas, & pro quibus bonis vel benefactis gloria cum Christo fruatur sempiterna. Deinde fides S. Trinitatis diligentissime docenda est, & adventus pro salute humani generis Filii Dei Domini nostri Jesu Christi in hunc mundum exponendus. Et de mysterio Passionis illius, & veritate Resurrectionis, & gloriæ Ascensionis in cœlos, & futuro ejus adventu ad judicandas omnes gentes, & de resurrectione corporum nostrorum, & de æternitate pœnarum in malos & præmiorum in bonos, mox ut prædiximus mens novella firmanda est.) His adjicienda ea quæ præscribuntur in libro 8. Constitutionum Apostolorum capite 38. scilicet ut diligentissimum fieret examen de vita & moribus eorum, qui Christianam religionem profiteri desiderabant: quo præmisso, instructi eo quo diximus modo, in catechumenorum catalogum adscribebantur. Quonam vero ritu id exequerentur, jam exponendum est.

A R-

ARTICULUS VI.

De Catechumenis, quot essent eorum genera, & quo ritu instituerentur.

Catechumeni, qui dicerentur.

I. HActenus de tempore, loco, & ministro baptismi satis disputatum est, nunc de illius subjectu, & primum de catechumenis, qui in primo ad baptismum gradu consistebant, agendum. Sic nimirum vocabant eos (qui primum de gentilitate veniunt, habentes voluntatem credendi in Christum,) ut post S. Isidorum lib. 1. de Divinis Officiis cap. 20. loquitur Magnus Senonensis archiepiscopus in MS. Tractatu de Baptismo, quibus concinit S. Ildephonsus lib. Adnotationum de cognitione baptismi cap. 20. Ita vero appellabantur, quod in ecclesia ad audiendam fidei doctrinam admitterentur, licet nondum essent baptizati: Unde & a latinis Patribus *audientes* vulgo dicuntur, ut videre est apud Tertullianum in libro de Pœnitentia, Cyprianum epist. 13. & 24. Auctorem Tractatus de Baptismo hæreticorum tom. 1. conciliorum, Collationem Carthaginensem cum Donatistis c. 197. Theodulphum Aurelianensem, Leidradum Lugdunensem, & alios plurimos qui de Baptismo tractatus ediderunt.

Catechumenorum varia genera.

II. Horum duo genera dumtaxat antiqui distinguebant: Catechumenos simpliciter dictos, & Competentes, ut videre est apud Origenem lib. 3. contra Celsum, S. Isidorum libro 2. de Divinis Officiis, Rabanum in libro 1. de Institutione clericorum cap. 16. & Leidradum Lugdunensem archiepiscopum in libro de Sacramento Baptismi ad Carolum Magnum cap. 1. ubi utrorumque discrimen sic proponit: (Differt sane inter catechumenos & competentes. Catechumeni itaque sunt, qui primum de gentilitate veniunt, & habentes voluntatem credendi in Christo, audiunt verbum fidei, sed nondum appellantur fideles. Competentes autem sunt, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, gratiam Christi percipere festinant: ideoque appellantur competentes, idest gratiam Christi petentes.) Sed tres eorum ordines in suo infimæ latinitatis Glossario distinguit vir doctissimus Carolus Cangius, scilicet *Catechumenorum*, *Genuflectentium*, & *Competentium*. Quarum addunt nonnulli *Electorum*, Sed ex hoc numero detrahendi videntur *Genuflectentes*, qui specialem ordinem non constituebant, sed erant catechumeni simpliciter dicti, qui forte in pœnam commissi alicujus peccati verbum Dei genuflexi audire cogebantur. Itaque tres tantum distinguimus catechumenorum gradus, scilicet *Audientium*, qui ad audiendum fidei morumque doctrinam in templis admittebantur; *Electorum*, qui absoluto catechumenatus tempore ad recipiendum sacræ regenerationis Sacramentum nomen dederant, quod in Romana Ecclesia præstabant hebdomada secunda quadragesimæ; & *Competentium*, qui, ut loquitur Jesse Ambianensis episcopus in epistola ad suæ diœcesis sacerdotes, diligenter instructi de fide, & attente de credulitate imbuti, post traditam sibi doctrinam Christianitatis, & mysterium symboli, & traditionem orationis Dominicæ, petunt & rogant ut possint consequi mysterium sacri baptismatis, & gratiam Christi, & participes fieri sanctę Dei Ecclesiæ, & in servitio cum fidelibus esse Christi. Nam ut ait S. Hildephonsus lib. 1. Adnotationum de cognitione baptismi, (Ex eo quod accepto symbolo jam petit gratiam Dei, competens vocatur.) Porro symbolum & oratio Dominica non nisi paucis ante baptismum diebus tradebantur. Tunc quasi partui vicini [Competentes dicebantur, quoniam materna viscera, ut nascerentur, petendo pulsabant,] ut loquitur S. Augustinus Serm. 228. novæ editionis: quibus concinit id quod lib. de Fide & Oper. num. 9. dicit sanctus doctor: [cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremus.]

III. Quamvis autem catechumeni haudquaquam essent baptizati, dicebantur nihilominus *Christiani*; cum vero tincti essent, *Fideles* nuncupabantur & *Justi*, ut scite observavit Salmasius in notis ad Severi Sulpitii librum de Vita S. Martini. Et certe utriusque vocis discrimen videre est in concilii Illiberitani canone 59. Idque confirmat titulus antiquissimi Ordinis ad faciendum catechumenum, qui inscribitur *Ordo ad faciendum Christianum*, quem integrum postea proferemus. Christianum tamen a catechumeno distinguere videtur S. Augustinus Tractatu 44. in Johannem.

Ritus instituendi catechumenos.

IV. Ritus instituendi catechumenos apud veteres, in impressione vivificæ crucis signaculi in frontem & manuum impositione cum oratione præsertim situs erat. His additi sunt exorcismi, insufflatio in faciem, sputi in nares auresque tactus, pectoris & scapularum inunctio, quamvis his in rebus diversis in regionibus diversus teneretur usus. (Alii namque, ut ait Leidradus Lugdunensis archiepiscopus, lib. de Baptismo cap. 2. oleo sancto tangunt catechumenorum aures & nares; alii vero sputo; alii absque sputo & oleo; alii etiam os tangunt oleo, ad exemplum dominicum: unde scriptum est in evangelio de surdo & muto: misit digitos in auriculas ejus.)

Per crucis impressionem.

V. Quod per crucis impressionem in fronte fierent catechumeni, expressis verbis docet S. Augustinus pluribus in locis, præsertim vero in libro secundo de Symbolo ad catechumenos cap. 1. quos sic alloquitur: [Nondum quidem adhuc per sacrum baptismum renati estis; sed per crucis signum in utero Ecclesiæ jam concepti estis.] Et in libro de Catechizandis Rudibus cap. 20. gentilem ad Ecclesiæ sinum confugientem, & jamjam catechumenum faciendum instruens: [Passionis & crucis signo in fronte hodie tamquam in poste signandus es, omnesque christiani signantur.] Et ejusdem libri c. 26. absoluta catechistę oratione: [His dictis, interrogandus est, an hæc credat atque observare desideret: quod cum responderit; solemniter utique signandus est, & Ecclesiæ more tractandus.] Similiter & Severus episcopus in epistola de conversione Judæorum facta virtute miraculorum S. Stephani num. 12. [Illico in frontibus eorum signum salutis impinximus.] Huc referri posset locus ex Actis S. Quirini episcopi & martyris c. 4. ubi agitur de conversione Marcelli custodis sui: [Multum autem hortatus est eum beatus episcopus, & consignavit eum in nomine Domini Jesu Christi.] Quibus duo dumtaxat adjiciam testimonia, unum ex Actis SS. Martyrum Indis & Domnæ apud Metaphrasten, in quibus de Cyrillo episcopo sic legitur: [Ille autem cum moderate divinas ei cecinisset scripturas, & veneranda Christi cruce eam obsignasset, tunc quidem eam fecit catechumenam.] Alterum ex Marco in libro de vita Porphyrii Gazensium episcopi: [Die sequenti parentes mulieris & cognati euntes ad B. Porphyrium, prociderunt ad ejus pedes, petentes Christi signaculum. Beatus vero cum eos signasset, & fecisset catechumenos, dimisit illos in pace.] Vide Theodoritum lib. 4. Hist. Eccles. cap. 18.

Quænam corporis partes cruce signarentur.

VI. Jam vero quod spectat ad partes signandas, non una fuit omnium ecclesiarum consuetudo. In Rituali Ambrosiano & in Laudensi MS. unica dumtaxat consignatio designatur *in fronte*. In antiqua Liturgia Gallicana, quam ex MS. codice Bobiensi ante annos mille exarato edidit noster Mabillonius in Musei Italici tomo 1. duplex *in fronte & in corde*. In MS. Pontificali ecclesiæ Constantinopolitanæ & ecclesiæ Aquensis triplex *in fronte*, *in pectore*, *& in fronte & pectore* simul. In Missali Gothico, quod publicam in lucem emisit Josephus Thomasius, quatruplex, *in oculis*, *in auribus*, *in naribus*, *& in corde*. Septem vero in Enchiridio Christianæ institutionis in concilio Coloniensi anno 1536. edito scilicet *in fronte*, *in oculis*, *in auribus*, *in naribus*, *in pectore*, *in scapulis*, *& in ore*. Quarum omnium mysticas rationes affert his verbis: [Deinde signum crucis fit principio in fronte, ad significandum quod baptizandus nomen dat Christo crucifixo, in quo confidat, & quem pollicitus confiteri, numquam erubescat. Super oculos dein, ut intelligamus baptizandum præparari ad videndum charitatem Dei. Super aures quoque, ut intelligamus eum consecrari, ut audiat verbum veritatis Dei. Super nares etiam, ut percipiat suavitatem odoris Dei. Signatur quoque pectus, ut credat in eo, quia corde creditur ad justitiam. Scapulæ quoque, ut suscipiat jugum servitutis Dei, juxta Christi præceptum, tollite jugum meum super vos. Os denique, ut confiteatur illi, quia ore confessio fit ad salutem.] In antiquo Rituali Ecclesiæ Leodiensis præter prædictas septem consignationes cum precibus mysticis hisce rationibus respondentibus, duę aliæ super adduntur, una in fronte, altera in pectore: Nimirum duæ istæ corporis partes bis signandæ præscribuntur, semel initio, & semel post septimam consignationem. Fiebant præterea & aliæ consignationes, tam in-

suf-

sufflando quam inungendo, aut benedicendo catechumenos, quas videre licet in variis Ordinibus ad faciendum catechumenum & ad baptizandum, quos infra subjiciemus. Observat insuper Alcuinus in epistola de Baptismo ad Carolum Magnum, quod (illud signum faciunt in frontibus eorum presbyteri, clerici, patrini & matrinæ.) In pervetusto codice MS. ecclesiæ Anaitanæ in ordine ad faciendum catechumenum præscribitur crucis in manu pueri signatio facienda hoc ritu: Dicta oratione *æternam ac justissimam pietatem &c.* (Postea dicto a patrino nomine pueri ad presbyterum, dicat presbyter orationem hanc, faciens crucem cum pollice in manu pueri dextra: *Trado tibi signaculum crucis Domini nostri JESU CHRISTI in manu tua dextra, ut te conservet, ac ab adversis partibus te eripiat in secula.* Et signet eum presbyter cum manu ejus dextra, ita dicendo: *Signo te signaculo Sanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi cum manu tua dextera, ut te conservet, & ab adversis te eripiat, ut habeas vitam æternam, & vivas in secula seculorum.*) Sed de signo Crucis satis, nunc de impositione manuum.

Per manus impositionem.

VII. De manuum impositione ad faciendos catechumenos, duo nobis insignia testimonia suppeditat Sulpicius Severus: unum ex libro de Vita S. Martini, cap. 10. alterum ex Dialogo 2. de Virtutibus ejusdem Sancti Martini cap. 5. Primum sic se habet: (Nemo fere ex immani illa multitudine fuit gentilium, qui non impositione manus desiderata, in Dominum Jesum, relicto impietatis errore, crediderit.) In secundo postquam narravit factam coram innumera fere paganorum caterva a Sancto Præsule mortui resurrectionem. (Tum vero, infert, multitudo omnis in cœlum clamore sublato, Christum Dominum fateri, postremo cuncti catervatim ad genua beati viri ruere cœperunt, fideliter postulantes, ut eos faceret christianos, nec cunctatus, in medio ut erat campo, cunctos, imposita universis manu, catechumenos fecit. Cum quidem ad nos conversus diceret, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, ubi solerent martyres consecrari.) Quæ postrema verba maxime notanda sunt. Idem non minus constat ex Sermone 52. S. Petri Chrysologi, in quo sic lego: (Hinc est quod veniens ex gentibus, impositione manus & exorcismis ante a dæmone purgatur, & apertionem aurium percipit, ut fidei capere possit auditum.) Et Sermone 105. (Ut incurvus peccatis gentilis erigatur ad cælum, prius a gentili per impositionem manuum nequam Spiritus effugatur.) Atque hinc capi debet can. 39. concilii Eliberitani: (Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi; si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manum imponi, & fieri christianos.) Et canon 6. concilii 1. Arelatensis. (De his qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi.) Ita etiam intelligendus est locus ex Eusebio in libro 4. de Vita Constantini cap. 61. ubi agens de baptismo Constantini, in vitæ exitu Nicomediæ celebrato, sic loquitur: (Quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere:) quia nondum erat catechumenus, ut ex hoc loco colligunt viri eruditi. Denique non prætereundus est locus S. Augustini ex libro 2. de Peccatorum meritis capite 26. (Non uniusmodi est sanctificatio; nam & catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Crucis & orationem manus impositionis puto sanctificari.) Qui locus æqualiter facit & pro signi Crucis impressione & pro manus impositione atque oratione.

Per exorcismos & exsufflationem.

VIII. Hos præter ritus ad instituendos catechumenos, nullos advertimus neque in antiqua Liturgia Gallicana, neque in Missali Gothico. Verum alios insuper adhibitos fuisse ex probatis auctoribus & antiquiorum Patrum testimoniis facili negotio colligere possumus. Nam, ut ait S. Isidorus lib. 2. de divinis officiis cap. 20. *Exorcizantur hi primum, deinde salem accipiunt, & unguntur.* His adde aurium & narium tactum cum sputo. Exorcismus autem juxta eumdem Isidorum aliosque scriptores de Ritibus Ecclesiasticis, est *sermo increpationis contra immundum spiritum.* Et quia, ut ait Anonymus Turonensis in suo MS. Speculo Ecclesiæ, (ipsa insufflatio increpationis signum est vel indignationis, & quasi quædam subsannatio & irrisio;) exorcismum semper comitata est exsufflatio in faciem catechumeni, ut quam plurimis, sed præsertim S. Augustini, testimoniis comprobari posset. Notandus in primis locus ex epistola 194. ad Sixtum, in cujus n. 46. peccatum originale probat adversus Pelagianos ex insufflatione & exorcismis, qui super infantes ante baptismum fiunt: (Non inveniunt, inquit, quid ad hoc respondeant, quod exorcizantur, & insufflantur infantes. Hoc enim procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur. Si autem dominatur, & ideo non fallaciter exorcizantur & insufflantur; per quid dominatur nisi per peccatum princeps utique peccatorum?) Et in libro 1. de Symbolo ad catechumenos capite 5. (Sicut vidistis hodie, sicut nostis, & parvuli exsufflantur & exorcizantur, ut pellatur ab eis potestas iniqua, quæ decepit hominem.) Et libro 1. contra Julianum cap. 4. (Profecto exorcizatus & exsufflatus es, ut a potestate erutus tenebrarum, transferraris in regnum Christi.) Idem prorsus discimus ex Gennadii libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 31. ubi sic loquitur: (Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu, cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis & exsufflationibus clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur.) Quo in testimonio non obiter transcurrendum est, quod ait hæc *in universo mundo* ab Ecclesia sancta *uniformiter* fieri. Et certe eumdem in Ecclesia usum Orientali observatum fuisse patet ex Græcorum Euchologio, ex Concilio primo Constantinopolitano cap. 7. cujus verba proferemus postea, & ex Catechesi Mystagogica S. Cyrilli Hierosolimitani, ubi hæc habet: (Insufflationes sanctorum, & nominis Dei invocatio, tamquam vehementissima quædam flamma, urit dæmonas, & in fugam convertit.) Denique rem insufflationis quam exorcismorum meminere Gelasius Papa 1. epist. 7. & qui de ritibus baptismi scripserunt auctores pene omnes, quales sunt Hildephonsus Toletanus archiepiscopus, Leidradus Lugdunensis, Magnus Senonensis, Odilbertus Mediolanensis, Rabanus Moguntinus, Hincmarus Remensis archiepiscopi, Theodulphus Aurelianensis, Jesse Ambianensis, Alcuinus, & alii, quos hic eorumque testimonia verbo tenus describere per otium nec vacat, nec necessarium existimamus. Quamvis de insufflatione nonnulla breviter observare haudquaquam abs re forte videatur.

Exsufflatio quo ritu facta.

IX. Et primo notandum non semper ab episcopo aut baptismi ministro peractam fuisse; sed aliquando a diaconis, ut patet ex Concilii 2. Constantinopolitani actione 1. aliquando ab exorcistis, ut habet Joannes Belethus in libro de divinis officiis cap. 90. aut a simplicibus Clericis sive acolythis, ut exprimitur in testimonio Gennadii superius relato.

X. Secundo exsufflationem non a ministro, sed ab ipso catechumeno faciendam esse secundum vulgatum Dionysium de Ecclesiastica Hierarchia, & quidem ad occidentalem plagam conversum; sic enim habet: (Deinde cum illum (catechumenum) occidentem versus attendentem, manusque porrigentem ad eamdem regionem collocavit, tum eum jubet (sacerdos) tertio satanam, ut ita dicam, insufflare, & præterea quæ defectionis & abrenunciationis sunt profiteri.)

XI. Tertio utramque exsufflationem modo apud Græcos observari, ut manifestum est ex eorum Euchologio, ubi primum sacerdos insufflat ter in faciem catechumeni, & iterum post tertium exorcismum idem sacerdos insufflat in os, frontem & pectus ejusdem catechumeni, & post abrenunciationem jubet eum insufflare & conspuere satanam.

XII. Quarto insufflationem apud latinos in solam faciem factam fuisse docent nos omnes libri Rituales, quos ex de re consuluimus: Græci e contrario in faciem & aures insufflabant, id quod probat canon 7. concilii 1. Constantinopolitani: (Primo quidem die ipsos christianos facimus, secundo catechumenos, deinde tertio exorcizamus sive adjuramus ipsos, ter simul in faciem eorum & aures insufflando:) quæ verba repetuntur in concilio 6. item Constantinopolitano, eisque suffragatur Niceta Choniates in libro 2. Orthodoxæ fidei: Sacerdos cum illum denuo in templum ducit, & insufflans ter in faciem ejus & aures, tandem etiam exorcismorum orationes adjiciens, eum rursus signo Crucis munitum a se dimittit.)

XIII. Quinto ut exsufflationis, ita nec exorcismorum ulla fit mentio in vulgato Dionysii libro de Ecclesiastica Hierarchia. Vix tamen adduci possum ut credam prætermissos fuisse illius tempore exorcismos, cum illorum mentionem, nec infrequentem faciant auctores Græci non pauci, quales sunt Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus.

Per salis in os immissionem.

XIV. Exorcismis benedicti salis in os catechumeni immissionem subjungit S. Isidorus: quamvis illius ritus nulla reperiatur mentio apud Græcos, Dionysium, Cyrillum, Gregorium utrumque, Nazianzenum scilicet & Nyssenum, Basilium Magnum, Chrysostomum, Severum Alexandrinum, qui de baptismo præ ceteris accuratius tractaverunt: Sed neque in hodierno Græcorum Euchologio ullus ceremoniæ salis locus datur. Nihilo tamen minus illud haud obscure meminit Origenes Homilia in Ezechielem, ubi exponens illud prophetæ: *Non es aqua lota in salutem, nec sale salita, nec pannis involuta*, hęc habet: (Rursus peccatrix Hierusalem non es involuta pannis: ipse Dominus meus JESUS pannis involutus est, ut scriptum in evangelio secundum Lucam refertur. Oportet ergo qui renascitur . . . . . . rationabile & sincerum lac desiderare, & priusquam sine dolo rationabile lac desideret, debet sale saliri & pannorum involucro colligari, ne dicatur ad eam: sale non es salita, & pannis non es involuta.) Apud latinos etiam est antiquissima, ut pote quam diserte innuit S. Augustinus in lib. confessionum cap. 11. ubi loquens de suo catechumenatu: Audieram, inquit, adhuc puer de vita æterna nobis promissa . . . . & signabar jam signo Crucis, & condiebar ejus sale.) Et in libro de Catechizandis Rudibus cap. 26. agens de modo initiandi catechumeni: (De Sacramento * sane quod accipit, cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res invisibiles in eis honorari.) Et Beda in libros Regum. (Sal cœlestis sapientiæ, quo initiantur catechumeni, in cunctis operum nostrorum sacrificiis offerre jubemur.) Agunt etiam hoc de ritu Alcuinus, Leidradus, Magnus, Odilbertus, Theodulphus, Jesse Ambianensis episcopus, Rabanus, & alii, qui mysticas illius significationes pie & devote in suis scriptis exponunt, ex quibus non prætereundum est quod habet Leidradus episcopus Lugdunensis in suo ad Carolum Magnum libro de Baptismo cap. 1. (Æstimant quidam, quod etiam apud quosdam gentilium antiqua erat consuetudo, ut qui fidelitatem regi promittebant, salem adjuratum vel consecratum in præsentia eorumdem regum, quibus fidem promittebant, comederent. Unde in libro Esdræ scriptum est, quod principes Samaritanorum regi Persarum cum de accusatione Judæorum scriberent, dixerint, memores sumus salis, quem in palatio comedimus.) Quem ritum a gentilibus acceptum observant catechumeni, cum Christo nomen dantes, *Fidelis* etiam titulum ambiunt accipere. Ab hoc tamen ritu abstinuisse videntur Hispani, ut colligimus ex S. Hildephonsi Toletani archiepiscopi lib. 1. annotationum de cognitione baptismi cap. 26. apud Baluzium Miscell. tom. 6. ubi hæc leguntur: (Hi, scilicet catechumeni in nonnullis locis, ut refertur, sales accipiunt velut significato sapientiæ condimento. Sed licet forsitan, ut dicitur, quia sola hoc antiquitas commendavit, adeo usquequaquam non probatur. Porro quod de sale catechumenorum hic dicitur, in memoriam revocat canonem quintum Concilii tertii Carthaginensis, quo decernitur, (ut per solemnissimos paschales dies, sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal; quia si fideles per illos dies sacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutari . . . . . .) Quem ad ritum alludere videtur S. Augustinus in libro 2. de Peccatorum meritis cap. 26. (Et quod accipiunt, quamvis non sit Corpus Christi; sanctum est tamen, & sanctius quam cibi, quibus alimur, quoniam sacramentum est.)

Per inunctionem.

XV. Post salis gustationem S. Isidorus ponit unctionem catechumeni; de qua Magnus Senonensis episcopus in suo de Baptismo Tractatu ms. (Ungitur vero pectus, ut signo Crucis Christi excludatur sathanæ introitus, & pareatur ingressus Christo Domino. Item scapulæ signantur, ut undique templum Dei dicatum ab omni sathanæ impedimento muniatur. Iterum & hoc signatur in pectoris & scapulæ unctionem, ut eis firmitas sit & bonorum operum perseverantia.) Sed hic ritus, cujus meminerunt auctor quæstionum ad Orthodoxos apud Justinum martyrem quæst. 137. & Fortunatus libro 5. Carmine 4. non tam pertinere videtur ad catechumenos instituendos, quam ad baptizandos, unde & prætermissum advertimus in ritualibus libris quam plurimis mss. optimæ notæ. Quapropter de illo disserere interim supersedemus, donec baptismi ritus expendamus. Obiter tamen hic observabo Hispanos non pectus & Scapulas unxisse, sed aures & os; saltem id colligimus ex lib. 1. S. Hildephonsi Toletani archiepiscopi de cognitione baptismi apud Baluz. tom. 6. Miscellan. Sic enim ille cap. 29. (Conversentis ex errore gentili post exorcismos tanguntur auriculæ oleo, ut accipiat auditum fidei, & sit vere spiritualium dictorum auditor. Similiter tangitur & os, ut cognitionem redemtoris sui traditam symboli fidem corde quærat ad justitiam, ore confitens proferat ad salutem.)

Per narium & aurium salivæ contactum.

XVI. Non eadem est ratio salivæ tactus in nares & aures, quem ad catechumenum faciendum pertinere disertissimis verbis docet S. Augustinus Tractatu 44. in Joannem, ubi agens de cœco nato, quem sputo & luto munctum & in piscina Siloe lotum Christus sanitati restituit, sic loquitur: (Si ergo quando eum in seipso quodam modo baptizavit, tunc illuminavit; quando inunxit, forsasse catechumenum fecit.) Idem innuit S. Ambrosius in epistola 80. novæ editionis ad Bellicium, in qua similiter tractat de illuminatione cœci nati: (Simul, inquit, & divinitatem & sanctificationem ejus adverte. Quasi lux tetigit & lumen infudit: quasi Sacerdos per figuram baptismatis mysteria gratiæ spiritualis implevit. Exspuit, ut adverteres quia interiora Christi lumen sunt.) Et S. Petrus Chrysologus Serm. 52. (Hinc est quod veniens ex gentibus impositione manus & exorcismis ante a dæmone purgatur, & apertionem aurium percipit, ut fidei capere possit auditum.) Nam apertionem aurium percipere, & tangi saliva in aures præsenti hoc in negotio idem sonant. Recentiorum auctorum turbam prætereo, qui baptismi ritus explicuerunt, quorum referendis testimoniis si plus æquo incumberem, non paginas aliquas, sed integrum volumen implerem.

XVII. Porro circa hunc ritum tria in præsentiarum observo. Primum est Græcos eo carere, nullam enim illius mentionem reperire fuit apud illorum auctores, sed neque in Euchologio ipsorum. Secundum in quibusdam Germaniæ ecclesiis cum sputo etiam adhiberi lutum, ut patet ex Manuali Joannis Jacobi archiepiscopi Salisburgensis de Sacramento baptismi cap. 4. & 5. Tertium hujus instituti causas & rationes non posse afferri nisi mysticas, quas videre licet apud Alcuinum, Theodulphum Aurelianensem, Jesse Ambianensem, Rabanum, Hugonem Victorinum, Durandum & alios, ex quibus hic solum Leidradum describo: (Sanctificatio aurium significat, ut omnes extra disciplinam sermones quasi doctrinæ Christi obloquentes aversentur fideles & fugiant, seque ad sola Dei verba audienda convertant: quia auditum suum Christi eloquiis consecrarunt. Nares quoque simili tactu sanctificantur, ut hi, qui ad baptismum veniunt, admoneantur tanti mysterii sacramentum usque ad mortem inviolatum atque integrum custodire, ut quandiu spiritum vitæ hujus naribus suis attrahunt, a Christi Domini nostri cultura & servitio non recedant . . . . . . Sed adhuc subtilior intellectus in hac narium sanctificatione signatur. Ille enim tactus ad odoratum fideles provocat spiritualem, ut non corporis, sed mentis sensibus Christum inæstimabili suavitate sentire possint, & dicere ei: Post te in odorem unguentorum tuorum curremus, &c.)

XVIII. Atque hi sunt præcipui ritus, initiandis olim catechumenis adhibitis; quibus etiam præmittebatur abrenuntiatio Sathanæ, ut patet ex Rabano lib. 1. de Institutione Clericorum cap. 27. & ex variis ordinibus, quos in articulo sequenti subjiciemus. Porro hæc omnia uno die, unoque tenore apud latinos præstabantur, idque extra ecclesiam, cujus rei insigne habemus exemplum in S. Martino, qui catechumenos medio etiam in campo instituebat, asserens *non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, ubi solerent martyres consecrari*. Græci vero hoc in negotio tres dies insumebant, ut discimus ex Concilio Constantinopolitano 1. in cujus cap. 7. congregati Patres sic loquuntur: (Primo quidem die ipsos christianos facimus, secundo catechumenos, deinde tertio exorcizamus sive adjuramus ipsos, ter simul in faciem eorum & aures insufflando; & sic eos catechizamus sive initiamus, & curamus ut longo tempore versentur in ecclesiis, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus.) Porro ad faciliorem intelligentiam eorum quæ a nobis hoc articulo digesta sunt, varios diversarum ætatum & regionum Ordines ad faciendum catechumenum, ex variis mss. erutos, si subjiciamus, pergratum lectoribus nostris nos facturos existimamus.

A R-

* l. salis.

ARTICULUS VII.

In quo varii exhibentur Ordines ad faciendum Catechumenum.

ORDO I.

Ex antiquo libro Sacramentorum Ecclesiæ Gallicanæ, quem ex veteri codice ms. Bobiensi ante annos mille exarato edidit Mabillonius in Musei Italici tomo primo.

AD CHRISTIANUM FACIENDUM.

DEus caritatis rotius confirmator, qui maculas mundi mortem fugandam fecisti, te oramus & quæsumus, ut custodias animam famuli tui ill. Ut calcato diabolo, corrobores eum, ut primi parentis detersis tenebris, christianum nomen fidei percipiat.

Item alia.

Deus qui perdita reparas, & reparata conservas. Deus qui opprobrium gentilitatis signare sub titulum nominis tui præcepisti, ut ad fontem baptismi pervenire mereamur.

Item alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fecisti cęlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt; respicere digneris ad preces humilitatis meæ pro famulo tuo ill. per invocationem nominis tui confirmes eum, inlumines vultum claritatis tuæ super eum, benedicere & sanctificare digneris, sicut benedixisti domum Abraham, Isaac & Jacob. Adsigna ei Angelum pacis, Angelum misericordiæ, qui eum perducat ad vitam æternam, adjuvante Spiritu-Sancto, & de faucibus inimici liberes eum, & per signum Jesu Christi tempus vitæ suæ religiose consulat. Per &c.

Deus qui es, & qui eras, & permanes usque in finem sæculi; cujus origo nescitur, nec finis comprehendere potest; te oramus & quæsumus, ut custodias animam famuli tui ill. quem liberasti de ore gentilium, & a conversatione pessima. Dignare eum, qui tibi cervices suas humiliat, ut perveniat ad baptismum fontis regeneratione ex aqua & Spiritu-Sancto, qui cum Patre & Filio vivit & regnat.

Facies signum ✠ in eum & dices Symbolum.

Accipe signum Crucis tam in fronta, quam in corda. Semper esto fidelis. Templum Dei ingredere, idola derelinque. Cola Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum Filium ejus, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, cum Spiritu-Sancto in sęcula sæculorum.

Post hæc insufflabis in os ejus ter, & dices:

Accipe Spiritum-Sanctum, & in corde teneas.

ORDO II.

Ex Missali Gothico, quod ex ms. Codice annos nongentos superante edidit Josephus Maria Thomasius.

AD CHRISTIANUM FACIENDUM.

DOmina, dignare benedicere hujus infantiæ famulo tuo ill. quoniam nec conditione quisquam, nec gratia depellitur, dicente dilectissimo Filio tuo Domino nostro: Nolite prohibere infantas venire ad me. Hi enim, Domine, antequam bonum aut malum sciant, Crucis tuæ sigillo signentur: & qui indigent * dietatem, ad sacri nominis tui baptismum percipere mereantur. Per Dominum.

Item collectio.

Accipe signaculum Christi, suscipe verba divina, illuminare verbo Domini: quia hodie confessus es a Christo. Per Dominum.

Item collectio.

Signo te in nomina Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, ut sis christianus: oculos, ut videas claritatem Dei: aures, ut audias vocem Domini: nares, ut odores suavitatem Christi ** conversus, ut confitearis Patrem, & Filium, & Spiritum-Sanctum: cor, ut credas Trinitatem inseparabilem. Pax tecum. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu-Sancto vivit, &c.

ORDO III.

Ex VIII. ms. Libris Sacramentorum, quorum caracter annos nongentos aut circiter repræsentat: scilicet Gellonensi, Remensi S. Remigii, Anglicano, ex Monasterio Gemmeticensi, Noviomensi B. Mariæ, Pictaviensi, Regio, Colbertino, & Moisacensi.

AD CATHECUMENUM EX PAGANO FACIENDUM.

G*Entilem hominem cum susceperis, in primis catechizas eum divinis sermonibus, & das ei monita quemadmodum post cognitam veritatem vivere debeat. Post hæc facis eum cathecumenum, exsufflas in faciem ejus; & facis ei Crucem in frontem, & imponens manum super caput ejus his verbis:*

Sequitur

Accipe signum Crucis tam in fronte, quam in corde, sume fidem cęlestium preceptorum. Talis esto moribus, ut templum Dei esse jam possis, ingressusque Ecclesiam Dei, evasisse te laqueos mortis lætus agnosce. Horresce idola, respua simulacra. Cola Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum Filium ejus, qui vivit cum Patre & Spiritu-Sancto per omnia sæcula sæculorum.

Item.

Te deprecamur, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut huic famulo tuo, qui in sæculi hujus nocte vagatur incertus & dubius, viam veritatis, & agnitionis tuæ jubeas demonstrare, quatenus reseratis oculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Filio, & Filium in Patre cum Sancto-Spiritu recognoscat, atque hujus confessionis fructum & hic & in futuro sęculo percipere mereatur. Per &c.

Inde vero postquam gustaverit medicinam salis, & ipse signaverit, benedices eum his verbis.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es, & eras, & permanes sine fine: cujus origo nescitur, nec finis comprehendi potest. Te Domine supplices invocamus super famulum tuum, quem liberasti de errore gentilium & conversatione turpissima: dignare exaudire eum, qui tibi cervices suas humiliat: perveniat ad lavacri fontem, ut renatus ex aqua & Spiritu-Sancto, expoliatus veterem hominem, induatur novum, qui secundum Deum creatus est. Accipiat vestem incorruptam & immaculatam, tibique Domino nostro servire mereatur. Per &c.

ORDO IV.

Ex duobus ms. Libris Sacramentorum insignis Ecclesiæ Turonensis ante annos octingentos exaratis, tertio Majorismonasterii annorum 700. & Rituali ms. Monasterii S. Salvatoris de Villalupæ annorum circiter quingentorum.

INCIPIT ORDO ET ORATIONES AD CATECHUMENUM FACIENDUM.

P*Rimitus discooperiat sacerdos caput infantis, si coopertus fuerit; & insufflet tribus vicibus in faciem ejus, dicens:*

Insufflo te, diabole, in nomine Patris, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei, quem tua fraude decepisti. Insufflo te, diabole, in nomine Filii, ut exeas, & *ut supra*.

Insufflo te, diabole, in nomine Spiritus-Sancti, &c.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum, quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus. Aperi ei, Domine, januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuę imbutus, omnium cupiditatum fętoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui percepta medicina. Per eundem &c.

* l. pietatem.

** f. os versus.

Erg- maledicte, &c.

Super utrosque.

Æt. nam ac justissimam pietatem, &c.

Ad catechizandum infantem. Ne te latet Satana, &c.

Tangat eum sacerdos de sputa dicens ad dexteram aurem Effeta, quod est adaperire, *Ad nares:* In odorem suavitatis. *Ad aurem sinistram:* Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Tunc injungat sacerdos patrinis, ut dicant Pater noster *&* Credo in Deum. *Post hæc interroget nomen infantis, Quo audito dicat* N. intra in ecclesiam Dei.

ORDO X.

Ex ms. Rituali Monasterii S. Genovefæ Parisiensis scripto ad usum diœcesis Trecensis ab annis circiter 300.

ORDO BAPTISTERII SUPER FEMINAS.

P*Rius insufflet ter sacerdos super faciem pueri & dicat:* Exi ab ea, spiritus immunde, & da locum Spiritui-Sancto paraclito in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Amen.

Postea faciat Crucem in frontem dicendo:

Signum Crucis Salvatoris nostri Jesu Christi in fronte tua pono.

Postea in pectore, dicens:

Signum Crucis Salvatoris nostri Jesu Christi in pectore tuo pono.

Deinde in fronte & in pectore similiter.

Accipe signum Crucis tam in fronte, quam in corde, sume fidem cælestium præceptorum. Talis esto moribus, ut templum Dei jam esse possis, ingressaque ecclesiam Dei, evasisse te laqueos mortis læta agnosce. Horresce idola, respue simulacra; cole Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum Filium ejus, qui cum eo vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

Dominus vobiscum. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere, &c. Preces nostras, &c. Deus, qui humani, &c.

Benedictio salis.

Exorcizo te, creatura salis, &c.

Tunc accipiat sacerdos de sale, & ponat in ore pueri dicendo:

Accipe sal sapientiæ, ut propitiatus sit tibi Deus in vitam æternam. Amen.

Dominus vobiscum. Oremus.

Deus Patrum nostrorum, &c.

Conjuratio.

Ergo maledicte, &c.

Hinc faciet Crucem in fronte pueri, & dicat hanc orationem:

Deus Abraham, &c.

Ergo maledicte, &c.

Exorcizo te, &c.

Ergo maledicte, &c.

Æternam ac justissimam, &c.

Hinc faciat sacerdos levare manus, & teneat manum suam super caput infantis dicens: Nec te latet Satana, &c.

Tunc tangat aures & nares de sputa dicens:

Effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis: Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim regnum Dei.

Postea sacerdos moneat patrinum & matrinam, ut dicant: Pater noster. Ave Maria. Credo in Deum. Credo in Spiritum-Sanctum. *Statim sacerdos dicat:* Intra in gaudium Domini tui.

ORDO XI.

Ex Græcorum Euchologio.

* ORATIO IN MULIEREM POST QUADRAGINTA DIES.

Q*Uadragesimo vero die Dei templo rursum præsentatur puer, ut Ecclesiæ aggregetur, id est in Ecclesiam induci principium sumat: A matre vero jam plene mundata lotaque, adstante etiam eo qui susceptoris munus in baptismate obiturus est, affertur. Sacerdos vero benedictione præmissa, dicit:* Ter Sanctus, Sanctissima Trinitas, *cum* Pater noster. Quia tuum est. *Deinde Dimissorium, aut quod eo die occurrit, aut quod sancti eundem in diem incidentis proprium est.* Gloria. *Et nunc* Precibus, Domine, sanctorum omnium. *Et matre cum puero caput inclinante; Crucis super eum signum facit sacerdos: & manu caput ejus tangens, dicit orationem.*

Dominum precemur.

Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui naturam omnem rationalem & rationis expertem verbo tuo condidisti, qui cuncta ex non entibus ad esse adduxisti, te rogamus & te precamur, famulam tuam hanc N. quam tuo beneplacito servasti ad tuam ecclesiam nunc accedentem, ab omni peccato & ab omni sorde perpurga: ut absque offensa, sanctorum tuorum mysteriorum particeps fieri mereatur. *Sciendum huc usque tantum legi orationem, si non sit in vivis infans: deinde clara voce:* Quia bonus & misericors Deus. Puero etiam ex ea nato benedic: Fac illum crescere, sanctifica, instrue, prudentem redde, bonis moribus imbue: quia tu illum in mundum eduxisti, & ut tempore præstituto spiritualis luminis compos fiat, lucem ei sensibilem demonstrasti, utque sancto tuo gregi annumeretur, per unigenitum Filium tuum, cum quo benedictus es, cum sanctissimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Pax omnibus.

Capita vestra Domino inclinate.

In pueri matrem oratio.

Domine Deus noster, qui advenisti in salutem generis humani, adveni & super ancillam tuam hanc N. & per venerandi presbyterii preces, ad ecclesiam tuam sanctam catholicam & ingressum templi gloriæ tuæ illum confugere concede; & honorandi Corporis & Sanguinis Christi tui participem fieri dignare: sordes corporis ejus, & maculas animæ ablue in quadraginta dierum numero: ut digna quæ in templum sanctum tuum effecta, sanctissimum nomen tuum nobiscum glorificet, Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Alia in puerum oratio, cui sacerdos Crucem imprimens, rursus bene precatur.

Dominum precemur.

Domine Deus noster, qui in quadraginta dierum termino, ceu puer ad legale templum a Maria nuptialis amplexus experte, & sanctissima tua matre, adductus, & in justi Simeonis ulnis deportatus es: ipse omnipotens Domine, huic quoque puero, ut coram te omnium factore præsentaretur, delato benedic; in omne bonum & tibi placitum opus, ab eo fugata cuncta potestate adversa, per consignationem figuræ sanctæ Crucis illum crescere jube (Tu enim es infantium custos Domine) ut sancti baptismatis accepto dono, partis electorum regni tui consors fiat, nobiscum custoditus gratia sanctæ & consubstantialis & individuæ Trinitatis. Tibi namque convenit omnis gloria, gratiarum actio, & adoratio, cum principii experte Patre tuo, & cum sanctissimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Pax omnibus.

Capita vestra Domino inclinate.

O Deus & Pater omnipotens, qui per grandiloquum inter prophetas Esaiam pronunciasti nobis ex Virgine Incarnationem Unigeniti Filii tui & Dei nostri, qui ultimis temporibus tuo beneplacito & Spiritus-Sancti ope propter mortalium salutem, immensa clementia, ex ipsa infans suscepit fieri: & juxta consuetum sanctæ tuæ legis morem, completis purificationis diebus, ipse vetus legislator in templo præsentari sustinuit, & in justi Simeonis ulnis deferri permisit: cujus mysterii typum in propheta præfato per carbonis forcipem, manifestatum agnovimus, cujus normam nos quoque fideles in gratiæ lege asservaramus: ipse nunc puerorum custos, Domine, puero huic, parentibus, & susceptoribus ejus benedic, & congruo tempore per aquam & Spiritus regenerationem, tuo sancto rationalium ovium, nomen Christi tui invocantium, gregi illum annumerari dignare: quia tu in excelsis habitas, & humilia respicis, & tibi gloriam referimus, Patri, &

Filio,

* Tametsi hic titulus aliud quam ordinem ad faciendum catechumenum videatur indicare, ex dictis tamen hactenus cum constet catechumenos per Crucis in frontem impressionem effectos fuisse, nulla ratione dubitare licet, hoc ritu, quo Crucis impositio præcipitur, a Græcis cum mulierum purificatione simul catechumenos factos fuisse. Confirmat opinionem nostram Simeon Thessalonicensis, qui ubi totum hunc ritum sigillatim descripsit, ita tandem concludit: *Exinde catechumenis annumeratur puer, expurgataque mater templum ingrediendi, & mysteriis participandi licentiam accipit.*

Filio, & Sancto Spiritui, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Tunc sacerdos accepto puero, ante fores templi, eum ad crucem efformat dicens: Ecclesiam ingreditur servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Nunc & semper, &c.

In templum deinde inducit dicens: Introibit in domum tuam, adorabit ad templum sanctum tuum. *Et in medium usque templi intrat dicens:* Ecclesiæ fit consors servus Dei N. &c. *Post hæc ait:* In medio Ecclesiæ laudabo te. *Tum infert usque ad altaris portas dicens:* In Ecclesia recipitur servus Dei N. *Et ad sanctum usque altare inducit, si fuerit masculus; si vero femina, ad usque speciosas portas dicens:* Nunc dimittis. *Quibus expletis, dimittit eum ad altaris portas. Susceptor triplici adoratione præmissa, & elevat eum, & discedit. Sacerdos dimissionem, ut moris est, absolvit.*

ORDO XII.

Ex eodem Græcorum Euchologio.

ORATIO AD FACIENDUM CATECUMENUM.

B*Aptizandi zonam solvit sacerdos, & exutum excalceatumque ad orientem statuit, discinctum, nudo capite, & absque calceamentis, demissas manus habentem; & in faciem ejus ter insufflat, terque faciem & pectus ejus cruce signat, & manu ejus capiti imposita, dicit:*

In nomine tuo, Deus veritatis, & Unigeniti Filii tui, & Sancti Spiritus, super servum tuum N. ad sanctum nomen tuum confugientem, & sub umbra alarum tuarum conservandum manum meam impono. Veterem illum errorem ab eo remove, & fide, spe, & caritate, quæ est in te, eum reple: ut cognoscat, quia tu solus Deus verus, & Unigenitus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus, & Sanctus Spiritus: ut in mandatis tuis ambulet, & quæ tibi sunt placita custodiat, illi concede; quia si ea fecerit homo, vivet in illis. In libro vitæ tuæ scribe illum: hæreditatis tuæ ovili illum aggrega. Glorificetur nomen tuum sanctum in illo & dilecti Filii Domini nostri Jesu Christi, & vivifici tui Spiritus. Intenti sint oculi tui ad illum semper, & aures tuæ, ut preces in misericordia exaudias. In operibus manuum suarum, & in omni genere suo illum exhilara; ut adorans & glorificans nomen tuum magnum & excelsum, te confiteatur, & te jugiter omnibus diebus vitæ suæ laudibus extollat. Te laudat enim omnis virtus cælorum, & tua est gloria, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Exorcismus primus.

Dominum precemur.

Increpat te, diabole, qui advenit in mundum, & habitavit in hominibus, ut homines sub tua tyrannide liberaret, qui sole obscurato, & terra commota, monumentis apertis, & sanctorum corporibus resurgentibus, in ligno de potestatibus adversariis triumphavit, qui morte mortem destruxit, & mortis imperium habentem, id est te diabolum devicit. Exorcizo te per Deum, qui vitæ lignum ostendit, & Cherubim, gladiumque flammeum & versatilem ad ejus custodiam deputavit. Corripere. Exorcizo te quoque per eum qui super maris terga, quasi super aridam ambulavit, & venti procellam increpavit, e cujus aspectu exsiccantur abyssi, & e cujus comminationibus montes tabescunt. Ipse etenim tibi nunc per nos imperet, extimesce, exi, & ab hac creatura discede: neque ultra revertaris, aut abscondaris in ea vel illi occursas, aut quidquam nocte, aut die, aut hora matutina, aut meridie circa illam efficias, sed in proprium tartarum ad præparatum usque diem judicii diffuge. Time Deum super Cherubim sedentem, & abyssos respicientem, quem tremunt Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Potestates, Principatus, Virtutes, Cherubim multis oculis, & Seraphim senis alis inclita: quem tremit cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt. Exi, & recede a recens electo & conscripto Christi Dei nostri milite. Per eum namque te exorcizo, qui ambulat super pennas ventorum, & qui angelos suos facit flammam ignis. Exi, & discede e creatura hac cum omni potestate & angelis tuis. Quia glorificatum est nomen Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Exorcismus secundus.

Dominum precemur.

Deus sanctus, timendus & gloriosus, in omnibus operibus & virtute sua incomprehensibilis & investigabilis, ille qui tibi damnationis æternæ tormentum prædefinivit, per nos servos suos inutiles, tibi & omni tibi assistenti virtuti imperat, ut e recens signato in nomine Domini nostri Jesu Christi, veri Dei discedas. Adjuro ergo te, nequam, & immunde, & fœtide, & abominande, & aliene spiritus, per virtutem Jesu Christi, potestatem omnem in cælo & in terra obtinentis, & dicentis surdo & muto dæmoni: exi ab homine, & ne ultra in eum ingrediaris, discede, & vanam fortitudinem tuam neque in porcos prævalescentem agnosce. Recordare ejus, qui ad petitionem tuam, ut in porcorum gregem ingredereris permisit. Extimesce Deum, jussu cujus super aquas terra formata est, qui cælum creavit, qui montes statera posuit, & valles jugo; qui arenam statuit mari terminum, & semitam tutam in aqua vehementi, qui tangit montes & fumigant, & lumine sicut vestimento induitur, qui extendit cælum sicut pellem, & tegit aquis superiora ejus, qui fundavit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi, qui maris aquam advocat, & eam super universæ terræ faciem effundit: Exi, & ab eo qui ad sanctum baptismum præparatur discede. Adjuro te per salutarem Passionem Domini nostri Jesu Christi, & pretiosum ejus Corpus & Sanguinem, & per tremendum ejus adventum; veniet enim & non tardabit, universam terram, & te, & conjuratam tecum potestatem judicans, ignis gehenna damnabit, & in tenebras exteriores, ubi vermis non dormit, neque ignis extinguitur, tradet. Quia Christi Dei nostri est potestas cum Patre & Sancto Spiritu; nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Exorcismus tertius.

Dominum precemur.

Domine Sabaoth, Deus Israel, qui omnem infirmitatem & omnem languorem sanas: respice super servum suum: perquire, scrutare, & ab eo cuncta diaboli machinamenta abige. Increpa spiritus immundos, & ejice illos, & opera manuum tuarum expurga, & potenti tua virtute usus, sub pedibus tuis celeriter satanam contere. Victoriam adversus diabolum & immundos spiritus ei confer, ut misericordia a te accepta, immortalibus & cælestibus mysteriis dignus habeatur, & gloriam tibi rependat, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Dominum precemur.

Dominator Domine, qui hominem ad imaginem & similitudinem creasti, eique vitam æternam consequendi facultatem dedisti, deinde peccato lapsum non contempsisti, sed per Christi tui Incarnationem salutem ejus dispensasti: ipse & creaturam hanc tuam ab inimici servitute ereptam in cæleste tuum regnum suscipe: mentis ejus oculos, ut in illis evangelii tui splendor illucescat, aperi. Angelum lucidum ab omnibus adversarii insidiis, ab occursu malo, a dæmonio meridiano, a cogitationibus malignis eum liberantem ejus vitæ consocia.

Et insufflat sacerdos in os, in frontem, & in pectus pueri, dicens:

Malignum omnem & immundum spiritum absconditum, & sedem quasi nidum in ejus corde sibi reservantem ab eo expelle. *Hocque ter repetit.*

Spiritum erroris, spiritum nequitiæ, spiritum idololatriæ, & omnis avaritiæ, spiritum mendacii & omnis immunditiæ, instinctu diaboli inspiratæ. Fac sanctæ Christi tui caulæ rationalem ovem, Ecclesiæ tuæ membrum, filium & hæredem regni tui: ut secundum præcepta tua conversatus, sigillo intemerato semper custodito, & veste pure servata, beatitudinem sanctorum in tuo regno consequatur.

Exclamando.

Gratia, & miserationibus, & humanitate Unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es cum sanctissimo & bono & vivifico tuo Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Et exutum discalceatumque baptizandum convertit sacerdos ad occidentem, manus in altum protendentem, & ait ter: Abrenuncias satanæ? Et omnibus operibus ejus? Et omnibus angelis ejus? Et omni cultui ejus? *Hocque ter dici-*

Deinde tenens manum super caput infantis dicat:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare, &c.

Preces nostras quæsumus Domine, clementer exaudi, &c.

Deus qui humani generis, &c.

Benedictio salis.

Exorcizo te, creatura salis, &c.

Postea vero interroget nomine ipsius, & ponat de ipso sale in ore ipsius, ita dicens:

Accipe sal sapientiæ propitiatum tibi in vitam æternam.

Oratio post datum sal.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor creaturæ, &c.

Iterum fac Crucem in fronte, & dic hanc orationem super masculos.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, &c.

Ergo maledicte, &c.

Item super masculos.

Deus immortale præsidium, &c.

Ergo maledicte, &c.

Item super masculum.

Exorcizo te, immunde spiritus, &c.

Ergo maledicte, &c.

Item super feminas.

Deus cęli, Deus terræ, &c.

Ergo maledicte, &c.

Deus Abraham, Deus Isaac, &c.

Ergo maledicte, &c.

Exorcizo te, immunde spiritus, &c.

Ergo maledicte, &c.

Æternam ac justissimam, &c.

Hoc expleto dicit: Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Secundum Matthæum.

In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater, &c. *usque* & onus meum leve.

Postea tenens manum super capite infantis, dicat: Credo in unum Deum. *Deinde* Pater noster *totum.*

ORDO VI.

Ex ms. Missali Romaricensi annorum 600. & vetusto Rituali ms. Monasterii S. Germani & a Pratis ejusdem circiter ætatis.

ORDO AD CATECHUMENUM FACIENDUM.

UT *autem venerint ad Ecclesiam, statuet presbyter masculos ad dexteram, & feminas ad sinistram; & insufflet in ora singulorum, & dicat:* Accipite signaculum Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. III.

Exi ab eo, Satan. Da honorem Deo vivo & vero: Da honorem Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui-Sancto, & recede ab hoc famulo Dei ill.

Deinde consignetur his verbis.

Signo te in fronte ✠ in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut confidas in eo: benedico oculos ✠ tuos: ut videas claritatem ejus: aures, ✠ ut audias verbum veritatis ejus: nares, ✠ ut percipias odorem suavitatis ejus: pectus, ✠ ut credas in eo: scapulas, ✠ ut suscipias jugum servitutis ejus: os, ✠ ut confitearis illi, qui cum Patre, & Spiritu-Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Et pone manum super infantem.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini Jesu Christi, respicere dignare, &c.

Preces nostras, quęsumus Domine, clementer exaudi, &c.

Alia.

Deus qui humani generis ita es conditor, &c.

Benedictio salis.

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Domini nostri Jesu Christi, &c.

Hac oratione expleta, mittat in ora singulorum ita dicens:

Accipe sal sapientiæ, * ut propitiatus sit tibi * Deus in vitam æternam. Amen.

Oratio post datum salis.

Deus Patrum nostrorum, &c.

Item faciat Crucem in fronte ejus.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui famulo tuo Moisi, &c.

Adjuratio.

Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, &c.

Super feminam.

Deus cęli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, &c.

Ergo maledicte diabole.

Super masculum.

Deus immortale præsidium, &c.

Item.

Audi maledicte satane, adjuratus per nomen æterni Dei, &c.

Super feminam.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui tribus, &c.

Ergo maledicte diabole.

Super masculum.

Exorcizo te immunde spiritus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.

Ergo maledicte diabole.

Super feminam.

Exorcizo te, immunde spiritus per Patrem, & Filium, & Spiritum-Sanctum, &c.

Ergo maledicte diabole.

Oratio super masculum & feminam.

Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor Domine, &c.

Postea legatur hoc Evangelium.

Dominus vobiscum. Secundum Matthæum.

In illo tempore oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos. Talium est enim regnum cęlorum. Et cum imposuisset eis manus abiit inde. **

Postea tenens manum super caput infantis dicat Symbolum.

Oratio ad catechizandum infantem.

Nec te latet satanas imminere tibi pęnas, &c.

Inde vero tangat ei nares de sputo, & dicat ei.

Ad nares.

Effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis.

Ad aures.

Tu autem effugesce, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Postea vero vocato nomine infantis dicat tertio.

Abrenuntias satanæ? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Et ungat eum in pectore & inter scapulas de oleo exorcizato.

Et ego te linio oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. Amen.

ORDO VII.

Ex tribus Libris mss. Pontificalibus, Constantinopolitano annorum 300. Aquensi annorum 400. & Remano annorum 300.

ORDO CATECUMENUM FACIENDI.

STans *in Ecclesiæ limine sacerdos, catechizandum, situm foris limen, interroget ita dicens:* Joannes quid petis ad Ecclesiam Dei?

℟. Fidem.

Interrogatio. Fides quid tibi præstat?

℟. Vitam æternam.

Ait ei sacerdos. Si vis habere vitam æternam, serva mandata, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Fides autem est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in Unitate venereris, neque confundendo personas, neque substantiam separando. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus-Sancti; sed horum trium una est, & non nisi una divinitas. Exeat ergo de te spiritus malignus, & ingrediatur Spiritus bonus per eum qui venturus.

Ait iterum.

Exi ab eo, spiritus immunde, & da locum Spiritui-Sancto Paraclito.

Hic ad modum Crucis halet in faciem catechizandi, & dicat ei.

Joannes, accipe Spiritum-Sanctum per istam insufflationem & Dei benedictionem. Pax tibi.

℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde facit crucem cum pollice in fronte ejus dicendo.

Joannes, signum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in pectore tuo pono.

* *ut* & *Deus* altera manu addita sunt in ms. Romariensi.

** Hic desinit codex Romaricensis; quæ sequuntur extant in codice solo Pratensi.

diciter. Et ad interrogata singula catechumenas aut susceptor ejus, si fuerit ille barbarus aut puer, respondet Abrenuncio. *Et cum ter hoc dixerit, interrogat rursum sacerdos baptizandum,* Abrenunciasti satanæ? *Et cum hoc ter dixerit, ait sacerdos:* Insuffla igituv, & axpue in illum. *Et hoc illo faciente, vertit illum sacerdos ad orientem, demissas habentem manus; & dicit ei sacerdos usque tertio:* Conjungeris Christo? *Et respondet catechumenus vel susceptor, dicens etiam ter:* Conjungor. *Deinde rursum dicit sacerdos:* Conjunctus es Christo? *Et respondit:* Sum conjunctus. *Et iterum ait:* Et credis in eum? *Et dicit:* Credo in illum, ut Deum & Regem meum. *Et dicit:* Credo in unum Deum, &c. *Et cum sacrum symbolum absolverit, ter rursum ei dicit:* Conjunctus es Christo? *& cetera. Respondente ad interrogata singula catechumeno aut susceptore, ut dictum est, interrogata vero usque tertio, ei tertio etiam sacrum symbolum recitante, tertio tandem interrogat.* Christo conjunctus es? *Et respondet:* Conjunctus sum. *Et dicit sacerdos:* Adora ergo illum. *Et adorat dicens:* Veneror Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum, consubstantialem & individuam Trinitatem. *Deinde dicit sacerdos.*

Benedictus Deus, qui omnes homines vult salvari, & ad agnitionem veritatis venire: nunc & sempee, & in sæcula sæculorum. Amen.

Tunc dicit hanc orationem.

Dominum precemur.

Dominator Domine Deus noster, servum tuum hunc ad sanctam illuminationem tuam advoca, & ingentem illam gratiam sancti tui baptismatis illi confer: exue illum vetustate, & in vitam æternam illum innova. Sancta tua virtute illum reple atque illum Christo tuo conjunga, ut non amplius carnis filius, sed tui regni filius appareat. Placito & gratia Unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es, cum sanctissimo & bono & vivifico tuo Spiritu: nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

O R D O XIII.

Ex Græcorum Euchologio.

ORATIO AD FACIENDUM EX ETHNICO CATECHUMENUM.

Ante fores templi jubet eum genuflectere, cruce ter signat, & dicit.

BEnedictus es Domine Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex omnibus gentibus eligis tibi abundantem populum, bonorum operum zelatorem: tu præsentem servum tuum ad sanctam ecclesiam tuam accedentem benedic: revela oculos ejus ad mirabilium tuorum contemplationem, aperi aures ejus ad divinorum verborum tuorum obedientiam, catechumenis populi tui illum junge; ut in tempore opportuno regenerationis indumenti incorruptibilis lavacro dignus fiat.

Deinde rursus cruce illum signat, & nomen ejus inter catechumenos scribit.

Tu Domine sanctum Verbum tuum, salutem in mundum misisti, ut divinæ tuæ cognitionis luce cuncta adimpleret. Tu animam servi tui a maligno eripuisti, tu illam illumina, & in sanctificationem Christi tui adduc; & nulli maligno spiritui locum in illo habere permitte. Tu enim generis nostri es liberator, & tibi gloriam & gratiarum actionem offerimus Patri, & Filio, & Sancto Spiritui.

O R D O XIV.

Ex Græcorum Euchologio.

ORDO SERVANDUS CIRCA EOS QUI EX HEBRÆIS AD CHRISTIANAM FIDEM ACCEDUNT.

PRofiteri oportet illum, & verbis omnem Hebræorum gentem subsannare, & exinde declarare, qui ex toto corde & fide sincera cum Christianis versari velit. Tum manifeste in ecclesia omni Judaicæ superstitioni renunciare, sacerdote videlicet dicente, & ipse ad verbum repetente, aut certe ejus susceptore, si puer ipse fuerit. Renunciatio vero est ejusmodi.

Renuncio omni Hebræorum consuetudini, & ritibus, & legalibus, & azymis, & agni immolationi, & tubis, & tabernaculorum festo, & reliquis omnibus Hebræorum festis, & hostiis, & orationibus, & aspersionibus, & purificationibus, & sanctificationibus, & propitiationibus, & jejuniis, & neomeniis, & sabbatis, & superstitionibus, & cantibus, & canticis, & observationibus, & synagogis, & cibis, & potibus Judæorum: uno verbo, omni penitus Judaicæ rei, & legali, & consuetudini, & ritui renuncio, & super omnia illi, qui in Christi figura & habitu ab omnibus Judæis expectatur, antichristo renuncio, & vero Christo & Deo conjungor. Et credo in Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum, sanctam & consubstantialem & individuam Trinitatem; in carne pariter dispensationem, & ad homines Dei Verbi, unius sanctæ Trinitatis personæ descensum, & quod homo vere sit factus profiteor. Annuo quoque ipsum sua deitate non excidisse, & sanctam Virginem Mariam certo & vere secundum carnem eam peperisse, & Deiparam esse credo, & prædico. Et venerandam Christi crucem, & sacras imagines, credo, suscipio, veneror, & amplector: & hoc pacto ex tota anima, & corde, & fide vera, ad christianam fidem accedo. Sin autem doloso & ficto animo, & non ex fide integra & perfecta Christum sincere amante, sed nunc quidem me christianum esse simulo, deinceps vero negare voluero, & ad Judaicam redire superstitionem, aut cum Judæis convivans repertus fuero, aut festum agens, aut furtim conversans, & christianam religionem condemnans, & non potius ipsos manifeste coarguens, & vanam eorum fidem detestans; nunc quidem Cain tremor & Giezi lepra super me veniant, præter politicarum legum pœnas, quibus me subjiciendum agnosco: & in futuro sæculo anathema sim, & anima mea cum satana, & dæmoniis collocetur.

Dicit & orationem hanc pro Hebræo.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, Agne & Pastor, sæculorum Rex, qui ad ovile ovem errantem reducis, qui peccatorem ex erroris via convertis, ipse servum tuum hunc ex adversarii tenebris ad lumen æternum converte; ex errore diaboli ad divinam cognitionem Unigeniti Filii tui revoca, in fide & dilectione ipsum confirma, & in Ecclesia tua partem, & sortem illi largire. Tu enim es Deus noster, extra te alium non novimus, nomen tuum invocamus, ut jugiter & in omnibus sis benedictus Deus noster, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hæc proselyto in ecclesia dicente, christianum eum facimus, id est censemus ut christianum nondum baptizatum, quales sunt christianorum filii baptismum adhuc suscepturi. Secunda vero die catechumenis illum annumeramus, dicentes super eum orationem super pueris catechumenis dicendam: & sequenti die exorcismorum orationibus utimur, atque ita ordine cuncta in baptismo præscripta exequimur.

A R T I C U L U S VIII.

De tempore catechumenatus.

Catechumeni diu ante baptismum probabantur.

I. E*Tsi omni ætati, omni vitæ formæ, omnibus hominibus baptisma conveniat*, ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de Baptismo: antiquæ tamen leges ecclesiasticæ catechumenos non nisi diu multumque probatos sacræ regenerationis gratia donari permittebant; sed ad eum fere modum, quo vitæ religiosæ candidati (novitios appellare solemus) ad solemnia vota nuncupanda, ante annuam saltem probationem apud monachos non admittuntur, ita nec catechumeni olim nisi post multum temporis ad baptismum recipiebantur. Et certe consentaneum omnino non erat, ut qui christiano lacte nondum erant enutriti, cælesti pane reficerentur, vixque fidei nomen agnoscentes, fidelium catalogo adscriberentur: alioquin haud parum timendum fuisset, ne corrupti ab hæreticis aut gentilibus, christianæ religionis mysteria ludibrio ac derisioni infidelium exponerent. Merito ergo concilium Constantinopolitanum I. canone 7. [Primo die, inquit, ipsos christianos facimus, secundo catechumenos, tertio exorcizamus ... Et curamus ut longo tempore versentur in ecclesiis, & audiant Scripturas, & tum eos baptizamus.] Quandiu vero duraret illa probatio, nequaquam exprimit; sed totum prudentiæ ac discretioni episcoporum aut presbyterorum relinquit, ut sicut varia catechumenorum conditio, varia ingenia, varia morum integritas, religionisque ac pietatis desiderium postulabant, eos sacris undis intingerent.

Varia

Varia probationis tempora.

II. Nonnullos tamen limites huic probationi præscribunt alia concilia. Nam concilium Agathense can. 34. decernit, ut (Judæi, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad legem catholicam venire voluerint, octo menses inter catechumenos ecclesiæ limen introeant. Et si pura fide noscuntur venire; tum demum baptismatis gratiam mereantur.) Tantumdem temporis in catechumenatu explevisse Sanctum Augustinum scribit Ludovicus de Angelis in libro 2. de vita & laudibus Sancti Augustini cap. 3. scilicet a vigesima octava die mensis Augusti ad vigesimam quartam mensis Aprilis. Concilio vero Eliberitano in Hispania (eos qui ad primam credulitatis fidem accedunt, si bonæ fuerint conversationis; intra biennii tempus placuit ad baptismi gratiam admitti debere.) Idem temporis spatium etiam definivit Justinianus Imperator in Novella 144. cui unum annum adjiciunt Constitutiones Apostolorum libro 8. capite 38. Statuentes, ut (qui catechesi erudiendus est, per tres annos erudiatur.) Sed & Eliberitanum concilium idem constituit pro sacerdotibus idolorum, qui christianam religionem amplecti voluerint. Ita enim habet canone 4. (Item flamines, si fuerint catechumeni, & se sacrificiis abstinuerint; post triennii tempora placuit ad baptismum admitti debere.) Ubi mirum prorsus videri potest, quod cum duos dumtaxat annos probationis aliis præscribat, tres flaminibus injungat. Sed quia hujusmodi homines omnibus gentilium ritibus, & vanis philosophorum doctrinis imbuti, difficilius ad credendum poterant adduci, ac pluribus doctrinæ christianæ præceptis erant instruendi, majori etiam & prolixiori opus habebant probatione. Unde tam erga ejusmodi homines, quam erga philosophos, aliosque doctiores viros paulo se difficiliorem in eis intra sinum suum admittendis præbuit Ecclesia. Quare cum Arnobius adhuc ethnicus in civitate juventutem institueret ad declamandum, & in somnis esset adactus, ut flagitaret baptismum; non antea illum impetrasse ab episcopis refert Hieronymus in Chronico, quam profanam, quam profitebatur, gentilium religionem scripto impugnasset. Neque enim sibi facile persuadere poterant, sincero illum animo religionem christianam velle profiteri; sed solum mysteria quæ postmodum irrideret perdiscere. Non desunt tamen qui canonem illum non de simplicibus flaminibus interpretentur, sed de flaminibus in grave aliquod peccatum prolapsis; id quod ex canone præcedenti, in quo de flaminibus mœchis agitur, inducunt. Solebat enim Ecclesia graviter peccantes catechumenos a baptismi gratia longum in tempus removere. Hinc canon 14. concilii Nicæni: (De catechumenis qui lapsi sunt, visum est sanctæ & magnæ synodo, ut ii tribus annis tantum audientes sint, & postea orent cum catechumenis.) Et concilium Eliberitanum canone 11. catechumenas lapsas in quinquennium differt. Aliter concilium Neocæsariense peccatores catechumenos punit, quibus in peccati pœnam injungit, ut genuflexi audiant verbum Dei. Ita enim canone 5. ex versione Isidori Mercatoris: (Catechumenus id est audiens, qui ingreditur ecclesiam, & stat cum catechumenis, si peccare visus fuerit, figens genua, audiat verbum, ut se abstineat ab illo peccato quod fecit. Quod si in eo perdurat, abjici omnino debet.) Qui quidem canon ita reperitur in codice canonum ecclesiæ Romanæ, quem cum Leonis Magni operibus edidit Paschalis Quenellius, licet paulo aliter legatur in textu græco, & in versione Dionysii exigui; sed seorsus hic plaurior.

Quæ aliquando breviabantur.

III. Cæterum his legibus non ita adstricta erat Ecclesia, quasi ab iis dispensare, cum sic videret expedire, ac tempus præstitutum abbreviare non posset. Nam Sanctus Gregorius lib. 7. epist. 24. cuidam episcopo permisit, ut Judæos in agro Agrigentino baptizari cupientes, post indictum quadraginta dierum jejunium, sacris undis immergeret. Sanctus Pancratius una cum patre Dionysio post exactos viginti dies catechumenatus, regenerationis gratiam promeruerit. Sed neque tantum temporis observari curabat S. Otto Bambergensis episcopus & Pomeranorum Apostolus, septem dierum spatio contentus. Sic enim legimus in ejus Vita, quam ex quatuor coætaneis auctoribus collegit Andreas Abbas monasterii Montis S. Michaelis prope Bambergam: (Ille cum clericis & sacerdotibus septem diebus eos catechizans, & de omnibus quæ christianæ religioni conveniebant diligentissime instruens, indicto trium dierum jejunio, jussit ut corpora sua balneis mundarent, lotis albisque vestibus induti, mundo corde et corpore, mundoque abitu ad sanctum baptisma concurrebant.) Simile aliquid de Burgundionibus narrat Socrates in Historiæ Ecclesiasticæ libro 7. capite 30. ubi hæc habet: (Ad quamdam Galliæ civitatem profecti postulant ab episcopo, ut christianum baptismum suscipiant. Ille cum septem dies eos jejunare jussisset, ac fidei rudimentis instituisset, octavo tandem die baptismo donatos dimisit.) Idem permittere videtur Anonymus quidam in Sermone olim in festo Dedicationis legi solito, qui manuscriptus habetur in antiquo Pontificali ecclesiæ Rotomagensis & in Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum circiter 900. cujus Sermonis stylus Cæsarium Arelatensem spirare videtur: (qui sani sunt, inquit, in Paschalem solemnitatem serventur, & secundum Ecclesiasticam regulam in diebus quadragesimæ jejunent & vigilent, & ad oleum vel ad manus positionem accedant. Qui vero in aliqua festivitate filium suum baptizare desiderat, justum est ut vel ante septem dies cum ipso ad ecclesiam veniat; & ibi jejunet & vigilet; & filium suum sicut supradictum est ad oleum vel ad manus impositionem faciat accedere: & sic legitimo ordine baptismi sacramenta suscipiat.) Immo aliquando statim baptizabantur, quod superbo illi contigit Philosopho, qui cum argumentorum, responsionumque subtilitatibus congregatos in Nicæno concilio Patres diu multumque fatigasset; tandem nuda fidei nostræ expositione, sibi episcopo quodam miræ simplicitatis ac pietatis ab viro facta, de repente conversus, statim baptizatus est, ut refert Gelasius in Nicæni concilii Historia lib. 2. cap. 13. Sed huic facilu repugnat ejusdem Concilii canon 2. Idem Cypriano Mago contigisse videtur. Nam cum ab idolorum cultu & dæmonum præstigiis ad Christum conversus esset, confractis suis simulacris, in magno die Sabbati ad ecclesiam accedens, cum post lectionem scripturarum, inquiunt ipsius acta, [clamaret diaconus: *procedant catechumeni*; Cyprianus autem sedebat. Dicit illi Asterius diaconus: *Surge & exi Cypriane?* Dicit illi Cyprianus: *Servus factus sum Christi, & foras me mittis?* Dicit illi diaconus: *Nondum factus es perfectus servus Christi.* Dicit illi Cyprianus: *Vivit mihi Christus, qui dæmones confudit, & virgines salvavit, & mei misertus est, quia non exeam, nisi perfectus factus fuero servus Christi.* Diaconus autem nunciavit hæc episcopo. Convocans autem eum episcopus, & interrogans voluntatem ejus secundum consuetudinem ecclesiæ, & inquirens diligenter omnia catechizavit eum diligenter, & sic eum baptizavit.] Ita sincera S. Cypriani acta a nobis edita tom. 3. Anecdotorum.

Baptismi susceptio plerumque dilata.

IV. Verum sicut nonnulli præstitutum a sacris canonibus catechumenatus tempus aliquando breviabant; ita complures multos in annos & sæpe plures æquo illud extendebant. Sanctus Martinus anno ætatis decimo factus catechumenus, non nisi duodevigesimo tinctus est, testante Severo Sulpitio in ejus Vitæ libro 1. cap. 2. aliqui exemplo Christi innixi ad trigesimum ætatis suæ annum differebant & ultra, uti innuit Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione in sanctum lavacrum, ubi referens eorum excusationes, qui ad multos annos baptizari differebant, inter alia sic eos loquentes inducit: (Sed Christus, inquit, cum tricesimum ageret annum baptizatur, & hoc cum esset Deus; & tu me ad baptisma festinare jubes.) Quidam ad ultimam usque senectutem & vitæ exitum tingi expectabant. Hos inter celeberrimus fuit Constantinus imperator, qui paulo ante mortem, Nicomediæ sacris undis immersus est. Patris exemplum imitatus est Constantius Augustus Antiochiæ non multo antequam e vivis excederet ab Euzoio baptizatus. His adjicere possemus etiam Theodosium Magnum imperatorem religiosum, qui post superata in bello multa pericula, post relatam de barbaris victoriam gravem in morbum delapsus, ab Ascholio Thessalonicæ civitatis episcopo catholico baptismi donum promeruit; licet plures post annos convalescens vixerit.

V. Hujusmodi dilationi ansam & occasionem præbere potuit Tertullianus in libro de Baptismo capite 18. ubi (baptismum non temere credendum esse) affirmat, ac (pro cujusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate cunctationem baptismi utiliorem esse.) Et paulo post addit: (Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem quam dilationem.) Quibus certe verbis terreri potuerunt religiosiores viri, & ad baptismum in ultimam usque senectutem differendum induci. Cum enim propriam agnoscerent sui ipsius ad vitium proclivitatem; timebant ne cito ritius amissa per peccatum regenerationis gratia, in vitiorum barathrum devoluti, æternas postmodum pœnas luerent: Quapropter longe sibi tutius existimabant de die in diem procrastinare. Id sane

planum

planum est ex Sancti Gregorii Nysseni Oratione adversus eos qui differunt baptisma, ubi inanes eorum excusationes ita refert & refellit: (Sed timeo, inquit, naturæ nostræ ad vitium proclivitatem; & ideo differo accedere ad gratiam regenerationis. Speciosus quidem est prætextus tuus timiditatis.) Plurimi etiam ne severioribus ecclesiæ legibus subjicerentur, atque ut liberius peccarent, a recipiendo citius baptismate avertebantur. (Timent autem baptismum, inquit idem Gregorius Nyssenus, ut qui prohibeat voluptates, & abstinere faciat a nefariis deliciis.) Adeo temerarium & periculosum abusum suis scriptis perstrinxerunt sancti Patres, sed duo præsertim Gregorii, Nyssenus & Nazianzenus, ambo pietate & doctrina eximii, qui ex professo suis sermonibus tanto malo mederi studuerunt. Quibus adjungendus est Sanctus Chrysostomus in Homilia ad Neophytos.

Infantes olim absque dilatione baptizati.

VI. Quæ de catechumenatus tempore hactenus dicta sunt, ea potissimum respiciunt adultos, quorum sincerum in fide perseverandi propositum aliqua dilatione probandum erat. At longe alia existebat ratio infantium, qui cum nullis gentilium superstitionibus essent imbuti, nullos ab animo deponendos errores haberent, nullis essent passionibus vitiosis obnoxii; nulla indigebant probatione, ac proinde statim eos posse baptizari ac sæpe baptizatos esse in ipso nascentis Ecclesiæ exordio, constans est sanctorum Patrum traditio. Unde mirum quo ex fonte haurire potuerit, quæ scribit Walfridus Strabo in libro de Rebus Eccle. siasticis cap. 26. (Notandum, inquit, primis temporibus illis solummodo baptismi gratiam dari solitam, qui & corporis & mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut scire & intelligere possent, quid emolumenti in baptismo consequendum, quid confitendum atque credendum, quid postremo renatis in Christo esset servandum.) Quam quidem sententiam cum hujus sæculi heterodoxis ambabus ulnis amplexum est Ludovicus Vives, scribens in librum 1. Sancti Augustini de Civitate Dei cap. 27. hæc in verba: (Ne quis fallatur, nemo olim sacro admovebatur baptisterio, nisi adulta jam ætate, & cum idem ipse & sciret quid sibi mystica vellet aqua, & se ablui illa peteret, & nec semel peteret.)

Quamvis id improbaverit Tertullianus.

VII. Huic opinioni locum præbere potuit Tertullianus in libro de Baptismo cap. 18. in quo licet factum numquam negaverit, illud tamen tam acri & pertinaci animo improbavit: ut incautos & malevolus hunc in errorem inducere facili negotio potuerit. Id quod sibi haud ægre persuadebunt, qui vel tantisper ad ejus verba mentem converterint. (Itaque pro cujuscumque personæ conditione, inquit, ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi utilior est, præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus, nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur: fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? Cautius agetur in sæcularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris.) Hæc verba quicumque attenderit, viros etiam catholicos eadem percurrentes facile decipi potuisse non diffitebitur; ita ut crederent primis Ecclesiæ sæculis parvulos tinctos non fuisse: quamvis id non magis inde concludatur, quam ex sequentibus ejusdem Tertulliani verbis innuptos non fuisse baptizatos. Nam de his etiam hæc addit: (Non minore de causa innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio præparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vagationem, donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur.)

Ecclesiæ traditio de baptismo parvulorum.

VIII. Sed ad figmentum istud refellendum, unum sufficit Origenis testimonium ex libro 5. in Epist. ad Romanos: (Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare.) Quibus verbis nihil hanc in rem afferri potest luculentius. Origeni suffragatur S. Cyprianus in epistola ad Fidum, in qua probare volens parvulis concedendam esse regenerationis gratiam, ad id adducit Petri in Actibus Apostolorum verba: *Dominus mihi dixit neminem communem dicendum & immundum.* Addit-que: (Ceterum si homines impedire aliquid ad consequutionem gratiæ posset; magis adultos & provectos & majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si etiam gravissimis delictoribus & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & a baptismo atque gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ primis nativitate contraxit.) Plurima alia Sanctorum Patrum testimonia de baptismate parvulorum congessit Georgius Cassander vir doctus, quæ studiosus lector in ejusdem operibus pag. 682. consulere poterit. Ex his porro patet quam longe a vero aberraverint Pelagiani aliique hæretici, qui parvulis ad remissionem peccatorum baptismum nequaquam esse necessarium ore sacrilego affirmabant; quos merito propterea anathemate percussit concilium Millevitanum can. 2.

Fidi error de baptismo parvulorum.

IX. Circa baptismum infantium alius extitit error Fidi cujusdam episcopi in Africa existimantis (intra secundum vel tertium diem quo nati sint constitutos baptizari non oportere,) atque ad ita sentiendum duplici fundamento fulti. Primo enim dicebat, (considerandam esse legem circumcisionis antiquæ; & intra octavum diem, eum, qui natus est, baptizandum & sacrificandum) non putabat. Secundo (vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti mundum non esse) causabatur, (quod unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari.) Utrumque hoc fundamentum subvertit S. Cyprianus Carthaginensis episcopus, scripta ad Fidum nomine concilii epistola 59. in qua opinionem hanc erroneam refellit.

X. Octavum tamen diem ad tingendos infantes commendare videtur S. Ambrosius, non quidem propter necessitatem, sed propter mysterium. Scribens enim ad Horontianum epist. 44. novæ editionis, inter alia præsenti de argumento sic loquitur: (Qui autem octavo die regenerationis sortitur mysteria, consecratur per gratiam, & ad hæreditatem regni cælestis vocatur.) Atque ita S. Gutlacus octavo a nativitate die baptizatus legitur apud Ordericum Vitalem lib. 4. Historiæ. Ipsi etiam Græci hodie infantes octavo ab ortu die baptizant, ut testatur Allatius apud Janum Nicium Erithræum l. 7. epist. 24. Et lib. 3. de Consensu Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis cap. 8. num. 2. Superiori etiam sæculo religiosus erat Christianis Indiarum populis apud Caranganoram habitantibus quadragesimus ab ortu dies. Ita enim legimus in Navigatione Josephi Indi, quæ initio superioris sæculi Parisiis prodiit in lucem: (Infantes non baptizantur ante quadragesimum diem ortus sui, nisi morte ingruente.) Idem observari a Moscovitis testatur Sigismundus Liber in libo de rebus Muscovit. cap. de baptismo his verbis: (Nato infante, mox accersitus sacerdos ante januam habitationis, in qua est puerpera, certas stando recitat orationes, pueris nomen imponit; deinde quadragesimo communiter die, nisi forte puer ægrotet, defertur in templum, & baptizatur:) Huncque ritum *esse antiquissimum in ecclesia Orientali* docet Abraham Ecchellensis in Notis ad concilii Nicæni Constitutiones Arabicas cap. 10. ubi idem præscribitur. In tota etiam Chaldæorum ecclesia infantium protrahitur baptismus ad quadragesimum diem, si sint masculi; & ad octuagesimum, si sint fœminæ, ut scribit Naironus in Evoplia Catholicæ fidei pag. 123. Sed & S. Gregorius Nazianzenus auctor est, ut citra periculum infantes ad tertium annum differantur. Audiendus est hac de re disserens in Oratione in sanctum lavacrum: (Quid vero de infantibus, inquit, qui neque quid gratia, quidve sit pœna cognoverunt, num & eos baptizemus? maxime quidem si periculum aliquod imminet..... De aliis vero consilium do, ut triennium expectent, aut paulo minus seu plus; ut & quid mysticum audire & respondere possint; & si non perfecte, attamen figuraliter intelligant) &c. Atque ita Sanctus Euthymius teste Cyrillo Scytopolitano triennis ab Otrejo Melitinensi episcopo tinctus est. Quod vero supra suadet S. Gregorius Nazianzenus, parvulos ad tertium annum differri, ut baptizati respondere valeant, in memoriam revocat ea quæ scribit Baudemundus Elnonensis monachus in vita S. Amandi Trajectensis episcopi de baptismo Sigeberti, Dagoberti regis filii, dies a nativitate non plus habentis quam circiter quadraginta, scilicet quod cum S. Amandus benedicens eum catechumenum faceret; & (finita oratione, nemo ex circumstante multitudine respondisset *amen*; aperuit Dominus os pueri, atque audientibus cunctis, clara voce respondit *amen*.)

Nunc

Nunc infantum baptismum differre prohibitum.

XI. Nunc demum propter frequentia quæ ea more oriri solent pericula, statim ut orti sunt parvuli, eodem aut altero post die ad ecclesiam regenerandi deferuntur. Extantque plures ea de re leges ecclesiasticæ, quæ vetant ne prætextu congregandi patrinos, diutius expectetur. Hujusmodi prohibitiones videre est in concilio Senonensi anni 1524. in Parisiensi anni 1557. in Bituricensi anni 1584. in Turonensi anni 1583. in Statutis Synodalibus Guillelmi Gubernatoris episcopi Maclovieosis. In concilio vero Remensi anni 1583. decernitur, (ut si parochus alicujus pueri parentes diutius distulisse baptismum animadverterit; graviter eos increpet de periculo, in quod eorum culpa puer incidere potuit; & si neglexerint, significet episcopo, ut huic malo remedium afferre conetur.) Saluberrimum afferre studuit Aquense concilium anni 1585. statuens, ut parochi (moneant fideles, ne baptismum filiorum suorum ultra octavum diem differant sub pœna excommunicationis.) Et S. Carolus Borromæus in concilio I. Mediolanensi: (Natum infantem ii, quorum est ea cura, ante nonum diem ad suscipiendum baptismum in ecclesiam deferendum curent. Quod si neglexerint, excommunicationis pœnam subeant.) His adde Synodale Mandatum Francisci Harlæi Rotomagensis archiepiscopi anno 1645. editum. (Ad nostram perlatum est audientiam, adeo apud nonnullos æternæ salutis invaluisse contemtum, ut christianæ, immo naturalis pietatis immemores, liberorum baptismum ob patrinorum absentiam, in multos dies differre, atque ita parvulos imminentibus utriusque mortis periculis non vereantur exponere. Contra temeritatem hujusmodi parentum fiduciam clamat ad Deum de terra vox sanguinis, auditur in Rama maerens Rachelis ejulatus, præreptorum sibi pignorum damna inconsolabili dolore lamentantis, meritoque luctuosa illa prophetici oris insurgit exprobratio: *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos. Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto*. Ut igitur tam periculoso abusui ecclesiastica obsistat auctoritas; præcipimus rectoribus ecclesiarum parochialium, ut summam baptismatis necessitatem populo sibi credito sæpius & diligenter inculcent, eumque a tam necessarii sacramenti dilatione crebris monitionibus avertere studeant: quarum contemtores excommunicationis aliisque ecclesiasticis pœnis decernimus severissime coercendos. Absit enim ut propter humani favoris appetentiam, divinæ gratiæ irrecuperabilis perdatur occasio, & de blandimentis amicitiæ, detrimenta nascantur animarum.) Ceterum non hac tantum nostra ætate baptismi parvulorum dilatio improbata est, sed multis jam ante sæculis, ut probat hoc Caroli Magni Capitulare anni 789. (Statuimus, ut si quis infantem intra circulum anni ad baptismum offerre contemserit, sine consilio vel licentia sacerdotis: si de nobili genere fuerit, centum viginti solidos fisco componant; si ingenuus, sexaginta, si litos, triginta.) His accedit Jonas Aurelianensis episcopus, qui in libro 1. de Institutione laicali cap. 8. Spicil. tom. I. hæc habet: (In primordio namque sanctæ Dei Ecclesiæ, non baptizabantur, nisi primum instructi fuissent, & fide sanctæ Trinitatis & mysterio sacrosancti baptismatis: nunc autem quia nomen Christi ubique pollet, & parvuli de christianis parentibus nati ad percipiendam baptismatis gratiam necdum loquentes *incunctanter* deportantur.

ARTICULUS IX.

Quænam essent catechumenorum exercitia, & quid de illis sentirent veteres, qui sine baptismo e vivis excederent.

Catechumenorum exercitia.

I. Cum ex præscriptis Ecclesiæ legibus tamdiu probarentur christianæ religionis tyrones, ut superiori articulo demonstrabamus; ipsique sive ex desidia sive ex falsa & erronea pietate, præstituto probationis tempori plurimos non dicam annos, sed integrum fere vitæ suæ cursum adjicerent; quid tanto illo agerent intervallo, quæ eorum in ecclesia exercitia, jam inquirendum est. Igitur catechumenorum toto tyrocinii sui tempore hæc una aut fere una erat functio, ut sive privatim, sive in ecclesiis, aut baptisteriis, de ratione fidei, aut vitæ christianæ officiis imbuerentur. (Quid autem aliud agit totum tempus quo catechumenorum locum nomenque tenent, inquit S. Augustinus in libro de Fide ex Operibus cap. 6. nisi ut audiant quæ fides & qualis vita debeat esse Christiani.) Præterea in ecclesia ad audiendos psalmos & lectiones ex scripturis libere admittebantur, ut patet ex Constitutionibus apostolorum lib. 2. c. 43. & ex Dionysii libro de Ecclesiastica Hierarchia. Sed in ecclesia Alexandrina non solum psalmos audire, sed etiam cantoris lectorisque munere fungi permittebantur: si tamen Socrati fides sit, cujus in libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. hæc verba: (In eadem urbe Alexandriæ Lectores & Psaltæ absque ullo discrimine fiunt tam catechumeni quam fideles, cum tamen omnes ubique ecclesiæ non nisi fideles ad hunc gradum promoveant.) Post psalmos & lectiones scripturarum sermonem ad populum habere solebat episcopus, cujus insuper audiendi catechumenis facultas concessa. Nec catechumenis solum, sed infidelibus etiam ac Judæis. Extat ea de re canon 84. concilii IV. Carthaginensis, (Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam & audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad missam catechumenorum.) Cujus quidem statuti rationem reddere videtur concilium Valentinum tempore Leonis Papæ cap. 1. his verbis: (Hoc inter cetera censuimus observandum, ut sacrosancta evangelia, ante munerum illationem vel missam catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legatur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi vel sermonem sacerdotis non solum fideles, sed etiam catechumeni, ac pœnitentes, & omnes qui ex diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus.) Quapropter quod ait Amalarius in libro 1. de Officiis Ecclesiasticis c. 26. (Consuetudo nostra est, ut catechumenos repellamus ante evangelium,) non de quibuslibet ecclesiasticis conventibus intelligendum est; sed de scrutiniis, quæ illius tempore, atque etiam postea in medio Quadragesimæ fiebant. Ceterum quamdiu primæva perseveravit in Ecclesia disciplina, usque ad recitatum & expositum ab episcopo evangelium in templo permanere sinebantur catechumeni. Finito vero sermone, foras emittebantur: (Ecce post sermonem fit missa catechumenorum, manebunt fideles, venietur ad locum orationis,) inquit S. Augustinus in Sermone 49. novæ editionis n. 8. Sed in Constitutionibus apostolorum ab auctore antiquissimo scriptis, ante catechumenorum dimissionem breves super eos faciendæ preces decernuntur, quas hic ex libro 8. cap. 5. uti & ritum ejiciendi de templo catechumenos subjicere lectoribus non erit fortassis ingratum.

Ritus dimittendi catechumenos ab ecclesia.

II. (Alloquatur (episcopus) populum sermonibus exhortatoriis. Quibus absolutis..... Diaconus ascendens altum aliquem locum, pronunciet NE QUIS AUDITORUM, NE QUIS INFIDELIUM. Silentioque facto, dicat, CATECHUMENI ORATE. Et omnes fideles orent attento animo dicentes: *Domine miserere*. Diaconus pro ipsis oret dicens: Pro catechumenis omnes Deum oremus, ut bonus & benignus Dominus clementer exaudiat obsecrationes & preces ipsorum, & recipiens eorum supplicationes tribuat eis auxilium, & concedat petitiones cordis ipsorum ad utilitatem, revelet eis evangelium Christi sui, illuminet eos & instituat disciplina cognitionis Dei, doceat ipsos mandata & judicia sua, inserat in animam eorum castum & salutarem timorem suum, aperiat aures cordis ipsorum, ut meditentur in lege sua die ac nocte, confirmet eos in pietate, uniat & connumeret in sancto ovili suo, dignos faciens lavacro regenerationis, veste immortalitatis, vera vita: liberet eos ab omni impietate, & ne det locum inimico adversus eos, mundet eos ab omni inquinatione carnis & spiritus, inhabitet in eis & inambulet per Christum suum: benedicat introitus & exitus eorum, & dirigat vias eorum in bonum: etiam pro eis intente oremus, ut remissionem delictorum consecuti per baptismum sanctis mysteriis digni fiant in mansione sanctorum. ERIGITE VOS CATECHUMENI & petite pacem Dei per Christum suum, diem pacificum & sine peccato, itemque omne tempus vitæ vestræ, christianos præsides vestros, propitium ac benignum Deum, delictorum remissionem: ipsi soli ingenito Deo per Christum suum vosmet commendate, inclinamini & benedictionem accipite.

In iis singulis quæ loquitur diaconus, populus, ut diximus, dicat *Domine miserere*, & in primis pueruli. Inclinantibus autem ipsis capita, benedicat eis ordinatus episcopus benedictione hujusmodi.

Deus omnipotens, ingenite, inaccessibilis, qui es solus verus Deus, Deus & Pater Christi unigeniti Filii tui, Deus Paracleti & cunctorum Dominus, qui per Christum disci-

discipulos constituisti doctores ad docendum pietatem: ipse nunc respice super catechumenos evangelii Christi tui, & da eis cor novum, & spiritum rectum innova in visceribus eorum ad cognoscendam & faciendam voluntatem tuam in corde pleno & volenti animo: dignos fac eos sancto baptismo, & aggrega eos ecclesiæ tuæ sanctæ & participes fac sanctorum mysteriorum per Christum Jesum, qui est spes nostra, quique pro nobis mortuus est, per quem tibi gloria & adoratio in Spiritu-Sancto in sæcula. Amen.

Post hæc diaconus dicat, *Ite catechumeni in pace*.)

III. De hujusmodi orationibus intelligendus est canon 19. concilii Laodiceni: [Catechumenorum orationem separatim & prius post tractatum episcopi oportet celebrari; quibus egressis incipit etiam qui in pœnitentia sunt constituti.) Et tamen S. Joannes Chrysostomus in Homilia 79. ad populum Antiochenum asserit orare in Ecclesia (catechumenis quidem permissum hoc nondum esse.) Sed Chrysostomus minime censendus est contrarius Laodiceno Concilio aut Constitutionibus apostolorum, quæ quidem breves post sermonem preces faciendas pro catechumenis, non vero ab ipsis, præscribunt, quia revera statim ejiciebantur.

IV. Ex hac autem catechumenorum ab ecclesiæ conventibus dimissione, validum sancti patres deducebant argumentum, eos adhortandi ad baptismum quantocius suscipiendum; illos vero qui multos differrent in annos acriter increpandi: (Hactenus foris stetistis, inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. Utinam & vos dicere possitis omnes, introducet me rex in tabernaculum suum.) Et S. Gregorius Nazianzenus Oratione in sanctum lavacrum, (Ne contemne fieri & nominari fidelis, donec es catechumenus, in foribus pietatis versaris, introire te oportet, aulam pertransire, Sancta contemplari, in Sancta Sanctorum reclinare, Trinitati conjungi.) Et alter Gregorius, Nyssenus episcopus in Oratione quam conscripsit adversus eos qui differunt baptisma, eos ita adoritur: (Es extra paradisum catechumenus, socius exilii Adæ primi nostri parentis; nunc ostio tibi aperto ingredere, &c.) Et item postea: (Me mi pudet, quod cum consenueris, adhuc ejiciaris cum catechumenis tanquam insipiens puellus, & qui arcana non potest celare, cum dicendum est mysterium.)

Quare ejicerentur catechumeni.

V. Postrema hæc S. Gregorii Nysseni verba causam & rationem nos docent, quæ primævam movebat ecclesiam ad catechumenos de templo ejiciendos. Nimirum ne sacra mysteria contemplarentur & revelarent; cui adstipulatur Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia: (Catechumenos autem & energumenos, quique in pœnitentia sunt, sanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire in Psalmorum modulationem, divinamque Sacrarum Scripturarum recitationem; ad sacra autem opera, quæ deinceps sequuntur, atque mysteria spectanda, non eos convocat, sed perfectos oculos eorum qui digni sunt.) Et certe hodiernis ritibus assuetis vix credibile erit, quanta sollicitudine olim catechumenis omnia christianæ religionis celabantur mysteria. (Hæc mysteria, inquit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. ad illuminandos, idest proxime baptizandos, quæ nunc ecclesia enarrat tibi catechumeno, non est mos ethnicis enarrare. Nec enim ethnico mysteria de Patre, & Filio, & Spiritu-Sancto declaramus, quin & catechumenis non adeo aperte dicimus mysteria, sed sæpe obscurius dicimus, ut scientes fideles intelligant, & qui nesciunt non corrumpantur.) Et in Præfatione ad easdem Catecheses: (Catechumenus vocabaris, foris subsistens audiebas, spem & nesciebas, audiebas mysteria & non intelligebas, audiebas scripturas & profunda illarum ignorabas.) Et in fine ejusdem Præfationis: (Catecheses istas illuminatorum accedentibus quidem ad baptismum, & his qui hoc lavacrum habent, jam fidelibus legendas exhibeas; catechumenis vero & aliis, qui non sunt Christiani, ne dederis: alioquin redditurus es Domino rationem.) Et S. Ambrosius initio libri de mysteriis: (Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam Sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis; prodidisse potius, quam edidisse æstimaremus.) Id quidem de singulis Sacramentis multorum SS. patrum testimoniis demonstrare, si res exigeret in promtu esset: aliqua tamen hic ut subjiciamus postulat officii nostri ratio.

Sacramenta catechumenis occultata.

VI. Et primo baptismi mysteria summa cum religione fuisse catechumenis occultata, patet ex concilii Arausicani I. canone 19. (Ad baptisterium catechumeni nunquam admittendi.) Et ex S. Cyrillo Alexandrino lib. 7. adversus Julianum, ubi loquens de baptismi mysteriis, (dicerem, inquit, de his, nisi vererer aures non initiatorum.) Idem constat ex S. Gregorii Nazianzeni Oratione habita in concilio Constantinopolitano, ubi postquam dixit baptismum perfectionem habere in nomine SS. Trinitatis, addit: (Scis hæc quisquis eo es initiatus.) Unde merito quis ita argumentari valeat; ergo hæc nesciunt non initiati. Ad Confirmationem quod attinet, unum sufficit Innocentii I. Papæ testimonium in epistola ad Decentium Eugubinum episcopum, qui illum de forma hujus sacramenti consuluerat: (Verba, inquit, dicere non possum; ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.) De pœnitentia idem liquet ex concilii Laodiceni can. 19. ex libro 8. Constitutionum Apostolorum cap. 7. quibus jubentur catechumeni ante exire de templo, quam pœnitentibus manus imponatur. De Eucharistia non paucas aliquas pagines, sed integra, eaque magna volumina implerem, si cunctas sanctorum patrum auctoritates referrem, quibus illius absconsio non initiatis commendatur. Insignis est locus ex epistola Julii Papæ ad Orientales episcopos in causa Athanasii: [Quis non execretur sub externo judice præsentibus catechumenis . . . . . . quæstionem de Corpore & Sanguine Christi haberi.) Et alter ex epistola S. Augustini ad Honoratum, quæ est 140. novæ editionis cap. 19. (Hæc est gratia quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum Sacramentum in sacrificio novi testamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies.) Et Sermone 307. num. 3. (Qui noverunt scripturas, sciunt quis protulerit Melchisedech sacerdos Dei excelsi, quando benedixit Abraham. Non oportet ut hoc memoremus, propter catechumenos. Fideles tamen agnoscunt quemadmodum ante prophetatum sit, quod modo videmus impleri.) Sanctus quoque Chrysostomus in Homilia ad illuminandos: (Post triginta dies non vos Pharao, sed cœlorum Dominus ad patriam pristinam revocabit, & cœlesti Jerusalem restituet . . . . . ipse Dominus tuis manibus terribilem calicem ministrabit . . . . norunt illius calicis virtutem qui sunt divinis consecrati mysteriis: Sed & vos paulo post poteritis addiscere.) Quod si fortuito casu aliquis non initiatus se occultans sacræ mensæ participaret; hunc subito instructum baptizabant ex Constitutionibus Apostolorum lib. 7. cap. 26. & ex Timothei Alexandrini episcopi Responsis canonicis, responsione 1. De sacris ordinationibus extat concilii Laodiceni canon 4. (Non oportere ordinationes fieri in præsentia eorum qui audiunt.) Idem eruitur ex S. Joannis Chrysostomi Homilia 18. in epistolam primam ad Corinthios. De extrema unctione nulla est difficultas. Nam cum olim sine Eucharistia non soleret dari, ut patet ex his quæ diximus in libro 5. de antiquis monachorum ritibus, & aliunde Eucharistiam videre esset catechumenis illicitum, nemo non videt iis præsentibus extremæ unctionis Sacramentum non fuisse infirmis administratum. Denique cum matrimonium *Ecclesia conciliet, & confirmet oblatio*, ut loquitur Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 9. & sacrificio interesse haudquaquam fas esset catechumenis, nullam de ritibus matrimonii notitiam habebant.

VII. Tandem ut uno verbo absolvam ea, quæ catechumenos tempore tyrocinii sui spectant; neque symbolum fidei, neque orationem Dominicam, nisi paucis ante baptismum diebus, ut postea ostendemus, edocebantur: immo ex concilii Arausicani canone 20. (Ad fidelium benedictionem etiam inter domesticas orationes, in quantum caveri potest segregandi informandique sunt, ut se revocent.) Attamen quia sale sapientiæ, cum primo manus eis impositæ, condiri fuerant; solebant etiam in Pascha sal benedictum percipere, ut supra diximus.

Quid de catechumenis sub baptismo mortuis sentirent antiqui.

VIII. Jam vero cum per prolixum adeo probationis tempus possent aliqui excedere e vivis, excedebantque nonnunquam; quid de his sentirent veteres, breviter investigandum est. Eorum qui sine baptismo obibant duo erant genera: nam alios de medio tollebat persecutionis gladius, alios præmatura & inopina mors præveniebat. De primis nulla unquam extitit controversia: quippe ut ait S. Augustinus lib. 13. de Civitate Dei, cap. 7. (Quicumque etiam percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.) De secundis divi-

ſas in duas partes reperio ſanctorum patrum opiniones. Et quidem Tertullianus qui baptiſmi dilationem tantopera commendat, da eorum ſalute, ſi vara ſit & ſincera illorum fides, nullus dubitare videtur: nam lib. da Bapt. cap. 18. poſtquam dixit: (Si qui pondus intalligant baptiſmi, magis timebunt conſecutionem quam dilationem;) addit: (Fides integra ſecura eſt da ſalute.) Tartulliano ſuffragatur auctor antiquiſſimus da Baptiſmo hereticorum adverſus S. Cyprianum; qui editus aſt in conciliorum tom. 1. dum ait: (Non erit dubium in Spiritu-Sancto homines poſſa ſina aqua baptizari.) Et infra baptiſma triſariam dividit, ſcilicet Spiritus, aquæ, & ſanguinis. His accenſendus aſt S. Ambroſius, qui pro Velentiniano Imperatore catechumeno trucidato ſacrificium offerre haudquaquam dubitavit; & baptiſmi gratiam quam pesivarat accepiſſe incunctaoter aſſerit in Oratione quam de illius obitu conſcripſit num. 51. (Aut ſi quia ſolemniter non ſunt celebrata myſteria, inquit num. 53. hoc movet: argo nec martyres, ſi catechumani fuarint, coronentur; non anim coronantur, ſi non initiantur, quod ſi ſuo abluantur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit & voluntas.) Ambroſium ſequuntur Bernardus in Tractatu da Baptiſmo, Hugo Victorinus & omnis Theologorum caterva. Et tamen idam Ambroſius contrarium docet in libro de Myſteriis cap. 4. ubi ſic loquitur: (Credit autem etiam catechumenus in Crucem Domini Jeſu, qua & ipſa ſignatur. Sed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, remiſſionam non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire.) Et S. Auguſtinus Tractatu 13. in Joannem num. 7. (Quantumcumque anim catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis portat, nac illi dimittitur, niſi cum venerit ad baptiſmum.) Idem non obſcure docet Serm. 27. num. 6. novæ editionis. Similiter Auguſtini diſcipulus S. Fulgentius in libro de Fida ad Petrum cap. 3. num. 41. (Abſque ſacramento baptiſmatis, prætar eos qui in Eccleſia catholica ſina baptiſmata pro Chriſto ſanguinem ſuem fundunt, nec ragnum cœlorum potaſt quiſquam accipere, nec vitam æternam.) His accedit Gennadius in libro de Dogmatibus Eccleſiaſticis cap. 74. (Baptizatis tantum itar eſſe ſalutis credimus. Nullum catechumenum quamvis bonis operibus defunctum vitam æternam habera credimus, axcepto martyrio, ubi ſola baptiſmi ſacramente implentur.) Idem confirmat concilium 2. Bracarenſe canone 17. quo prohibetur pro catechumenis offerri ſacrificium. Verba concilii hæc ſunt: (Placuit, catechumenis ſine radamtione baptiſmi defunctis ſimili modo neque oblationis ſanctæ commemoratio, neque pſallendi impendatur officium. Nam & hoc per ignorantiam uſurpatum aſt.) Addit Chryſoſtomus homilia 69. [Catechumeni nec hac digne conſolatione (ſcilicat ſacrificio) cenſentur, ſad omni ſunt talr ſuffragio privati, præter unum ſolum: quid autem illud? dare licat pauperibus, & ax hoc aliquid ais præſtare refrigerationis.) Ubi plane mirum & ſingulare videtur, quod eleemoſynas prodeſſe poſſa catechumenis defunctis cenſet, non vero ſacrificium. Præter Chryſoſtomum ex Græcis habemus duos etiam Gregorios, Nyſſenum & Nazianzenum, qui in eadem verſantur opinione. (Animam minime illuminatam, & regenerationis gratia non ornatam, neſcio an angeli ſuſcipiant poſtquam fuerit ſeparata corpore,) inquit Nyſſenus in Oratione advarſus eos qui differunt baptiſma. Clarius Nazianzenus in Oratione in ſanctum lavacrum: (Nonne miſericors, inquis, Deus aſt? quin & hominum cognoſcit mentes, ac voluntatem probat, ac pro baptiſmate deſiderium accipit baptizandi. Ænigmati rem ſimilem dicis, quod ille qui lumine caret Dao, propter miſericordiam illuminatus cenſeatur, aut quod regnum cælorum quis miſericordia conſequi ſtudeat, abſque eo quod quæ regno digna ſunt, operetur.) His adde S. Cyrillum Hieroſolymitanum Catecheſi 3. (Si quis non baptizatur, ſalutem non habat, prætar ſolos martyres, qui vel ſine aqua regnum cœleſti potiuntur.) Et antea dixerat: (Naque ſi quis atiam bene compoſitis ſit moribus & probis, non recipiat autem ſignaculum per aquam, intrabit in regnum cœlorum.) Denique tantum abeſt ut catechumenos ſine baptiſmo decedentes ſalutem conſequi crederent, quin atiam de illorum felicitata dubitarent, qui poſt longam probationem, ſubſtis tempore quadrageſimæ ſolitis ſcrutiniis, paucis ante paſcha diebus in morbum ſubito prolapſi, deficiente voca, baptizati fuerant. Qua de ra Fulgentium Ruſpenſem epiſcopum conſuluit aliquando Ferrandus diaconus, ſcripta ad eum epiſtola, quæ inter Fulgentianas aſt undecima, cujus verba in conſequentibus articulis proferemus, interim hæc ſufficiant. Longe indulgentior fuit Hincmari Ramenſis archiepiſcopi opinio in concilio Duziacenſi 1. anno 871. celebrato, perte 2. cap. 28. ubi de parvulis quibus baptiſmi gratiam denegari juſſerat Hincmarus Landunenſis epiſcopus, ita habet: [Forte parvulis, quibus baptiſmum denegari juſſit, parentum vel patrinorum corde credantium, & atiam parvulis fideli confeſſionis varbo baptiſma axpetentium, ſed non impetrantium, fides & fidelis poſtulatio prodeſſa potuerit: donanta eo, cujus Spiritus, quo reganaratio fit, ubi vult ſpirat, & etiam ante baptiſmum ſe baptizandis infudit, ſicut in ſacra hiſtoria legitur.]

ARTICULUS X.

De nominis inſcriptione, impoſitione, & mutatione, ac de præparatione ad baptiſmum.

I. PEracto tandem prolixo, quod ſupra deſcripſimus, tyrocinio, qui ex cathecumenis baptiſmalis gratiæ participes eſſa cupiebant, hi aliquibus ante Paſcha diebus tabulis eccleſiaſticis inſcribendum noman ſuum dabant, ut videre eſt paſſim apud Sanctos Patres, qui dandi nominis ante baptiſmum non uno in loco meminere: *Dera mihi nomina*, inquit S. Gregorius Nyſſenus in Oratione adverſus eos qui differunt baptiſma, *at ego ea inſcribem libris ſenſibilibus*, S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Præfatione ad ſuas Catecheſes: *Quicumque hic nomine dediſtis, cum ente horum exorciſmorum ingrediemini, unuſquiſqua veſtrum pietatis verba proferat*. Et Catecheſi 3. *Abſit at aliquis ex his qui nomina dederunt ..... audiet, amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Concilium Carthaginenſe 4. can. 85. *Baptizandi nomen ſuum dent*. S. Auguſtinus l. 9. Confeſſionum: *Ubi autem tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeavimus*. Et Sermone 132. *Ecce Paſcha eſt, da nomen ad baptiſmum*.

Baptizandi quando nomen darent.

II. Jam vero ſi quis reſcire deſiderat quonam præciſe tempore nomen baptizandis dareter. Conſtat in Africa datum ſaltem ante ſymboli traditionem, hoc aſt duabus tribuſve hebdomadis ante baptiſmum, ut patet ex S. Auguſtini Sermone 213. qui ſecundus aſt in ſymboli traditione, in cujus cap. 7. hæc habet: Eccleſia (ſi non parit filios; quomodo dedimus nomina noſtra, ut de ejus viſceribus naſceremur?) In vulgato etiam Ordine Romano præſcribitur, ut feria 4. hebdomadæ tertiæ quadrageſimæ infantium & ſuſceptorum eorum nomina ſcribantur. Sed in epiſtola Jeſſe Ambianenſis epiſcopi ad ſuos parochianos, in Gallonenſis libro Sacramentorum, uti & in veteri eccleſiæ Pictavienſis ab annis circiter 800. exarato, atque etiam in Pontificali eccleſiæ Salsburgenſis id feria 2. injungitur. Idem legitur in antiquo codica eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 900. & in Regio ejuſdem ætatis, uti & in Ordine Geleſiano: In quibus tamen legitur miſſa Dominica tertia, cujus in canone infra actionem nomina electorum recitari jubentur; quod quidem ſignum eſt, jam antea ſcripta in tabulis fuiſſe relata. Et revera in epiſtola Siricii Papæ ad Himerium Terraconenſem epiſcopum cap. 2. reperio, quod (ſolis per annum diebus (Paſchæ & Pantecoſtes) ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi convenit ſacramenta, his dumtaxat electis, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint.) Quod quidem tempus etiam a Græcis obſervatum eſſe colligi potaſt ax S. Cyrilli Hieroſolymitani Præfatione in Catecheſes, in qua ſic lego: (Intraſti, eo loco dignus habitus, nomen tuum inſcriptum eſt ..... ſatis longum habes intervallum cum pœnitentia quadraginta dierum tibi detur) &c. Verum in epiſtola 3. S. Clementis Papæ decernitur, ut (accedat qui vult ad ſacerdotem ſuum, & ipſi det nomen ſuum, ut tribus menſibus jam conſumtis, in die feſto poſſit baptizari.) At epiſtolam illam S. Clementis non eſſe fœtum conſentiunt viri eruditi omnes.

Nomina quando imponerentur.

III. Ex hac nominis inſcriptione inferunt nonnulli, & quidem cum fundamento, nomina olim non in baptiſmo, ut nunc fit, ſed longe ante impoſita fuiſſe. Ita cenſet Menardus in Notis doctiſſimis ad librum Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ pag. 90. ubi probat moris fuiſſa apud veteres Romanos nono ab ipſo natali die maribus, octavo feminis no-

men

men imponere; apud veteres Francos die nono; apud Græcos decimo: putatque antiquos Christianos in imponendis nominibus sua consuetudine usos fuisse, posita omni superstitione paganica. Et certe cum tardius olim, nec nisi provectioribus ætate soleret baptismus administrari, tanto tempore sine nomine permansisse haudquaquam probabile videtur. Quæ quidem ut vera sint, nihil tamen obstant quominus antiquissima sit in baptismo nominis imponendi consuetudo. Nam qui ex paganis ad Christum convertebantur, nomine gentili abjecto, novum assumebant: qui vero ex christianis parentibus progeniti erant, hi aut nullum nomen ante baptismum habebant, aut inditum mutabant, vel etiam aliquando retinebant. Hæc omnia probant quam plurima Sanctorum Acta & Historiæ. Ita in Actis SS. Hyppoliti, Eusebii, & sociorum, quæ tanquam sincera vulgavit Baronius ad annum Christi 259. num. 11. S. Stephanus Adriam & Paulinam baptizans (vocavit puerum Neonem, puellam Mariam.) In Actis ejusdem S. Stephani ibidem num. 23. Sanctus Pontifex Nemesii filiam baptizatam (Lucillam vocavit, quam ipse elevavit de fonte.) Ita S. Petrus Balsamus a Severo præside interrogatus de nomine respondit (nomine paterno Balsamus dicor; spirituali vero nomine quod in baptismo accepi, Petrus dicor.) Ita apud Socratem lib. 7. cap. 21. cum Theodosius junior imperator Athenaidem ducturus esset uxorem, hanc (Atticus episcopus christianam fecit, & in baptismo pro Athenaide Eudociam nominavit.) Ita apud Gregorium Turonensem lib. 8. hist. Franc. cap. 22. Waldo quidam diaconus (in baptismo Bertchramnus vocitatus est,) lib. 10. cap. 28. Guntramnus filium Chilperici e sacro fonte Parisiis (excipiens Chlotharium vocitari voluit.) Et apud eumdem lib. de Vitis Patrum capite 8. S. Nicetius, qui postea Lugdunensis episcopus fuit, a matre nomen in baptismo accepit. His adde Polchronium sive Policronium sæculo V. Virdunensem episcopum in Chronico Hugonis Flaviniacensis, & Theodorum Siceotam in ejus Vita apud Bollandum 22. Aprilis, ut alios interim innumeros prætermittam, quibus in baptismo nomen impositum est. Id ipsum confirmat liber Manualis Dodanæ ad Willelmum filium, editus in Appendice ad Sæculum quartum Benedictinum parte 1. p. 752. in cujus capite 7. Willelmum filium primogenitum sic alloquitur: (Hæc verba a me tibi directa lege, intellige, & opere comple, fratremque tuum parvulum, cujus modo inscia sum nominis, cum baptismatis in Christo non acceperit gratiam, instruere, nutrire, amare, ac de bono in melius provocare non pigeat.) Vid. Mabillon. lib. 7. de Re diplomatica cap. 7. num. 7.

Nomen a quibus imponeretur.

IV. Porro circa hanc nominis impositionem nonnulla sunt observanda. Et primo illud notandum, ipsum nomen aliquando ab ipsis baptismi ministris, aliquando a parentibus, aliquando a susceptoribus seu patrinis impositum fuisse. Ita Stephanus Papa in Actis SS. Hyppolyti, Eusebii & sociorum supra citatis, Adriam baptizatum a se Neonem, & Paulinam Mariam vocavit; & Atticus Constantinopolitanus episcopus Athenaidem Eudociam nominavit; similiter [cum Cedolla rex occidentalium Saxonum . . . . hoc sibi gloriæ singularis desideraret adipisci, ut ad limina Beatorum Apostolorum fonte baptismatis ablueretur . . . . Et illo perveniens, Pontificatum agente Sergio, baptizatus esset die sancto Sabbati Paschalis anno 689. . . . . . . ei tempore baptismatis papa memoratus Petri nomen imposuit,) ut testatur Beda in libro 5. Hist. Angl. cap. 7. Simile exemplum proferunt Annales Francorum apud Chesnium tom. 2. pag. 22. & tom. 3. pag. 138. his verbis: (Anno DCC. LXXXI. perrexit Carlus rex Romam, & baptizatus est ibi filius ejus, qui vocabatur ei Carlomanus; quem Adrianus papa mutato nomine vocavit Pippinum;] Sed & hodie apud Moscovitas nomen imponit sacerdos; non tamen in baptismo, sed ipso nativitatis die, ut testatur Sigismundus Liber in libro de rebus Moscoviticis cap. de Baptismo his verbis: (Nato infante, mox accersitus sacerdos ante januam habitationis, in qua est puerpera, certas stando recitat orationes; pueris nomen imponit: deinde quadragesimo communiter die, nisi forte puer ægrotet, defertur in templum, & baptizatur.)

V. E contrario autem S. Nicetius Lugdunensis episcopus a matre sua nomen accepit. Idem de Ingomere & Clodomiro Clodovei ex Chrotilde filiis narrat Auctor antiquus de Gestis Francorum cap. 14. apud Chesnium tom. 1. Hist. Franc. pag. 700. Idem confirmant veteres Annales Francorum apud eumdem tom. 2. pag. 26. ubi ad annum DCC. LIX. hæc lego: (Natus est Pippino regi filius, cui supradictus rex nomen suum imposuit, ut Pippinus vocaretur sicut & pater ejus.) His adde quod legitur in vita Ludovici Pii: (Quo etiam anno, mense Junio, natus est ei filius ex Judith regina, quem tempore baptismi Carolum vocitare placuit.)

VI. Quod vero nomen ab ipsis susceptoribus aliquando daretur, patet ex Gregorii Turonensis libro 10. Hist. Franc. cap. 28. ubi de baptismo Chlotarii II. hæc habet: Guntramnus (Rex accedens ad lavacrum sanctum, obtulisset filium ad baptizandum, quem excipiens, Chlotarium vocitari voluit.]

Quæ nomina præsertim imposita christianis.

VII. Secundo ad nomen ipsum quod spectat, inter Arabicos canones concilii Nicæni a Turriano vulgatos, trigesimus præscribit, (fideles nomina Gentilium filiis suis ne imponant; sed potius omnis natio Christianorum suis nominibus utatur, ut Gentiles suis utuntur.) Idem & in aliis conciliis decretum est. Narrat vero Nicephorus in Historiæ Ecclesiasticæ libro 6. cap. 22. quod (multi propter suam in apostolos propensionem & affectionem, nomina eorum liberis suis imponebant.) Inter apostolos vero SS. Petri, Pauli atque Joannis nomina præ ceteris placuere primis christianis: cujus rei testem omni exceptione majorem habemus Dionysium Alexandrinum apud Eusebium lib. 7. Hist. Eccles. cap. 25. Sed & antiqua fuit ecclesiæ Mediolanensis praxis, ut tribus pueris, quos in vigilia Paschæ tingere solet archiepiscopus, uni Petri, alteri Pauli, tertio Joannis nomen imponeretur, ut ex Ceremoniali Beroldi docet Josephus Vicecomes. Narrat etiam quidam Magister in suis Isagogis apud Ingulfum (Deum adamasse Christianitatem regni Franciæ, id est Philipporum, cum apud Francos nomen Philippi frequentissimum habeatur, in tantum, ut rex Henricus qui modo regnat in Francia, filium suum primogenitum Philippum appellari fecerit.) Post Sanctorum apostolorum nomina, nulla primis sæculis acceptiora erant, quam beatorum Martyrum, qui pro Christi nomine vitam cum sanguine profuderant: [Nascentibus filiis, inquit Theodoretus Serm. 8. de Græcarum affectionum curationibus, Martyrum nomina imponere student, securitatem inde ipsis tutelamque comparantes.) Atque ea extitit causa, cur beatissima Gregorii Nysseni soror Macrinæ nomen sortita sit, ut ipse docet in ejus Vita n. 2. his verbis: (Macrinæ virgini nomen erat, sic a parentibus appellatæ, quod olim insignis quædam in nostra familia Macrina fuerat, patris nostri videlicet mater, quæ tempore persecutionum pro Christi confessione pugnaverat.) Non defuere tamen qui parentum aut avorum nomina ambirent; nonnulli etiam susceptorum, sicuti Rollo Normannus, qui anno Christi 911. a Francone Rotomagensi episcopo tinctus, & a Roberto Francorum Duce de sacro fonte levatus, (nominatus est ab illius nomine Robertus, permutato priori nomine barbarico,) ut legitur in Chronico Andegavensi apud Labbeum Bibliothecæ novæ tomo 1. Verum hujusmodi consuetudinem improbat S. Joannes Chrysostomus Homilia 21. in Genesim, ubi auditores suos hortatur, ut non quævis nomina temere & fortuito, nec avorum, aut proavorum, aut illustrium virorum, sed sanctorum potius hominum, qui virtutibus refulserunt, liberis suis imponant appellationes, ut eorum exemplo ad virtutem incendantur. Qua de re laudat in primis cives Antiochenses, quod spreto parentum nomine, Meletii, eorum quondam episcopi, appellationem præferrent; Sic enim in Encomio quod de eo conscripsit: (Cum enim, inquit, a principio in civitatem ingressum excepissetis, unusquisque filium suum appellabat ab illius appellatione, per appellationem existimans in domum suam sanctum illum introducere, matresque avos & proavos patres prætereuntes, beati Meletii nomen imponebant liberis, quos pepererant.] Ex his patet quam longe aberraverint a puriori Ecclesiæ veteris disciplina nostri sæculi heterodoxi, qui abjectis sanctorum novi testamenti appellationibus, nomina veteris affectant; quod merito notat concilium Burdigalense anni 1582. his verbis: [Nomina sanctorum Patrum veteris testamenti affectare hæreticorum est:) Non quidem præcise propter affectata sanctorum antiquæ legis nomina, nam de quinque Ægyptiis Martyribus, qui Eliæ, Hieremiæ, Samuelis, Isaiæ, & Danielis nomen assumserant, id narrat Eusebius in libro de Martyribus Palæstinæ; sed quod ea in odium debitæ sanctis venerationis accipere affectent.

Nomina aliquando mutata.

VIII. Tertio observandum non in baptismo solum, sed etiam in confirmatione nomen immutatum fuisse, ut dicemus capite sequenti, immo etiam in monastica professione, quæ a Sanctis Patribus semper ut altera regeneratio suspecta est, ut ostendimus in lib. 5. de antiquis monachorum Ritibus cap. 5. Id etiam aliquando contigit in contrahendo matrimonio. Nam (& Zeno imperator hoc nomen cum nuptiis assumsit, prius Aricmesius dictus,) ut habet Evagrius in lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 15. Observat insuper Cangius solemne fuisse Græcis Bizantinis, & præsertim ipsis Augustis, cum sibi ex Latinorum gente uxores asciscerent, earum nomina mutare; id quod aliquibus probat exemplis in suo Glossario ad verbum *Nomen*.

Præparatio ad Baptismum qualis.

IX. Datis catechumeni nominibus, aliud nihil cogitabant, quam ut variis pietatis operibus, durisque ac sedulis penitentiæ exercitiis ad recipiendam novæ in Christo nativitatis gratiam sese præpararent. Hinc illa S. Cyrilli Hierosolymitani in Præfatione ad suas Catecheses ad illos exhortatio: (Iotrasti en loco dignus habitus, nomen tuum inscriptum: . . . . satis longum habes intervallum, cum penitentia quadraginta dierum tibi datur: habes magnam opportunitatem & exeundi & abluendi, & rursus inducendi atque intrandi.) Et sub finem primæ Catecheseos: (Tot annorum circulos transegisti, mundo frustre operam navans, & quadraginta diebus non vacabis pro anima tua? Vacate & videte quia ego sum Deus, dicit Scriptura divina. Otiosa loqui multa recusa, ac neque ipse detrahas, nec detrahentem alicui audi; sed potius in precationibus assiduus esto. Monstra in exercitio cordis tui, quod erat occlusum, munda vas tuum, ut gratiam capiat ampliorem . . . . Certamen sustineas pro tue ipsius anima his præsertim diebus. Sacris lectionibus animam tuam recrea.) Sed quæ potissimum essent eorum exercitia, qui se ad sanctum baptisma recipiendum accingerent, distinctius & enucleatius exprimit Cyrillo antiquior Tertullianus in libro de Baptismo cap. 20. (Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant etiam baptismum Joannis.) Tertulliano concinit S. Gregorius Nazianzenus Oratione in sanctum lavacrum, ubi baptizandum instruens ait: (Bona tibi erunt auxilia ad ea quæ desideras consequenda, vigiliæ, jejunia, humi dormitatio, orationes, lacrymæ, ærumnæ, indigentium opitulatio.) Et S. Augustinus in libro de Fide & Operibus cap. 6. ubi pravam detestandamque aliquorum doctrinam refellens, qui omnes indifferenter, nulla vitæ anteactæ aut morum habita ratione ipsos etiam acta & voluntate adulteros ad baptismum admitti volebant: (Quo, inquit, non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis & veris uxoribus se concubituros profiterentur, atque hujus rei quemvis alio tempore licitæ, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos.) Denique antiquissimus auctor sermonis in Psalmum xli. ad Neophytos, qui falso tribuitur Hieronymo, extatque in Appendice ad tomum 6. Operum Sancti Augustini novæ editionis pag. 287. (Per omnem quadragesimam vacaverunt orationi atque jejuniis, in sacco & cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum confessione quærentes. Sed quia fuderunt lacrymas, & fuerunt tristes, dicitur illis, qui seminant in lacrymis in gaudio metent.)

Baptizandis publica imposita pœnitentia.

X. Ex his quæ modo retulimus, quemvis satis appareat publicam olim ante baptismum catechumenis impositam fuisse pœnitentiam ab ecclesia; id tamen neget & pernegat vir doctissimus Gabriel Albaspinæus episcopus Aurelianensis in lib. 2. Observationum de Veteribus Ecclesiæ Ritibus Observatione 1. ubi duo distinguens penitentiæ genera, quorum illa, quæ ante baptismum suscipiebatur, prima vocabatur; quæ post baptismum, secunda: de prima sic loquitur: (Primam non episcopus, non quivis sacerdos imponebat: sed sibi eam ad voluntatem aut arbitrium catechumenus irrogabat.) Et paulo post: (Prima intra privatos parietes agebatur. Hoc est catechumeni non in publicum prodire, aut sese in populi conspectum dare, horrido quodam sacco vestiti, cinere & pudore obsiti squalidique cogebantur . . . . . . sed pro voluntate & arbitrio a se penas sceleribus debitas repetebant.) Verum catechumenos cinere & pulvere obsitos publice apparuisse, præter ea quæ dicturi sumus postea, satis innuit S. Augustinus in epistola 54. novæ editionis ad Januarium, ubi reddens rationem celebratæ in cœna Domini lotionis sic scribit: (Si autem quæris cur etiam lavandi mos ortus sit, nihil mihi hac de re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora per observationem quadragesimę sordidata cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliqua die lavarentur.) Ut autem non voluntariam aut arbitrariam, sed vere necessariam & ab ecclesia imperatam credamus catechumenorum ante baptismum pœnitentiam, mihi multa persuadent. In primis S. Justinus martyr primævam ecclesiæ disciplinam describens in Apologia 2. de baptizandis ad propositum nostrum, (docentur, inquit, orare jejunantes, & a Deo anteriorum peccatorum veniam postulare, nobis cum illis una orantibus atque jejunantibus, deinde ducuntur ubi est aqua.) Quibus ex verbis sic argumentari licet: Si ante catechumenorum intinctionem, publicum fidelibus indicebatur jejunium, a fortiori catechumenis ipsis, quorum res tunc agebatur. Et ne quis dicat tam catechumenorum, quam fidelium voluntarium fuisse jejunium: nam præter quam quod id ex Justini verbis erui non potest; non desunt nobis alia veterum testimonia, quæ imperatum fuisse suadeant. Nam id omnino videre est in Actis Sancti Sebastiani, & Sancti Sylvestri: quæ quidem Acta Sancti Sylvestri licet adulterata, sunt tamen antiqua, & primorum temporum disciplinam nobis egregie repræsentant. Præterea Constitutiones Apostolorum libro 7. capite 23. illud absolute præscribunt; (Ante baptismum jejunet qui baptizandus est.) Et infra: (Qui vero in ejus mortem initiatur, primum jejunare debet; & postea baptizari.) Ubi vox *debet* necessitatem importat. Similiter & concilium Carthaginense IV. canone 85. Baptizandi nomen suum dent, & diu abstinentia vini & carnium, ac manus impositione crebra examinati baptismum recipiant.) Ecce lex, & quidem Ecclesiæ, clare & sine ambage, vini & carnis abstinentiam imponens. Non ergo erat voluntaria aut arbitraria. Idem videre est apud Socratem duobus in locis, scilicet lib. 7. cap. 17. ubi agitur de Judæo quodam impostore, qui cum a Paulo Novatianorum episcopo baptismum postulasset, (ille quidem Judęi voluntatem et studium laudavit, sed baptismum ei se daturum negavit, priusquam rudimentis fidei institutus esset, & complures ad hæc dies jejuniis vacasset.) Hic certe non arbitrarium fuit Judæo jejunium; sed ab episcopo imperatum. Alter locus est ex capite 30. ejusdem libri, ubi narrat quomodo principatu Theodosii Junioris Burgundiones christianam religionem amplexi sint; quos cum episcopus (septem dies jejunare jussisset, ac fidei rudimentis instituisset; octavo tandem die baptismo donatos dimisit.) Idem etiam eruitur ex epistola Herivæi Remensis archiepiscopi ad Witonem Rotomagensem archiepiscopum, in cujus capite 6. duo testimonia profert de baptismo Clodovei Francorum regis, unum ex Vita S. Remigii, qui regi & ejus populo *jejunium secundum consuetudinem Christianorum* indixisse dicitur, alterum ex vita S. Vedasti Atrebatensis episcopi, quo constat Clodoveum regem aliquantis cum S. Remigio diebus moratum fuisse, (ut ecclesiasticis functionibus satisfaceret, & pœnitentiæ secundum apostolicum præceptum prius ablueretur lacrymis, dicente B. Petro principe apostolorum: Pęnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.) Quibus ex verbis edocemur primos christianos non dum arbitrariam aut quolibet modo necessariam, sed *præcepto apostolico* respexisse baptizandorum pęnitentiam. Denique ut infinitas hujusmodi auctoritates omittam, S. Gregorius Papa permittens ut Judæi agri Agrigentini non expectato Paschæ tempore, ne forte periculum esset in mora, baptizarentur, Faustino defensori ita scribit: (Cum episcopo loci ipsius loquere, ut pœnitentia & abstinentia quadraginta diebus indicta, aut die Dominico, aut si celeberrima festivitas fortasse occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizet.) Quis non videat hic impositam esse ab episcopo pęnitentiam & indictum jejunium? Non ergo erat arbitrarium ad voluntatem catechumeni, sed potius ad arbitrium episcopi, qui illud breviabat aut prolongabat prout expedire judicabat. Nam aliquando quadraginta, aliquando triginta, aut viginti, vel quindecim, aliquando septem dumtaxat diebus, immo tribus aut uno die jejunabatur. Quin & ipsi infantes quamdam pęnitentię umbram ante baptismum suscipiebant. Audiendus hac de re S. Hildephonsus Toletanus archiepiscopus in libro annotationum de ordine Baptismi cap. 21. (Hi (scilicet catechumeni) si majores ætate sunt,

cum

cum actione penitentiæ veniunt. Si minores sunt, in signo penitentiæ per stramenta ciliciorum a ministris deducuntur ad sacerdotem, ut qui per se non possunt agere pœnitentiæ opus, in se habeant penitentiæ signum, propter ætatis minimæ tempus, & hoc teneatur in penitendi effectu, quod notetur in penitentiç signo.) Vide ejusdem lib. cap. 30.

XI. Quod de jejunio hactenus dicturo est, idem de continentia seu abstinentia a conjugibus constat ex S. Augustino, scilicet imperatam fuisse ab Ecclesia. Id probat locus ex libro de Fide, & Operibus a nobis supra citatus, ubi illicitam esse ait catechumeno solemnibus ante baptisma diebus copulam cum uxore carnalem, licet alio tempore esset permissa. Atque ut inde probet adulteros ad sanctum lavacrum non esse recipiendos, mox addit: [Quomodo igitur ad illa sancta recusans correctionem adulter admittitur, quo recusans observationem non admittitur conjugatus.) Porro si recusans continentiæ observationem ad baptismum non admitteretur conjugatus, ea ergo illi non erat arbitraria aut voluntaria, sed prorsus necessaria & ab ecclesia imperata. Idem confirmat S. Cæsarius Arelatensis episcopus Sermone 267. in Appendice tomi quinti S. Augustini novæ editionis: (Ante omnia quicumque se has culpas habere vident, observent ut castitatem, & ante baptismum custodiant, & post baptismum non parvo tempore se a voluptate custodiant, vinum vero & illis diebus parum accipiant, & cum dies Paschæ venerint, cum grandi se cautela a crapula & ebrietate custodiant.) Idem de depositione vestium splendidarum & induendo cilicio dicere possemus, ut patet ex Actis S. Sylvestri, quæ licet corrupta, ut diximus, tamen quia vetusta, antiquam Ecclesiæ disciplinam repræsentant. Porro in his S. Sylvester Custantino regenerari in Christo cupienti fertur dixisse: (Eaiga a te hac una hebdomada jejunium, & deposita purpura, intra in cubiculum tuum, ibique induere cilicio, prostratus humi &c.) Quæ quidem verba citat Herivens Remensis episcopus in præcitata ad Witonem Rotomagensem apistola. Denique S. Augustinus Serm. 351. novæ editionis tres distinguit pœnitentiæ actiones, quæ suo tempore *usitata in Ecclesia Dei* erant: unam ante baptismum, a qua *soli*, inquit, *parvuli sunt immunes*. Quibus ex verbis inferre licet adultos ad eam astrictos fuisse. Et Sermone sequenti ita loquitur: (Neque ante baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quisqeam bene accedit, nisi agendo penitentiam de vita pristina.) Porro si arbitraria fuisset illa penitentia; eam non agendo quisquis ad baptismum *bene* accessisset.

Confessio ante Baptismum.

XII. Inter omnia autem catechumenorum ad sacrum lavacrum se præparantium exercitia, singulare est quod de confessione peccatorum facienda fertur. Et tamen præter Tertulliani, quod supra protulimus, testimonium, atque antiqui auctoris Sermonis in Psalmum xli. qui habetur ad tom. 6. operum S. Augustini novæ editionis, idem confirmat S. Gregorii Nazianzeni Sermo in sanctum lavacrum, in quo ad baptizandos, (ne dedigneris, inquit, tuum prodere peccatum, cum scias quemadmodum Joannes baptizabat; ut confusione præsenti futuram evadere possis, ac perspicuum facias te serio, & ex animo peccatum odisse, ac detestari, dum illud tamquam contumelia dignum traducis, ac velut ludibrio exponis, de eoque triumphum agis.) His accedunt Eusebius, & Socrates, quorum primus in lib. 4. de Vita Constantini imperatoris cap. 61. ordinem baptismi illius describens, sic loquitur: (Hæc cum secum reputasset, genu flexo humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in martyrio, quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere.) Alter vero in Historiæ Ecclesiasticæ libro 5. cap. 17. agens de Serapidis templi subversione, dicit quod tunc temporis, (multo plures ad christianam religionem se contulerunt, & *peccata sua confitentes*, baptismum Christi susceperunt.) Hinc Thaisi meretrici ad Sancti Nonni episcopi pedes prostratæ, & baptismum enixe postulanti, dixit Romana diaconissa, (Surge filia ut exorcizeris; dixitque ei: Confitere omnia peccata tua.) Apud Surium 8. Octobris. Et S. Briocus in Vita ejus ms. patrem infidelem ad baptismum instituens, ajebat: (Convertimini ergo cuncti, & peccata vestra confitentes, baptismum suscipite.)

ARTICULUS XI.

De Scrutiniis.

Scrutinium quid.

I. INter ea quibus ad baptismum præparabantur christianæ religionis candidati, locum non infimum tenere debent scrutinia: sic vocabatur tota illa actio, quæ certis in quadragesima diebus super catechumenis & competentibus celebrabatur, totaque erat in precibus, exorcismis, traditione, & redditione symboli orationisque Dominicæ: sic dicta, (eo quod ibi scrutarentur corda credentium & dubitantium a sacerdotibus, ut intelligerent, quis ad baptismum jam rite admitteretur, quis adhuc differetur,) ut loquitur Leidradus in libro de Baptismo cap. 1. Et recte quidem, nam ut ait Theodulphus Aurelianensis episcopus in libro de Baptismo cap. 8. (qui illius sunt ætatis, ut rationem credulitatis suæ reddere possint, diligenti examine scrutandi sunt, utrum veraciter credant, an alicujus falsitatis in eis macula celetur, ne dum aut timore aut favore terrenarum potestatum, aut acquisitione quarumdam rerum ad baptismatis sacramentum ignorantibus ministris Ecclesiæ perveniant, tradatur sanctum canibus, & margaritæ mittantur ante porcos, & lupi ovina pelle vestiantur.)

Scrutinia in aliis ecclesiis præter Romanam adhibita.

II. Scrutinia in sola Romana ecclesia, aut in ecclesiis quæ ritus Romanos sequebantur, celebrata esse contendit Josephus Vicecomes in libro 3. de Baptismi ritibus capite 21. Verum suæ ipsius ecclesiæ oblitus fuisse videtur vir doctissimus. Nam Mediolanensis, uti & Africana, Hispanica, Gallicana, aut etiam Græca, quæ proprium, non Romanum Ordinem observabant, sua æque habuere scrutinia. De Mediolanensi testem locupletissimum habemus S. Ambrosium in libro de Mysteriis cap. 1. ubi sic loquitur: (Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere sacramentorum carpite, quod vobis significavimus, cum apertionis celebrantes mysterium diceremus Epheta, quod est adaperire, ut venturus unusquisque ad gratiam, quid interrogaretur cognosceret: quid responderet meminisse deberet.) Quibus verbis solemnissimum omnium scrutinium, quod dicitur *in apertione aurium*, designat. De Africana non minus constat, tum ex concilio IV. Carthaginensi canone 85. quo decernitur, ut baptizandi datis nominibus crebra manus impositione *examinati* baptizentur: tum ex his Sancti Augustini verbis in libro de Fide & Operibus: (Quales sint ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, *scrutantur*.) De Hispanica, probatio repetitur ex concilii tertii Bracarensis canone 9. quo decernitur, ut (mediante quadragesima ex viginti diebus baptizandos infantes ad exorcismi purgationem offerant.) Ad Gallicanam ecclesiam quod spectat, quam inter alias scrutinia celebrasse negat Vicecomes, nullum dubitandi locum permittit vetus Missale Gallicanum a Josepho Maria Thomasio editum, in cujus pagina 151. leguntur *præmissiones ad scrutamen*. Vicecomitem decepit concilii Moguntini cap. 5. in quo hæc leguntur: (Sacramenta itaque baptismi volumus ut concorditer atque uniformiter secundum Romanum Ordinem inter nos celebrentur jugiter atque conserventur, id est scrutinium ad ordinem baptismatis, sicut in decretis Leonis papæ in duobus continetur capitulis.) Idem quoque præcipitur in Capitularium Regum Francorum lib. 5. cap. 372. Quę verba sic accepit quasi tunc primum instituta essent scrutinia. Verum toto hac in re aberrat cœlo: nam primo concilium non dicit simpliciter ut celebrentur deinceps scrutinia; sed *secundum Ordinem Romanum*; quia antea fiebant secundum Ordinem Gallicanum, qui paulo ante abrogatus fuerat in Galliis. Deinde nec præcipit concilium ut instituantur, sed ut *conserventur* scrutinia, quæ proinde jam instituta erant. Denique ea etiam fuisse in usu apud Gręcos facile colligi potest ex S. Cyrillo Hierosolymitano.

Scrutinia quando fierent.

III. Scrutinia in ecclesia Romana septem in quadragesima celebrata fuisse consentiunt quotquot de ritibus ecclesiasticis scripserunt auctores. De diebus vero, quibus ea iniri consuetudo esset, ita disserit Josephus Vicecomes libro 3. de Baptismo capite 23. (Hoc ex probatis auctoribus certi habeo: primum quarto die hebdomadæ tertiæ, secundum sabbato ejusdem hebdomadæ, tertium,

quarto sequentis, & septimum eo qui inter Christum patientem & redivivum interjectus est, communi ecclesiæ consuetudine facta fuisse. Reliqua quartum, quintum & seatum nullum tempus certum, sed varium episcopi arbitretu habuerunt.] Mihi autem Romanum Ordinem diligentius evolventi visa sunt duo prima scrutinia in tertia habdomada quadragesimæ facta, scilicet feria quarta & sabbato, tertium feria quarta hebdomadæ quartæ, quartum & quintum hebdomada quinta, seatum & septimum seata, atque ita videre est in optimæ notæ codice vatustissimo Wertinensis cænobii in diæcasi Monastariensi. Sed in epistola Jesse Ambianensis episcopi a nobis jam aliquoties citata seaum scrutinium; in antiquis libris Sacramentorum Gallonensis monasterii & Noviomensis ecclesiæ ante annos 900. scriptis septimum feria 4. ultimæ hebdomadæ consignatur, in quibus primum uti & in Pontificali Juvavensi sive Salisburgensi, in quo Ordo Romanus vulgatus continetur, notatur feria secunda hebdomadæ tertiæ. In vetustissimo autem pontificali ecclesiæ Bisuntinæ septimum scrutinium præscribitur sabbato sancto ante seatam celebrendum. At vero Guillalmus Durandus lib. 6. Ration. cap. 56. sua singulis diebus singula assignat scrutinia hoc modo: (Fiebant enim in primitiva ecclesia septem scrutinia, duo scilicet in quarta feria & sabbatu tertiæ hebdumadæ, & duo in hac quarta feria & sabbato hujus quartæ hebdomadæ, & duo in quarta feria & sabbato quintæ hebdomadæ, & unum in quarta feria ultimæ hebdomadæ, in quibus adulti qui venturi erant ad baptismum docebantur orationem Dominicam & symbolum, ut in sequanti tunc sabbatu, in quo baptizandi erant, utrumque ante baptismum scirent,) Et hæc de scrutiniorum diebus in Romana Ecclesia solemnibus, & quidem ante collatum sabbato sancto baptismum. Nam longe alia erat ratio baptismi, qui in vigilia Pentecostes celebrabatur. Qui an sua etiam habuerit scrutinia non vocat dubio, tum propter altum ubiqua silentium apud auctores, qui vel minutatim ecclesiasticos ritus explicuere, quæ ratio militat pro baptismo in Epiphania seu Natali Domini celebrato, tum propter gaudium & solemnitatem Resurrectionis Dominicæ, cui non competit jejunium, afflictio & pœnitentia, quæ scrutinia comitabantur. His accedit Leonis Papæ testimonium in epistola 136. novæ editionis ad Universos episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos, in qua nonnullos ex eis redarguens, qui in martyrum natalitiis baptizare præsumpserant, ait, eos (sina ullis spiritualium eruditionibus præparationum, ita rudibus & imperitis tradere sacramentum, ut circa renovandos nihil doctrinæ ecclesiasticæ, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa jejunia, quibus vetus homo destruitur, operentur.) His rationum momentis omnino moveri possem ad deneganda anta baptismum Pentecostes scrutinia, nisi mihi hac de re sollicite inquiranti tandem occurrissent ipsa scrutiniorum tempora in præcitato Gellonensi Sacramentorum libro, non quidem septem numero, sed tria dumtaxat, quorum primum septimo anta Pentecosten die, secundum in sequenti feria 5. tartium sabbato celebraretur. Totidemque etiam ubservanda esse in baptismo Epiphaniæ. Sed & etiam anta Pascha non nisi tria pro infantibus saltam aliquibus in ecclesiis facta ulim fuisse indicare videtur Joannis Diaconi epistola ad Senarium tom. 1. Musei Italici, qui ipsum consuluarat *quare tertio ante Pascha scrutinentur infantes.*

IV. Quamdiu in ecclesia latina perseveraverint scrutinia, non satis constat. Josephus Vicecomes in libro tertio de Ritibus baptismi cap. 26. ea desiisse circa annum 860. existimat, ad id credendum adductus auctoritate seu potius loquendi modo Ruperti & Hugonis Victorini, qui de scrutiniis tamquam de cæremonia, quæ olim *fiebat* mentionem faciunt. Sed hi nimis remoti sunt testes ab anno 860. quam ut persoadeant nos tam cito desiisse scrutinia. Et certe ea observari mandat Riculfus Suessionensis episcopus in Constitutione anno 889. edita cap. 8. immo longe postea observata fuisse discimus ea concilio Lemovicensi II, anno 1031. calabrato, in quo hæc lego: (Parochiani siquidem S. Petri ecclesiæ Cairogensis & quicumque ea principibus ea omni Lemovicinu volunt filios suos *ad scrutinium in quadragesima*, & ad baptizandos in Pascha, sive in Pantecosta, ad hanc deferent sedem.) Præterea Guillelmus Durandus episcopus Mimatensis, qui diu post Rupertum & Hugonem Victurinum vixit, non solum ecclesiam Italiæ scrutinii solamnitatem observasse asserit, sed quasdam alias etiam ecclesias. De sinceritate Durandi dubitare videtur Vicecomes: At tanta non est ejus suspicionis auctoritas, quæ viro doctissimo & in ritibus ecclesiasticis versatissimo fidem omnem abrogat, maxime cum hanc gloriam sibi hactenus retinuarit insignis ecclasia Viennensis in Gallia, quæ hodie quoque solemnissimum omnium scrutinium, quod *in apertione aurium* dicitur, observat, uti & Leodiensis, quarum inferius ordines integros referemus. His de scrutiniis quasi genaratim dictis, jam singuli eorum ritus investigandi sunt.

Scrutiniorum ritus.

V. Illud in primis obsarvandum est quod in scrutiniis repetebantur ritus omnes, ad faciendos catechumenos adhiberi soliti, hoc est manuum impositio, signi crucis in frontem impressio, exorcismi, aurium & narium tactus, inunctio, symboli & orationis traditio atque redditio. Sed in vulgato Ordine Romano ante omnia præscribitur Benedictio cineris, super caput eorum qui scrutinia essent subituri, mox aspergendi. Deinde presbyter singulorum aures & nares sputo oris sui tangens dicebat: *Epheta quod est adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.* Verum utriusque hujus ritus nulla fit mentio in nostris Ritualibus libris aut Sacramentariis; sed neque in Pontificali Salsburgensi, in quo tamen pene de verbo ad verbum Ordo Romanus continetur, neque in epistola Jesse Ambianensis episcopi, neque apud auctores qui de scrutiniorum ritibus scripsere. Porro ad exorcismos, quæ scrutiniorum temporibus fiebant, respicera videtur locus ex Hildephonsi Toletani archiepiscopi lib 5. adnotationum de cognitione baptismi cap. 28. apud Baluz. Miscell. tom. 6. (Hinc autem exorcisationis tempore bene in conventu ecclesiæ, antequam exorcismi dicantur, profertur lectio Isaiæ prophetæ, in qua dicitur: *Numquid tolletur a forte præda?* &c. Item Petri ad Gentes: *Vos autem genus electum*, &c. Marci quoque evangelistæ, quæ hujus effetationis revelat sacramentum.)

VI. Sequitur duplex a presbytero facienda interrogatio. Una de abrenunciatione diabolo, altera de confessione fidei. Utraque etiam notatur in Pontificali Salisborgensi, & apud Durandum in Rationali Divinorum Officiorum lib. 6. cap. 56. qui & ab acolytho faciendam asserit. Postea insufflatio in faciem catechumeni dicendo: *Exi, immunde spiritus, & da locum Spiritui-sancto paraclito.* Tum crucis impressio in frontem ejus, addendo: *In nomine Patris & Filii, & Spiritus-sancti.* Et hæc quidem Ordo Romanus, Pontificale Salisborgense & Durandus, da quibus altum alibi silentium. In antiquo codice Gellonensi duplex habetur Ordo conferandi baptismi, in cujus secundo præscribitur præfata crucis impressio. Et apud S. Augustinum libro 1. de Symbolo ad catechumenus cap. 5. insufflationis fit mentio his verbis: (Sicut vidistis hodie, sicut nostis, & parvuli exsufflantur & exorcizantur, ut pellatur ab eis potestas iniqua.) Ea quibus postremis verbis patet etiam in scrutiniis adhibitos fuisse exorcismos in acclesia Africana, quod & amplius constat ex ejusdem S. Augustini libro de Fide & Operibus, ubi hæc habet: (Quales sina ipsis diebus quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur;] & ex Sermone 216. novæ editionis ad competentes, quos sic adhortatur: (Quod in vobis adjurato vestri Redemptoris nomine facimus, hoc vestri cordis scrutatione & contribulatione complete; nos precibus ad Deum & increpationibus invetarari hostis dolis resistimus; vos votis & vastri cordis contritione persistite, ut eruamini de potestate tenebrarum,) &c. Et infra: (Et vos quidem cum scrutaremini, atque ipsius fugæ ac desertionis persuasor in Trinitatis omnipotentia debite increparetur, non induti cilicio, sed tantum vestri pedes in eodem mystice constiterunt.)

VII. Quod de pedibus in cilicio mystice consistentibus hic ait Augustinus, alium indicat scrutiniorum ritum, quem ipse etiam tradit in libro 2. de Symbolo ad catechumenos cap. 1. his verbis; (Quid est, dilectissimi, quod in vobis celebratum est? Quid est quod hac nocte circa vos actum est, quod præteritis noctibus actum non est? Ut ea locis secretis singuli produceremini in conspectu totius ecclesiæ, ibique cervice humiliata, quæ male ante fuerat exaltata, *in humilitate pedum, cilicio substrato*, in vobis celebreretur examen, atque ex vobis extirparetur diabolus superbus, dum super vos invocatur est humilis altissimus Christus.) Et libro 4. cap. 1. (Omnia sacramenta quæ acta sunt, & aguntur in vobis per ministerium servorum Dei, exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum,) &c. Porro cilicium non pedibus simpliciter sternebatur; sed pedibus nudis, id quod innuit ipse Augustinus, dum ait *humilitate pedum*; confirmatque Odilbertus Mediolanensis archiepiscopus apud Mabillonium Analectorum tom. 4. in libro de Baptismo, cujus caput 22. est *de pedum nuditate*. Et Joannes Diaconus in epistola ad Senarium in Musei Italici tomo 1. (Hi etiam

in

in nudis pedibus jubentur incedere, ut depositis morticinis & carnalibus indumentis, agnoscant se illius viæ iter arripere, in qua nihil asperum, nihil potest inveniri nocivum.]

VIII. Græci non solis erant pedibus nudis, sed toto insuper corpore, uno & simplici amictu contracto, ut patet ex S. Chrysostomi homilia ad illuminandos: (Vellem, inquit, hoc primum meo declarare sermone ..... cur per nostrum magisterium imbuti, pedibus nudis, uno tantum vestimento concesso, ad vocem exorcizantium accedunt.) Quod vero supra dicebat Augustinus, cathecumenos *humiliata cervice* exorcismos excepisse, in memoriam revocat alium ritum apud Græcos usitatum, apud quos eo tempore velato capite, ut declarat his verbis S. Cyrillus Hierosolymitanus Præfatione ad suas Catecheses: (Absque exorcismis anima progredi non poterit; divini enim sunt, ex divinisque scripturis collecti. *Velatus est vultus tuus*, ut mens tua vacet, neve oculus vagus efficiat, ut & mens vagetur.) De exorcismis autem catechumenis faciendis non prætereundus est canon 1. concilii 1. Bracarensis, quo præscribitur, ut episcopi clericos doceant, (ut sicut antiqui canones jubent, ante viginti dies baptismi, ad purgationem exorcismi catechumeni currant. In quibus viginti diebus omnino cathecumeni symbolum, quod est *credo in Deum Patrem omnipotentem*, specialiter doceantur.)

IX. Denique & illud observandum est, viros a mulieribus in baptisteriis sive in ecclesiis separatim fuisse constitutos, ut legimus in Ordine Romano, & aliis Pontificalibus libris, constatque ex supra citata S. Cyrilli Præfatione ad suas Catecheses: (Reverentiam adhibe cum fit exorcismus, quo usque alii exorcizati aderunt, viri cum viris, mulieres cum mulieribus.) Hinc forte & apud S. Augustinum lib. 22. de Civitate Dei, cap. 8. Innocentia religiosa femina, quæ cancrum in mamilla habebat, (admonetur in somnis appropinquante Pascha, ut *in parte feminarum* observanti ad baptisterium quæcumque illi baptizata primitus occurrisset, signaret ei locum signo Christi.) Cæterum qui apud latinos in scrutiniis breves erant exorcismi, apud Græcos valde prolixi recitabantur. Unde & S. Gregorius Nazianzenus Oratione in sanctum lavacrum: (Ne ægre feras exorcismi culturam longiorem, neque ob illius prolixitatem fatigeris.) Hi sunt præcipui ritus in scrutiniis adhiberi soliti, quos præter in rarito, quod omnium erat solemnissimum, alii insuper observabantur, ut sunt inunctio, cujus meminerunt Ordo Romanus, Pontificale Salisburgense, & Joannes Diaconus in epistola ad Senarium. Atque symboli & orationis Dominicæ traditio, de qua hic pauca subjicienda sunt.

Symbolum quid & quodnam traderetur catechumenis.

X. [Symbolum, ut ait S. Augustinus, Serm. 213. est breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat, non oneret memoriam.) Quæ ideo, *symbolum dicitur*, ut addit idem Augustinus in sermone 214. qui ex ms. codice S. Remigii Remensis novæ editioni accessit, (quia ibi nostræ societatis fides placita continetur, & ejus confessione tamquam signo dato christianus fidelis agnoscitur.) Cum ergo symbolum sit brevis fidei nostræ regula, tot possunt esse symbola, quot formulæ fidei christianæ normam continentes efformari queunt. Verum celebriora præ omnibus duo fuerunt, apostolorum scilicet & Nicænum. Et quidem primis Ecclesiæ temporibus traditum fuisse electis cathecumenis apostolorum symbolum nullus dubitat. At vero post Nicænum concilium, conscriptum & approbatum a trecentis decem & octo patribus vulgo tradi cœpit, ut palam fit ex concilio Constantinopolitano sub Mena Patriarcha Actione V. Ubi hæc lego: (Nam specialiter symbolum trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, in quo baptizantur, ipsæ tres sanctæ synodi consone confirmarunt.) Et infra: [Neque enim conceditur aliquid commoveri, & circa novitates vocum & subtilitatem sermonum occupari fideles; sed adhærere sancto symbolo *in quo omnes baptizati sumus*, & quod cum Sancto Spiritu Nicæna synodus pronunciavit.) Idem constat ex epistola encyclica Basilisci imperatoris apud Evagrium libro 3. Historiæ ecclesiasticæ cap. 4. & ex Zenonis Henotico ibid. cap. 14. cujus hæc verba: (Sed & omnes qui salutarem baptismum percipiunt, hoc solo accepto symbolo, baptizantur.) Clarius ex Isaaco Armeno catholico apud Combeficium, qui ut ostenderet quam male nonnulli exemplum Christi ad suæ sententiæ tutamen trahunt, inter alia hæc habet: (Christus baptismum suscepturus non recitavit symbolum fidei trecentorum decem & octo SS. Patrum; nec itaque illi profiteantur.) Constantinopolitanum tamen notatur in vulgato Ordine Romano, in Ordine Gelasiano, in Pontificali Salsburgensi, in vetustissimo codice Remensi annorum 900. & in primo Ordine scrutinii codicis Gellonensis. Nam in secundo vulgatum apostolorum describitur. Alias etiam fidei formulas pro temporum necessitate baptizandis traditas non ambigo. Prolixam vidi in ms. codice sancti Albini Andegavensis cum duplici Alcuini explicatione Rituum baptismi, quam hunc ad usum olim adhibitam fuisse satis est probabile.

Quo die traderetur.

XI. Diem tradendo electis symbolo assignant vulgo Dominicam in Ramis Palmarum dictam. Et sane ea fuit Gallicanæ, Hispanicæ & Mediolanensis ecclesiæ consuetudo. De Gallicana extat concilii Agathensis hoc decretum cap. 13. (Symbolum etiam placuit omnibus ecclesiis una die, idest ante octo dies Dominicæ Resurrectionis publice in ecclesia competentibus dari.] De Hispanica testis est oculatus S. Isidorus in lib. 2. de divinis Officiis cap. 17. quod de Dominica Palmarum inscribitur: [Hac autem die, inquit, symbolum competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paschæ solemnitatem, ut qui jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confiteantur agnoscant.) Et tamen concilium Bracarense 1. c. 1. jubet ut viginti diebus ante baptismum cathecumeni, symbolum doceantur. Ad Mediolanensem quod spectat, unius Ambrosii, insignis illius ecclesiæ antistitis, sufficere debet auctoritas. Sic autem loquitur in epistola 20. novæ editionis ad Marcellinam sororem scribens: (Sequenti die (erat autem Dominica) (scilicet Palmarum, ut ex ipsa epistola clarum est,) post lectiones & tractatum, dimissis catechumenis, symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ.) Cui consonat Atto Vercellensis episcopus in suo Capitulari cap. 16. Spicil. tom. 8. ubi inserit Statutum concilii Agathensis. Idem generatim asserunt Rabanus libro 2. de Institutione Clericorum cap. 35. & vulgatus Alcuinus de Divinis Officiis capite de Dominica Palmarum.

XII. At longe alium fuisse Ecclesiæ Romanæ morem discimus ex ordine Romano, traditum scilicet fuisse symbolum simul & orationem Dominicam feria quarta hebdomadæ quartæ quadragesimæ in solemnissimo omnium scrutinio, *in apertione aurium* dicto.

XIII. Alius etiam extitit usus Africanæ ecclesiæ, in qua symbolum tribus ante Pascha hebdomadis, scilicet sabbato ante Dominicam quartam quadragesimæ tradebatur, reddendum octo post diebus, scilicet sabbato ante Dominicam quintam, in quo tradebatur oratio Dominica, & ipsa octavo post die reddenda, nimirum sabbato ante Dominicam Palmarum; ac demum sabbato sancto redditum fuisse secundo symbolum propter eos qui prima vice illud memoria minus tenaci retinuerant. Quæ quidem omnia nondum hactenus satis cognita aut exposita patent ex S. Augustino. Et primo quidem traditum fuisse symbolum octo ante orationem Dominicam diebus, ipse declarat in Sermone 213. novæ editionis, qui secundus est in Traditione symboli, his verbis: (Remissio peccatorum non est in sola ablutione baptismatis, sed etiam in oratione Dominica & quotidiana, quam post octo dies accepturi estis.) Redditum vero primo fuisse octavo post die, cum traderetur oratio Dominica, eamque octavo post die redditam idem docet in Sermone 58. ubi sic loquitur: (Tenete ergo hanc orationem, quam reddituri estis ad octo dies. Quicumque autem vestrum non bene symbolum reddiderunt, habent spatium; teneant, quia die sabbati audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri estis die sabbati novissimo, quo die baptizandi estis. Ad octo autem dies ab hodierno die reddituri estis hanc orationem, quam hodie accepistis.) Denique redditum secundo symbolum sabbato sancto constat, tum ex hoc loco, tum ex his quæ infra scribit: (Ideo die sabbati quando vigilaturi sumus, in Dei misericordia reddituri estis non orationem Dominicam, sed symbolum.) Ex postremis his verbis refutatur nonnullorum opinio, qui censent orationem Dominicam redditam fuisse sabbato sancto, multumque insudarunt, ut traditionem & redditionem symboli & orationis Dominicæ una hebdomada a me anticipatam fuisse demonstrarent. Nam S. Augustinus perspicuis docet verbis, sabbato sancto *non orationem Dominicam*, *sed Symbolum* reddendum, secunda scilicet vice. His concinit concilium Bracarense I. c. 1. præscribens viginti ante baptismum diebus catechumenis symbolum tradi, id est tribus ante hebdomadis. Porro licet S. Augustinus expressis non dicat verbis traditum fuisse primo symbolum die sabbati, nec octo intercessisse dies inter redditam orationem Dominicam & sabbatum sanctum;

ctum; id tamen ita esse facile conjicimus, quia octavo ab invicem die hæc omnia celebrata esse scrutinia, tearus ejus satis innuete videtur, quamvis ad ita stricte his inhærendum neminem cogamus.

XIV. Aliam etiam fuisse ecclesiæ Bathlaamitanæ consuatudinam docet S. Hieronymus apistola 61. ad Pammachium, qui illa in ecclesia symbolum competentibus na traderetus præceperet. (Consuetudo apud nos istiusmodi ast, inquit, ut iis qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publice tradamus sanctam & adorandam Trinitatem.)

XV. Sed in ecclasia Constantinopolitana symbolum tantum in Parasceve tradebatur, ut scribit Theodorus lector in Historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. his verbis: (Timothæus symbolum fidei trecentorum & octodecim Patrum in singulis collectis recitare præcapit: in odium scilicar Macedonii, quasi illa non susciperet id symbolum, quod antea semel rantum recitabatur quotannis dia magnæ Paresceves, sivu Dominicæ Passionis, dum episcopus baptizandos catachizaret.] Idem Nicephorus lib. 16. cap. 35.

XVI. In tradendo porru symbolo bic ordo servabatur. Præmisso brevi proloquio, episcopus iotagrum symbolum recitabat, tum illud per partes fusius axponebat. Ita constat ex Sancti Augustini Sermone 214. In ecclesia Romana bis recitabatur, primum græce super masculos; deinde latine super feminas. Ita atiam præscribitur in antiquo codica Remensi, in Pictaviensi, & in primo Ordine scrutinii codicis Gallonensis: secus in secundo & in epistola Jessa Ambianensis episcopi, scilicet latine super utrosque. Sed in ecclesia Gallicana ante receptum in ea Romanum Ordinem tertio rapetebatur latino idiomate. De ratione vero ac modo tradendi symboli in Ecclesia Mediolanansi ita scribit Beroldus: [In traditiona autem symboli omnia tintinnabula sunt sonanda, & cuncta ostia claudenda. Tunc incipit symbolum archiepiscopus, & dicit regenerandis in majori tono avangeliorum: Signata vos & audire symbolum. Credo in Deum Patrem omnipotentam. Itam signata vos & audite symbolum. Credo in Deum; & semper acolythi debent admonere mulieres, ut signent pueros in frontibus per singulas vices. Finito Credo in unum Deum hoc modo tribus vicibus, tunc debet dici Credo in tono evangeliorum. Finito canto & tractatu, tunc archiepiscopus dicit excelsa voce: Accepistis dilactissimi, in majori tono evangeliorum.) Ea his verbis patat, quatas in ecclesia Mediolananfi symbolum fuisse recitatum, scilicet *tribus vicibus* in majori tono uvangeliorum, & semal in quotidiano.

XVII. Ad orationam vero Dominicam quod spectat, antequam traderetur, publice cantabatur in ecclesia ea pars evangalii, in qua continatur, ut constat ea his Sancti Anguilini varbis Sermone 59. (Oratio autem, quam accepistis tenendam, & ad octo dies reddendam, sicut audistis cum avangelium legeretur, ab ipso Domino dicta ust discipulis suis.]

XVIII. Ea dictis hactenus satis constat dias raddendo symbolo assignatus, scilicer sabbatum sanctum in ecclesia Romana, ut vidare ast in S. Gregorii papæ libro Sacremuntorum, in quo hac die legitus oratio *Ad reddentes* cum hac rubrica, *Dominus papa post Pisteveis*? non vero *post Pistrugir*, ut in omnibus penu sacramentorum libris mendose legitus. Qui locus rastituendus est ad fidem ms. codicis S. Benigni Divionensis anta annos 800. eaarati. Est autem *Pisteveis* voa græca πιςένεις, id ast *Credis*? qua interrogationes symbolum reddentibus factæ incipiebant. In Africana autam octavo post illius traditionem die symbolum reddebatur, ut præter Augustinum docet Ferrandus diaconus in epistola ad Sanctum Fulgentium, quæ intar Fulgentianas est 11. & sabbato sancto. Sed in concilio Laodiceno canona 46. decernitur, ut baptizandi fidei symbolum discant, & quinta feria ultimæ septimanæ vul apiscopo, vel presbyteris reddant. Porro huuc ad locum aut ad aliquod ea scrutiniis referri possa videtur antiquus ecclesiæ Romanæ ritus profitendæ fidei coram omni populo ex eminenti loco, de quo Victorinum Rhetorem laudar S. Augustinus in libro 8. Confessionum cap. 2. quod non arubuerit Christum coram hominibus. Sancti doctoris verba nimis pulcra sunt, quam ut hic prætarmittantur: (Denique ut ventum est ad horem profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis retentisqua memoriter de loco eminentiore in conf ectu populi fidelis Romæ reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicabat Victorino a presbytaris, ut secretius reddaret, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbant, offerri mos erat: illum autem maluisse salutam suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri. Non enim arat salus quam docebat in Rhetorica, & tamen eam publice professus erat. Quanto minus ergo vereri debuit mansuatum gregem tuum pronuncians verbum tuum, qui non verabatur in verbis suis turbam insanorum? Itaque ubi ascendit, ut redderet, omnes sibimet invicem, quisqua ut eum noverar, instrepuerunt nomen ejus strapitu gratulationis. Quis autem ibi non eum novesat? Et sonuit presso sonitu per ore cunctorum collætantium, *Victorinus*, *Victorinus*. Cito sonuerunt vasulratione, quia videbant eum; & cito siluerunt intentionu, ut audiant eum. Pronuntiavit ille fidem veracem præclara fiducia, & volebant eum omnes rapera intro in cor suum, & repiebant amando & gaudendo. Hæ rapientium manus erant.) Hactenus S. Augustinus, cujus verbis banc totam de scrutiniis disputationem claudere libuit. Nunc varo passim ubique antiquati sunt illi ritus, & nescio an prætar Viennensem ecclesiam in Gallia, ulla jam scrutinia celebret: quorum vica, ut scribit Petrus Danesius episcopus Vaorensis in libro 1. de Ritibus Ecclesiæ cap. 19. qui liber hactenus sub nomine Staphani Duranti vulgatus est: (In baptismo parvulorum Ecclesia catholica hac formola usa est. Primo legitur avangelium Marci 10. In illo tempora offerabant Jesu pervulos &c. Deinde jubet sacerdos, ut susceptoras seu patrini manus suas imponant capiti baptizandi, ac nomina ejus profiteantur symbolum, & orationem Dominicam pronuncient. Deinde sacerdos monet, ut parvulum, quam primam ad intalligentiæ & aationis usum pervanerit, doceant symbolum, & Dominicam orationem.)

XIX. Ut autam ea quæ de scrutiniis hactenus dicta sunt amplius elucescant, ac uno valut intuitu perspici queant, hic septem scrutiniorum Ordines subjicaru non pigebit. 1. Ex antiquo Missali Gallicano, quod publicæ utilitati vulgavit Josephus Thomasius. 2. Ex Missali Gellonensi annorum 900. 3. Ex vateri ecclesiæ Pictaviensis Pontificali ms., cujos caracter annos circiter 800. refert. 4. Ex vetusto codice cœnobii Wartinensis in diœcesi Monasteriensi. 5. Ea ms. ecclesiæ Viennensis qualis nunc observatur. 6. Ex codice Leodiensi. 7. Ea Græcorum Euchologio.

ARTICULUS XII.

In quo varii ad faciendum scrutiuium ordinea resaruntur.

ORDO I.

Ex antiquo Missali Gallicano.

IX. AD FACIENDUM SCRUTINIUM.

.... Da illi misericordiam tuam & pietatem per lavacri regenerationem, perduc uam ad gretiam spiritalam, ut nobiscum pariter tibi Domino Deo Patri omnipotenti laudes & gratias referat: indue eum in via varitatis, doce aum justificationes tuas. Per Dominum.

X. INCIPIT EXORCISMUS.

ADgredior ta, immundissime damnatu spiritus, qui es invatarator malitiæ, materies criminum, origo peccati: qui fraudibus, sacrilegiis, stupris, cædibus gaudes. Te, invocato Domini nostri Jesu Christi nomina, in O ..... mus & adiuremus per ejusdem majestatem atquu virtutem, passionem, ac rasurrectionem, adventum atque judicium, ut in quacumque parte membrorum latitas, propria te confessione manifestes, uagitatusque spiritalibus flagris, invisilibusque tormentis, vas quod occupasse æstimas, fugias; aapiatumque post habitationem tuam Domino derelinquas. Sofficiat quod prioribus sæculis per hominum corda pæne toto orbe dominatus es. Jam in dies singulos destruitur tuum ragnum, tuaque quotidie usqua in finem tela deficiant. Jam pridam præfigurata sunt ista, quæ peteris. Jam tu vastatus Ægyptiorum plagis, tu in Pharaone demersus, in Hierico destructus, in septem Chananæis gentibus strarus, per Samsonem in Allophylis subjugatus, truncatus in Golia per David, per Mardochæum in Aman suspensus, per Daniel in Bel dejectus, in Dracone panitus, per Judith in Holopherne transfossus, per Dominum humanis imperiis subjugatus, per Paulum cœcatus in mago, ustus in vipera, per Parrum in Simone disruptus, per omnes Sanctos fugaris, torqueris, elidaris, æternis ignibus & infernis tenebris deputetus. Undem hominem Dominus noster Jesus Christus in Adam secundo de te triumphat eximit. Abscede, abscede quocumque es: & corpora Deo dicata ne repetas. Interdicta sint tibi ista in perpetuo. In nomine Patris, & Filii, & Spiri-

Spiritus-Sancti, & in gloria Dominicæ passionis, cujus cruore salvantur: cujus adventum expectant, judicium confitentur. Per Dominum.

XI. INCIPIT EXPOSITIO VEL TRADITIO SYMBOLI.

SErmo & sacramentum totius symboli, fratres dilectissimi, fides est christiani hominis & vitæ: fides in spe, vita in re: fides in prælio, vita in regno: fides in opere, vita in retributione. Ac sic qui fidem cum operibus habuerit in hoc sæculo, vitam æternam recipiat in futuro: & ideo statim in principio symboli habet *Credo in Deum*, & postea in conclusione symboli *vitam æternam*. Sic ergo est symbolum, dilectissimi, quasi pulcherrimum ædificium bene cœptum, cujus & firmissimum est fundamentum, & vitæ æterna fastigium. Fides, fratres carissimi, vitæ ostium, vitæ principium, salutis est fundamentum. Qui divinæ mysteria intelligendo se magis capere æstimat quam credendo, sic facit, quomodo si aliquis, relicta via, petat devium; vel sine fundamento construat ædificium; vel per objectum parietem requirat ingressum. Adhibendum est itaque credulitatis salubre compendium; ubi imbecilla mens capere non potest cœleste secretum. Totum ergo credulitatis pectoris sinum ad vitalis carminis expandamus oraculum, quod ita incipit.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.
Credo & in Jesum Christum Filium ejus unigenitum sempiternum.
Qui conceptus est de Spiritu-Sancto, natus est de Maria Virgine.
Passus est sub Pontio Pilato; crucifixus, mortuus & sepultus.
Descendit ad inferna.
Tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad cælos.
Sedit ad dextram Dei Patris omnipotentis.
Inde venturus judicare vivos & mortuos.
Credo in Sanctum Spiritum, sanctam Ecclesiam catholicam.
Sanctorum communionem: remissionem peccatorum.
Carnis resurrectionem.
Vitam æternam. Amen.

Symbolum, fratres carissimi, non in tabulis scribitur; sed in corde susceptum memoriter retinetur. Et ideo juvat iterare, quod numquam convenit oblivisci.

C*Redo in Deum Patrem omnipotentem.*
Sicut optime novit caritas vestra, carissimi, fides omnium christianorum in Trinitate consistit: & ideo etiam tertium vobis textum symboli repetimus, ut ipse numerus repetitionis in signo conveniat Trinitatis.

C*Redo in Deum Patrem omnipotentem.*
Symbolum, fratres carissimi, quod audistis, totum vos in auris auditum convenire, ut semen verbi paratos sulcos inveniat, quibus salubriter insidens, & radices fortiter figere, & tempore retributionis uberes justitiæ fructus possit afferre. Sic ergo habet exordium symboli.

Credo in Deum Patrem omnipotentem. *Deum* cum audis, substantiam intellige sine initio, sine fine. Patrem cum audis, Filii intellige Patrem. Hoc ergo ipso nomine quod Deus Pater appellatur, cum Patre pariter subsistere etiam Filius demonstratur. Quomodo sane Deus Pater genuerit Filium, nolo discutias. Credendus est ergo Deus Pater unici Filii sui Domini nostri non discutiendus; neque enim fas est servo de natalibus Domini disputare. Contestatus est Pater de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Pater ipsum esse dicit Filium suum: ipsum audire jubet; quis est qui neget esse verum, quod Veritas dicit? sequitur. *Credo & in Jesum Christum Filium ejus unigenitum sempiternum.* Jesus Hebraici vocabuli nomen est, quod apud nos Salvator dicitur: Christus e chrismate, idest ab unctione appellatur. *Unigenitum*, inquit, Unicus est namque Patri Christus; ut splendor igni, ut forti virtus, ut sapientia sapienti.

Conceptus, inquit, *de Spiritu-sancto*. Spiritus ergo sanctus refertur Dominicæ carnis & templi creator. Incipe jam hinc intelligere etiam Sancti Spiritus majestatem. Sic enim ait evangelium, Spiritus-Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Videte ergo cooperantem sibi invicem Trinitatem. Spiritus Sanctus venire dicitur super Virginem, & Virtus Altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei Virtus & Dei Sapientia? Jamjam si jubetis, hæc quæ dicta sunt caritati vestræ sufficiant; & die crastina secundum consuetudinem vestram per ministerium fratrum nostrorum ea quæ restant maturius audietis. Quod ipsi

Natus, inquit, *de Maria Virgine*; *conceptus est de Spiritu-Sancto*; *passus sub Pontio Pilato*. Requiramus, dilectissimi, cur symboli conditores necessarium judicarunt, ut ipsius etiam Pilati nomen insererent. Ideo utique quia Antichristi multi futuri erant; ut nulla hæresis Christum alium diceret, cum unum utique esse constaret, quem sub Pilato passum symbolum tradidisset.

Crucifixus, mortuus & sepultus, tertia die resurrexit.

De manifesta & reprobata e multis Domini resurrectione licet evidentissime evangelia testata sint: tamen etiam Apostolus prædicavit dicens, resurrexisse ab inferis Salvatorem die tertia. (Si ea die qua mortuus est, vel nocte quæ secuta est, statim resurrexisset; vix eum aliqui crederent vere fuisse defunctum. Vides quia confirmatio mortis est dilatio resurrectionis: & e contrario mortis veritas rationis auctoritas est. Nisi enim quempiam prius ostenderis inclinatum, non convincis erectum: & e contra facile probabis in summo fuisse resolutum, cum docueris suscitatum.) Et quia visus est Cefæ, & post hæc illis undecim; Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul. O miram Domini & inæstimabilem pietatem! Parum ad confirmandum Ecclesiæ fidem existimavit, quod eum post resurrectionem omnes apostoli viderant, nisi videndum se etiam turbis adstantibus præbuisset. Sequitur autem in symbolo:

Ascendit ad cælos, sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Non corporaliter hic Dei dextra ostenditur, dilectissimi, quia Divina Majestas non secundum humanam speciem designetur sedere. Ideo ad dexteram Patris Filius dicitur, quia in eo nulla sinisteritas invenitur. Cum enim in scripturis sacris semper quod dexterum est, ad meliora; quod sinistrum, ad deteriora pertineat: Idcirco in Deo dextera, id est bona sunt: ubi sinistra, id est mala, possumus suspicari.

Inde, inquit, *venturus est judicare vivos & mortuos*. *Credo in Sanctum Spiritum*. Ad excludenda hæreticorum omnium calamitosa tormenta, eodem verbo credulitatis, quo in principio sui symbolum Patrem honoravit & Filium, in conclusione textus sui nunc honorat Spiritum Sanctum, cum ait *Credo in Sanctum Spiritum*. Ne inferioris ergo fortasse contumeliam paterentur, jure eum sibi æqualiter vindicare & Deitatis ostendit plenitudinem, & Patris ac Filii dignitatem: quia in Trinitate Divina non est quod majus minusve credendus sit: siquidem ubi unus major dicitur, esse minor aliquis indicatur. In hac ergo ipsa Divinitate, si aliud majus quis, aliud minus asserat; ei ipsi majestati contumeliam facit, quam majorem putat: quia cum æqualis potestas ac dignitas Trinitatis sit, quidquid uni detrahitur, cunctæ proculdubio Deitati æqualiter derogatur.

Credo, inquit, *sanctam Ecclesiam catholicam. Sanctorum communionem. Carnis resurrectionem. Vitam æternam. Amen.* Æternam vitam bene in conclusione symboli coaptavit; quia ipsius symboli fides præmium est æternitatis, ac per hoc ordo symboli salutis ascensio est: quia si fideliter quisque ad summitatem illius venerit; certissime salutis æternæ cardinem possidebit, regnante Domino nostro Jesu Christo: cujus est honor & imperium per omnia sæcula.

Collectio.

Exaudi Domine supplicationem familiæ tuæ, qui fidelium tuorum consortio desiderent sociari: ut in die sanctæ solemnitatis, clementia tua donum baptismatis percipere mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

XII. EXPOSITIO EVANGELIORUM IN AURIUM APERTIONE AD ELECTOS.

APerturi vobis, filii carissimi, evangelia, idest gaudia divina, prius ordine insinuare debemus, quid evangelium, & unde descendat, & cujus in eo verba ponantur: & quare quatuor sint qui hæc gesta scripserunt, vel qui sunt ipsi hi quatuor, qui divino Spiritu adnunciante propheta ante signati sunt: ne forte sine hac ordinis ratione vel causa stuporem vobiscum in mentibus relinquamus. Et quia ad hoc venistis, ut aures vobis aperiantur; ne incipiat sensus vester obtundi, Evangelium dicitur proprie Bona adnunciatio, quæ utique adnunciatio est Jesu Christi Domini Dei nostri. Descendit autem evangelium ab eo quod adnunciet & ostendat, quod is per prophetas suos loquebatur, venit in carne sicut scriptum est: *Qui loquebar ecce adsum*. Explicantes ergo breviter quid sit evangelium, vel qui sunt ii quatuor, qui per prophetam ante

monstra-

monstrati sunt; nunc figuras atque nomina adsignemus indiciis. Ait enim propheta Hezechiel: *Et similitudo vultus eorum ut facies Hominis, ut facies Leonis a dextris illius; & facies Vituli, & facies Aquilæ a sinistris illius*. Hi quatuor has figuras habentes, Evangelistas esse non dubium est: sed nomina eorum qui evangelia scripserunt, hæc sunt, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes.

Post hæc legit diaconus initium Evangelii secundum Matthæum. Et postquam legerit, tractat presbyter his verbis.

Filii carissimi, ne diutius ergo vos teneamus, exponamus vobis quam rationem & quam figuram unusquisque in se contineat; & quare Matthæus in se figuram Hominis habeat: quia initio suo nihil aliud agit, nisi nativitatem Salvatoris pleno ordine generationis enarret. Sic enim cœpit: *Liber generationis Jesu-Christi, filii David, filii Abraham*. Videtis quia non immerito huic Hominis adsignata persona est: quando ab hominis nativitate initium comprehendit, nec immerito, ut diximus, huic mysterio adsignata est Matthæi persona. *Explicit secundum Matthæum.*

Incipit secundum Marcum.

Legit diaconus initium Evangelii secundum Marcum. Exponit presbyter.

Marcus evangelista Leonis gerens figuram, a solitudine incipit dicere: *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini*: scilicet quia regnat invictus. Hujus Leonis multifaria invenimus exempla, ut non vacet dictum illud: *Juda filius meus, catulus leonis, de germine mihi ascendisti: recubans dormisti ut leo, & sicut catulus leonis: quis excitabit eum?*

Incipit secundum Lucam.

Legit diaconus initium Evangelii secundum Lucam. Tractat presbyter.

Lucas Evangelista speciem Vituli gestat: ad cujus instar Salvator noster est immolatus. Hic enim Christi evangelium locuturus, sic cœpit de Zacharia & Helisabet, de quibus Joannes Baptista in summa natus est senectute. Et ideo Lucas Vitulo comparatur; quia duo cornua duo Testamenta; & quatuor pedum ungulas, & quatuor evangelia quasi tenera infirmitate nascentia, in se plenissime continebat.

Item legit diaconus initium Evangelii secundum Joannem. Tractat presbyter his verbis:

Joannes habet similitudinem Aquilæ, quod nimis alte petierit. Ait enim: *In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Et David ex persona Christi dicit: *Renovabitur sicut aquila juventus tua*, id est Jesu Christi Domini nostri: qui resurgens e mortuis, ascendit in cœlos: unde jam vobis conceptis regnans gloriatur Ecclesia, omni festivitate votorum ad nova tendere Christianæ legis exordia: ut adveniente die venerabilis Paschæ, lavacro baptismatis renascentes, sicut Sancti omnes mereamur fidele munus infantiæ a Christo Jesu Domino nostro percipere. Qui vivit, & regnat Deus.

XIII. PRÆMISSIONES AD SCRUTAMEN.

TE Domine deprecamur & poscimus, ut hos famulos tuos firmiter stabilire digneris. Aperi eis totos aditus fidei, ut credulitatis possint muris includi: & viam veritatis eis plenius revelare dignare, ut nesciant per semitas falsitatis errare. Agnoscant quæ sunt salutaria, ut possint vitare mortifera: & thesauros intelligant vitæ, ut noverint mortis foveam evitare: & residuum quod cum caligine habent deponant, & inlustrationem totius luminis sumant: nihil intra illos restet sæcularium macularum, ut digni sanctificatione baptismatis præparentur. Per Dominum nostrum.

Collectio sequitur.

Christe Jesu, qui cunctis portas aperis, & viam salutis ostendis: venientes famulos tuos ad notitiam nominis tui libenter amplectere: ut hi divinæ legis initiis conspicati, te desiderent sensibus sequi, quem cœperunt sermonibus confiteri, & ab his plasmatibus tuis repelle diaboli incursantes insidias; ut ab omni loco, ab omni fraude dejectus, nec animæ umquam possit nocere nec corpori: ut inimicus divinæ inscriptionis characterem agnoscens, quod esse jam cœpit tuum, a se fateatur alienum per signum crucis, quod numquam delebit impressum in sæcula sæculorum. Amen.

XIV. INCIPIT PRÆFATIO ORATIONIS DOMINICÆ.

DOminus & Salvator noster discipulis suis petentibus quemadmodum orare deberent, non solum formam orationis concessit, verum etiam qua mente & puritate precarentur ostendit, ut in præsenti sacra hæc lectio demonstravit: *Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum; & clauso ostio, ora Patrem tuum*. Cubiculum quod nominat, non occultam domum ostendit, sed cordis nostri secretum: id est ut malæ cogitationi pectus nostrum mystica fidei clave claudamus; ac labiis clausis, incorrupta mente Deo loquamur. Deus enim noster fidei, non vocis auditor est. Ergo unde sermo est, id est sapientia, Christus Dominus noster hanc orationem nos docuit, ut ita Oremus.

P*Ater noster, quis es in cælis.*

Hæc libertatis vox est, & plena fiducia. Ergo his moribus est vivendum, ut & Filii Dei, & fratres Christi esse possimus. Nam Patrem suum Deum qua temeritate dicere præsumit, qui ab ejus voluntate degenerat? Unde vos dignos exhibete adoptione divina, quoniam scriptum est: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Sanctificetur nomen tuum.

Non quod Deus nostris sanctificetur orationibus, quē semper est sanctus: sed petimus ut nomen ejus sanctificetur in nobis: ut qui in baptismate ejus sanctificamur, in id quod esse cœpimus, perseveremus.

Adveniat regnum tuum.

Deus namque noster quando non regnat, maxime cujus regnum est immortale? Sed cum dicimus, *Veniat regnum tuum*: nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis promissum, Christi sanguine & passione quæsitum.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.

Id est in eo fiat voluntas tua: ut quod tu vis in cælo, hoc nos in terra positi irreprehensibiliter faciamus.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Hic spiritualem cibum intelligere debemus. Christus enim panis est noster, qui dixit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. Quem *cotidianum* dicens, ita nos semper immunes præcepit esse peccati, ut digni simus cælestibus alimentis.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Hoc pactum est significans, non nos aliter peccatorum posse veniam promereri, nisi prius nos in nobis delinquentibus aliis veniam relaxemus, sicut in evangelio Dominus noster dicit: Nisi dimiseritis peccata hominibus, nec vobis Pater dimittet peccata.

Et ne nos inducas in tentationem.

Id est ne nos patiaris induci ab eo quī tentat, pravitatis auctore. Nam dicit Scriptura: *Deus enim intentator est malorum:* Diabolus vero tentator est. Ad quem evincendum Dominus dixit: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.*

Sed libera nos a malo.

Hoc ideo ait, quia dixit apostolus: nescitis quid vos oporteat orare. Unde Dominus omnipotens ita a nobis orandus est, ut quidquid humana fragilitas cavere, & vitare non prævalet; hoc ille propitius nobis conferre dignetur Jesus Christus Dominus noster; qui vivit & regnat cum Deo Patre omnipotente, & Spiritu-Sancto, per omnia sæcula sæculorum.

Patefactum vobis, dilectissimi nobis, Orationem & Symbolum catholicæ fidei cognovistis: nunc autem habetis magistros illum Primicerium, & Secundum ejus illum, qui vos edoceant nullo mutato sermone; sed ut audistis in præsenti. Potens est Dominus noster, ut vos qui ad fidem curritis, ad lavacrum aquæ regenerationis perducat; & nos qui vobis mysterium fidei catholicæ nunc tradimus, vobiscum ad cælestia regna faciat pervenire, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

XV. MISSA IN SYMBOLI TRADITIONE.

IN geminas partes diem hunc excolendum complectitur, Domine, nostræ servitutis famulatio, vel de jejunii cultu sacrato, vel de insignibus tuis, quæ hodie fulserunt, mirabilibus: quia Lazarum reduxisti post tertiara cum

ad

ad vocem intonantem exsilivit, & quatriduani jam fœtentis funus vivificans animasti: vel etiam causa miraculi obstupefacta plaudens turba Bettania occurrit cum psalmis tibi obviam Regi. Exaudi nos in hoc geminato servitutis nostræ obsequio, & præsta propitiatus atque placatus, ut animæ nostræ, quæ tumulo sunt peccatorum conclusæ, & cicatricum morbida labe corruptæ, reviviscant ex tuæ visitatione; sicut Lazari viscera a tua fuerunt animata voce, Salvator.

Desunt hic multa.

....

Pater ex alto clarificat, ad commune gaudium concutitur plebs hominum, movetur & cælum. Ante cujus conspectum adstant angeli & archangeli non cessant clamare dicentes. Sanctus.

Post Secreta.

Aspice sincero vulto, pie miserator, hæc munera, qui semper es propensus ad dona: ut ipsa contemplatione oblata sanctifices naturali majestate, qui perpetue sanctus es, & sancta largiris. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum.

Collecta ante orationem.

Venerabilibus informati præceptis, incitati munere pietatis, qui Mariæ flentis lacrymas non spernis; Lazaro dignanter cognomentum fratris imponis: Ecclesiæ soboles appellas ore gratiæ coheredes: tibi supplices clamamus & dicimus *Pater noster.*

Post orationem Dominicam.

Exerce liberator in nobis juris proprii facultatem, qui Lazarum virtute, Mariam pietate, Martham labore remuneras; favorem plebis excipis, & pacis voce concinna glorias. Per Dominum nostrum.

Benedictio populi.

Perseveret in his, Domine, cæleste signaculum, quod in eis conferre, dignatus es: ✠ ut protecti Spiritu sancto, incrementum fidei, tutelam mentium, sanitatem corporum consequi mereantur. ✠

Concede in his immaculatæ vitæ divitias, fidem rectam, pacem sinceram, patientiam sanctam, humilitatem religiosam, & conscientiam puram. ✠ Prosperet eis sanitatis lætitia, plena incolumitatis gaudia, & illuminatione æterna: ✠ ut sancte vivantes, in hac humili terrenaque prosapia heredes cælestes in illo beatæ gloriæ regno cum electis angelis ita hymno confessionis sine fine conlaudent. Per Dominum nostrum.

Præfatio post Eucharistiam.

Acceptis, fratres carissimi, spiritualibus cibis, & Christi cruore gustato, petamus ut possideat pectora, qui nostra ora dignatus est sanctificare per munera: ipse corporis nostri purget hospitium, totoque intrinsecus homine deterso, sanctificatis membris, innovet spiritum sanctiorem.

Collectio.

Panis vitæ nostræ aspice, Deus: sis custodia corporum, sis salvificatio animarum: ut pectora nostra tanto poculo ciboque firmata, inimica subdoli serpentis blandimenta non quatiant. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium.

XVI. INCIPIT EXPOSITIO SYMBOLI.

FRatres dilectissimi, virtus est Sacramenti illuminatio animæ: plenitudo est credendi in eo, qui docetur ac discitur: & Unitas est Trinitatis, & Trinitas distincta Personis, & opulentia Creatoris, & redemptio Passionis. Hoc nexus infidelitatis absolvitur: hoc vitæ janua panditur: hoc gloria confessionis ostenditur. Symbolus, dilectissimi, brevis est verbis; sed magnus est sacramentis: parum ostendens imminutione latitudinis; sed totum continens compendio brevitatis: exiguus, ut memoriam non obruat: diffusus, ut intelligentiam supercedat: confirmans omnes perfectione credendi, desiderio confitendi, fiducia resurgendi, digna ergo attentiores & frequentiores pro ratione temporis ipsius, potiores ad audiendum symbolum convenitis. Quidquid enim præformatum est in Patriarchis, quicquid adnuntiatum est in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum nato, vel de Spiritu Sancto, (quamvis latenter ostensum sit) vel de suscipiendi hominis sacramento, vel de morte Domini, resurrectionisque mysterio; totum hoc breve tantum juxta oraculum propheticum Symbolus in se continet, continendo & salutem nostram, conlationem fidei, & gratiam, professionem mysterii memoriæ instruens commendandum. Sed jam ad istius sacramenti plenitudinem textumque veniamus, quod hoc modo incipit.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine: Passus sub Pontio Pilato: Crucifixus, mortuus & sepultus: Tertia die resurrexit a mortuis: Ascendit ad cælos: Sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Credo in Sancto Spiritu: Sancta Ecclesia Catholica, Sanctorum communionem, ac remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam.

Symbolum istud, dilectissimi, non atramento depingitur; sed humanis cordibus insertum memoria retinetur. ℟. Credo.

Iterato vobis repetimus, quo facilius eum tenere possitis. ℟. Credo.

Credo in Deum Patrem. Et quia lex nostræ fidei in Trinitate consistit, tertio repetimus; ut ipse numerus repetitionis cum signo veniet Trinitatis.

Credo in Deum Patrem. Ergo in primo habet *Credo.* Vides quod Deus noster non vos jubet discutere judicia divina, sed credere; nec rationem requirere, sed fidem simpliciter & immobiliter adhibere. *In Deum Patrem.* Advertite quod dum Dei Patris nomen in confessione conjungit, ostendit quod non ante Deus cœperit, & postea Pater; sed sine ullo initio & Deus semper & Pater. Quia ergo semper fuit Pater, semper habuit Filium cujus Pater est. *Omnipotentem* vero ideo dicit, quia omnia potest; cuique nihil impossibile est: quia cælum, terram, mare, homines, atque omnia animalia, non aliquo operis actu aut artificio, sed solo creavit imperio. Et ideo non venit in cogitatione, quomodo hoc aut illud potuerit fieri, qui omnipotentem precamur confiteri. *Creatorem cæli & terræ.* Hoc ait, quod superius dixit: quia omnia sola verbi potestate perficit.

Credo in Filium ejus. Advertite quomodo in Patrem, sic & in Filium sit credendum, & qui cum Patre.... *cætera desunt.*

N O T A.

Hactenus antiquum Missale Gallicanum. Verum hæc omnia non uno, sicuti in Ordine Romano, sed pluribus scrutiniis peracta fuisse ista mihi persuadent. 1. Quod varie distincta sint in capita. 2. Quod duplex præscribatur Symboli traditio; & certe bis olim duobus scrutiniis reddebatur in ecclesia Africana. Quid vetat bis etiam in duobus traditum fuisse in Gallicana, saltem quibusdam in locis? 3. Quia in prima symboli traditione ejus expositio duas dividitur in partes, quarum posterior in sequentem diem, ac consequenter in aliud scrutinium rejicitur. Itaque quinque ad minus in his expensa esse scrutinia verisimilitudine non caret. In quorum primo traderetur, & exponi inciperetur symbolum. In secundo incœpta expositio absolveretur. In tertio electis recitarentur quatuor evangelia. In quarto traderetur & exponeretur oratio Dominica. Iterumque in quinto symbolum.

O R D O II.

Ex Missali Gellonensis monasterii.

DENUNTIATIO PRO SCRUTINIO QUOD III. HEBDOMADA IN QUADRAGESIMA IN TERTIA FERIA INITIANTUR.

SCrutinii diem, dilectissimi fratres, quo electi nostri divinitus instruantur, imminere cognoscite. Ideoque sollicita devotione succedente, sequenti illa feria circa horam diei tertiam convenire dignemini, ut cœleste mysterium quod diabolus cum sua pompa destruitur, & janua regni cælestis aperitur, inculpabile, Deo jubente, ministerio peragere valeamus. Per Dominum.

Ut autem venerint ad ecclesiam, hora tertia scribuntur omnia nomina infantum, vel eorum, qui ipsos suscepturi sunt ab acolytho. Et vocantur ipsi infantes ab acolytho in ecclesia per ordinem per nomina, sicut scripti sunt, ita dicendo: ille puer, & sic per singulos, statuuntur masculi ad dexteram seorsum partem. Illa virgo, & sic per singulas, statuuntur feminæ seorsum ad sinistram partem. Et tunc

tanc primitus facit presbyter in singulorum frontibus crucem cum pollice dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.

Et imponens manum super capita puerorum dicit orationem.

Oratio super electos ad catechumenum faciendum.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare, &c.

Item.

Preces nostras, &c.

Deus qui humani generis &c.

Item super feminas facies similiter: & postea benedicit sal ad hoc modo. Exorcizo te creatura &c. *Et mittit in ore infantum de ipso sal, per singulos ita dicendo:* Accipe sal sapientiæ propitiatus in vitam æternam. *Et post datum sal dicit orationem hanc.* Deus Patrum nostrorum &c.

Inde vero exeunt foras ecclesiæ, expectantes horam quando revocentur. Tunc primum incipit clerus antiphonam ad introitum missæ, ita dicente.

Dum sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de universis terris, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis Spiritum novum, dicit Dominus. Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Gloria. *Cantant psalmum ad repetendum.* Accedite ad eum & illuminamini; & facies vestræ non confundentur.

Et Kyrie eleison repitur novem vicibus. Et dum precantat, cum processione accedens sacerdos ante altare orat sibi secretius: Inde vero vadens retro altare, & dicit. Dominus vobiscum. *Et respondetur:* Et cum spiritu tuo. *Deinde dicit* Oremus. *Et dicit orationem hanc super electis ad missam.*

Item.

Da quæsumus Domine, electis nostris, &c.

Et vocantur infantes in ecclesia ab acolytho per nomine, vel ordine sicut scripti sunt, & statuuntur prius modum, admonentur a diacono ita: Orate electi, flectite genua Deo. *Et postquam oraverint, ita dicit:* Levate, complete orationem vestram in unum, & dicite: Amen. *Et respondeant omnes.* Amen. *Ita dicit diaconus:* Signate illos, accedite ad benedictionem. *Et signant ipsus infantes in frontibus eorum patrini & matrini de pollicis suis dicentes,* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.

Tunc venit acolythus iterum faciens crucem in frontibus singulorum dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: *Et imponit manum super eos dans orationem excelsa voce his verbis:* Deus Abraham, Deus Isaac, &c. *Vertit se ad feminas, facit crucem in frontibus singulatam, ut superius. Ponit manum super capita singulorum dicens,* Deus cæli, &c.

Et adnunciet diaconus dicens: Orate electi, flectite genuam, *& reliqua ut supra. Et signant patrini, ut prius. Et sequitur alius acolythus, facit crucem super masculus, sicut facit prior, & imponit manum super eos dicens:* Deus immortale. *Item super feminas similiter faciens, & imponens manum super eas ita dicendo,* Deus Abraham, &c.

Dicit diaconus ut orent electi, & reliqua ut supra: & signant patrini, ut prius. Inde tertius acolythus facit crucem in frontibus puerorum, sicut anterior fecit, & imponit manum super capita eorum, sicut prior fecerat, sic dicendo: Exorcizo te immunde, &c. *Iterum super feminas faciens crucem, ut prius, & imponit manum super capita eorum dicendo:* Exorcizo te, immunde spiritus, &c.

Adnunciat diaconus: Orate electi, & reliqua.

Signant patrini, ut prius. Et tunc presbyter accedit; faciet crucem in singulorum frontibus sicut primitus; & imponit manum super capita ipsorum dicens orationem hanc: Æternam ac justissimam, &c. *Item ipse facit super feminas similiter dicens ipsam orationem.*

Ista omnia consummata, iterum amonitur a diacono ita: Orate electi, flectite genua, levate: complete orationem vestram in unum, & dicite, Amen. *Et respondent omnes,* Amen. *Iterum dicit:* Signate illos, state cum disciplina & silentio. *Et signant patrini, ut prius.*

Inde vadit sacerdos ad sedem suam, & legit lector lectionem. Lectio Ezechiel prophetæ. Hæc dicit Dominus, effundam super vos, &c. *usque* Salvabo vos ab universis inquinamentis vestris.

Sequitur. ℟. Aspiciam vos & crescere faciam, dicit Dominus: Multiplicamini, & firmabo pactum vobiscum. ℣. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus. Multiplicamini.

Postea adnuntiat a diacono ita: Caticumini recedant. Si quis caticuminus est, recedat: omnes caticumini exeant foras: *Et egredientur de ecclesia ipsi electi expectantes pro foribus usque dum completa fuerint missarum solemnia.*

Deinde legitur evangelium præsens scriptum. Dicitur, Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Dicitur* Sequentia S. Evangelii secundum Matthæum. In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Domine Pater cæli, &c. *usque* & onus meum leve.

Et offeruntur oblationis a parentibus, vel ab his qui eos suscepturi sunt. Et ponit ipsas sacerdos super altare, & dicit incurvatus ante altare secreto hanc orationem. Miserationem tuam, &c. *Et dicit* Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Dicitur,* Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & justum est. *Et dicit reliqua quæ sequuntur usque infra ubi dicit* ✠ Memento famulorum famularumque tuarum, qui electus tuus suscepturi sunt ad sanctam gratiam baptismatis ✠ *Et facit* ✠ *Et recitantur nomina virorum ac mulierum, qui ipsus infantes suscepturi sunt, ab eo a quibus scripti sunt. Et intrat* ✠ Et omnium circumadstantium quorum tibi fidis cognita est.

Item infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, propitius suscipias deprecamur, quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ tuæ donum elegare atque vocare dignatus es. Per Christum. *Et recitantur nomina electorum. Post quam recensimus, dicit:* Hos, Domine, fonte baptismatis innovandos Spiritus tui maneret sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus præparare. Per Christum diesque nostros, *Et reliqua quæ sequuntur.*

Oratio post communionem.

Adesto Domine, &c. Super populum suppliciter, Domine, &c.

Finita autem missarum solemnia communicant omnes, præter ipsos infantes. Deinde adnuntiat presbyter, ut ipsa ebdomada revertantur ad scrutinio ita dicendo:

Die sabbati adveniente colligite vos temporius ad ecclesiam ill. vel ill.

Et venientes omnes ad ipsum diem, sicut eis denuntiatum fuerit; & faciunt ipsam scrutinium, & missas, & omnem ordinem sicut superius scriptum est. Iterum adnuntiet presbyter qualem diem voluerit, ut in sequente ebdomada, quod est ab initio quadragesimæ, quarta ita dicendo:

Illa feria adveniente colligite vos temporius ad ecclesiam qualem ipse nuntiaverit.

Et cum venerint ad ecclesiam, die quo eis fuerit adnuntiatum; clamat diaconus dicens: Caticumini procedant.

Et vocantur infantes ab acolytho per nomine, vel per ordine, sicut superius. Et faciunt scrutinium per omnia, sicut illus duos priores fecerant usque ad ubi dicitur: Signate illos, state cum disciplina & silentio. *Et tunc leguntur duæ lectiones in aurium apertione, quæ hic scriptæ sunt.*

Lectio Isaiæ prophetæ. Hæc dicit Dominus; audite audientes me, *&c. usque* quia multus est ad ignoscendum, ait Dominus Deus.

Lectio Epistolæ B. Pauli apostoli ad Colossenses. Fratres expoliantes veterem, *&c. usque* Et in fines orbis terræ verba eorum.

Et sequitur Responsorius iste: Aspiciam vos, & crescere faciam, dicit Dominus. ℣. Ambulabo inter vos *& reliqua.*

Inde vero procedunt quatuor diaconi de sacrario cum quatuor libris evangeliorum, præcedentibus eos duobus candelabris, cum turabulo & incensum, cantantibus clericis antiphona: Omnes sitientes venite ad aquas, quærite Dominum in diebus salutis, & decantate nomini ejus benedictionem. ℣. Inclinate aurem vestram. Gloria. *Capitulum ad* ℟. Et feriam vobiscum pactum sempiternum misericordias Domini Dei fidelis. *Inde* Kyrie eleison *repetitis novem vicibus. Et dum ipsi clerici cantant, ponunt diaconi quatuor libros evangeliorum super quatuor angulos altaris. Et antequam aliquis illorum legat presbyter tractat his verbis.* Aperturi vobis, &c.

Et adnuntiat diaconus. State cum silentio audientes. *Et tunc accipiens unus diaconus de super angulo primo altaris sinistro librum evangelii, præcedentibus ante eum duobus candelabris cum turrabulis, ascendit ad legendum. Dicit,* Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Initium S. Evangelii secundum Matthæum.

Liber generationis Jesu Christi: *&c. usque* Salvus faciet populum suum a peccatis eorum.

Post quam lectionem, suscipit subdiaconus ipsum librum super

super linteo, & portat in sacrario. Et tractat presbyter his verbis: Filii carissimi ne diutius, &c.

Inde adnuntiat diaconus: State cum silentio audientes.

Iterum accipit diaconus de super alio sinistro angulo altaris alium librum evangeliorum, pracedentibus ei similiter cum Candelabris & turabulis, ascendit ad legendum. Dicit.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Iterum dicit: Initium S. Evangelii secundum Marcum. Initium Evangelii J. C. *&c. usque* baptizavit vos in Spiritu-sancto.

Et reddens diaconus librum ad subdiaconum, sicut prior fecit, & postmodum sequitur presbyter his verbis: Marcus evangelista Leonis gerens, &c.

Item adnuntiat diaconus: State cum silentio audientes intente.

Et accipit diaconus de super tertio angulo dextro altaris tertium librum evangelii, pracedentibus ante eum similiter candelabris & turrabulis, ascendit ad legendum. Dicit.

Dominus vobiscum.

Initium evangelii secundum Lucam.

Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharia, *&c. usque* Parare Domino plebem perfectam.

Et reddit librum subdiacono, sicut priores fecerunt. Et sequitur presbyter his verbis: Lucas evangelista vituli, &c.

Iterum adnuntiat diaconus: State cum silentio audientes intente.

Et accipit diaconus de super quarto angulo dextro altaris quartum librum evangelii, pracedentibus ante eum similiter candelabris & turabulis, ascendit ad legendum. Dicit.

Dominus vobiscum.

Initium S. Evangelii secundum Joannem.

In principio erat Verbum, *&c. usque* Plenum gratiæ & veritatis.

Et reddens ipsum librum ad subdiaconum, item prosequitur presbyter his verbis: Johannes habet similitudinem aquilæ, &c.

Et dicit præfationem symboli: Dilectissimi nobis accepturi, &c. *Et tenent acolythus unum ex ipsis infantibus masculo in sinistra brachio; & interrogat ei presbyter:* Qua lingua confitetur Dominum nostrum Christum? *Respondet acolythus,* * Latina.

Iterum dicit presbyter: Adnuntia fidem ipsorum qualiter credant.

Et tenens acolythus manum super caput pueri, dicit symbolum hoc decantando.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cælos, sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum, communionem, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, Vitam æternam. Amen

Acolythus tenens similiter feminam, & interrogat ei presbyter: Qua lingua confitetur Dominum nostrum Jesum Christum? ℟. *Acolythus,* Latina.

Iterum dicit presbyter: Adnuntia fidem ipsarum qualiter credant.

Et tenens acolythus manum super caput feminæ, dicit symbolum decantando sicut supra.

Hoc expletum, sequitur presbyter his verbis: Hæc Summa est fidei nostræ, dilectissimi nobis, &c. *Et admonet diaconus dicens:* State cum silentio audientes intente.

Deinde subsequitur sacerdos hanc præfationem Dominicæ orationis: Dominus ac Salvator noster, &c. Pater noster, qui es in cælis. Hæc libertatis vox est, &c.

Et admonet diaconus: State cum silentio audientes intente.

Et dicit presbyter: Audite, dilectissimi, orationis Dominicæ sancta mysteria, &c.

Et adnuntiat diaconus: Caticumini recedant. Si quis caticuminus est, recedat. Omnes caticumini exeant foras.

Egressis vero parentes cum infantibus eorum. Et iterum ingrediuntur in ecclesia tam parentes, quam & illi, qui ipsos infantes suscepturi sunt cum oblationibus eorum, & offeruntur pro ipsis. Ipsi vero infantes expectantur pro foribus donec consummentur missarum solemnia. Expleta vero missa, communicant omnes, prater ipsos infantes. Et adnuntiat eis presbyter qualem diem voluerit in sequente hebdomada, quod est quinta ab initio quadragesimæ, ut revertantur ad scrutinium. Et cum venerint, celebratur ipse scrutinius in omnem ordinem, sicut illi duo priores ante aures apertionum fuerunt. Et postea adnunciat ut ipsa hebdomada qualem diem, & ad qualem ecclesiam voluerit, ut revertantur ad scrutinio V. Et ut venerint, facit ipsum scrutinium per omnem modum, sicut jam superius fecit. Hoc expletum, iterum adnuntiat eis sicut superius, ut revertantur ad scrutinium VI. in sequente hebdomada ultima ante pascha, qualem diem, vel ad qualem ecclesiam voluerit, & complet ipsum scrutinium per omnia sicut anteriores fecit. Ita tamen agendum est, ut a primo scrutinio, qui incipit tertia hebdomada in quadragesima, usque in sabbatum sanctum vigiliam pasche, VII. scrutinia esse debeant secundum formam VII. dona Spiritus-sancti, ut dum septenarium numerum implebuntur, dabitur illis gratia septiformis Spiritus-sancti. Igitur adnunciat eis presbyter, ut in ipso sancto sabbato post horam VI. revertantur ad ecclesiam: & tunc cathechizantur & reddunt symbolum & complebuntur VI. oblationes eorum.

Sequitur Ordo baptisterii, in cujus fine hæc habentur.

Ante Pentecosten autem non septem scrutinia, sicut supra dictum est; sed in Trinitatis numerum complebitur. Id est in Ascensa Domini, sive in sequente Dominica adnuntiatur scrutinius primus, quod in vii. feria, quod est vii. dies ante Pentecosten initiatur. At ubi venerint ad ecclesia, ubi eis a sacerdote denuntiatum fuit; implebunt omnem ordinem scrutinii, vel missa pro ipsis infantis, sicut superius in tertia hebdomada in quadragesima secunda feria per omnia scriptum est. Hoc autem peractum, denuntiatur eis a sacerdote, quod v. feria in ipsa hebdomada, aut qualem diem, vel ad qualem ecclesiam ipse voluerit, ut revertantur ad scrutinium, sive aurium apertionem. Ac ubi venerint celebratur erga ipsis infantes, sicut in tertio scrutinio in quadragesima ad aurium apertionum per omnia actum, traditum, sive expositum est. Et ita omnia completa, denuntiatur eis a sacerdote, ut revertantur in sabbato sancto Pentecosten. A tertio autem scrutinio. Ad ubi reversi fuerint post sextam horam compleantur circa eos omnem ordinem tam in catechizandum quam & baptizandum, sive confirmandum, vel communicandum, sicut sabbato sancto Pasche per omnia celebratur, sive complebitur, & usque in octavo die a Pentecosten semper ad ecclesiam veniant, & offerantur pro ipsis infantes, & communicant omnes.

Tertio baptisme, quod in vigilia Epiphania celebratur, per omnem ordinem vel rationem, sicut de isto jam nominato Pentecosten supra scriptum est, in cunctis compleatur nisi tantum quantum ad fontes benedicendum in vigilia Epiphania ambulantes Deo laudamus Canticum, & postea letania in circuito fontes, sicut superius scriptum est. Reliqua omnia ut supra dictum est impleantur; & usque in octavas Epiphania per singulos dies ad ecclesiam revertentes offerant omnes & communicent.

Hoc desuper scripto officio, ubi de ordinis ecclesiasticis diximus, acolythi vel cateri gradus, si minus aliqui ex ipsis fuerint, in loco ipsorum diaconi vel presbyteri etiam unus solus implere potest.

ORDO III.

Ex ms. Pontificali ecclesiæ Pictaviensis ab annis circiter 800. exarata.

D*Enunciatio scrutinii, quod tertia hebdomada in Quadragesima secunda feria initiatur. Sed ipsa annunciatio in hesterna hebdomada perficitur.*

Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo electi nostri divinitus instruantur, imminere cognoscite; ideoque sollicita devotione succedente illa feria circa horam diei sextam convenire dignamini; ut cæleste mysterium, quo diabolus cum sua pompa destruitur, & janua regni cælestis aperitur, inculpabili Deo jubente ministerio peragere valeamus. Per.

Ut autem venerint ad ecclesiam; scribuntur nomina infantum, vel eorum qui ipsos suscepturi sunt ab acolytho; & vocantur in ecclesiam per nomina, sicut scripti sunt; & statuuntur masculi in dexteram partem, femina in sinistram, & dat orationem presbyter super eos his verbis:

* In hoc Gellonensi codice duplex habetur Ordo ad faciendum scrutinium & ad baptismum conferendum. Secundum hic damus: in primo autem græce recitatur symbolum super masculos, latine super feminas.

Oratio super electos ad catechumenum faciendum.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini Jesu Christi, respicere dignare super hos famulos tuos &c.

Alia.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, & hos electos tuos crucis Dominicæ, cujus impressione eos signamus, virtute custodi: ut magnitudinis gloriæ rudimenta servantes, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis pervenire gloriam mereantur. Per Dominum.

Alia.

Deus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator, propitiare populis adoptivis, & novo testamento sobolem novæ prolis adscribe: ut filii promissionis quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Dominum.

Benedictio salis.

Exorcizo te creatura salis, &c.

Hac oratione expleta, accipiat sacerdos de eodem sale, & ponat in ore infantis dicendo illi: Accipe sal sapientiæ propitiatus in vitam æternam.

Oratio post datum sal.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, &c.

Inde vero exeunt foras ecclesiam, expectantes horam quando revocentur. Tunc primum incipit clerus ad introitum antiphonam: Dum sanctificatus fuero in vobis. *Et ascendens sacerdos ad altare, & vadens retro, dansque orationem sedet in sede sua, & vocantur infantes ab acolytho per nomina, vel per ordinem, sicut scripti sunt; & admonentur a diacono ita:* Catecumini procedant. *Et ordinantur masculi a dexteris, feminæ a sinistris; & admonentur a diacono ita.* Orate electi, flectite genua. *Postquam oraverint, iterum dicit:* Levate, complete orationem vestram, & dicite Amen. *Et respondent omnes:* Amen. *Item dicit diaconus:* Signate illos: accedite ad benedictionem. *Tunc primum veniens acolythus facit crucem in frontibus singulorum, imposita manu super eos, & dat orationem excelsa voce his verbis:*

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui Moysi famulo tuo, &c.

Item super feminas.

Deus cœli, Deus terræ, &c.

Item super masculos.

Deus immortale præsidium.

Item super feminas.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui tribus Israel, &c.

Super masculos.

Exorcizo te, immunde spiritus, &c.

Super feminas.

Exorcizo te, immunde spiritus, &c.

Item super masculos & feminas, quam sacerdos dicit:

Æternam ac justissimam pietatem, &c.

Et iterum admonentur a diacono ita: Orate electi, flectite genua, complete orationem vestram in unum, & dicite. Amen.

Item dicit diaconus: State cum disciplina, & silentio.

Inde revertitur sacerdos ad sedem suam, & legitur lectio, quam in Capitulari commemorat. Inde sequitur ℟. *& admonentur a diacono ita dicendo:* Catechumeni recedant. Si quis catechumenus est, recedat. Omnes catechumeni exeant foras. *Et egrediuntur omnes expectantes pro foribus usque dum completa fuerint missarum solemnia. Deinde legitur evangelium, & offeruntur oblationes a parentibus, vel qui eos suscepturi sunt. Finitis vero missarum solemniis, communicant omnes, deinde annunciat presbyter qualem diem voluerit in ipsa hebdomada, ut revertantur, ita dicendo:* Illa feria venien-te colligite vos temporius ad ecclesiam illam vel illam. *Et facit ipsum scrutinium sicut prius.*

Sequenti vero hebdomada, iterum uno die qualem sacerdos annunciaverit, facit aurium apertionem hoc modo. Veniunt ad ecclesiam die qua fuerat eis annunciatum, & clamat diaconus dicens: Catechumeni procedant.

Et vocantur infantes per nomina, sicut prius, ut scripti sunt, & statuuntur, sicut diximus, masculi ad dexteram, & feminæ ad sinistram, & canunt antiphonam ad introitum. Ipsa expleta, admonentur a diacono, ut prius, ut orent. Deinde dicit presbyter orationem, sedet in sede sua; & imponunt acolythi manus super ipsos infantes, ut prius, deinde presbyter.

Hoc ordine expleto, iterum admonentur a diacono, ut orent, ut supra. Et ut surrexerint ab oratione, dicit diaconus: Signate illos, & state cum disciplina in silentio.

Et leguntur duæ lectiones, quæ in Capitulario commemorantur: & sequuntur duo ℟. *unum quodque post per unamquamque lectionem. Inde vero procedunt quatuor diaconi de sacrario, cum quatuor evangeliis, præcedentibus illos duobus candelabris cum thuribulis, cantantes,* Sitientes venite ad aquas. *Et ponunt quatuor evangelia super altare in quatuor angulos, & tractat presbyter his verbis antequam aliquis eorum legat:*

Aperturi vobis, filii carissimi, evangelia, id est gesta divina, &c.

Dicit diaconus Dominus vobiscum. *Et incipiens legit initium Evangelii secundum Matthæum usque* Ipse enim salvet populum suum à peccatis eorum.

Postquam legerit, annunciat diaconus dicens: State cum silentio, audientes intente. *Et tractat presbyter his verbis:*

Filii carissimi, ne diutius vos teneamus, exponimus vobis, &c.

Post hæc dicit secundus diaconus: Dominus vobiscum. *Et incipiens legit initium sancti Evangelii secundum Marcum, usque* Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

Item annunciat diaconus: State cum silentio audientes intente. *Sequitur presbyter his verbis:* Marcus Evangelista Leonis gerens figuram &c.

Et item dicit tertius diaconus: Dominus vobiscum. *Et legit initium Evangelii secundum Lucam, usque* Parare Domino plebem perfectam.

Item annunciat diaconus: State cum silentio audientes intente, *& prosequitur presbyter his verbis:*

Lucas Evangelista Vituli speciem, &c.

Et rursum dicit quartus diaconus: Dominus vobiscum. *Et legit initium Evangelii secundum Johannem, usque* Plenum gratiæ & veritatis.

Item annunciat diaconus: State cum silentio, audientes intente. *Iterum prosequitur presbyter his verbis:*

Johannes habet similitudinem Aquilæ, &c.

INcipit præfatio symboli ad electos, quæ his verbis a presbytero prosequitur antequam symbolum dicatur.

Dilectissimi nobis accepturi sacramenta baptismatis, &c.

Post hæc accipiens acolythus unum ex ipsis infantibus masculum, & tenens eum in sinistro brachio, ponit manum dexteram super caput ejus, & interrogat eum presbyter græce: Qua lingua confitentur Dominum nostrum Jesum Christum? *Respondet acolythus,* græce. *Iterum dicit presbyter:* Annuncia fidem illorum. *Et dicit acolythus symbolum græce, decantando super caput infantis* πιςεύω εἰς ἕνα θεὸν &c.

Hoc finito, iterum accipit alter acolythus ex ipsis infantibus feminam, sicut supra, & interrogat eum presbyter latine: Qua lingua confitentur Dominum nostrum Jesum Christum? *Respondet acolythus,* latine. *Iterum dicit presbyter:* Annuncia fidem ipsorum qualiter credant. *Et ponens manum acolythus super caput infantis, dicit symbolum latine decantando.* Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, &c.

Hoc expleto, prosequitur presbyter his verbis:

Hæc summa est fidei nostræ, dilectissimi nobis. Hæc verba sunt symboli, &c.

INcipit Præfatio orationis Dominicæ, & monentur a diacono: State cum silentio, audientes intente. *Et dicit presbyter:*

Dominus & Salvator noster Jesus Christus inter cætera præcepta, &c.

Post hæc admonentur a diacono: State cum silentio, audientes intente. *Et dicit presbyter:* Audistis, dilectissimi, Dominicæ orationis sacra mysteria, &c.

Hoc expleto, iterum admonentur a diacono, ut supra, ut exeant foras. Egressi vero parentes cum infantibus, iterum ingrediuntur in ecclesiam tam parentes, quam & hi qui ipsos infantes suscepturi sunt cum oblationibus eorum; & offeruntur pro ipsis. Ipsi vero infantes expectant pro foribus donec consummantur missarum solemnia.

Expletis vero missis communicant omnes præter ipsos infantes. Et iterum annunciat presbyter qualem diem voluerit, ut revertantur ad scrutinium. Ita tamen pensandum est, ut a primo scrutinio quod incipit tertia hebdomada in Quadragesima usque sabbatum sanctum, septem scrutinia peragantur secundum formam septem donorum Spiritus-sancti.

INCI-

INCIPIT MISSA PRIMI SCRUTINII AD INTROITUM.

A*Ntiphona*: Dum sanctificatus fuero. *Psal.* In voce exultationis annunciate, & ferte illud usque ad extremum terræ. *Ad Res.* Audite me domus Jacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. *Resp.* Aspiciem vos, & crescere faciam, multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. ℣. Ambulabo inter vos, & aro vester Deus, vosque eritis populus meus. *Tract.* Laudate Dominum omnes gentes. *Offert.* Confessio & pulcritudo. ℣. Cantate Domino canticum. ℣. Cantate Domino, benedicite. *Comm.* Lætabimur in salutari.

Oratio.

Da quæsumus, Domine, electis nostris digne atque sapienter ad confessionem tuæ laudis accedere: ut dignitati pristinæ, quam originali transgressione perdiderant, per tuam gratiam reformentur. Per.

Finita iste oratione, complentur omnia erga electorum institutionem, quæ ordo scrutinii continet usque ad lectionem propheticam.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus: sanctificabo nomen meum magnum, *&c. usque* Et ero vobis in Deum, dicit Dominus omnipotens.

Responsorio & Tractu decantatis, admonentur a diacono ita: Catechumeni recedant: Si quis catechumenus est, recedat. Omnes catechumeni exeant: *Et egrediuntur ipsi electi, expectantes pro foribus usque dum completa sint missarum solemnia.*

Deinde legitur Evangelium secundum Matthæum: In illo tempore respondens Jesus dixit, confiteor tibi Pater cæli, *usque* Et onus meum leve.

Inde canitur offerenda, & offeruntur oblationes a parentibus, vel ab his qui ipsos suscepturi sunt; & ponit eas sacerdos super altare, & dicit orationem super oblata.

Super oblata.

Miseratio tua Deus ad hæc percipienda [illegible] famulos tuos, quæsumus, ut provehat competenter, & devota conversatione perducat. Per.

Infra actionem ubi in Canone dicitur:

Memento Domine famulorum famularumque tuarum. *Continuo sine mora adjungitur*: Qui electos tuos suscepturi sunt ad sanctam gratiam baptismi tui. *Et tacetur usque dum a subdiacono recitentur nomina virorum ac mulierum, qui ipsos infantes suscepturi sunt. Quæ ut fuerint recitata, illico in Canonis tenorem regreditur ita*: Et omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita est. *Et sequentia.*

Item infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, famulorum famularumque tuarum, ut propitius suscipias deprecamur, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ tuæ donum eligere atque vocare dignatus es, per Christum Dominum nostrum.

Hic recitantur nomina ipsorum electorum qui baptizandi sunt, & postquam fuerint recensita a subdiacono, sequitur sacerdos:

Hos, Domine, fonte baptismatis innovandos Spiritus tui munere ad sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus præparari. Per Christum Dominum nostrum. Et ut dies nostros in tua pace. *Et sequentia usque ad Agnus Dei & communionem.*

Communicant omnes præter infantes.

Oratio post communionem.

Adesto Domine, quæsumus, redemptionis effectibus: ut quos sacramentis æternitatis instituis, eosdem proteges dignanter aptandos. Per.

Super populum.

Suppliciter, Domine, sacra familia munus tuæ miserationis expectat: concede, quæsumus ut hoc quod te jubente desiderat, te largiente percipiant. Per Dominum.

Item alia missa de secundo scrutinio ad introitum, & reliqua sequentis officii sunt de superiori missa. Similiter & in reliquis quinque scrutiniis: solummodo autem in tertio scrutinio, quod fit in aurium apertione dimittitur ℟. superius annotatum, & canuntur alia duo, quæ ordo ipsius diei commemorat.

Oratio ad missam secundi scrutinii.

Omnipotens sempiterne Deus, Ecclesiam tuam spirituali fœcunditate multiplica: ut qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cælestes. Per.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus, ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini, *Isaia cap.* 43. ℣. 18. *usque ad cap.* 44. ℣. 5.

Cantato ℟. & tractu, admonentur a diacono ita: Si quis catechumenus est, recedat: Omnes catechumeni exeant foras. *Et egrediuntur ipsi electi, expectantes pro foribus, usque dum completa sint missarum solemnia. Deinde legitur evangelium secundum Marcum.* In illo tempore offerebant Jesu parvulos, ut tangeret illos, *usque* benedicebat eos.

Post hæc canitur offerenda, & offeruntur oblationes a parentibus vel ab his qui ipsos suscepturi sunt. Et ponit eas sacerdos super altare, & dicit orationem super oblata secrete.

Super oblata.

Remedii sempiterni munera, Domine, lætantes offerimus, suppliciter exorantes, ut eadem nos & digne venerari, & pro salvandis congruenter exhibere perficias. Per.

Infra actionem ubi in canone dicitur: Memento Domine famulorum, *ut supra. Item infra actionem.* Hanc igitur oblationem, Domine, famulorum, *ut supra, & post recitationem nominum electorum.* Hos, Domine, fonte baptismatis. *Et reliqua omnia ut supra.* Et ut dies nostros, *ut supra, & reliqua usque ad* Agnus Dei *& communionem. Communicant omnes præter ipsos infantes.*

Oratio post communionem.

Tu semper, quæsumus Domine, tuam attolle benignus familiam, tu dispone correctam, tu propitius tuere subjectam, tu guberna perpetua benignitate salvandam. Per.

Super populum.

Tu famulis tuis, quæsumus Domine, bonos mores placatus institue, tu in eis quod tibi placitum sit dignanter infunde, ut & digni sint, & tua valeant beneficia promereri. Per Dominum.

Item missa de tertio scrutinio, in apertione aurium. Ad introitum ut supra. ℟. Venite filii. *Aliud* ℟. Beata gens *Offerendam & communionem ut supra.*

Oratio.

Concede, quæsumus Domine, electis nostris, ut sanctis edocti mysteriis, & renoventur fonte baptismatis, & inter Ecclesiæ tuæ membra numerentur. Per Dominum.

Post hanc orationem sedet sacerdos in sede sua, & faciunt tam acolythi, quam presbyteri super ipsos infantes ordinem scrutinii, ut supra: & admonentur a diacono ita: Orate electi, flectite genua: *Postquam oraverint; iterum dicit diaconus*: Signate illos, state cum disciplina & silentio, *& tunc leguntur duæ lectiones cum Responsoriis infra annotatis.*

Lectio Isaiæ prophetæ.

Hæc dicit Dominus, In tempore placito exaudivi te, *&c. usque* Ego tamen non obliviscar tui, dicit Dominus omnipotens. ℟. Venite filii. ℣. Accedite.

Alia lectio Isaiæ prophetæ.

Hæc dicit Dominus, Omnes sitientes venite ad aquas, *&c. usque* Multus est ad ignoscendum. ℟. Beata gens. ℣. Verbo.

Istæ duæ lectiones apostolicæ quæ subsequuntur cum subjectis sibi Responsoriis de quodam tomulo Ordinis Romani sumta sunt, quæ & legi in hac eadem missa de apertione aurium jubentur: Et quoniam quatuor lectiones initiorum sanctorum evangeliorum a quatuor diaconibus in hac missa recitantur, quatuor quoque lectiones, duæ scilicet propheticæ, & duæ apostolicæ a quatuor nihilominus subdiaconibus legantur, totidem responsoria hic inserta ab ejusdem numeri cantoribus modulentur, sumptis orationum precibus, per unamquamque lectionem de missis priorum scrutiniorum, quorum hæc sunt capita. Supplices, Domine, sacra familia. *Alia.* Tu semper, quæsumus, Domine. *Alia.* Tu famulis tuis, quæsumus Domine, bonos mores placatus.

Lectio epistolæ B. Pauli apostoli ad Corinthios.

Fratres, nolite jugum ducere cum infidelibus, *&c. usque* perficientes sanctificationem in timore Dei. ℟. Tollite hostias. ℣. Revelabit Dominus.

Item alia lectio epistolæ B. Pauli apostoli ad Colossenses.

Fratres, expoliantes vos veterem hominem, *&c. usque* Gratias agentes Deo & Patri per ipsum. ℟. Domine Dominus noster. ℣. Quoniam elevata.

His expletis, procedunt quatuor diaconi de sacrario cum quatuor libris evangeliorum, præcedentibus eos duobus candelabris, cum thuribulo posito desuper incenso, cantantes cum præcedenti, & subsequenti se ordine: Sitientes venite ad aquas. *Qua finita, ponunt ipsa evangelia in quatuor angulos alta-*

altaris, & antequam aliquis eorum legat, tractat presbyter his verbis: Aperturi vobis carissimi, &c.

Ipsa expleta, accipiens unus diaconus desuper angulo primo altaris sinistro librum evangelii, praecedentibus eum duobus candelabris cum thuribulo, ascendit ad legendum, & legit Evangelii initium secundum Matthaeum, &c. usque a peccatis eorum. *Invenies retro in ordine pleni scrutinii. Et postquam legerit, suscipit de eo subdiaconus ipsum evangelium super linteum, & portat in sacrarium, & annunciat diaconus, non de illis qui quatuor lectiones evangeliorum isto die recitant, sed ille cui annunciationis officium eo die deputatum est. Quae observatio & in caeterorum diebus scrutiniorum custoditur, & dicit:* State cum silentio, audientes intente. *Et tractat presbyter his verbis.* Filii carissimi, ne diutius.

Ipsa expleta, iterum accipit secundus diaconus desuper alio cornu sinistro altaris alium librum evangelii, praecedentibus eum sicut supra, & ascendit ad legendum, & legit initium Evangelii secundum Marcum, usque In te complacui.

Et iterum annunciator diaconus clamat: State cum silentio, audientes intente. *Et sequitur presbyter his verbis:* Marcus evangelista Leonis, &c.

Ipsa expleta, iterum accipit tertius diaconus desuper tertio angulo dextro altaris tertium librum Evangelii secundum Lucam, & ascendit ad legendum, & legit initium S. Evangelii secundum Lucam, usque Plebem perfectam. *Et recipit tertius subdiaconus ut supra, & rursum annunciator diaconus clamat:* State cum silentio, *ut supra. Et tractat presbyter his verbis:* Lucas evangelista Vituli, &c.

Ipsa expleta, accipit quartus diaconus desuper quarto angulo dextro altaris quartum librum Evangelii secundum Johannem, & ascendit praecedentibus eum ut supra; & legit initium Evangelii secundum Johannem, usque Veritatis. *Et recipit quartus subdiaconus ut supra. Deinde annunciator diaconus clamat:* State, *ut supra. Et sequitur presbyter*, Johannes evangelista, *&c.*

Inde tractat praefationem symboli & orationis Dominicae, & prosequitur omnia quae in ordine apertionis aurium & scrutinii continentur.

Oratio super oblata.

Exaudi nos omnipotens Deus, & famulos tuos, quos fidei christianae primitus imbuisti, hujus sacrificii tribuas operatione mundari. Per.

In canone, Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, *ut supra*. Hanc igitur oblationem Domine. *Infra actionem*. Hos, Domine, fonte baptismatis, *ut supra*. *Post nomina offerendam & communionem, ut supra.*

Ad Complendum.

Concurrat, quaesumus Domine, populus tuus, & toto corde subjectus obtineat, ut ab omni perturbatione securus, & salvationis suae gaudia promptus exerceat, & pro regenerandis te sedulus exoret. Per Dominum.

Super populum.

Deus, qui cum salutem hominum semper operaris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiore multiplicas, respice propitius ad electionem tuam, ut paternae protectionis auxilio & regenerandos munias, & renatos custodias. Per.

ORDO IV.

In ms. Wertinensis monasterii.

ORDO AD SCRUTINIUM.

I*N quarta hebdomada & in IV. feria varietatem per adjectionem unius lectionis & unius responsorii.* Haec dicit Dominus: Sanctificabo nomen meum magnum. *Grad.* Venite filii, audite me. *Epistola:* Haec dicit Dominus: Lavamini, mundi estote. *Graduale* Beata gens cujus.

Memorata IV. feria apud cultores ecclesiae in apertione aurium dicitur. Eadem die agitur scrutinium tertium, quod maximum est inter VII. scrutinia. Eadem die tanguntur aures & nares catechumenorum digitis presbyterorum. Eadem die instituuntur de auctoribus & initii quatuor evangelistarum. Eadem die percipiunt orationem Dominicam & symbolum ad reddendum in sabbato Paschae.

Item benedictio cineris ad eos qui scrutinia sunt acturi, & baptizari desiderant.

Exorcizo te cinis in nomine Dei Patris omnipotentis, & JESU CHRISTI Filii ejus, & Spiritus sancti, qui te per ignem in favillam converti praecepit, ut sicut jussione Dei per sanctum famulum ejus Moysen cinis vitulae in populo aspersus, omnem congregationem Israel sanctificavit, ita tu exorcizatus in nomine S. Trinitatis, aspersus in eis qui scrutinia sunt habituri, eos sanctifices, ut diabolus non lateat, sed manifestetur atque expellatur, ut puri & sinceri inveniantur. Per.

Alia.

Te item petimus & rogamus, Pater omnipotens, ut sicut Ninivitarum populus ad praedicationem Jonae prophetae misericordiam tuam, Domine, exorans, suorum veniam meruit consequi peccatorum; ita & hi qui ad tuam gratiam percipiendam venire desiderant, amputatis carnalibus maculis, per sacri baptismatis regenerationem, suorum finem constituant vitiorum. Per.

Tunc spargat cineres super eos qui scrutinia sunt habituri. Hoc expleto, tangat presbyter singulorum nares de sputo oris sui, & dicat unicuique ad dexteram aurem: Effeta, quod est adaperire. *Ad nares:* In odorem suavitatis. *Ad sinistram:* Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

INCIPIT ORDO VEL DENUNTIATIO SCRUTINII AD ELECTOS QUOD IN TERTIA HEBDOMADA IN XL. II. FERIA INITIATUR.

SCrutinii diem, dilectissimi fratres, quo electi nostri divinitus instruantur, imminere cognoscite, ideoque solita devotione succedente, sequente IV. feria circa horam III. convenire dignemini, ut caeleste mysterium, quo diabolus cum sua pompa destruitur, & janua regni caelestis aperitur, inculpabili, Domino adjuvante, ministerio peragere valeamus.

Ut autem venerint, sicut diximus, IV. feria hora III. scribantur nomina infantum, vel eorum, qui ipsos suscepturi sunt, ab acolytho, & diaconus clamat dicens: Catecumeni procedant. *Et vocentur ipsi infantes ab acolytho in ecclesiam per nomina vel per ordinem, sicut scripti sunt, & per singulos; statuantur masculi seorsum ad dextram partem, feminae seorsum ad sinistram partem, & in primis presbyter invocato nomine infantis dicat:* Abrenuncias satanae? ℟. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Interroget credulitatem: Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli & terrae: ℟. Credo: Credis &c. *Tunc insufflat in faciem singulorum tribus vicibus dicens:* Exi immunde spiritus, & da locum Spiritui-sancto paraclyto: *Et tunc primitus faciat presbyter in singulorum frontibus crucem cum pollice, ita dicendo:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Et imponens manum super capita eorum dicat:* Omnipotens sempiterne Deus Pater Domini nostri JESU CHRISTI, respicere dignare, &c.

Item super feminas faciat similiter, & postea salem benedicat hoc modo: Exorcizo te creatura salis, &c. *Et mittat in ora infantium de ipso sale per singulos ita dicendo:* Accipe salem sapientiae in vitam propitiatus aeternam. *Sequitur.*

Oratio.

Deus patrum nostrorum, &c. *Et tunc dicat diaconus:* Catechumeni recedant. *Inde exeant foras ecclesiam expectantes horam quando revocentur. Tunc primitus incipiat clerus antiphonam ad introitum:* Cum sanctificatus fuero. *Psal.* Confitemini Domino.

Oratio.

Da quaesumus electis, &c. *Et postea sedeat in sede sua, & dicat diaconus:* Catechumeni procedant. *Et vocantur infantes ab acolytho per nomina vel ordinem, ut scripti sunt, & statuantur a diacono ita.* Orate electi, flectite genua. *Et postquam oraverint, dicat:* Levate, complete orationem vestram in unum, & dicite: Amen. *Et respondeant omnes:* Amen. *Item dicat diaconus:* Signate illos, accedite ad benedictionem. *Et signent ipsos infantes in frontibus eorum patrini & matrinae de pollicibus suis dicendo:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. *Tunc veniat acolythus iterum faciens crucem in frontibus singulorum dicens:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. *Et imponat manum super eos dans orationem super eos excelsa voce his verbis.*

Oratio.

Deus Abraham, &c. *Et vertat se ad feminas & faciat crucem in frontibus, ut superius, & imponat manum super capita singulorum dicendo*, Deus caeli, Deus terrae, &c.

Et annunciat diaconus dicens: Orate electi, flectite genua, *& reliqua sicut superius. Et signant patrini & matrinae, ut prius. Et sequitur acolythus alius, & super masculos facit crucem sicut prius fecit, & imponens manum suam super eos dicit:* Audi, maledicte satana, &c. *Item super feminas similiter faciens crucem imponit manum super eas dicens:* Deus Abraham, &c. *Item dicit diaconus:* Orate electi, *& reliqua ut prius, & signant patrini & matrinae sicut prius. Inde tertius acolythus facit crucem in frontibus puerorum, sicut anterior fecit, & imponit manum super capita*

eorum

eorum dicendo: Exorcizo te immunde spiritus &c. *Item super feminas faciens crucem ut prius, imponit manum super capita earum dicendo:* Exorcizo te immunde, &c. *Et admonet diaconus:* Orate electi *&* *reliqua sicut antea, & signant patrini & matrinæ sicut prius. Et tunc presbyter accedit, faciens crucem in frontibus singulorum, sicut prius, & imponit manum super capita ipsorum, dicens orationem hanc.*

Oratio.

Æternam ac justissimam pietatem, &c.

Istis omnibus consummatis iterum admonentur a diacono: Orate electi, flectite genua. *Et post paululum dicit:* Levate, complete orationem vestram in unum & dicite: Amen. *Et respondeant omnes:* Amen. *Iterum dicit diaconus:* Signate illos, state cum disciplina & silentio, audientes intente: *Et signant patrini ut prius. Inde revertitur sacerdos ad sedem suam, & legitur lectio* Ezechielis prophetæ: Hæc dicit Dominus: Effundam super vos *& sequitur.* ℟. Venite filii: *Postea ammonentur a diacono ita:* Catechumeni recedant. Si quis catechumenus est recedat. Omnes catechumeni recedant foris. *Et egrediuntur electi de ecclesia, expectantes pro foribus usque dum completa fuerint missarum solemnia. Deinde lectio evangelii secundum Lucam.* In illo tempore respondens Jesus dixit, Confiteor tibi Pater &c.

Et offeruntur oblationes a parentibus, & ab ipsis qui eos suscepturi sunt, & ponit sacerdos super altare: Et dicit orationem secretam. Miseratio tua Deus ad hæc percipienda mysteria, famulos tuos N. quæsumus, & provehat competenter, & devota conversatione perducat. Per.

Infra canonem ubi dicit: Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui electos tuos suscepturi sunt ad sanctam gratiam baptismi tui. *Recitantur nomina virorum, ac mulierum, qui ipsos infantes suscepturi sunt.*

Infra agenda. Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad æternam vitam eligere, atque ad beatum gratiæ donum vocare dignatus es. *Hoc expleto, recitantur nomina electorum. Postquam recitata fuerint, &c.*

Hos, Domine, renovandos fonte baptismatis, innovandos Spiritus tui munere, ad sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus præparari jubeas, diesque nostros in tua pace disponas, &c.

Finitis vero missarum solemniis, communicent, præter ipsos infantes. Deinde annuntiat presbyter ut in ipsa hebdomada revertantur ad scrutinium, ita dicens: Die sabbati veniente, colligite vos temporibus ad ecclesiam illam vel illam: *Venientes autem omnes ad ipsum diem, sicut eis denunciatum fuit, faciunt ipsum scrutinium & missam per ordinem, sicut superius scriptum est. Missa hebdomada IV. qua pro scrutinio secundo celebratur.*

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, ecclesiam tuam spirituali fœcunditate multiplica, ut qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cælestes. Per.

Secret. Remedii sempiterni munera, Domine, lætantes offerimus suppliciter exorantes, ut eadem nos & digne venerari, & pro salvandis congruenter exhibere perficias. Per.

Post comm. Tu semper, quæsumus Domine, tuam attolle benignus familiam, tu dispone correptam, tu propitius tuere subjectam, tu guberna perpetua bonitate salvandam. Per.

Super populum. Tu famulis tuis, quæsumus Domine, bonos mores placatus institue, tu eis quod tibi placitum sit dignanter infunde, ut digni sint, & tua valeant beneficia promereri.

Iterum annunciat presbyter qualem diem voluerit in sequenti hebdomada, quæ est ab initio XL. IV. ita dicendo: Illa feria veniente colligite vos temporibus ad ecclesiam illam, *qualem eis denuntiaverit. Et iterum cum venerint ad ecclesiam die quo eis denuntiatum fuerit, clamat diaconus dicens:* Catechumeni procedant. *Et vocantur infantes ab acolytho per nomina vel ordinem, ut prius.*

Oratio ad aurium hebdomada V. quæ pro scrutinio III. celebratur in aurium apertionem.

Concede, Domine, electis nostris, ut sanctis edocti mysteriis, & renoventur fonte baptismatis, & inter ecclesiæ tuæ membra numerentur. Per.

Et faciunt scrutinium per omnia, sicut illos duos priores fecerunt usque ad id ubi dicit: Signate illos, state cum disciplina & silentio. *Et tunc leguntur duæ lectiones in aurium apertionem.*

Hæc dicit Dominus: Audite audientes me, & comedite bonum *&c. usque* multus est ad ignoscendum. *Grad.* Venite filii audite me. *Item alia lectio ad Colossenses capitulo XIII.* Fratres expoliantes vos, *&c. usque* Gratias agentes Deo Patri per ipsum. *Grad.* Beata gens cujus.

Inde vero procedant quatuor diaconi de secretario cum IV. libris evangeliorum, præcedentibus eos duobus candelabris cum thuribulo, & incenso, & imponunt ipsa evangelia super quatuor angulos altaris, & antequam aliquis eorum legat, tractet presbyter his verbis: Aperturi vobis filii carissimi, &c.

His expletis, annuntiat diaconus ita dicendo: State cum silentio audientes intente. *Et tunc accipiens unus diaconus desuper angulo primo altaris sinistro librum evangelii, præcedentibus ante eum duobus candelabris cum thuribulis, ascendit ad legendum, & dicit:* Dominus vobiscum. *Et incipiens legere:*

Initium S. Evangelii secundum Matthæum.

Liber generationis *&c. usque* Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Et postquam legerit, subdiaconus suscipit de ipso evangelium super linteum, & portat in sacrarium, & tractat his verbis presbyter. Filii carissimi, ne diutius vos teneamus, &c.

Ipsis expletis dicit diaconus ut supra: State cum silentio audientes intente. *Iterum accipiat diaconus alio sinistro angulo altaris alium librum evangelii, præcedentibus similiter duobus candelabris, & legit:*

Initium S. Evangelii secundum Marcum.

Ecce mitto angelum meum ante faciem, *&c. usque* Ille vero baptizabit vos Spiritu-sancto. *Et postmodum prosequitur presbyter his verbis:* Marcus evangelista Leonis, &c.

Ipsis expletis, annunciat diaconus, ut supra. State cum silentio audientes intente. *Et accipiat diaconus desuper tertio angulo dextro altaris tertium librum, & legit:*

Initium S. Evangelii secundum Lucam.

Fuit in diebus Herodis regis *&c. usque* Plebem perfectam: *Et tractat presbyter his verbis:* Lucas evangelista Vituli speciem gestat, &c.

Ipsis expletis, iterum annunciat diaconus, ut supra: State cum silentio audientes intente. *Et accipiat diaconus desuper IV. angulo dextro altaris quartum librum, & legit:*

Initium S. Evangelii secundum Joannem.

In principio erat Verbum, *&c. usque* Plenum gratiæ & veritatis. *Iterum prosequitur presbyter his verbis:* Johannes evangelista habet similitudinem Aquilæ, &c.

Et dicit præfationem symboli. Dilectissimi nobis accepturi sacramenta baptismatis, &c.

Ipso expleto, accipiens acolythus unum ex ipsis infantibus masculum, & tenens in sinistro brachio, ponit manum super caput ejus dextram. Tunc interrogat eum presbyter græce: Pya glossa omologesin ton Kyrion ymon Jesum Christon. *Respondet acolythus dicens:* Ellenisten. *Iterum dicit presbyter:* Evangelon tin pistin auton tonos pistegelin. *Et dicat acolythus symbolum græca decantando his verbis:* Pistevo is ena, &c.

Hoc expleto, vertit se ad feminas, & facit similiter. Iterum acolythus alter accipiens ex ipsis infantibus masculum unum, & tenens in sinistro brachio, ponit manum dexteram super caput ipsius, & interrogat presbyter eum latine. Qua lingua confitentur Dominum Jesum Christum? *Et respondit acolythus latina. Iterum dicit presbyter.* Annuncia fidem ipsorum qualiter credant. *Et ponens manum acolythus super caput infantis, dicens symbolum latine cantando his verbis:* Credo in unum Deum. *Hoc finito, iterum accipit acolythus ex ipsis infantibus feminam, sicut supra, & interrogat presbyter ut antea, & ipse acolythus cantat symbolum sicut supra scriptum est.*

Hoc expleto, loquitur presbyter his verbis: Hæc summa dilectissimi nobis fidei nostræ, &c.

Ipsis expletis, annuntiat diaconus dicens: State cum silentio audientes intente. *Inde sequitur sacerdos hanc præfationem Dominicæ orationis.*

Dominus & Salvator noster JESUS CHRISTUS, &c.

Ipsis expletis, ammonentur a diacono: State cum silentio audientes intente. *Et sequitur presbyter his verbis:* Audistis dilectissimi.

Ipsis expletis, annuntiat diaconus: Catechumeni recedant. Si quis catechumenus est recedat. Omnes catechumeni exeant foras. *Egressi vero parentes cum infantibus eorum, foris relinquunt ipsos infantes in custodia, & iterum ingrediantur in ecclesiam tam parentes quam & illi qui ipsos infantes suscepturi sunt, cum oblationibus eorum, & offerunt eas pro ipsis.*

Super oblata.

Exaudi nos, omnipotens Deus, & famulos tuos, quos fidei christianæ primitus imbuisti, hujus sacrificii tribuas operatione mundari. Per.

Ipsi vero infantes pro foribus expectant, donec consummentur solemnia missarum: Explete vero missæ, communicant omnes præter ipsos infantes.

Ad comm. (Concurrat, Domine quæsumus, populus tuus, & toto tibi corde subjectus obtineat, ut ab omni perturbatione securus, & salvationis suæ gaudia promptus exerceat, & pro regenerandis benignus exoret. Per.

Super populum. (Deus qui cum salutem hominum semper operaris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiori multiplicas, respice propitius ad electionem tuam, ut paternæ protectionis auxilio regenerandos munias & renatos. Per.

Iterum annunciat presbyter qualem diem voluerit in sequenti hebdomada, quo revertantur ad scrutinium, & ut venerint celebraturi ipsum scrutinium, faciunt per omnem ordinem sicut illa duo priora ante aurium apertionem fecerunt. Et postea annuntiat presbyter, ut ipsi ipsa hebdomada ad qualem diem & ad qualem ecclesiam voluerint, revertantur ad scrutinium quintum, & ut venerint faciunt ipsum scrutinium per omnem modum sicut anterius fecerunt.

Hoc expleto, iterum annunciat eis sicut superius, ut revertantur ad scrutinium sextum in sequenti hebdomada ultima ante Pascha, ad qualem diem vel ad qualem ecclesiam voluerit. Et complent ipsum scrutinium, & missam per omnia, sicut anteriora fecerunt.

Ita enim agendum est ut in primo scrutinio quod incipit III. hebdomada in quadragesima usque in sabbatum sanctum in vigilia Paschæ VII. scrutinia esse debeant secundum formam VII. donorum Spiritus-sancti, ut dum septenario numero implebuntur, detur illis gratia septiformis Spiritus-sancti.

Iterum annuntiat presbyter, ut in ipso sancto sabbato hora III. revertantur ad ecclesiam. Et tunc catechizantur, & reddunt symbolum, & baptizantur, & implebuntur septem oblationes eorum.

ORDO V.

Ex ms. insignis ecclesiæ Viennensis in Gallia.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS-SANCTI. AMEN.

INcipit officium quatuor evangelistarum, quod in scrutiniis catechismi dicitur sive exorcismi, fieri solitum baptizatis; & fit in sancta Viennensi ecclesia feria IV. post Dominicam IV. quadragesimæ per modum sequentem.

Dum dicitur officium missæ, incipiendo Kyrie eleison, *exeant chorum quatuor archidiaconi; Salmonacensis scilicet, Artavensis, de Turre, & Viennensis. Duo clericuli cum magistro accedentes ad revestiarium: ibidem revestientur ad modum diaconi, Archidiaconus Salmonacensis repræsentans Matthæum indumentis rubeis; & debet esse primus in choro sinistro a parte chori; & pronunciet evangelium,* Christi generatio sic erat: Cum esset desponsata, &c. *Archidiaconus Artavensis repræsentans Marcum indumentis pallidis; & debet esset primus in choro dextro a parte altaris; & pronunciet evangelium.* Initium evangelii Jesu Christi Filii Dei scriptum est in Isaia propheta: Ecce mitto angelum. *Archidiaconus de Turre repræsentans Lucam indumentis viridis; & debet esse secundus in choro sinistro a parte altaris; & pronunciet evangelium,* Quoniam quidem multi conati sunt. *Archidiaconus Viennæ repræsentans Johannem, indumentis albis; & debet esse secundus in choro dextro a parte chori; & pronunciet evangelium,* In principio erat Verbum.

Quinque presbyteri. Tres de choro dextro, & duo de sinistro.

Primus leget lectionem Aperturi, Filii carissimi.

Secundus de choro sinistro legat lectionem, Filii carissimi.

Tertius de choro dextro legat lectionem, Marcus evangelista.

Quartus de choro sinistro legat lectionem, Lucas Evangelista.

Quintus de choro dextro leget lectionem, Johannes evangelista.

Domnus eleemosynæ leget sextam lectionem, Suscipite symbolum, fratres carissimi. *Et dicat Orationem Dominicalem* Pater noster. *

Dum ℟. Beata gens *reiteratur; accedent dicti quatuor archidiaconi ante altare in eorum locis prædeclaratis, bini & bini, portantes quilibet unum librum evangeliorum; & reponant dictos libros super altare deosculando illud. Duo a dextris, & duo a sinistris. Deinde sedeant quilibet in loco suo. Tractet presbyter his verbis. Quidam sacerdos de dextro choro eat ad locum decani, accepta prius cappa nigra & amictu præcedente, & ibi in ambone parato hanc legat orationem:* Aperturi vobis, &c. *usque* Matthæus, Marcus, Lucas, & Johannes. *Dum lectio* Aperturi *legitur; archidiaconus Salmonacensis accipiat benedictionem a sacerdote, thure prius benedicto. Deinde accipiat librum suum deosculando altare, & accedat per chorum suum sinistrum cum subdiacono, thuriferario, & ceroferariis; & surgant de choro sinistro quando transit eundo, & similiter faciunt de choro dextro dum transeunt per chorum dextrum ad locum decani, & enunciet dicens:* State cum silentio audientes intente. Dominus vobiscum. *Chorus respondeat:* Et cum spiritu tuo. Initium S. Evangelii secundum Matthæum. In illo tempore Christi generatio sic erat: Cum esset desponsata, *&c. usque* A peccatis eorum. *Et postquam lectum fuerit, subdiaconus accipiat librum evangelii cum textu, & portet in sacrarium; & annuntiet archidiaconus ut supra:* State cum silentio audientes intente. *Quo facto, discedat ad locum suum per chorum sinistrum. Tunc non surgant. Ante altare accedat. Et post hæc tractet presbyter his verbis:* Filii carissimi, ne diutius, &c.

Dum dicitur dicta lectio, archidiaconus Artavensis accepta benedictione, ut supra, a sacerdote, & benedicto thure, accipiat librum suum super altare, illud deosculando: & accedat per chorum dextrum ad prædictum locum decani, & annunciat finita lectione dicens: State cum silentio, audientes intente. Dominus vobiscum. *Chorus respondeat:* Et cum spiritu tuo. Initium Sancti Evangelii secundum Marcum: Initium evangelii Jesu Christi Filii Dei, *&c. usque* Baptizabit vos Spiritu-sancto. *Iterum annunciat archidiaconus dicens:* State cum silentio, audientes intente. *Quo facto, accedat ad locum suum per chorum dextrum, & non surgant, & prosequatur his verbis alius sacerdos a dextris:* Marcus evangelista, &c.

Dum dicitur dicta lectio, archidiaconus de Turre accepta benedictione a sacerdote, & thure benedicto, accipiat librum suum, altare deosculando, & accedat ad locum decani per chorum sinistrum, & enunciet finita lectione dicens: State cum silentio, audientes intente. Dominus vobiscum. *Chorus respondeat:* Et cum spiritu tuo. Initium S. Evangelii secundum Lucam: Quoniam quidem, *&c. usque* Plebem perfectam. *Iterum enuntiet archidiaconus dicens:* State cum silentio, audientes intente. *Quo facto, accedat ad locum suum per chorum sinistrum, & prosequatur his verbis alius sacerdos.* Lucas Evangelista.

Dum dicitur dicta lectio, archidiaconus Viennensis accepta benedictione a sacerdote, & thure benedicto, accipiat librum suum deosculando altare, & accedat ad locum decani per chorum dextrum, & enunciet finita lectione dicens: State cum silentio, audientes intente. Dominus vobiscum. *Chorus respondeat:* Et cum spiritu tuo. Initium sancti Evangelii secundum Johannem. In principio, *&c. usque* Gratiæ & veritatis. *Iterum dicat archidiaconus:* State cum silentio, audientes intente. *Quo facto, ibidem sedeat, & maneat donec finitis lectionibus usque ad lectionem* Audistis dilectissimi, *enuncians in fine lectionum, ut supra,* State cum silentio, &c. *in locis supra notatis. Et prosequatur alius presbyter a dextris his verbis:* Johannes evangelista, *&c.*

Deinde dicat dictus archidiaconus, ut supra: State cum silentio, audientes intente. *Et signet eos sacerdos domnus eleemosynæ ter dicens:*

Suscipite symbolum, fratres dilectissimi, suscipite arma quæ diabolum vincunt, inimicum expugnant, leonem conculcant, & draconem suppiantant. Ipsa sunt enim sine quibus ad bella non itur. Quicumque hæc arma non habuerit, semper nudus erit, & inimico subjectus. Per hoc symbolum & eloquium quod dicturi sumus, dilectissimi,

* *Ex Ordinario ecclesiæ Viennensis hæc addenda videntur:* Post orationes missæ descendant sacerdos, diaconus, & tres subdiaconi, & interroget sacerdos an sit puer vel femina. Et ponantur masculi ad dexteram partem, & feminæ ad sinistram. Tunc diaconus dicat: *Orate electi, flectite genua, levate: complete orationem vestram in unum, & dicite. Amen. Signate illum vel illam, illos vel illas.* Et sacerdos quærat singulorum nomina, unicuique benedictionem imponat, & dicat orationes. Primus & ultimus cum tribus subdiaconibus more solito in majori scrutinio descendat, qui missam cantet. Si archiepiscopus cantet; tunc non descendat capellanus. Redeuntibus vero incipit subdiaconus qui præcedentem hebdomadam fecit, *Lectio Ezechielis prophetæ: Hæc dicit Dominus.* Resp. *Beata gens.*

ctissimi, tentatio vincitur, & omnis dolus expellitur, & immundus spiritus effugatur. Mysterium prædicamus quod apostoli Ecclesiæ tradiderunt.

Item præfatio symboli ad electos.

Idem antequam dicas symbolum his verbis prosequeris: Dilectissimi nobis, accepturi sacramenta baptismatis, &c. *Et annunciat archidiaconus ut supra. Post hoc accipiens * acolythus unum ex ipsis infantibus masculis, tenens eum in brachio sinistro, ponens manum super caput ejus, & interroget presbyter, si cognoverit, græce: acolythus similiter respondeat, græce. Si autem græcam linguam non intellexerit, interrogat eum latine. Et dicat presbyter:* Annuncia fidem illorum qualiter credant. *Et cantet symbolum* Credo in Deum, *totum usque in finem. Et dum cantat, semper manum super caput infantis teneat. Hoc finito, iterum accipiens alter acolythus ex ipsis infantibus feminam, sicut supra. Et interroget presbyter sicut antea; & ipsa cantet symbolum sicut supra dictum est. Hoc expleto, sequatur presbyter his verbis:* Hæc summa est fidei vestræ, &c.

Item præfatio Orationis Dominicæ ad electos.

Et dicit diaconus: State cum silentio, *ut supra. Et sequatur presbyter his verbis:* Dominus & Salvator noster, &c. ut ita oremus: Pater noster, &c. Sed libera nos a malo. *Item annunciat archidiaconus ut supra:* State cum silentio. *Deinde signat illos presbyter tertio, & dicit:* Diximus vobis, dilectissimi nostri, Orationem Dominicam, sicut ipse suis discipulis præcepit: Audite nunc interpretationem ejus. Hæc nos oratio commendat Christo, reconciliat Deo, angelorum inserit numero, ut Christi faciat esse fratres, & Dei constituat hæredes.

Pater noster qui es in cælis. Hæc libertatis vox est, &c. nobis conferre dignetur. *Iterum annunciat archidiaconus, ut supra.* State cum silentio, audientes intente. *Hoc dicto, recedat archidiaconus in locum suum ante altare, & sequitur presbyter his verbis:* Audistis, dilectissimi, Dominicæ Orationis sancta mysteria, &c. faciat pervenire. Qui vivit.

Hoc expleto, annunciat archidiaconus: Catechumeni procedant: omnes catechumeni exeant foras. *Egressi vero parentes cum infantibus foris relinquant ipsos infantes in custodia. Et iterum ingrediuntur in ecclesiam tam parentes, quam & illi qui ipsos infantes suscepturi sunt cum oblationibus eorum: & offerunt pro ipsis. Ipsi vero infantes pro foribus expectant, donec consummentur missarum solemnia. Post evangelium secundum Johannem:* Prætereuns Jesus, *recedant quatuor archidiaconi in revestiarium.*

O R D O VI.

SCRUTINII IN ECCLESIA LEODIENSI HACTENUS CELEBRATI.

Ex ms. codice Ecclesiæ Leodiensis.

F*Eria IV. conveniant ad ecclesiam S. Mariæ * catechumeni hora VI. & exorcizentur. Post nonam veniant canonici ad processionem apud S. Mariam decantando ut cæteris diebus. Finitis autem more solito precibus & orationibus, missam ibidem cantant. Sequitur introitus* Cum sanctificatus fuero &c. *ps.* Benedicam &c. Kyrie eleison, *qua finita taceant. Duo autem presbyteri sunt ad ostium ecclesiæ cum duobus exorcistis & diacono parato ad evangelium dici, & dicat diaconus stans ad ostium:* Cathecumeni accedant. *Introgressis autem ecclesiam pueris, ordinentur masculi in dextra parte, & puellæ in sinistra, & duo exorcistæ parum remoti a catechumenis, & duo presbyteri retro exorcistas, & diaconus in medio eorum. Tunc diaconus ad bajulas puerorum clamet sub hac voce:* Orate electi flectentes genua. Levate & complete orationem vestram in unum, & dicite Amen. Signate illos & accedite ad benedictionem. *Tunc dicant exorcistæ in masculos, & alter vero super feminas*

Oratio.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui Moysi &c.

Ergo maledicte diabole recognosce &c. & hoc signum sanctæ crucis quod nos frontibus eorum damus. *Signande pueros in frontibus eorum.* Tu maledicte diabole numquam audeas violare.

Iterum diaconus ad bajulas puerorum dicat ut superius: Orate electi, *ut supra.*

Deus immortale præsidium &c. Ergo maledicte &c.

Iterum diaconus ad bajulas puerorum ut superius dicat: Orate electi, flectentes genua *ut supra. Iterum dicant exorcistæ.*

Exorcizo te immunde Spiritus &c. Ergo maledicte.

His dictis unusquisque presbyterorum benedictionem suam dicat.

Oratio.

Æternam ac justissimam pietatem tuam &c.

Quibus finitis, redeant ad altare, & dicente presbytero missam celebrante oremus, diaconus dicat, Flectamus genua. Levate.

Collecta.

Deus qui & justis præmia &c.

Lectio Ezechielis prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus: sanctificabo nomen meum &c.

℟. Venite, ℣. Accedite. *Collecta.* Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut quos jejunia votiva castigant &c. *Lectio Isaiæ prophetæ.* Hæc dicit Dominus Deus: Lavamini &c. *Gr.* Beata gens &c. ℣. Verbo Domini &c. *Tractus,* Domine non secundum &c.

Finito tractu, procedant de sacrario bini & bini acto presbyteri cum septem diaconibus & totidem subdiaconibus, & septem acolythi cum cereis accensis, & septem alii cum thuribulis decantantes officium: Sitientes venite ad aquas, & *psal.* Attendite &c. Gloria Patri. *Et stent omnes per ordinem ante altare, & ponant quatuor evangelistas in cornibus altaris, ut decet; officio finito cum psalmo* & gloria *& repetitione introitus. Diaconus qui est paratus ad evangelium dici convertat se ad bajulas puerorum & dicat:* State cum disciplina & silentio audientes intente. *Tunc legat presbyter de sancta cruce lectionem primam.* Aperturi vobis filii evangelia &c. *Iterum dicat diaconus,* state cum disciplina, *ut supra. Deinde pronunciet diaconus de S. Petro Initium S. Evangelii secundum Matthæum,* Liber generationis &c. *usque* salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Item diaconus, state cum disciplina & silentio, *ut supra.*

Tunc presbyter de S. Petro legat: Filii carissimi ne diutius vos teneamus, exponemus &c. *usque* Matthæi persona.

Item diaconus: State cum disciplina &c. *ut supra. Deinde diaconus de S. Paulo pronunciet Initium S. Evangelii secundum Marcum.* Initium evangelii Jesu Christi &c. *usque* baptizabit vos Spiritu sancto.

Item diaconus, state cum disciplina, *ut supra. Item presbyter de S. Paulo legat lectionem tertiam,* Marcus evangelista &c. *usque* excitabit eum.

Item diaconus: State cum disciplina. *Post diaconus de S. Bartholomæo pronunciet initium evangelii secundum Lucam:* Fuit in diebus Herodis &c. *usque* plebem perfectam. *Deinde presbyter de S. Bartholomæo legat lectionem quartam:* Lucas evangelista &c. *usque* contineant.

Iterum diaconus: State cum disciplina. *Deinde diaconus de S. Johanne pronunciet initium S. Evangelii secundum Johannem.* In principio erat Verbum &c. & veritatis.

Item diaconus: State cum disciplina. *Deinde presbyter de S. Johanne legat quintam lectionem:* Johannes evangelista &c. *usque* Domino nostro percipere, qui vivit.

Item diaconus: State cum disciplina & silentio, *ut supra. Deinde presbyter de S. Martino legat lectionem sextam:* Dilectissimi nobis accepturi sacramentum baptismatis &c. *usque* hoc incohatus exordio. *Qua finita, accipiant exorcistæ duo de pueris, alter masculum, alter feminam. Et interrogent eos duo presbyteri de S. Maria sic:* Qua lingua confiteris Christum? *Respondeant exorcistæ latina. Item duo presbyteri de S. Maria:* Annuncia fidem illorum qualiter credant. *Tunc exorcistæ* Credo in unum Deum, *Chorus prosequatur. Hoc finito, dicat diaconus:* State cum disciplina &c. *Tunc presbyter de S. Maria legat lectionem septimam.* Hæc summa est dilectissimi &c. *usque* faciat pervenire. Per eumdem.

Item diaconus: State cum disciplina audientes intente. *Alius presbyter de S. Maria legat lectionem VIII.* Dominus & Salvator noster inter cetera &c. *usque* conferre dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui vivit.

Item diaconus: State cum disciplina &c. *Et presbyter de S. Dionysio legat nonam lectionem:* Audistis dilectissimi orationis Dominicæ sancta mysteria &c. *usque* faciat pervenire. Qui vivit.

Qua finita, diaconus se convertat ad pueros & dicat: Catechumeni recedant. Si quis catechumenus est recedat.

* In ordinario ecclesiæ Viennensis hic & infra ubi occurrit verbum, *acolythus*, legitur *subdiaconus*.

* Est parochialis ecclesia Cathedrali vicina.

dat, omnes catechumeni exeant foras. *Tunc pronunciet diaconus evangelium diei & missa prosequatur ad finem ut ceteris diebus.* Olim reservabantur ad Sabbatum sanctum baptizandi, hodie statim post scrutinium baptizantur.

ORDO VII.

Ex Græcorum Euchologio.

RENUNCIATIO ET COOPTATIO A PATRIARCHA FACTA SANCTA PARASCEVE ANTE PASCHA, CONGREGATIS CATECHUMENIS IN SANCTISS. ECCLESIA.

Advenit Patriarcha circa sextam horam, & ambonem conscendit, & dicto ab Archidiacono: Attendamus, *dicit ipse,* Pax omnibus. *Patriarcha vero dicit catechumenis:* State in timore, & cruce signamini: nudate vos, & solvite calceamenta.

Hoc ita peracto, catechismum hoc pacto incipit:

Instat instructionis vestræ terminus, & redemtionis vestræ tempus. Hodie fidei vestræ chirographum expositurí estis: papyrus, atramentum & calamus conscientia vestra, lingua habitus erit. Videte itaque qua ratione professionem hanc estis subsignaturi. Ne aberretis, ne forte decipiamini. Testamentum componunt morituri, & alium possessionum suarum heredem relinquunt. Et vos quoque crastina nocte morituri estis peccato; nunc vero renunciatio vestra testamentum est, & peccati heredem diabolum scribitis, & peccata ipsi relinquitis, ut paternam hereditatem. Si quis igitur diaboli aliquid in anima retinet, moriturus ei renunciet, non enim passionum ultra dominus est. Vestrum itaque quod diaboli est, nullus aliquid in anima retineat, propterea namque vos stantes manus, ut præcipiam, extendetis perscrutantes, ne quid diaboli in vobis abscondatur. Nullus inimicitiam habeat, nullus iram conservet, nullus cum dolo astet, nullus eum fictione audiat; omnes sordes & malitiæ reliquias in diaboli facie projicite, & captivorum more state: tales namque vos Christus redimit. Unusquisque vestrum quasi cernens oculis & exsecrans diabolum, sic eum conspuat. Ipsas conscientias vestras penetrate, & corda vestra perscrutemini, quid unusquisque vestrum fecerit respicite. Si quid in vobis adversarii est, istud a vobis abjicite. Nullus hic simulationis studiosus astet, de sacramento nullus ambigat, verbum Dei omni gladio ancipiti acutius corda penitius investigat, in occidente diabolus stat frendens dentibus, comas vellens, complodens manus, labia mordens, furens ejulat, solitudinemque deplorat, & in libertate vestra, despondet animo: coram se propterea Christus vos sistit; ut ipsi renuntiantes, & ipsum conspuentes, bellum ipsi perpetuum indicatis: in occidente stat diabolus ubi tenebrarum principium est. Renunciate ipsi, & insufflate in eum. Tum vero convertimini ad orientem,) & Christo conjungamini: nullus contemnat: state cum tremore. Cuncta quæ in præsenti fiunt, tremenda sunt & horrenda. Cunctæ virtutes cœlorum hic adsunt; omnes angeli & archangeli verba vestra) invisibiliter scribunt: inclinant e cœlis Cherubim & Seraphim, vestra pacta pollicitaque suscepturi, & Domino illa præsentaturi. Videte itaque quomodo diabolo renunciatis, & rerum omnium opifici adhæretis.

Postmodum vero dicit illis:

Convertamini ad occidentem, protensis in altum manibus; quod dico ego, & vos pariter dicite: Renuncio satanæ, & omnibus operibus ejus, & omni cultui ejus, & omnibus angelis ejus, & omni pompæ ejus.

Hæc autem ter dicit: illisque cunctis respondent. Deinde interrogat illos:

Renunciastis satanæ? *Dicunt ei*: Renunciavimus.

Dicit eis: Insufflate in eum.

Mox dicit eis: Convertamini in orientem demissas habentes manus: state cum tremore: quod ego dico, & vos dicite: Et conjungor Christo & Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium, *& reliqua usque in finem.*

Hoc omnibus respondentibus, ter dicit, & interrogat eos: Christo conjuncti estis?

Et dicunt, Conjuncti sumus. *Hoc ter interrogat, & post hæc dicit eis:* Adorate illum. *Et omnibus illis adorantibus, facit orationem dicens:*

Benedictus Deus qui vult omnes homines salvari, & ad agnitionem veritatis venire: nunc & semper & in sæcula sæculorum.

Et iterum dicit illis:

Ecce renunciastis diabolo, & Christo conjuncti estis. Completæ sunt tabulæ, & Christus in cœlis illas tenet. Respicite pacta. Tabulas vobis has custodite, in die namque judicii publice sunt proferendæ. Nec circa summam totam aberretis, de qua fœnus etiam exigetur. Videte ne erubescatis in Christi timendo & horrendo tribunali, ubi cunctæ cælorum virtutes moventur, & omnis hominum natura judicanda adstat, angelorum myriades, archangelorum exercitus, supernarum virtutum ordines ibi adsunt: cum fluvius igneus, vermis perpetuus, & tenebræ exteriores instant · tunc tabulæ tuæ legendæ sunt. Si misericors fueris & humanus, tunc patronos habebis, quos misericordia tua sublevaveris: Si vero inhumanus & parcus, immisericors & contumeliosus, & in eos qui unquam offenderunt calumniator; tunc aderit tibi diabolus, accusaturus te, & dicturus: Domine, verbo quidem hic renunciavit, opere vero servus meus factus est. Hinc angeli suspirabunt, & super te justi cuncti lacrymabuntur: Finis autem gravis est & quod dicitur. Si quisquam in periculum præsenti tempore inciderit, protectores invenit, aut amicos interpellat, aut a consanguineis adjuvatur, aut pecuniis liberatur. Ibi vero nihil tale fit, non pater auxiliatur, mater pietate non movetur, non concurrunt fratres, neque præsto sunt amici, sed nudus est omnis homo, solus & destitutus, ab operibus propriis aut adjutus aut condemnatus abit. Frater non redimit, redimet homo? Attendite itaque & securitati vestræ providete: diabolo renunciastis, ad finem usque ipsum oderitis. Christo adjuncti estis: ad extremum usque spiritum gloriam illi reddite: post hanc sanctæ fidei professionem ad Dominum pergite. Ne fluctuetis in fide. Misereamini pauperis, ne afflictos contemnatis, ne aliena rapiatis, ne innocentes calumniis opprimatis, ne vanos sermones excipiatis: sacerdotes nostros propugnate, vitam vestram omni tempore custodite.

Non refugi, quin vobis quæ sunt utilia annunciarem: qua ratione sint observanda tenetis: utilia namque proposui, ne forte superveniens vindicta animam è populo rapiat. Observat namque verba vestra, cogitationem, sensum, motum, actionem inimicus: sed & vos securitati vestræ hoc pacto providete: ut nihil mali adversum vos proferente inimico in tremendi judicii die, Christi tribunali cum fiducia adstemus, & desideratam illam & beatam vocem audiamus: Venite benedicti Patris mei, hereditate accipite præparatum vobis regnum a constitutione mundi. Ipsi convenit omnis gloria, honor, & adoratio Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Et responso: Amen. *Dicit eis:* Sursum habete manus.

Pro universo orbe, ordine, bono statu, & omnium quiete dicamus: Domine miserere.

Pro piissimis nostris imperatoribus, omni palatio, & exercitu eorum, & Christo amabili populo dicamus: Domine miserere.

Pro animarum nostrarum redemtione dicamus: Domine miserere.

Ut cito conteratur satanas sub pedibus nostris, & ut incolumis civitas nostra conservetur, dicamus: Domine miserere.

Tunc populum de more cruce signat Patriarcha, & orationem hanc facit.

Quia misericors & benignus Deus existis, & tibi gloriam rependimus.

Et responso: Amen, *Dicit*: Induite & calceate vos: *& ad altare progreditur, & orationem pro dispositis ad baptismum habet, diacono faciente, ut moris est, supplicationem. Tum sacerdos orationem hanc recitat, nec in ejus finem exclamationem ullam pronuntiat.*

Dominator Domine Deus, servos tuos ad sanctam tuam illuminationem advoca, & gratia ista magna dignos illos ostende: in vitam æternam exuta vetustate illos regenera, & sancti tui Spiritus virtute, ad Christi tui laudem illos reple: ut corporis filii nunquam existant, sed regni tui filii.

Et baptizandorum oratione completa, diaconus vice capita suo jussu inclinandi, (*id est loco hujus,* capita Domino inclinate,) *dicit:*

Quotquot dispositi estis ad baptismum, ad manuum impositionem accedite, & benedictionem accipite.

Et manus singulis viris ac mulieribus imponens sa-

cerdos

cerdos, rursus ad sanctam mensam regreditur, & exclamat: Quia tu es illuminatio nostra, &c.

Deinde sacerdos dicit: Pax omnibus. *Et diacono dicente:* Capita vestra Domino inclinate. *Sacerdos precatur.*

Deus Pater noster, qui omnes vis salvari, & ad agnitionem veritatis venire: cognitionis tuæ lumen in nostris & eorum qui ad baptismum sunt dispositi cordibus infunde, & immortalis tui doni dignos illos redde: & Ecclesiæ tuæ sanctæ catholicæ illos aggrega. Tuum enim est misereri, & salvare nos, & tibi gloriam rependimus.

ARTICULUS XIII.

De ritibus qui baptismum ipsum immediate præcedebant.

Lotio capitis Dominica Palmarum, & pedum in Cœna Domini.

ARticulus iste ea complectitur omnia, quæ ipso sacræ intinctionis die, vel paucis ante diebus erga catechumenos observabantur. In quibus principem obtinent locum duæ celeberrimæ lotiones; capitis una, pedum altera. Prima Dominica Palmarum, quæ propterea in antiquo Ordine Romano dicitur *Capitolavium*, celebrabatur; cujus meminit S. Isidorus in libro 6. Ethymologiarum, cap. 18. & in libro 1. de Divinis Officiis cap. 27. ubi etiam illius faciendæ rationem reddit his verbis: (Vulgus autem eumdem diem ideo Capitulavium vocat, quia tunc moris est lavandi capita infantium qui ungendi sunt, ne forte observatione quadragesimæ sordidata ad unctionem accederent.) Isidoro adstipulantur Rabanus in lib. 2. de Institutione Clericorum cap. 35. & vulgatus Alcuinus de Divinis Officiis capite de Dominica Palmarum. Eadem ratione fiebat & altera, quæ est pedum, sed feria V. in Cœna Domini tantum ab episcopo exhibenda, ut innuit S. Augustinus in epistola 54. novæ editionis ad Januarium n. 10. (Si autem quæris, ait, cur etiam lavandi mos ortus sit; nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora per observationem quadragesimæ sordidata cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliqua die lavarentur. Istum autem diem ad hoc electum quo Cœna Dominica anniversarie celebratur.) Idem longe ante S. Augustinum observabat ecclesia Hispanica; sed hunc ritum antiquavit concilium Eliberitanum edito canone 48. (Emendari placuit, ut hi qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant. . . . Neque pedes eorum lavandi sunt a sacerdotibus vel clericis.) Sed in ecclesia Gallicana, ut & in Mediolanensi ritus iste post perceptum baptisma differebatur, ut dicemus postea.

Redditio symboli.

II. Eodem die, scilicet feria V. ultimæ septimanæ traditum in supradictis scrutiniis symbolum episcopis vel presbyteris competentes reddere debebant, uti præscribit concilium Laodicenum cap. 46. & Martinus Bracarensis cap. 49. his verbis: (Oportet autem in ipsis diebus, ut hi qui baptizandi sunt, symbolum discant; & quinta feria novissimæ septimanæ episcopo vel presbytero reddant.) Et concilium Quinisextum cap. 78. (Oportet, inquit, eos qui illuminantur, fidem discere, & quinta septimanæ feria episcopo seu presbyteris renunciare.] Et S. Hildephonsus in libro adnotationum de ordine baptismi cap. 34. (Hoc symbolum quod competentes in diis unctionis accipiunt aut per se, si majores ætate sunt; aut per ora gestantium, si parvuli sunt, quinta feria ante Pascha sacerdoti recitant atque reddunt.) &c. Sed ex Ordine Gelasiano id tantum præstabant *sabbatorum die mane*. Gelasio consentiunt antiqui nostri codices mss. Gellonensis, Remensis S. Remigii, Noviomensis, Regius & alii. Sed in ecclesia Lugdunensi ad illud exercitium expectabantur meridies, ut innuit ejusdem ecclesiæ Ordinarium antiquum ante annos quingentos descriptum, & in bibliotheca Regis Christianissimi asservatum, cui consentit secundus Ordo Baptismi in codice Gellonensi. Tunc ea renovabantur omnia, quæ circa catechumenos in aliis scrutiniis, sed præsertim in primis peracta fuerant, hoc est consignatio, manus impositio, exorcismi, sputi & olei inunctio, atque abrenunciatio: quamvis non eisdem omnino verbis, nisi forte tunc recens natus aliquis infantulus, qui supradicta quadragesimæ scrutinia non subiisset, adduceretur: tunc enim iidem ritus exorcismi, qui in primo scrutinio adhibiti erant, renovabantur; additis & aliis ad sabbatum sanctum pertinentibus; id quod constat non solum ex nostris Ritualibus mss. sed insuper ex Amalario, Rabano, vulgato Alcuino, aliisque qui de Ritibus Ecclesiasticis Tractatus ediderunt, qui quidem omnes ritus in prioribus scrutiniis observari solitos sabbato sancto assignant, de quibus cum jam satis dixerimus, plura hic addere supervacaneum existimamus.

Lectiones ad instructionem baptizandorum.

III. His peractis, de ecclesia ejiciebantur, clamante archidiacono, *Catechumeni recedant, omnes Catechumeni exeant foris*. Et iterum diacono: *Filii carissimi, revertimini in locos vestros, expectantes horam, qua possit circa vos Dei gratia baptismum operari*. Mediante vero diei octava hora ad ecclesiam revertebantur, ubi benedicto solemniter cereo, Lectiones in gratiam catechumenorum ex veteri testamento recitabantur, duodecim quidem juxta ordinem Gelasianum, quatuor vero secundum Gregorianum. De his lectionibus intelligendus locus ex Palladio in Vita S. Joannis Chrysostomi, ubi agens de excitato a Theophili satellitibus in ecclesia Constantinopolitana tumultu hoc ipso die, hæc habet: (Joannis tamen presbyteri, qui Dei timorem habebant, in publico lavacro, quod Constantinianas vocant, convocatis populis vigilias agebant, alii *scripturas divinas legentes*, alii catechumenos baptizantes, ut par est, propter pascha.] Et Paschasinus Lilybetanus episcopus in epistola ad S. Leonem papam: (Cum apud Occidentales error ortus fuisset, consuetis lectionibus nocte sancta discussis, cum presbyter juxta morem baptizandi horam requireret, usque ad lucem aqua non veniente, qui baptizandi erant recesserunt.) Denique antiquum ecclesiæ Lugdunensis ordinarium: (Sabbato sancto circa meridiem fient catechumeni. Ad catechumenum faciendum incipiat lector, In principio creavit Deus cælum & terram,) &c. Sed de his plura dicemus cum ritus Sabbati sancti minutatim prosequemur.

IV. Postea benedicta solemniter aqua, Baptizandi tingebantur, prius tamen abrenuntiare diabolo jussi, deinde oleo exorcizato peruncti, ac tandem fidem, quam tenerent, publice & clara voce professi.

Abrenuntio quotuplex.

V. Abrenuntiatio triplex hoc modo solebat exprimi. *Abrenuncias Satanæ?* ℟. *Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus?* ℟. *Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus?* ℟. *Abrenuntio.* Hæc abrenunciationis formula in omnibus passim Ritualibus reperitur, ejusque meminit Beda Venerabilis in Tobiæ caput 8. At S. Ambrosius duplicem tantum renuntiationem designare videtur in libro de Mysteriis cap. 2. ubi hæc habet: (Post hæc reserata sunt tibi sancta sanctorum, ingressus es regenerationis sacrarium: repete quid interrogatus sis, recognosce quod responderis; renunciasti diabolo & operibus ejus; mundo & luxuriæ ejus.) Clarius auctor librorum de Sacramentis, qui sub ejus nomine circumferuntur, lib. 1. cap. 2. (Quando te interrogavit, inquit, Abrenuntias diabolo & operibus ejus? quid respondisti? abrenuntio. Abrenuntias sæculo & operibus ejus? Quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto cautionis tuæ.) Duplicem tantum etiam nunc adhibet ecclesia Ambrosiana, ut videre est in ejus Rituali. Sed & antiquus liber sacramentorum monasterii Moisiacensis, qui nunc ms. asservatur in bibliotheca Colbertina, non nisi duplicem exhibet. Nam postquam præscripsit, ut sacerdos baptizandorum pectus & scapulas oleo exorcizato inungat, subdit: (Et vocatis nominibus, singulis dicat: Exi, immunde spiritus, & da locum Spiritui sancto. Abrenuntias satanæ? ℟. Abrenuntio. Fuge immunde spiritus, da honorem Deo. Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio. Et ego linio te oleo salutis.) &c. At vero in libro 7. Constitutionum apostolorum cap. 41. qui baptizatur semel dumtaxat cum abrenuociat hoc modo profitetur: (Abrenuntio satanæ & operibus ejus, pompis, cultui, angelis, & machinationibus ejus, & omnibus quæ sub cælo sunt.) His consentit S. Johannes Chrysostomus in homilia 21. ad Populum Antiochenum, quem sic alloquitur: (Vocis illius recorderis, quam dum sacris initiareris emisisti: Abrenuntio tibi, satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo.] Ubi etiam explicat quid sit pompa satanica, videlicet (Theatra, circenses, & omne peccatum & dierum observatio, & præsagia, & omnia.) Unicam etiam designat S. Hildephonsus lib. 1. de cognitione Baptismi c. 111. his verbis expressam: *Abrenuntio tibi diabole & angelis tuis, operibus tuis, & imperiis tuis.* In libel-

libello etiam Pirmini abbatis, quem in Analectorum tomo 4. vulgavit noster Mabillonius, unica reperitur abrenunciatio: (Fratres, inquit, ad memoriam vestram reducimus quale pactum in ipso baptisterio cum Deo fecimus, v. g. cum interrogati singuli nomen nostrum a sacerdote fuimus quomodo diceremur, respondisti autem tu, si jam poteras respondere, aut certe qui pro te fidem fecit, qui te de fonte suscepit, & dixit *Johannes dicitur*, aut aliud nomen. Et interrogavit sacerdos, *Johannes, abrenuntias diabulo & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus?* Respondisti, abrenuntio.) Denique in antiquo missali Gallicano, quod publicæ lucis fecit doctissimus vir Josephus Thomasius, baptizandus tantum semel interrogatur (abrenuntias satanæ, pompis sæculi, & voluptatibus ejus?) Et respondet semel (abrenuntio.) Concinit S. Cæsarius in Sermone 264. Appendicis tom. 5. Operum S. Augustini, ubi sic loquitur: (Consideret ergo unusquisque, sicut jam dictum est, quod in baptismi sacramento promisit. Et quia pactum cum Domino fecit, videat si id nulla ex parte violavit. Quando enim interrogatus est, abrenuncias diabolo, pompis & operibus ejus? tunc ei sacerdos subscribendum pactum obtulit. Quando autem respondit, abrenuntio, tunc subscripsit.)

VI. E contrario autem S. Cyrillus episcopus Hierosolymitanus in Catechesi mystagogica 1. ad eos qui baptizati sunt, quadruplicem innuit factam fuisse renunciationum: (Quid igitur, inquit, unusquisque vestrum stans dicebat? Renuntio tibi satana.) Et paulo post: (Duceris mox & alteram renunciationis partem addere. Et omnibus tuis operibus.) Et infra: (Postea dicis: Et omni pompæ tuæ?] Et post nonnulla: (Dicis præterea: Et omni cultui tuo?) Quæ omnia pie & eleganter explicat. Et S. Ambrosius lib. 1. in Hexameron cap. 4. (Deserit qui abluitur intelligibilem illum Pharaonem, principem istius mundi dicens: Abrenuntio tibi, diabole, & angelis tuis, & operibus tuis, & imperiis tuis.) Nisi forte quis dicat hæc omnia simul uno contextu ab eo qui regenerandus erat dicta fuisse, & Ambrosium ad usum aliarum ecclesiarum potius respexisse, quam suæ, in qua duplex dumtaxat renuntiatio fiebat. Eodem plane modo videtur intelligendus locus ex Salviani libro 5. de Providentia: (Quæ in baptismo salutari Christianorum prima confessio? quæ scilicet, nisi ut renuntiare se diabolo, ac pompis ejus, atque spectaculis, & operibus protestetur?) Nam paulo post subdit (Abrenuncio, inquis, diabolo, pompis, spectaculis & operibus ejus.)

VII. At in Ordine baptismi Severi Alexandrini Patriarchæ sex præscribuntur renuntiationes, tres nimirum a sacerdote, & tres e baptizando aut sponsoribus ejus faciendæ. Sic enim habet: (Ex tunc obvolvit eum sacerdos ad occidentem, & profert ipse sacerdos pro baptizatis hanc renuntiationem tribus vicibus, sponsoribus ter ut ipse respondentibus: Abrenuntio satanæ ego talis N. qui baptizor, & omnibus operibus ejus, & omnibus angelis ejus, & omnibus ejus viribus, & omni ejus militiæ, & omni timori ejus, & omni ejus superbiæ, & omni ejus errori mundano, & cuilibet ei consentienti, & eum sequenti. Postquam autem abrenunciaverunt, convertit eos ad orientem, & ait tribus vicibus: Consentio tibi, Christe Deus, Ego talis N. qui baptizor, & omni doctrinæ, quæ revelata est a te divinitus per prophetas, & apostolos, & sanctos Patres, confiteor quoque & credo, & baptizor in te, & in Patre tuo, & in sancto Spiritu tuo nunc,) &c.

Abrenuntiatio qua corporis situ facta.

VIII. Ex hoc Severi Alexandrini testimonio discimus qualis fuerit renunciantium diabolo corporis situs; eos nimirum stantes ante renunciationem ad occidentem, eaque pronunciata, conversos fuisse ad orientem: qui quidem ritus tam apud latinos, quam apud græcos longo tempore obtinuit: De latinis insigne habemus Ambrosii & Hieronymi testimonium, quorum primus in libro de Mysteriis cap. 2. sic loquitur: (Ingressus es igitur ut adversarium tuum cerneres, cui renunciandum in os putaris, ad orientem converteris: qui enim renunciat diabolo, ad Christum convertitur.) Alter vero in caput 6. prophetiæ Amos. (Unde, inquit, & in mysteriis primum renuntiamus ei qui in occidente est, nobisque moritur cum peccatis; sic versi ad orientem, pactum inimus cum sole justitiæ, & ei nos servituros esse promittimus.) Ad græcos quod spectat, non obvolvebantur modo ad occidentem, sed manus insuper extendebant in altum, quasi satanam, cui renunciabant, a se longe proculque repulsuri: (Primum ingressi estis in porticum domus baptisterii, inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi 1. mystagogica, & stantes versus occidentem, mandari vobis audistis, ut protensa manu tanquam præsenti satanæ renuntiaretis.) Et paulo post: (Verumtamen audis quod nutu manus tamquam ad præsentem dicitur: Renuncio tibi satanæ.) Deinde explicat qua de causa conversus ad occidentem in S. Gregorii Nazianzeni Orationem 40. in sanctum baptisma: (Cognosces porro & ex ipso habitu, ac rerum specie, & ex verbis quod satanæ renuntias & Christo conjungeris. Non enim oratione dumtaxat, sed etiam habitu ipso, hoc est vestibus nudatus corporeque ad occasum inversus, ac manibus extensis satanam adjurabis: rursusque ad ortum tete convertens, manusque depressas habens, Deum confiteberis, teque ad ejus partes adjunges, eumque adorabis.) His consonat auctor librorum de Cælesti Hierarchia capite de Baptismo, & Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ cap. 1. (Eos qui baptizandi sunt, & calceos, & vestes oportet exuere, & ad occidentem respicientes manus extendere & exsufflare.) His accedit Isaaci Armeni Catholici testimonium, qui ut ostenderet quam male ab exemplo Christi potest argumentum trahi, inter alia hæc habet: (Christus cum baptizandus esset, non est conversus ad occidentem, nec eo situ renuncievit diabolo ac eum insufflavit, neque iterum conversus orientem fœdus cum Deo pepigit; quippe qui ipse Deus verus esset: ergo nec ipsi rem ejusmodi illis qui ab ipsis baptizandi sunt faciant.) Moscovitæ insuper diabolo renuncianies in terram exspuunt, ut testatur Alexander Guaguinus in Descript. Sarmat. Europ.) Fidejussores vel susceptores infantis, quoties circa baptismum sacerdoti interroganti an diabolo infans renunciet, correspondent, toties in terram expuunt.) Et Sigismundus Liber Baro de Rebus Moscoviticis cap. de Baptismo: (Susceptores ex voluntate parentum assumuntur, & quoties præeunte certis verbis sacerdote diabolo renuntiant, toties in terram expuunt.) Eumdem usum vigere hodie in orientali ecclesia, colligimus ex orthodoxa confessione ejusdem ecclesiæ anno 1662. approbata a Nectario Patriarcha Jerosolymitano, & aliis quatuor apostolicis sedibus, ubi inter ritus in baptismo adhibendos quæst. 103. hæc habentur: (Repudium diabolo renunciet, respondendo ad interrogationes sacerdotis, satanamque & omnia illius opera conspuendo.]

Abrenuntiatio quam antiqua.

IX. Ceterum quam antiquus sit renunciationis in baptismo ritus patet ex Origene in Commentario in epistolam ad Romanos, ex S. Cypriano epistola 7. ex Tertulliano lib. de Corona Militis cap. 3. & de Spectaculis capite 4. & ex Actis Sanctorum Martyrum Scillytanorum, qui passi sunt circa annum Christi 200. apud Ruinartium pag. 80. Quin & S. Basilius ex traditione apostolica ad nos derivatum esse scribit in libro de Spiritu-sancto cap. 27 (Ter immergi hominem unde traditum? Reliqua item quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare satanæ, ex qua scriptura habemus? Nonne ex privata & arcana traditione?] Immo si Hieronymo credimus, illius meminit apostolus 1. Timoth. 6. his verbis: [Apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, confessus bonam confessionem coram multis testibus.) Quæ exponens Hieronymus: [Confessus es, inquit, bonam confessionem in baptismo renunciando diabolo & pompis ejus coram multis testibus, coram sacerdotibus, vel ministris, virtutibusque cælestibus.]

Unctio in pectore & inter scapulas.

X. (Unguntur autem catechumeni in pectore & inter scapulas oleo exorcizato, cum abrenunciant satanæ & operibus ejus ac pompis ejus,) inquit Leidradus Lugdunensis episcopus libro de Baptismo cap. 2. Additque (quod ideo fieri arbitramur, ut habitaculum cordis ante & retro signetur, quo signo diabolus auctor perfidiæ pellatur, & Christus largitor fidei & caritatis ingradiatur. Nam cor hominis sedes est erroris & vitiorum, cum a diabolo possidetur; & ipsum efficitur habitaculum fidei, spei & caritatis, cum a Christo defenditur & inlustratur.] Leidrado concinit antiquus codex Gellonensis. Sed in Ordine Gelasiano & in quibusdam Pontificalibus libris & Ritualibus prædicta unctio præmittitur renunciationi; in nonnullis vero post ipsam facienda præscribitur. Ast olim saltem nonnullis in ecclesiis prætermittebatur omnino, cum semel in scrutiniis esset primum adhibita, sicuti docent antiquissimi canones Romanorum ad episcopos Gallos missi Conciliorum tom. 2. in quorum octavo, qui est de oleo

exor-

exorcizato semel dando, legitur, quod (tertio scrutinio scrutetus, si oleo fuerit contactus; non sæpe, sed semel, Deus operatur in tempore.)

XI. Græci etiam post renunciationem olei unctionem adhibebant, ut constet ex his Theodoreti verbis in Cantica: (Reminiscere sacræ mystagogiæ, in qua qui initiantur post tyranni abnegationem & regis confessionem velut sigillum quoddam regium suscipiunt spiritualis unguenti chrismæ, recipientes gratiam invisibilem Sanctissimi Spiritus unguento tamquam in typo.) Verum non pectus tantum & scapulas ungebant, sed totum prorsus corpus, a vertice ad pedes: Unde & Sanctus Cyrillus in Catechesi 2. mystagogica: (Deinde vero jam exuti exorcizato oleo a summis capillis ad infimos usque pedes peruncti estis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ Jesu Christi.) Et S. Joannes Chrysostomus Homilia 6. in epistolam ad Colossenses: (Ungitur sicut athleta stadium ingressus; simul enim nescitur, & non sicut primus ille qui paulatim crescit, sed statim: non sicut olim sacerdotes solo capite, immo vero amplius. Nam illi quidem capite, aure, dextra manu, ut ad obedientiam & bona opera excitaret eum, hic autem totus ungitur.) Idem colligitur ex Joannis Moschi Prati Spiritualis capite 3. & videre est apud Dionysium de Cœlesti Hierarchia cap. 2.

XII. Sed in Ordine Baptismi Severi Patriarchæ Alexandrini duplex in baptizandis præscribitur unctio. Una post renunciationem his verbis: [Tum signat oleo olivæ sacerdos eum qui baptizatur, tribus crucibus super frontem ejus factis.) Altera immediate ante immersionem: [Et ponit sacerdos oleum olivæ in vole manus, totumque corpus ungit ejus qui baptizatur; tum demum dimittit in baptisterium.]

Interrogatio de fide.

XIII. Peracta, quam modo commemoravimus, diabolo renunciatione, & corporis inunctione, sequebatur statim interrogatio de fide ejusdemque professio; quam non innuunt modo, sed passim clamant auctores ecclesiastici, & SS. Patres pene omnes. Ut enim omittam Philippi diaconi factum, eunuchum Candacis reginæ baptizare volentis, insignis est locus ex S. Cypriani epistola 70. (Sed & ipsa interrogatio quæ fit in baptismo testis est veritatis. Nam cum dicimus, Credis in vitam æternam & remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam? Intelligimus remissionem peccatorum nonnisi in ecclesia dari.) In actis S. Genesii martyris apud Ruinartium: (At ubi me aqua nudum tetigit, & interrogatus me credere respondi,) In epist. S. S. Dyonisii Alexandrini ad Philemonem ecclesiæ Romanæ presbyterum apud Eusebium lib. 7. cap. 8. ubi ait Novatum [fidem & confessionem, quæ baptismum præcedunt evertere.) Et in epistola ejusdem ad Xistum papam ibidem cap. 9. ubi agit de quodam qui ab hæreticis baptizatus, & in ecclesia *interrogationes responsionesque* baptizandorum audisset, voluit baptizari iterum. Apud duos Cyrillos Hierosolymitanum & Alexandrinum, quorum primus in Catechesi 2. mystagogica sic habet: [Interrogatus est unusquisque si credit in nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti; & confessi estis, salutarem confessionem, & ter mersi estis.) Alter vero lib. 12. in Joannem cap. 64. (Hinc, ait, Ecclesia regulam tertio interrogandi eos accepit, qui ad baptismum accedunt, ut æterna Christi confessione fidelibus adnumerentur.) Denique apud Ambrosium in lib. de Mysteriis cap. 5. etiam hæc lego: [Descendisti (scilicet in fontem) recordare quid respondetis, quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum-sanctum.] Similia videre est apud Hilarium in Commentario super Matthæum cap. 15. Hieronymum dialogo adversus Luciferianos, Augustinum lib. de Anima & ejus Origine cap. 10. & Sermone 294. Optatum Milevitanum lib. 5. adversus Parmenianum, Sanctum Leonem Serm. 4. de Nativit. Domini, & Felicem III. papam in epist. 3. ad Petrum Fullonem.

Hujus interrogationis formula.

XIV. Varias hujuscemodi interrogationis responsionisque formulas reperimus tam in antiquis sanctorum martyrum actis, quam apud auctores ecclesiasticos librosque Rituales ac Pontificales, ex quibus aliques hic subjicere lectoribus haudquaquam ingratum fore speramus. Itaque Acta S. Calixti Papæ & martyris apud Surium Palmerii baptismum describendo hanc exhibent: (Credis ex toto corde Deum Patrem omnipotentem factorem omnium visibilium & invisibilium: *Respondit Palmatius*: Credo. *Deinde episcopus*: Et in Jesum Christum Filium ejus? *Et ait*: Credo. *Iterum episcopus ait*: Qui natus est de Spiritu-sancto ex Maria Virgine? *Palmatius respondit*: Credo. *Ait episcopus*: Et in Spiritu-sancto, sanctam Ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum & carnis resurrectionem? *Et exclamavit cum lacrymis Palmatius dicens*: Credo Domine.] Similis fere est ea quæ extat in Actis S. Stephani papæ & martyris apud Baronium ad annum 259. ubi de Nemesii ejusque filiæ baptismo sic legos (*Et ad filiam Nemesii conversus*, Credis, *ait*, in Deum Patrem omnipotentem? *Respondit*: Credo. Et in Jesum Christum Dominum nostrum? *Respondit*: Credo. Remissionem peccatorum omnium? *Respondit*: Credo. Carnis resurrectionem? *Respondit*: Credo, Domine.) Et alia in actis S. Savini episcopi & martyris in Baluzii Miscellaneorum tomo 2. (Credis in Deum Patrem omnipotentem? *Respondit Venustianus*: Credo. Et in Christo Jesu Filio ejus? *Respondit*: Credo. Et in Spiritu-sancto? *Respondit Venustianus*: Credo. Et in eum qui passus est & resurrexit? *Respondit Venustianus*: Credo. Et in eum qui ascendit ad cœlos, & iterum venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem? *Dixit* Credo. Et in adventu ipsius, & regnum ejus, in remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem? *Venustianus respondit*: Credo in Christum Dei Filium, qui me illuminet.) Neque diversa est ea, quam exhibet Pirmini Abbatis libellus in Mabillonii Analectorum tom. 4. his verbis: (*Post istam abrenuntiationem diabulo & omnibus operibus ejus, interrogatus es a sacerdote*: Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ? *Et respondisti*: Credo. *Et iterum*; Credis & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cœlos, sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos & mortuos? *Et respondisti*; Credo: *Et tertio interrogavit sacerdos*: Credis & in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam? *Respondisti aut tu aut patrinus pro te*: Credo.) Antiquus liber sacramentorum ecclesiæ Gallicanæ, ubi eadem formula extat, ad tertiam personam facta, addit: [Vitam habere post mortem, in gloriam Christi resurgere.) In alio vetustissimo Missali Gallicano, quod religiosus vir Josephus Thomasius edidit, ista habetur ab aliis omnino diversa: (Credis Patrem & Filium & Spiritum unius esse virtutis? ℟. Credo. *Dicis*: Credis Patrem & Filium & Spiritum-sanctum ejusdem potestatis? ℟. Credo. Credis Patrem & Filium & Spiritum-sanctum trinæ veritatis, una manente substantia, Deum esse perfectum? ℟. Credo.) Brevior est illa quæ legitur in Ordine Romano, Gelasiano, Gregoriano & aliis passim libris Pontificalibus: [Credis in Deum Patrem omnipotentem? ℟. Credo. Credis & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum & passum. ℟. Credo. Credis & in Spiritum-sanctum, sanctam ecclesiam Catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem? ℟. Credo.)

XV. Circa hanc fidei interrogationem notandum. Primo quod in parvulorum baptismo non in secunda, sed in tertia persona proferretur, ut patet ex Augustino in epistola 98. ad Bonifacium: (Interrogamus eos a quibus offeruntur, & dicimus: Credit in Deum?) Et Sermone 294. Infans (ad verba aliena senetur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? fit interrogatio. Respondetur: Credit,] &c. Confirmaturque ex antiquo Missali Gallicano Musei Italici tom. 1. editio.

XVI. Secundo grassante aliqua hæresi, articulos fidei pravis illius erroribus oppositos baptizandis fuisse specialiter propositos. Hinc capiendus est locus ex epistola Nicetii ad Justinianum imperatorem apud Chesnium Hist. Franc. tom. 1. (Dulcis & dulcis noster Justiniane, rememorare quæ promisisti cum baptizatus es, quod per singula te credere dixisti, unum Filium manentem in duabus substantiis cum Patre & Spiritu sancto, non duos Christos testatus es.) Quæ quidem professio Nestorii dogma condemnat. Nonnulli hæretici eos quos tingebant sub jurejurando adigebant numquam se a pravis, quibus adhærebant, dogmatibus recessuros, ut de Aetianis narrat Epiphanius in Hæresi 76. sicque Eudoxius teste Theodorito Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap. 13. (cum Valentem baptismi sacramento initiaret, jurejurando miserum obstrinxit ad hoc, ut in impietate dogmatis perseveraret, contraria sentientes omnibus locis expelleret.)

XVII. Tertio prædictam interrogationem eo præsertim tem-

tempore factam esse cum jam tingendi descendissent in fontem. Id quod satis declarat S. Genesius, ad imperatorem sic loquens: (At ubi me aqua nudum tetigit interrogatus, credere me respondi.) Et Acta S. Calixti papæ & martyris, in quibus Palmatius de fide interrogatus dicitur cum jam descendisset in pelvim. Quibus consentiunt præcitata S. Savini episcopi & martyris Acta.

XVIII. Quarto puellarum feminarumque baptismati præsentes adstitisse diaconissas, quæ tingendis quomodo respondendum esset interroganti suggerebant, ut colligere est ex concilio Carthaginensi IV. can. 12. idque non obscure innuit Atto Vercellensis episcopus in epistola ad Ambrosium Spicilegii tom. 8.

XIX. Quinto tam interrogatio de fide quam abrenunciatio satanæ materna lingua fieri debebat ex S. Bonifacii Moguntini archiepiscopi statutis, Spicilegii tomo IX. in quibus n. 27. ita lego: (Nullus sit presbyter, qui in ipsa lingua qua nati sunt, baptizandos abrenunciationes vel confessiones aperte interrogare non studeat, ut intelligant quibus renunciant, vel quæ confitentur. Et qui taliter agere dedignantur, secedant e parochia.) His peractis omnibus, sequebatur baptismus ipse, de cujus materia & forma jam inquirendum est.

ARTICULUS XIV.

De materia & forma baptismi ejusque ritibus.

Errores varii circa baptismi materiam.

I. MAteriem in sacramentis duplicem distinguere solent theologi: remotam unam, proximam alteram. Materia remota est elementum ipsum, seu res ipsa quæ adhibetur ad conficiendum sacramentum; proxima usus seu applicatio ejusdem rei: sic materia remota baptismi est aqua pura & elementaris: hinc merito Stephanus papa II. interrogatus de presbytero, qui, cum deesset aqua, periclitantem infantem vino abluerat, respondit quod (si aqua adfuit presens, ille presbyter excommunicetur, & penitentię submittatur; quia contra canonum sententiam agere presumpsit;] quia revera nullum erat sacramentum. Idem ferendum est judicium de baptismo cum cervisia collato, de quo cum aliquando Summum Pontificem consuluisset Nidrosiensis in Norvagia archiepiscopus; Gregorius IX. qui tunc universalem regebat ecclesiam, ita respondit: (Cum sicut ex tua relatione didicimus, nonnumquam propter aquæ penuriam infantes terræ tuæ contingat in cervisia baptizari; tibi tenore præsentium respondemus, quod cum secundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua & Spiritu-sancto renasci: non debent reputari rite baptizati, qui in cervisia baptizantur.) Apud Raynaldum ad annum 1241. num. 42. Idem etiam dicendum est de baptismo, quem Judæus quidam in eremo deficiens recepit, quique ut scribit Joannes Moschus cap. 176. baptizatus est cum arena: licet Deus fidem moribundi remunerare volens, sanitati eum de repente restituerit. At merito cum Turibio Asturicensi illud [quod in Actibus, qui S. Thomæ dicuntur, execrandum (judicabis,) eum scilicet non baptizare per aquam, sicut habet Dominica prædicatio, sed per oleum solum, quod quidem illi nostri (Priscillianistæ) non recipiunt, sed Manichæi sequuntur.] Non defuerunt etiam hæretici, qui ex eo quod Joannes dixerit baptizandos non esse in spiritu & igni, aquæ addendum etiam & ignem ausu temerario docuerint: ita ut quam mox in fontem descenditur, statim appareat & ignis; quos refutat antiquissimus auctor Tractatus de baptismo hæreticorum adversus Cyprianum conciliorum tomo 1. pag. 783. Non tamen rejicimus baptismum per ignem, quo nonnulli Christi martyres pro fide consumpti sunt, qualis fuit insignis illa Herais, quæ, ut scribit Origenes apud Eusebium, Historiæ Ecclesiasticæ lib. 6. cap. 4. (Adhuc catechumena per ignem baptismum adepta ex hac luce migravit.) Sed neque probandi sunt illi, de quibus Eghertus Eboracensis archiepiscopus in Excerptis cap. 42. (Sunt quidam, inquit, qui miscent vinum cum aqua baptismatis, non recte; quia Christus non jussit baptizari vino, sed aqua.)

Aqua baptismatis non profana sed consecrata.

II. Porro cum aqua, non solum sabbato sancto, sed quovis alio tempore baptismus ministraretur, etiam urgente necessitate, si tamen per temporis angustias liceret, non profana adhibebatur, sed consecrata: idque ex traditione apostolica, ut docet Sanctus Basilius in libro de Spiritu-sancto cap. 27. Hinc Sanctus Cyprianus epist. 70. ad Januarium (oportet ergo mundari & sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere. Et Sanctus Ambrosius in libro 2. de Sacramentis cap. 5. dicit (formam baptismatis & usum hoc habere, ut ante fons consecretur, & tunc descendat qui baptizandus est.) Et libro 1. cap. 5. ait: (Venit sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen.) &c. His consentiunt ex grecis Constitutiones apostolorum libro 7. cap. 13. in quo ipsa fontium benedictio descripta habetur, Dionysius de Cælesti Hierarchia cap. 2. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. Ex latinis vero Augustinus lib. 6. de Baptismo contra Donatistas, & lib. 9. contra Julianum cap. 8. & Sermone 353. n. 3. ubi hęc habet: (Sed quia baptismus, idest salutis aqua, non est salutis nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur.) Idem confirmat Victor Vitensis lib. 2. de Persecutione Vandalica, atque alii plures quos adjicere possemus auctores.

III. Porro quia benedicta semel aqua multitudini tingendorum, quæ ad plura hominum millia, in magnis pręsertim civitatibus, exsurgebat, sufficere non potuisset, statim ut pontifex baptizandos in sacrum fontem mergere cęperat; deducta per canales aqua in ipsum continuo influebat. Hinc Pontificalis liber scribit Innocentium I. papam in basilica SS. Gervasii & Protasii (ad ornatum baptisterii cervum argenteum ad fundendum aquam pensantem libras quindecim:) Sixtum vero III. (cervum argenteum fundentem aquam in fontem baptisterii, pensantem libras viginti) fecisse; & S. Avitus Viennensis episcopus (ipsum baptisterium cum aquæductu & ornatu suo) reædificasse dicitur in ejus Vita cap. 5. Huc etiam referendum videtur Ennodii Epigramma 149. de Fonte baptisterii S. Stephani, & aquæ quæ per columnas venit.

En sine nube pluit sub tectis imbre sereno,
Et cæli facies pura ministrat aquas.
Profina marmoribus decurrunt flumina sacris,
Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
Et rursus natis unda superna venit,
Sancta per Æthereos emanat lympha recessus,
Eusturgi vatis ducta ministerio.

Fontes divinitus impleti.

III. Verum hujus modi arte non indigebant olim fontes Hispaniæ in provincia Lusitaniæ, qui teste Gregorio Turonensi in libro 1. de Gloria martyrum cap. 24. divinitus implebantur, cujus miraculi mentionem facit breve Chronicon Remense apud Labbeum tom. 1. Bibliothecæ novæ. Quanam vero ratione id fieret, docet idem Gregorius loco citato his verbis: (Cum dies sacer post curriculum anni decedentis advenerit, quo Dominus confoso proditori mysticam discipulis præbuit cœnam, conveniunt in loco illo cum Pontifice cives, jam odorem sacri præsentientes aromatis. Tunc data oratione, sacerdos ostia templi jubet simul muniri signaculis, adventum virtutis Dominicę pręstolans. Die autem tertia, quod est sabbati, convenientibus ad baptizandum populis, adveniens episcopus cum civibus suis, inspectis signaculis, ostia reserat clausa, & mirum dictu, piscinam, quam reliquerat vacuam, repetiunt plenam; sed cumulo altiore refertam ut solet super ora modiorum triticum aggregari, videasque huc illuc latices fluctuare, nec parte in diversa diffluere. Tunc cum exorcismo sanctificatum consperfum desuper chrisma omnis populus pro devotione haurit, & vas plenum domi pro salvatione reportat, agros vineasque aspersione saluberrima curaturus. Et cum exinde multitudo amphorarum sine collato numero hauriatur, numquam tamen vel cumulum minuit: licet ubi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur, & baptizatis omnibus, limphis in se reversis, ut initio producta nescio, ita & fine ignatu clauduntur.) Simile miraculum in parva ecclesia, Meltinas dicta, suo tempore evenisse scribit Paschasinus episcopus Lilybætanus in epistola ad Sanctum Leonem Papam. Sed & in aliis quibusdam Hispaniæ ecclesiis contigisse constat ex Sancto Hildephonso in lib. 1. adnotationum de cognitione Baptismi apud Baluz. Miscell. tom. 6. ubi integrum caput 106. habet de hoc miraculo de quo etiam tamquam oculatus testis loqui videtur: (Ecce, inquit, ventum est in præsenti & patenti obtutu, omnes illic admirantes insignimus visus, aspicimus fontem affatim aquis exuberantem, quem noveramus arentem.) &c.

Aqua baptismatis in sacrarium mersa.

IV. Porro cum non nisi bis in anno baptismus olim cele-

celebraretur, perecta statim solemnitate, quod aquæ residuum erat, in locum aliquem sacrum projiciebatur. Hinc Constitutiones Sancti Edmundi Cantueriensis Archiepiscopi cap. 10. (Aqua vero, inquiunt, in qua baptizatus est puer, ultra septem dies in baptisterio non servetur. Si vero puer a laico domi propter necessitatem fuerit baptizatus; aqua propter reverentiam baptismi vel fundatur in ignem, vel ad ecclesiam in baptisterium fundeteratur, & vas illud vel comburatur, vel ad usus ecclesiæ deputetur.) Et in concilio Mediolanensi IV. sub S. Carolo decernitur, ut [in baptismali fonte, ubi per infusionem baptizatur, id plane caveatur, ut ne aqua capiti infantis infusa in eumdem fontem recidat, sed in sacrarium profluat.]

Porro ex dictis colligitur aquam baptismalem recenter olim haustam fuisse sive ex flumine, sive ex puteo, aut ex cisterna, id quod adhuc hodie summa cum religione observant Jacobitæ, ut oculatus testis Vanslebius esseris in Historia ecclesiæ Alexandrinæ parte 2. cap. 2.

Baptismus per immersionem & perfusionem.

V. Materie baptismi proxima, sive oblutio ipsa triplex solet distingui, per immersionem scilicet, per infusionem, & per aspersionem. Immersio apud veteres longe prævaluit, perseveravitque ad nostram usque ætatem saltem in aliquibus ecclesiis. Nam & hodie Ambrosiana sive Mediolanensis tertio mergit caput infantium in fontem, ut manifestum est ex ejusdem ecclesiæ Rituali, præscribiturque in Rituali edito Cadomi anno 1644. cum hac inscriptione (Sacra institutio baptizandi, eliaque sacramenta, quæ simplex sacerdos conferre potest, ministrandi juxta Ritum Romanæ ecclesiæ, ex decreto sacrosancti concilii Tridentini restituta.) Jacobitæ etiam hodie ter aquis immergunt baptizandos, ut scribit Vanslebius in Gallica Historiæ Ecclesiæ Alexandrinæ parte 2. cap. 21. De infusione & aspersione dubitaverunt antiqui, an pro valido & legitimo baptismo habenda sit, eum baptismus ex propria nominis significatione immersionem designet. Hinc Cornelius papa in epistola ad Fabium Antiochensis ecclesiæ antistitem apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 43. agens de baptismo Novati, qui in lecto decumbens perfusus fuerat sic loquitur: (Dum jam jamque moriturus creditur, in ipso quo jacebat lectulo perfusus baptismum suscepit, si tamen hujusmodi baptismum suscepisse credendus est.) Eadem dubitatio Magni cujusdam animum subiisse constat ex S. Cypriani, quem ea de re consuluerat, responso in epistola 76. [Quæsisti etiam, fili carissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non sunt loti, sed perfusi] Cui respondet Cyprianus: [Nec quemquam movere debet, quod asperi vel perfundi videntur ægri, cum gratiam consequuntur.] Et infra: (Unde apparet aspersionem aquæ instar salutaris lavacri obtinere; & quando hæc in ecclesia fiunt, ubi sit & dantis & accipientis fides integra, stare omnia & consummari, ac perfici posse majestate Domini & fidei veritate.) Et certe quamvis immersio apud veteres prævaluerit; nullus tamen dubito quin plures per infusionem regenerationis gratiam consequuti fuerint. Id probat S. Romani exemplum a S. Laurentio hoc modo baptizati. Cernitur etiamnum Romæ idem baptismus in atrio basilicæ S. Laurentii in agro Verano depictus, ubi sanctus Levita Romanum nudum in pelvi existentem dextre benedicit, sinistre urceum aqua plenum super ejusdem caput effundit, qui quidem urceus ex ære ibidem in sacrario ostenditur. Eodem modo S. Symphoriani baptismus a S. Benigno exhibitus repræsentatur in subterranea æde Divionensi S. Benigni. Sed & Mabillonius in Itinere Italico pag. 73. exhibet delineatas cujusdam tumuli, prope Neapolim reperti, figuras duas, quibus repræsentatur baptismus per immersionem simul & superfusionem collatus ab homine laico: quamvis immersionem in ea tabella non omnino deprehendam. Nam etsi baptizandi in pelvi seu semidolio nudi appareant, in ea tamen pelvi nullum aquæ vestigium conspicitur, unde non immerito fortassis conjicere licet, ad excipiendam quæ superfundebatur aquam adhibitam fuisse, ne si in terram decideret, totum ædis sacræ pavimentum cum præsentium incommodo macularet. Sed hanc conjecturam peritioribus discutiendam relinquere malim. In Actis quoque S. Gratiliani mss. Felicissima ab ipso Christianæ religionis mysteriis imbuta urceum cum aqua, ut baptizaretur, ei obtulisse dicitur. Acta etiam S. Bacchi junioris, quæ publici juris fecit Combefisius, Lotæ S. Sabbæ præpositum describunt tollentem manibus *vivificam urnam* super caput ejus, atque immortalitatis ei lavacrum in nomine sanctæ & consubstantialis Trinitatis effundentem. His adde Acta S. Lindgeri episcopi, qui in expulsione servorum Dei e Frisia jussit Betulenum hominem laicum per domos discurrere, (& persuasis matronis morituros baptizare illorum infantulos, benedicta simpliciter aqua, in nomine Domini intinctos vel superfusos cum invocatione S. Trinitatis.) Sed & Stephanus papa II. in Responsis, quæ cum esset in Francia, in Carisiaco villa dedit ad varie consulta, de quibus interrogatus fuerat anno Domini 754. ad 11. interrogatum (Si licet per necessitatem cum concha aut cum manibus, infanti in infirmitate posito aquam super caput fundere, & sic baptizare?) Respondit; (hoc baptisma si in nomine sanctæ Trinitatis peractum fuerit, firmiter permanebit: præsertim cum & necessitas exposcit, ut ille qui ægritudine detentus est hoc modo renatus particeps Dei regni efficiatur.) Ceterum absque hujusmodi necessitate infusionem summa cum religione cavebant. Audi concilii Celichytensis anno 816. celebrati canonem 11. [Sciant etiam presbyteri quando sacrum baptismum ministrant, ut non effundant aquam super capita infantium, sed semper mergantur in lavacro, sicut exemplum præbuit per semetipsum Dei Filius omni credenti, quando esset ter mersus in undis Jordanis. Ita necesse est secundum ordinem servari & haberi.] Græci vero hodie post trinam mersionem aquam in caput baptizati superfundunt; quod haud dubium ex antiqua traditione consciverunt.

Infusio quando invaluerit.

VI. Jamvero quandonam usus infusionis invalere cœperit manifestum non habeo. Constat enim per multa prorsus sæcula passim immersionem adhibitam fuisse. Certe in omnibus quæcumque viderim (vidi autem plures) libris Ritualibus aut Pontificalibus manuscriptis tam antiquis quam recentioribus præscribitur immersio, si forte unum excipias Cenomanensem ad usum ecclesiæ S. Magdalenæ Bellilocensis exaratum, cujus character tercentos annos vix superare videtur: in eo siquidem hæc leguntur: (Tunc sacerdos accipiat aquam in balchino, & interoget nomen infantis, & mittat ter super caput ejus dicendo. N. Si tu non fuisti baptizatus, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.) In concilio etiam Ravennense anni 1311. utraque & immersio & superfusio ad arbitrium ministri proponitur. Sed & Nemausense anni 1284. decernitur ut (si vas haberi non possit, fundetur aqua super caput baptizandi. Verum hic textus non tam infusioni favet quam immersioni. Agit enim de baptismo periclitantis & in necessitate collato, cum præsens non habetur vasculum, quod sane, si occurreret, non infunderetur, sed mergeretur baptizandus. Eodem fere modo loquuntur Statuta Synodalia Cadurcensis, Ruthenensis, & Tutelensis ecclesiarum cap. 6. a nobis edita tom. 4. Anecdotorum. Statuta vero Synodalia Joannis episcopi Leodiensis hac de re ita habent: (Ut caveatur periculum baptizandi, non mergatur caput pueri in aqua, sed sacerdos super verticem pueri ter infundat aquam cum pelvi, vel alio mundo vase & honesto, tenens puerum nihilominus una manu discrete.) Et Statuta ecclesiæ Meldensis n. 4. (Nota quod usus modernus non est immersio aquæ, sed aspersio, aut effusio aquæ super verticem infantis.) Quæ quidem statuta ante trecentos annos videntur conscripta. Ceterum mersionem adhuc præscribunt missale Romanum ab annis circiter 200. editum ad usum fratrum Minorum, Manuale ad usum Senonensis diœcesis e reverendissimo archiepiscopo cardinali Borbonio approbatum, & Rituale Romanum Cadomi anno 1614. impressum.

Immersio triplex.

VII. Cum ergo per tot retro sæcula usus immersionum in ecclesia vigueris, avebunt fortasse lectores scire quot communiter adhiberentur. Triplicem clamat omnis antiquitas. Tertullianus libro adversus Praxeam [Et post resurrectionem, inquit, spondens missurum se discipulis promissionem Patris, & novissime mandans ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non in unum, nec semel. Nam nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.) Et in libro de Corona militis: (Dein ter mergitamur amplius aliquid respondentes quam Dominus in evangelio determinavit.) S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 2. mystagogica ad baptizatos: (Et mersi ter in aqua rursus emer-

amersistis.) His consentiunt Basilius magnus libro de Spiritusancto cap. 17. & Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos, qui trinam in baptismo mersionem inter traditiones apostolicas recensent. Quibus Dionysium de Cælesti Hierarchia cap. 2. Gregorium Nyssenum oratione Catechetica cap. 35. Pelagium papam apud Gratianum de Cons. dist. 4. Damascenum epist. de Trisagio cum universa librorum Ritualium seu Pontificalium caterva.

Immersio unica.

VIII. Non defuerunt tamen & ex antiquis, & ex recentioribus, qui baptismum sub unica tinctione administrarent. Verum hujusce ritus primos auctores faciunt hæreticos, (ajunt enim, (ut Sozomeni lib. 6. Historiæ ecclesiasticæ cap. 26. verbis utar) Eunomium primum omnium ausum esse asserere, sacrum baptisma unica mersione peragendum esse, & apostolicam traditionem, quæ ubique etiamnum servatur, corrupisse.) Idem Eunomianis adtribuit concilium I. Constantinopolitanum cap. 7. & Quini-sextum can. 95. addit tamen Sozomenus alios, quos *veriora dicere* arbitratur, asserere Theophronium Cappadocem & Eutychium illius hæresis defensores acerrimos, cum se ab Eunomio abrupissent, (ea quæ ad baptismum pertinent, innovasse.) Hos tangit in primis canon. 50. Apostolorum: (Si quis episcopus aut presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptismata, quod dare videtur in Domini morte, deponatur.) Paulo indulgentior in Hispanos fuit S. Gregorius Magnus, qui efflagitanti S. Leandro Hispalensi episcopo quid de utroque ritu sentiret, aperuit lib. 1. epist. 41. scribens in hæc verba: (De trina vero mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quam ipsi sensistis: quia in una fide nihil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramentum signamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro veneratione Summæ Trinitatis æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit baptizandum in aquis semel emergere: quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus poterit, infantem in baptismate vel ter vel semel mergere; quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Quod si nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur.) Hac sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate freti Patres concilii IV. Toletani cap. 6. decernunt unicam ab omnibus in baptismate faciendam esse mersionem. Hinc S. Hildephonsus archiepiscopus Toletanus lib. 1. Annotationum de cognitione Baptismi cap. 117. (Quia, inquit, hæretici in hoc (trino) numero mersionis unitatem solent scindere Deitatis, a Deo potius est, quod ecclesia Dei unius usum observat tantummodo tinctionis.) Verum quod tanquam catholicum & sanctum approbavit Gregorius Magnus, & post eum sancivit concilium Toletanum, hoc idem ducentis aut circiter post annis veluti diabolicum damnare non trepidavit Alcuinus epistola 81. scribens ad Paulinum de quibusdam hæresibus Hispanicis hoc modo: (Hunc iterum antiquus serpens de dumis Hispanici ruris & de speluncis venenatæ perfidiæ contritum non Herculea sed Evangelica clava caput relevare conatur, & prioribus nequitiæ poculis, nova maledictionis toxica immiscere; sed & frigidissimus Aquilo ventus alio de latere solidum ecclesiæ impellens parietem, sacri baptismatis Catholicæ consuetudinis regulam immutare nitens, & sub invocatione sanctæ Trinitatis unam asserentes mersionem fieri debere.) Similia fere habet in epistola 69. ad Fratres Lugdunenses. Idem etiam sed paulo modestius improbat Walfridus in libro de Rebus ecclesiasticis cap. 26. Ast hunc auctorum istorum zelum coercere tentavit concilium Wormatiense anni 868. can. 5. ubi ad tollendum omnem scrupulum eorum qui dum (quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt,) integrum fere describit concilii Toletani canonem prædictum cum Gregorii responso ad Leandrum, declaratque *utrumque rectum, utrumque irreprehensibile* in sancta Dei ecclesia habendum esse, unicam scilicet & trinam mersionem, id quod variis probat rationibus. Qualis sit hodiernus ecclesiæ Hispanicæ usus omnino me latet; sed quod singulare existimo, unica nunc in tota diœcesi Macloviensi apud Armoricos intinctio observatur, ut fidem faciunt Guillelmi gubernatoris episcopi Statuta anno 1620. impressa cap. de Baptismo §. 2. Unicam etiam olim immersionem adhibebant quidam sacerdotes diœcesis Andegavensis, quos ideo redarguit Nicolaus *Gelant* episcopus Andegav. in Synodo anni 1275. Spicil. tom. 11. his verbis: (Intelleximus quosdam sacerdotes, ignorantia vel negligentia depressos, qui cum infantes baptizant, illos quos baptizant semel immergunt in aquam, vel uno contextu aquam fundunt super eos, licet mater ecclesia generali consuetudine conservet, quod baptizandi non semel sed ter immergantur, vel trina effusione aqua super baptizandos fundatur, & merito, cum trina effusio plene conveniat formæ, quam Dominus tradidit in baptismo dicens: *Ite, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et ideo trinam formam tunc immersionis vel aquæ effusionis ai præcipimus observari.) In ms. vero Missali ad usum ecclesiæ Parisiensis annorum circiter 400. trina vel unica permittitur.

Baptizandi toto nudi erant corpore.

IX. Reliquum est ut de tinctionis modo & ritu nonnulla hic breviter subjiciamus. Primo itaque illud est observatu dignum, baptizandos, sive mergerentur seu perfunderentur aquis, toto nudos corpore sacramentum excepisse: unde & Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 17. eos qui baptizantur, undique aquis circumdari asserit. Et S. Chrysostomus in epistola ad Innocentium Papam, sicut & Palladius in ejus Vita exciterum in baptisterio e Theophili satellitibus tumultum referentes, ajunt (mulieres quæ in sacris ædibus id temporis ad baptismum se exuerant, metu acerbæ illius irruptionis nudas aufugisse.) Et in depositionibus Stephani & alterius Stephani adversus Petrum Apameæ episcopum, quæ referuntur in concilii Constantinopolitani sub Mena Actione V. ita legitur: (Cum essemus in baptisterio ad instruendum nuper baptizatos qui sine tunicis & sine calceamentis erant, diaconis ipsos exorcizantibus) &c. Idque evincunt delineatæ tumuli prope Neapolim reperti tabellæ duæ, in quibus repræsentatur baptismus ab homine laico per infusionem toto corpore nudis collatus, & baptismus S. Symphoriani ad ejus altare in ecclesia S. Benigni Divionensis repræsentatus.

Caput præsertim aquis immergebatur.

X. Cum vero tanta non esset in sacris fontibus aquæ copia, quæ toto corpori mergendo sat esset: saltem vel totum caput mergebatur aut superfundebatur; Id quod satis indicat sanctus Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos scribens in hæc verba: (Nam & multa alia, quæ per traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurparunt, velut in lavacro ter caput mergitare.) Clarius ms. Statuta Synodalia Eliæ episcopi Uticensis: (Si tanta copia aquæ haberi non potest, ut infans totaliter in ea mergi possit, cum scutella vel scypho vel alio vase aliqua quantitas aquæ super infantem effundatur.) In ecclesia Mediolanensi ter caput infanti hodie sacro fonti immergitur.

Pudori quomodo consultum.

XI. Secundo ad consulendum pudori, feminæ a viris separatæ tingebantur, eisque auxilio aderant diaconissæ, a quibus vestibus exutæ, episcopo aut presbytero baptizanti offerebantur, qui eas non tam videbat quam audiebat. Aliquando etiam viris eæ corporis partes, quæ sine verecundia a nobis nominari nequeunt, velo obtegebantur, id quod præsertim perspicere licet in tabella jam citata tumuli Neapolitani, & in Divionensi repræsentatione Baptismi S. Symphoriani. Sed quia de consulendo pudori hic sese mentio injecit, operæ pretium existimo referre, quanta fuerit hac in re S. Ottonis Pomeranorum apostoli sollicitudo, simulque quo modo & ritu baptisma novellis Christi fidelibus administraret. (Interim vero tribus extructis baptisteriis (inquit Vitæ ejus scriptor lib. 2. cap. 15. apud Surium 2. Julii) ita ordinavit, ut ipse solos mares pueros in uno baptizaret; alii autem sacerdotes feminas seorsim, & viros seorsim. Tanta quoque diligentia, tanta munditia & honestate pater optimus sacramenti operationem fieri edocuit, ut nihil indecorum, nihil pudendum, nihil umquam, quod alicui gentilium minus placere posset, ibi ageretur. Namque dolia grandia valde terræ altius immergi præcepit, ita ut ora doliorum usque ad genu hominis vel minus de terra prominerent: quibus aqua impletis facilis erat in eam descensus. Cortinas circa dolia fixis columellis, funique inductis, oppandi fecit, ut in modum coronæ velo undique cuppæ cingerentur: ante sacerdotem vero & comministros, qui ex una parte adstantes sacramenti opus explere habebant, linteum fune trajecto

pepen-

pependit, quatenus verecundiæ undique provisum foret, ne quid ineptiæ aut turpitudinis notaretur in sacramento, ne honestiores personæ pudoris occasione, se a baptismo subtraherent. Cum ergo ad stadium catechismi turbæ venirent, sermone qui talibus competeret, episcopus eos omnes communiter alloquens, sexumque e sexu dextrorsum & sinistrorsum statuens, catechizatos oleo perunxit: deinde ad baptisteria digredi mandat. Igitur ad introitum cortinæ venientes singuli tantum cum patrinis suis intrabant, statimque vestem qua fuit amictus is qui baptizandus erat & cereum, illo in aquam descendente, patrini suscipiebant, & ante faciem suam illam tenentes, expectabant donec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos vero qui ad cuppam stabat, cum audisset potius quam vidisset, quod aliquis esset in aqua, velo paululum amoto, trine immersione capitis illius mysterium sacramenti perfecit, unctumque liquore chrismatis in vertice, & alba imposita, reductoque velo, de aqua jussit exire baptizatum, patrinis veste quam tenebant illum cooperientibus atque deducentibus .... (Hieme vero) in stubis calefactis & in aqua calida, eodem nitore atque verecundiæ observatione, infossis doliis, & cortinis adhibitis, thure quoque & aliis odoriferis speciebus cuncta respergentibus, veneranda baptismi confecit sacramenta.] Hunc locum licet prolixum, quia multa ad morum ædificationem, & disciplinam spectantia continet, integrum referre visum est, nec lectoribus tædio fore confidimus. Similia habet cap. 36. ubi & illud est observatu dignum, quod balneo prius abluti tingerentur: id quod confirmat antiquam capitis baptizandorum levandi Dominica Palmarum disciplinam, & pedum feria V. in Cœna Domini, ut articulo præcedenti notavimus.

Immersio facta in modum crucis.

XII. Tertio mersio ipsa in modum crucis peragebatur, ut docet nos in primis antiquum Pontificale ms. ecclesiæ Salisburgensis, in quo ad sabbatum sanctum post hæc verba, *vis baptizari? volo*, illa consequenter subjiciuntur. (Et ego baptizo te in nomine Patris, & intingnat. Et Filii & inferat secendo. Et Spiritus-sancti, & mergat tertio. Sed & hoc in modum crucis facere debet. Primum in orientalem plagam vertat caput infantis, pedibus in occidentem extensis, secundo in australem, tertio in aquilonarem partem.) Jacobitæ etiam hodie baptizandos in modum crucis componunt, nam teste Vanslebio in Historiæ Alexandrinæ parte 2. cap. 21. Sacerdos baptismi minister dextram infantis cum pede sinistro una manu tenens, sinistram vero cum pede dextro altera sacris aquis ipsum immergit. Eunomiani vero hæretici, ut scribit S. Epiphanius hæresi 76. quotquot baptizabant in caput demergebant pedibus in sublimi porrectis: & quidem medio dumtaxat corpore abluto, ut addit Theodoretus in lib. 4. de Hæreticorum fabulis: (Baptizantes, inquit, usque ad pectus aqua madefaciunt: reliquis autem corporis partibus tamquam abominandis aquam adhibere prohibent.)

XIII. Quarto concilium Remense anni 1583. permittit post factam effusionem (campanas & organa in signum lætitiæ, & adoptionis filiorum Dei pulsari.) Sed de materia baptismi satis. Jam de forma illius.

Formæ baptismi variæ nuncupata.

XIV. Baptismi formam docuit apostolos Christus ipse Dominus, & hac per eos universam ecclesiam, cum mittens illos in universum mundum jussit prædicare, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Hinc Tertullianus libro de Baptismo cap. 13. (Lex, inquit, tinguendi imposita est, & forma præscripta: Ite, inquit, docete nationes, tinguentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.) Antiquæ igitur ecclesiæ consuetudo fuit, a Christo accepta, & ad nos usque derivata, universos cum his verbis semel prolatis in aquam demergendi *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*. Quam quidem formam ter, hoc est ad singulas tinctiones semel repetebant olim ecclesiæ Hispanicæ, in quas ea de re vehementius exscandescit Alcuinus in epist. 281. ad Paulinum Patriarcham.

XV. Huicce formæ nonnulla verba addebant seu interserebant ecclesiæ Gallicanæ. Nam in antiquo Missali Gothico-Gallicano, quod vulgavit Thomasius, ita exprimitur: *Baptizo te ill. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, in remissionem peccatorum ut habeas vitam æternam*. Ad quam formam alludere videtur concilium Milevitanum II. can. 2. In veteri autem Missali Gallicano sic: *Baptizo te credentem in nomine, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut habeas vitam æternam in sæcula sæculorum*. Ab his parum discrepat ea quæ habetur in antiquo item Missali Gallicano, quod ex Bobiensi ms. codice publici juris fecit Mabillonius in Musei Italici tomo 1. quæ sic effertur: *Baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, unam habentem substantiam, ut habeas vitam æternam, partem cum sanctis*. In ms. codice bibliothecæ Colbertinæ n. 6198. illa habetur: *Et te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut habeas vitam æternam. Amen*. Quam etiam designat S. Hildephonsus in libro adnotationum de ordine baptismi cap. 112.

XVI. Eamdem formam etiam corrupte prolatam approbavit Ecclesia: hinc Zacharias Papa Bonifacium Moguntinum archiepiscopum redarguit, quod baptizatos a sacerdote quodam latini eloquii penitus ignaro cum his verbis: *Baptizo te in nomine Patrie, & Filia, & Spiritus sancta* iterum tingi præciperet. Zachariæ ea de re epistola extat in vita ejusdem Bonifacii auctore Othlono Sæculo III. Benedictino part. 2. pag. 60. Inter Responsa quoque Stephani papæ II. quæ dum esset in Francia in Carisiaco villa in Britannico monasterio ad varia consulta de quibus fuerat interrogatus, dedit anno 754. decimum quartum ita habet: (De illo presbytero qui baptizavit illo modo sic rustice: In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus sancti mergo .... Infantes illi quos baptizavit, licet rustice, quia in nomine Sanctitatis sunt baptizati, in eo permaneant baptismo.) Hinc corrigas sententiam Guillelmi Durandi Mimatensis episcopi, qui in Rationalis lib. 6. cap. 82. hanc formam reprobat, quia, inquit (verbum *mergo* non est synonymum cum illo verbo *baptizo*.)

XVII. Græci cum baptizant sacramenti formam ita enuntiant *Baptizatur servus Dei ill. in nomine Patris amen, & Filii amen, & Spiritus-sancti amen. Nunc & semper & in secula seculorum amen*. Ut legitur in eorum Euchologio. Sive ut scribit Severus Alexandrinus in ordine baptismi, *Baptizatur talis N. in nomine Patris amen, & Filii amen, & Spiritus-sancti ad vitam seculi seculorum*. Sed olim non sacerdos baptizans, sed populus seu clerus præsens respondebat *amen*. Ut patet ex Joannis Mosci Prato spirituali cap. 176.

XVIII. Faustus Naironus in Evoplia fidei catholicæ part. 2. cap. 2. ex Ritualibus Jacobitarum & Maronitarum has baptismi formulas profert: *Baptizatur N. in nomine Patris amen, & Filii amen, & Spiritus vivi & sancti in vitam æternam amen*.

Baptizatur N. in veniam peccatorum, in mores irreprehensibiles, & in resurrectionem benedictam ex mortuis, & in vitam æternam, in nomine Patris amen, & Filii amen, & Spiritus sancti amen.

Baptizatur N. agnus in grege Christi in nomine Patris amen, & Filii amen, & Spiritus sancti, in secula seculorum amen.

Baptizetur N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sanctitatis.

In ordine baptismi secundum usum Æthyopum hæc forma simplicior habetur: *Ego baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti Paracleti amen.*

XIX. Ex vulgata baptismi formula ab ecclesia catholica ubique recepta, priora hæc verba *Ego te baptizo*, desiderantur in ms. Rituali ad usum ecclesiæ Cameracensis ab annis circiter trecentis exarato, quod vidi in monasterio S. Nicolai in Silva Vodegii diœcesis Laudunensis. Nam in utroque & puerorum & puellarum ordine baptismi hæc tantum præscribuntur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti amen*. Eodem modo proprium filium, cum congrue sacerdos reperiri nequivisset, baptizavit olim homo quidam in diœcesi Claromontana, ut testatur Petrus Episcopus in epistola ad Mauricium Parisiensem episcopum & Stephanum S. Evurtii abbatem, qui postea Tornacensi præfuit ecclesiæ, ubi & hæc addit: (Et hæc est pessima consuetudo in terra nostra, ut in talis necessitatis articulo dicant, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, nec totam exprimant verborum formam, quæ debet exprimi in baptismo, quod nodeiare vocant.) Interrogatus quid de tali baptismo sentiret Mauricius, respondit nullum in ea tinctione extitisse sacramentum. E contrario vero Stephanus, qui suam sententiam rationibus & auctoritatibus non paucis tuetur, additque eos qui litteras ignorant, hoc solum dicere cum undaizant parvulos In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Eadem fuit sententia antiquiorum scholasticorum Hugonis Victorini, Petri Cantoris, & Præpositivi, quorum auctoritates adducit Morinus de Pœnitentia lib. 8. c. 26. §. 19. Sed inter ea quæ in Latinis redarguit Michael Cerularius ad Petrum Antiochenum scribens, hoc unum illud est; (Sacrum baptismum ita peragunt, ut eos qui baptizantur unice mersione bapti-

rent, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, dicentes.) Verum baptismum sub his tantum verbis collarum nullum nuper declaravit Alexander papa VIII. Sed & Joannes Buschius canonicus regularis congregationis Windesheimensis plurium monasteriorum reformator in lib. de Reformat. monast. c. 15. editi a Leibnitio inter Hist. Brunsvvic tom. 2. p. 815. declarat puerum sub hac forma baptizatum a femina & postea defunctum extra cimiterium esse sepeliendum, ut pote non vere baptizatum; quam formam etiam reprobant antiqua statuta Synodalia ecclesiæ Trecorensis n. 7. tom. 4. Anecdotorum. Hanc tamen baptismi formulam admittere videtur orthodoxa confessio fidei orientalis a Nectario patriarcha Hierosolymitano & ab aliis quatuor sedibus apostolicis approbata anno 1662. in cujus parte quæstione 102. hæc lego: (Baptisma est ablutio quædam & extirpatio peccati originalis, terna in aquis immersione facta: pronunciante hæc verba sacerdote: *In nomine Patris, amen, & Filii, amen, & Spiritus-sancti, amen.*) Et paulo post: (Hoc autem mysterium, semel acceptum iterum non repetitur, modo si is qui baptizat orthodoxe in unum Deum, personis trinum credat, & accurate nullaque immutatione prædicta verba *In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti amen* secundum catholicæ & orthodoxæ ecclesiæ sententiam proferat.) Et quæstione 103. (Urgente aliqua necessitate, etiam alius quisquam homo, sive mas sive femina hoc peragere sacramentum potest, sumta in manu debita materia, aqua simplici atque naturali, verbisque solemnibus *In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti* ad trinam mersionem rite adjectis.)

XX. De baptismo in nomine Christi absque explicita, ut ajunt, Trinitatis invocatione, variant Theologorum sententiæ. Eo tamen usos fuisse apostolos & ecclesiam docent ex SS. Patribus non pauci, & ex antiquioribus scholasticis plures haud ignobiles. Antiquus scriptor Tractatus de baptismo hæreticorum adversus Cyprianum tom. 1. conciliorum: (Neque æstimes, inquit, huic tractatui contrarium esse quod dicit Dominus: ite docete gentes, tingnite eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: quia hoc verum & rectum & omnibus modis ab ecclesia observandum sit, & observari quoque solitum sit. Tamen considerare oportet quod invocatio nominis Jesu non debet futilis videri propter venerationem & virtutem ipsius nominis,) &c. S. Hilarius in libro de Synodis num. 85. (Ne postremo apostuli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti jussi, tantum in nomine Jesu baptizaverunt.) Idem disertis verbis docet Concilium Forojuliense anno 791. celebratum sicut & Nicolaus papa I. in responsis ad objecta Bulgarorum, qui etiam adducit Ambrosii auctoritatem; & S. Bernardus epist. 403. ad Henricum Aurelianensem archidiaconum. His adde concilium Nemausense anni 1284. in quo hæc habentur: (Dicimus infantem baptizatum esse, si baptizans dicit, baptizo te in nomine Christi.) Idem legitur in ms. Statutis Synodalibus Eliæ episcopi Uticensis, & statutis synodalibus Caturcensis, Ruthenensis, & Tutelensis ecclesiarum a nobis editus tom. 4. Anecdotorum. Ex antiquis vero scholasticis Petrus Pictaviensis, qui ante annos quingentos florebat in libro 5. Sententiarum cap. 5. (Quæritur, inquit, an servetur forma baptismi, si dicatur baptizo te in nomine Christi. Et dicimus quod servatur: licet enim hæc sit forma verborum sub qua debet fieri baptismus, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: tamen per hoc verbum *Christus* intelligitur & ille qui ungit, id est Pater, & ille qui ungitur, id est Filius, & per quem fit unctio, id est Spiritus sanctus.) Et Joannes de Ragusio Ordinis Prædicatorum in Oratione quam habuit de Communione sub utraque specie in concilio Basileensi: (Dominus noster Jesus Christus ascendens in cælum præcepit apostolis dicens Matthæi ultimo: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, in quibus verbis dedit eis & limitavit formam baptismi, & in persona eorum toti ecclesiæ. Et tamen non post longum tempus ipsi apostoli & ecclesia dimittendo dictam formam In nomine Patris, &c. traditam per Dominum, baptizabant tantum in nomine Christi dicentes: Te baptizo in nomine Domini Jesu Christi.) Præterea Joannem Villetanum in disputatione de communione sub utraque specie habita in concilio Tridentino in responsione ad 3. objectionem. E contrario Facundus Hermianensis episcopus lib. 1. pro defensione Trium capitulorum cap. 3. Sed & communis & securior Theologorum sententia hujusmodi baptismum pro legitimo non admittit. Sed & multo minus admittet eum, quem olim approbavit sanctus Bernardus epist. 403. novæ cuttionis ad Henricum archidiaconum, cum his collatum verbis: *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ & veræ crucis.* Quia, inquit, sanctus Bernardus, nec sonus vocis veritati fidei & pietati intentionis præjudicare potuit, & in nomine Dei unam expressit substantiam Trinitatis. Et certe ut optime ait S. Gregorius Nyssenus in epistola ad Sebastenos apud Zaccagnium: (Quoniam sanctæ Trinitatis dono vivificæ virtutis compotes fiunt qui ex morte ad æternam vitam regenerantur, & gratia illa per fidem digni facti sunt; ita quoque imperfecta gratia est, si unum aliquod sanctæ Trinitatis numen qualecumque sit illud, in salutari baptismo prætermittatur. Nam neque in solo Patre & Filio sine Spiritu-sancto mysterium regenerationis adimpletur, neque si Filius silentio prætereatur, in solo Patre & Spiritu-sancto baptismus habet unde nobis perfectam vitam largiatur, nec in Patre & Filio, prætermisso Spiritusancto, resurrectionis nostræ gratia consummatur.) Gregorio Nysseno concinit S. Hildephonsus archiepiscopus Toletanus lib. 1. adnotationum de cognitione Baptismi cap. 112. his verbis: (Quod si omissa quælibet Trinitatis persona baptismum conferatur, omnino nihil egisse baptismi solemnitas deputetur, nisi tota Trinitas veraciter invocetur.)

XXI. Multo majorem difficultatem patitur locus ex lib. 2. de Sacramentis cap. 7. apud Ambrosium, ubi nulla ex admissis ab Ecclesia baptismi forma exprimitur. Sed ad trinas de fide interrogationes trina tantum sine verbis immersio describitur. Ita enim habet. (Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti: Credo. Et mersisti, hoc est sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Jesum Christum & in crucem ejus? Dixisti: Credo, & mersisti; ideo & Christo es consepultus: qui enim cum Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es, Credis in Spiritum-sanctum? dixisti: Credo, tertio mersisti; ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio.) Idem videre est in Ordine Gelasiano, quem publico ecclesiæ commodo publicum fecit Thomasius, ubi omnes baptismi ritus ad amussim describuntur. Idem & in ms. codice bibliothecæ Colbertinæ num. 1348. cujus character annos 800. superat.

Variæ formulæ ab hæreticis usurpatæ.

XXII. Præter relatas hactenus baptismi formas, quas utcumque probaverunt aliquando veri Ecclesiæ filii, nonnullæ ab hæreticis subintroductæ sunt, quæ a catholicis omni tempore damnatæ fuerunt: (Alii enim, ut scribit Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 11. scilicet Valentiniani, initiandos adducunt ad lavacrum, & mergentes hæc proferunt verba: In nomine ignoti omnium Patris, in veritate omnium matre, in eo qui descendit in Jesum. Alii rursum hæbraica quædam pronuntiant nomina, ut majorem initiandis incutiant pavorem.) Pepuzeni sive Montanistæ baptizabant (in Patrem, & Filium, & Montanum sive Priscillam,) testante Basilio Magno in epistola canonica ad Amphilochium can. 2. De hujusmodi Baptismo ita scribit sanctus Gregorius lib. 9. epist. 61. ad episcopos Iberiæ, male in editis Iberniæ: (Hinc vero hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiani & Cataphrigæ, quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti Spiritum sanctum perverso sensu esse pravum quemdam hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt, & alii tales, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur; quia baptisma non fuit, quod in errore positi, in sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt.) Eunomius deficientes non solum a catholica fide, sed etiam ab hæreticis, immo ipsismet Arianis iterum tingebat. (Repetiit porro baptismi illius (inquit S. Epiphanius hæresi 76.) ea est formula: in nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis & a creato Filio procreati.) Sed Theophronius Cappadox & Eutychius hæresis illius acerrimi defensores, cum se ab Eunomio abrupissent, tum alia ex Eunomii decretis, tum ea quæ ad sacrum baptisma pertinent, innovarunt, (asserentes non in Trinitatem, sed in Christi mortem baptizari oportere,) quemadmodum scribit Sozomenus lib. 6. cap. 26. Hus respicere videtur canon 50. Apostolorum: [Si quis episcopus aut presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptismate quod dari videtur *in Domini morte*, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate; sed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.) Alios hæreticos damnare videtur canon 49. (Si quis episcopus aut presbyter juxta Domini

mini præceptum non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; sed in tribus sine initio principiis, aut in tribus paracletis, abjiciatur.) Denique (Demetrius Arianorum apud Constantinopolim episcopus, cum quemdam Barbam ita dictum baptizaret; Domini traditionem respuens, ausus est inter baptizandum dicere: Baptizatur Barba in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto: quibus dictis aqua quæ in piscina erat protinus evanuit,) ut scribit Theodorus lector lib. 2. Arianos tamen in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizasse, ac eorum proinde baptisma ratum in Ecclesia fuisse, auctor est Innocentius papa I. epistola 18. Econtrario Paulianistarum; quia in Trinitatis nomine haud baptizabant, ut addit idem Innocentius epistola 22. cap. 5. Hinc & S. Augustinus Tract. 7. in epistolam Joannis n. 9. (A Paulianistis, inquit, ne dicam baptizatos, sed aqua lotos ecclesia omnino baptizat: ab Arrianis vero ceterisque hæreticis baptizatos non nisi per manus impositionem sub pœnitentiæ imagine reconciliat.) Tandem ut hanc omnem materiam absolvam, nonnulli extiterunt hæretici, qui spreta SS. Trinitatis invocatione, in nomen angelorum baptizabant, quos carpit Damasus papa in epistola synodica contra diversas hæreses apud Theodoritum lib. 5. Historiæ ecclesiasticæ cap. 11. ubi sic loquitur: (In Patre, & Filio, & Spiritu sancto solum baptizamur. Non in archangelorum nominibus aut angelorum, quomodo hæretici, aut Judæi, aut Gentiles dementes faciunt. Hæc est ergo salus Christianorum, ut credentes Trinitati, id est Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & in eam baptizati,) &c. Alios etiam videtur redarguere Vigilius papa in epistola ad Eutherium cap. 6. (Si quis episcopus aut presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sed in una persona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus Patribus, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis; projiciatur de ecclesia.) Quæ verba ab supra citato canone 49. Apostolorum parum differunt.

ARTICULUS XV.

De ritibus baptismum ipsum subsequentibus.

Osculum baptizato exhibitum.

I. HActenus antiquos baptismi ritus pro modulo nostro prosequuti sumus: nunc qui subsequantur uno hoc articulo investigandos suscipimus. Inter quos primum occurrit osculum baptizatis ab episcopo seu sacerdote baptizante statim post sacram immersionem exhiberi solitum, cujus testem habemus S. Cyprianum Carthaginensem episcopum in epistola 59. ad Fidum, qui infantes ante octavum a nativitate diem minime tingendos assereret, eo quod propter contractas in utero materno sordes nullus eos sine aliquali horrore amplecti & osculari auderet. Cui respondet Cyprianus: (Quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti mundum non esse dixisti; quod unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad cælestem gratiam dandam impedimento esse oportere.) Sed iste ritus Africanæ ecclesiæ peculiaris fuisse videtur, nam præter Cyprianum, qui illius meminerit, auctorem reperi neminem.

Unctio verticalis ex chrismate.

II. Multo frequentior occurrit mentio unctionis verticalis ex chrismate a presbytero factæ, ut pote quam innuunt Innocentius papa I. in epistola ad Decentium Eugubinum episcopum, Ambrosius seu quivis alius in libro 3. de Sacramentis cap. 1. Fortunatus libro 5. Carmine 4. Isidorus lib. 2. de Officiis ecclesiasticis capite 25. & 26. Jesse Ambianensis, Leidradus Lugdunensis, Theodulfus Aurelianensis episcopi in suis de Baptismo Tractatibus, & alii complures. Ejus institutionem Silvestro I. Summo Pontifici solent adscribere, ipse enim (& hoc constituit, ut baptizatum liniat presbyter chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis,) ut scribit liber Pontificalis in Silvestro, cui concinunt Amalarius lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis cap. 27. Walfridus lib. de Rebus eccl. cap. 26. Rabanus de Institutione Clericorum lib. 1. cap. 8. Rupertus lib. 5. de Divinis Officiis cap. 16. & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis part. 7. cap. 3. Ex quibus merito infert Menardus in Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ p. 144. antiquos scriptores Sylvestro superiores, ubi de unctione seu chrismatione loquuti sunt, intelligendos esse de confirmationis sacramento, & quia Græci carent verticali unctione, eorum Patres antiquos cum de unctione chrismatis agunt, de illa quæ fit in fronte ab episcopo esse interpretandos.

A quo facienda.

III. Circa hanc unctionem observandum 1. non ab ipso baptismatis ministro, sed ab alio presbytero peractam fuisse. (Postquam Pontifex baptizaverit (inquit auctor libri de Divinis Officiis sub nomine Alcuini cap. 19.) vel quibus jusserit ipse, levant ipsos infantes in manibus, & offerunt *uni de presbyteris*, ipse vero facit crucem de chrismate cum pollice in vertice eorum dicens, Deus omnipotentes,) &c. Et ratio est quia propter baptizandorum multitudinem unus & idem & tingendis & liniendis omnibus satisfacere non posset. Quamvis id postmodum hac deficiente ratione actum sit.

IV. Secundo ex institutione Sylvestri ad solos presbyteros, non vero ad diaconos id spectare, unde in concilio I. Toletano canone 20. (statutum est, diaconum non chrismare, sed presbyterum absente episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum.) In Galliis tamen usum alium obtinuisse, idque diaconis permissum fuisse colligitur ex concilio Vasensi can. 3. quo decernitur, ut singulis unus presbyteri vel ministri, id est diaconi, non vero ipsis inferiores gradu aut ordine a propriis episcopis chrisma petant appropinquante festivitate Paschali, quia, inquit, (optimum est, ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est.) Ministri ergo seu diaconi chrisma baptizatis tradebant, quod ab episcopis petere & suscipere solebant. Unde & in concilio I. Arausicano can. 2. decretum fuit, (ut nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquam debeat progredi.) Quo forte respicit Statutum 4. S. Bonifacii Moguntini archiepiscopi Spicilegii tomo IX. (Ut presbyteri sine sacro chrismate, & oleo benedicto & salubri Eucharistia alicubi non proficiscantur.) In Constitutionibus autem Apostolorum lib. 3. cap. 15. hæc lego: (Cum primum illuminantur (id est baptizantur) mulieres: diaconus ungit frontem ipsarum, & deinde diaconissa ipsas abstergit.)

Baptizati albis induti.

V. Peracta prædicta unctione, baptizati statim albis vestibus induebantur, ut docet innumera scriptorum ecclesiasticorum turma, Acta S. Genesii martyris apud Ruinartium: (Cumque sacramentorum mysteria complessent, & indutus vestibus albis esset, veluti per ludum a militibus raptus,) &c. Eusebius in lib. 4. de Vita Constantini cap. 62. describens ejus baptismum: (Postquam rite omnia impleta sunt, candidis ac regiis vestibus lucis instar radiantibus est amictus, & candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit.) S. Ambrosius in libro de Mysteriis cap. 7. (Accepisti post hæc (scilicet post baptismum) vestimenta candida, ut esset indicium quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ casta velamina.) S. Augustinus Sermone 223. qui quintus est in Vigiliis Paschæ: (Infantes isti quos cernitis exterius dealbatos, interiusque mundatos, qui candore vestium splendorem mentium præfigurant.) Et epistola 34. novæ editionis agens de quodam adolescente, qui matrem cædere solitus transierat ad Donatistas, (rebaptizatur furens, & in maternum sanguinem fremens, albis vestibus candidatur.) Alia hujusmodi innumera sanctorum Patrum testimonia referre supersedemus: Verum silentio prætermittere non possumus insigne quoddam miraculum, quo Judæorum quondam recens baptizatorum vestibus crux divinitus impressa apparuit, uti testatum reliquit S. Augustinus Sermone 19. n. 6. his verbis: (Terræ motus magni de orientalibus nuntiantur: nonnullæ magnæ repentinis collapsæ sunt civitates. Territi apud Jerosolymam qui inerant Judæi, pagani, catechumeni, omnes sunt baptizati. Dicuntur forte baptizati septem millia hominum. Signum Christi in vestibus baptizatorum apparuit.) Clarius Marcellinus Comes in Chronico, Monaxio & Plinta coss. anno Christi CDXIX. (Multæ Palæstinæ civitates villæque terræ motu collapsæ, multæ tunc utriusque sexus vicinarum gentium nationes tam visu quam audito perterritæ, sacro Christi fonte ablutæ sunt; omniumque baptizatorum in tunicis crux Christi Salvatoris divinitatis nutu extemplo impressa refulsit.) Sed neque prætermittendum est quod scribit Itinerario Antoninus martyr de his qui in Jordane fluvio tingebantur: (Baptismo, inquit, completo, descendunt omnes in fluvium pro benedictione, induti syndonibus, quas sibi ad sepulturam servant.) Olim ve-

vestes benedictæ, quæ monasticam vitam, quæ secundus est baptismus, recens professis dabantur, ad eorum sepulturam postquam usu detritæ erant servabantur. Hæc sacrarum vestium conservatio in memoriam revocat factum memorabile Muritæ diaconi in Africa, qui, ut refert Victor Vitensis l. 2. de Persecutione Wandalica, cum aliquando Elpidoforum quemdam de fonte suscepisset, & ille postmodum a fide resiliisset, factus persecutionis executor, cum eo jubente Muritta tormentis subjiciendus esset, (illa quibus eum suscipiens de fonte dudum texerat sabane bajulabat. Quibus ventilatis, simulque in ostensione cunctorum extensis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commovisse dicitur civitatem: Hæc sunt linteamina Elpidufore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum majestas venerit judicantis.) Huc etiam revocare licet quod scribit Paulus papa I. in epistola ad Pippinum regem Francorum, qui sacra linteamina, cum quibus suscepta de baptismo fuerat ipsius regis filia, ad Summum Pontificem transmiserat: [Prælatus nempe sodalitatis vestræ illustris missus pretiosissimum nobis supernæ gratiæ munus attulit, sabanum videlicet, in quo nostra dulcissima & amantissima spiritalis filia sacratissimo lavacro abluta suscepta est,) &c.

Mysticum velamen.

VI. Magnam cum veste candida affinitatem habet mysticum velamen, quod baptizatorum capiti statim post unctionem imponebatur: alii cappam, galeam, chrismale appellant, cujus meminere Jesse Ambianensis in epistola de Baptismo, Theodulfus Aurelianensis in tractatu de Baptismo cap. 16. Rabanus de Institutione Clericorum lib. 1. cap. 29. Auctor libri de Divinis Officiis sub nomine Alcuini capite de Sabbato sancto, & alii, apud quos recte distinguitur a veste alba, & variæ de illo rationes mysticæ referuntur. Illud describit Anonymus Turonensis in ms. Speculo his verbis: (Induitur deinde chrismali Neophytus, scilicet alba veste, quæ instar cappæ lineæ caputium habet, quo caput quasi quadam mitra operitur & filo rubeo superfuitur.) De hujusmodi chrismali vesteque alba audiendus Johannes Lanspergius Carthusianus monachus piissimus in Dialogo de monasteriis & monachis c.3. ubi superioris sæculi praxim describit his verbis: (Hodie in multis Germaniæ ac Italiæ episcopatibus infantes dum e sacro fonte levantur, parva primum interula induuntur, cui annexum capitium est monastici cuculli schemate, in ipsoque crucis signum assutum est; cujusmodi interulas B. illa Elizabet regina pauperculis ingenti cum devotione conficere atque donare solita fuit, Estque hic mos pervetustus, hodieque perseveret, & in ipsis nostræ religionis initiis observatus fuit.) Et mox addit: (Feminas dum partui propinquæ sunt, ejusmodi conficere interulas.) Atque de hujusmodi chrismali intelligendus videtur locus ex Sancti Gregorii papæ I. epistola 5. lib. 7. indictionis secundæ ad Januarium Calaritanum episcopum, ubi de quodam Petro Judæo facto christiano refert, quod altero post baptismum die Judæorum Synagogam ingressus cum sacris imaginibus & cruce illic collocaverit (Birrum album quo de fonte surgens indutus fuerat,) &c. Nam Birrus est capitis indumentum. Chrismalis porro imponendi ritus bene describitur in antiquo ecclesiæ Salisburgensis pontificali ms. his verbis: (Cum autem infantes elevati fuerint a fonte, patrini vel matrinæ singulorum accipientes eos habeant intra baptisterium, pedibus infantum adhuc in aqua consistentibus, donec episcopus vel presbyter chrisma requirens faciat crucem cum pollice in vertice eorum, ita dicendo: Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, quippe dedit tibi remissionem peccatorum omnium. (Hic faciat crucem cum chrismate in vertice infantis, & eum nominans dicat) ipse te liniat chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. Pax tibi. Post hæc ponat cappam super caput dicens: Accipe vestem candidam sanctam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Christi in nomine sanctæ Trinitatis, amen.) De hujusmodi chrismali, seu cappula extat hoc decretum inter Statuta Synodalia eccles. Catorcensis, Ruthenensis, & Tutelensis Tom. 4. Anecdotorum pag. 686. (Si propriam cappulam propter paupertatem vel aliam quamcumque causam non habeant, nec valeant habere, baptizandus cum cappula, cum qua & alius fuerat baptizatus, quam sacerdos pauperibus gratis exhibeat, baptizetur.) Eodem fere modo loquuntur Statuta antiqua ecclesiæ Nemausensis. In Statutis vero Danielis episcopi Nannetensis num. 8. decernitur, [ut albæ vestes innocentiæ baptismalis, quas masses plerumque solent retinere, sacerdotibus reddantur, divinis officiis applicandæ.) Concilium vero incerti loci a nobis editum tom. 4. Anecdotorum statuit, chrismalia puerorum comburi, aut in ecclesia sub terra abscondi. Ex vii. Ordine Romano ex vulgatis Musei Italici tomo 2. Pontifex baptizatis (dat singulis stolam, casulam & chrismale & decem siclos,) sive ut habet alius codex, decem siliquas.

Corona Neophytorum.

VII. Præter mysticum capitis velamen nonnulli sertis & coronis baptizatorum caput redimibant: (Et elevant baptizatos ad altare, eisque dant mysteria & sertis coronant eos) Sacerdos, inquit Severus Alexandrinus in Ordine Baptismi. Et antiquus Ordo baptismi secundum usum Æthiopum, qui extat in Bibliothecæ Patrum tomo 6. (Tum induunt qui baptizati sunt, vestem albam, & coronam super capita sua de myrtho & palma.) Hunc ad ritum alludere videtur S. Johannes Chrysostomus in Homilia ad Baptizandos: (Norunt, inquit, hujus calicis virtutem, qui sunt divinis consecrati mysteriis: sed & vos paulo post poteritis addiscere. Mementote igitur mei, quando coronam solis radiis splendidiorem feretis in capite.) Sed & antiqui sepulcri Neapolitani delineatio baptismum ab homine laico per infusionem collatum repræsentans, duos exhibet baptizatos coronis redimitos, in Mabillonii Itinere Italico pag. 72. Quin & Durandus Mimatensis episcopus in Rationalis lib. 6. cap. 82. scripsit hanc fuisse adhuc suo tempore ecclesiæ Narbonensis consuetudinem, ut in candidæ vestis baptizatorum superiori parte, rubea vitta in modum coronæ assueretur. Et certe dignum erat, ut Regis regum filii modo geniti, & regni cælestis cohæredes effecti regiæ dignitatis symbolum præ se ferrent.

Lotio pedum.

VIII. A capite ad pedes descendo, qui baptizatis olim tam in Gallicana quam in Mediolanensi ecclesia abluebantur. Et de Gallicana quidem fidem faciunt antiqua Missalia duo ab erudito viro Josepho Thomasio vulgata, in quibus post chrismatis unctionem assignantur preces *ad pedes lavandos*, & tertium in Musei Italici tomo 1. a Mabillonio editum, in quo idem ritus præscribitur, sed post datam candidam vestem. De Mediolanensi testem omni exceptione majorem habemus Ambrosium, illius ecclesiæ antistitem sanctissimum in libro de Mysteriis cap. 6., & in libro 3. de Sacramentis cap. 1. n. 4. ubi sic loquitur: (Ascendisti de fonte, quid sequutum est? . . succinctus, inquam, summus sacerdos pedes sibi lavit.) scribit tamen Romanam ecclesiam hanc non habere consuetudinem, *ut pedes lavet*. In ecclesia Africana baptizandorum pedes lavabantur, sed feria 5. in Cœna Domini duobus ante baptismum diebus, ut vidimus supra. Ceterum postquam semel pedes in sacro lavacro abluti fuerant; nudis plantis terram per totas octavas contingere religioni ducebant. Hinc S. Augustinus epist. 55. novæ editionis n. 35. (Hoc, inquit, nimis doleo quod multa, quæ in divinis libris saluberrime præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumtionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit.]

Candelæ traditio.

IX. De candela seu cereo post vestem candidam baptizatis dari solito tacent antiqui libri Rituales pene omnes, quamquam illius in ecclesia usus sit antiquissimus, utpote cujus meminit S. Ambrosius in libro de lapsu virginis consecratæ, quam cap. 5. ita adoritur: [Non es memorata diei sanctæ Dominicæ resurrectionis, in quo divino altari te obtulisti velandam. In tanto, tamque solemni conventu ecclesiæ Dei, inter *lumina Neophytorum* splendida, inter candidatos quasi Regi nuptura processeras.] Idem eruitur ex S. Gregorii Nazianzeni Oratione de Baptismo, ubi & illius dandæ situm describere videtur: (Statim, inquit, in quam post baptisma ante magnum altare constitueris, venturæ gloriæ est præludium. Psalmodia cum qua exciperis, laudis venturæ est ante ambulatrix. Lampades quas accendis, venturæ est illuminationis mysterium cum qua obviabis sponso.) Hoc quoque facit locus ex Gregorii Turonensis libro 5. Historiæ Francorum cap. 11. ubi agit de multitudine Judæorum ab Avito episcopo baptizatorum: (Gavisus est autem pontifex nuntio, inquit, nocte sancta Pentecostes, vigiliis celebratis, ad baptisterium forasmuraneum, egres-

egressus est, ibique omnis multitudo coram eo prostrata baptismum flagitavit. At ille præ gaudio lachrymans cunctos aque ebluens, chrismate liniens, in sinu matris ecclesiæ congregavit: *flagrabant cerei*, *lampades refulgebant*, albicabat tota civitas grege candido. Et Fortunatus lib. 4. carm. de eisdem Judæis.

Undique rapta manu lux cerea provocat astra,
  Credas ut stellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor
  Ducitur, & vario lumine picta dies.

His adde locum ex epistola Marci Gazensis ad Arcadium imperatorem de baptismo Theodosii Junioris apud Baronium anno 401. (Baptizato juniori Theodosio, & ab ecclesia egresso in palatium, licebat rursus intueri decorem eorum qui præerant multitudini, & vestem eorum refulgentem; erant enim omnes candidati, ut existimaretur multitudo esse nive replete. Præcedebant autem Patricii illustres, & omnis dignitas cum ordinibus militaribus, omnes portantes cereos, ut putarentur astra cerni in terra.] Ex hoc colliges loco in regum & principum baptismate non solum ipsos vestem albam & cereum accepisse, sed omnes insuper aulicos, & eorum milites.

Cerei Neophytorum quando accendendi.

X. De cereis Neophytorum illud est observatu dignum, quod eis extincti porrigebantur, sub finem litaniæ, quæ post baptismum decantabatur, tantum accendendi. Cujus quidem ritus testes profero duos. Amalarium & auctorem libri de Divinis Officiis sub nomine Alcuini, quorum primus in libro de Ordine Antiphonarii cap. 44. hæc habet: (Reservetur ignis de sexta feria, ut illuminetur cereus qui ponitur in vice columnæ ignis ad benedicendum, qui ab initio benedictionis illuminatus est, & cum benedictus est, ab eo illuminetur secundus cereus. Cetera luminaria extincta permaneant usque ad novissimam litaniam quæ pertinet ad officium missæ de resurrectione Domini. Tunc accendantur luminaria ecclesiæ & Neophytorum.) Clarius vulgatus Alcuinus capite de Sabbato sancto: (Tunc egreditur pontifex de sacrario cum ingenti decore, & prædicta cerostate ante illum cum thymiamateriis, & cum dixerit schola *Agnus Dei*, dicat cantor excelsa voce *Accendite*. Tunc primum illuminantur omnes cerei Neophytorum, quos manibus tenent, demonstrantes hoc quod per illum Agnum qui tollit peccata mundi unusquisque lumen accipere debeat.) Addit postea idem auctor: (Nostri baptizati ducuntur quotidie ad ecclesiam columna cerei illuminate præcedente eos.) Ubi quod ait *quotidie* verus Alcuinus in epistola ad Carolum magnum exponit *per septem dies*, quibus (in angelico castitatis habitu & luminibus cælestis claritatis sancti assistere sacrificiis solent,) quæ totidem verbis apud Rabanum lib. 2. de Institutione clericorum cap. 39. reperiuntur. Idem etiam docet Amalarius lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis cap. 29.

Confirmatio & communio baptizatorum.

XI. His quæ retulimus hactenus peractis, confirmabantur recens baptizati, ac sacrosanctis Corporis & Sanguinis Christi mysteriis reficiebantur, ut testantur libri Rituales pene omnes. De confirmatione statim post baptismum conferenda sequenti capite commodior erit tractatio. De Eucharistia vero Neophytis impertienda quid doceat antiqua Ecclesiæ disciplina, paucis investigandum est. Itaque datam olim fuisse Neophytis post baptismum Eucharistiam, ex Græcis Patribus satis innuit Justinus in Apologia secunda, ubi scribit celebrato baptismo divina mysteria Corporis & Sanguinis Christi confici, & omnes adstantes communicare. Clarius Origenes Homilia 4. in Josue, ubi sic loquitur: (Si vero ad mysticum baptismi veneris fontem, & consistente sacerdotali & levitico ordine initiatus fueris venerandis illis magnificisque sacramentis, quæ norunt illi quibus nosse fas est; tunc etiam sacerdotum ministeriis Jordane digresso terram promissionis intrabis.) Nam per veneranda & magnifica sacramenta quæ norunt illi quibus nosse fas est, intelligit Eucharistiam, quam propter paganos, infideles, & catechumenos, qui sacris concionibus plerumque intererant, subobscuris verbis, quæ tamen fidelibus note erant & perspicua, designabant. Eodem fere modo loquitur S. Joannes Chrysostomus in Homilia ad Illuminandos: [Post triginta dies, inquit, (cum scilicet tincti fuerint,) non vos Pharao sed cælorum Dominus ad patriam pristinam revocabit, & cælesti Jerusalem restituet: ipse Dominus tuis manibus terribilem calicem ministrabit,..... Norunt istius calicis virtutem, qui sunt divinis consecrati mysteriis, sed & vos paulo post poteritis addiscere.] Clarius vero idem sanctus in Homilia ad Neophytos ipsos: (Sicut mulier affectionis natura agente genitum alere sui lactis fœcunditate festinat, sic & Christus quos ipse regenerat suo Sanguine enutrit.) Idem videre est apud Dionysium de Ecclesiastica Hierarchia cap. de Baptismo, Severum Alexandrinum in Ordine Baptismi, & Isaacum Armenum catholicum adversus Armenos apud Combeficium: quibus adde Theophilactum in Luc. cap. 10. (Quotidie qui baptizantur liberantur e vulneribus animæ, oleo quidem unguenti uncti, statim autem communicantes & divini Sanguinis participes fiunt.)

XII. Inter latinos Patres primum locum merito teneat Tertullianus ecclesiæ Africanæ lumen egregium. Is in libro de Baptismo cap. ultimo Neophytos alloquens, aperte docet impertitam eis fuisse post baptismum Eucharistiam: (Igitur, benedicti, inquit, quos gratia Dei expectat, cum de illo sanctissimo lavacro novi natalis ascenditis, & primas manus apud matrem cum fratribus aperitis,) &c. Ubi alludit ad priscum morem excipiendæ manu sacræ communionis, quam norunt viri antiquitatis studiosi. Clarius vero & apertius aliud ejusdem ecclesiæ decus, Cyprianus Carthaginensis episcopus epist. 63. ad Cæcilium: (Per baptismum Spiritus sanctus accipitur, & sic e baptizatis & Spiritum-sanctum consequutis ad bibendum calicem pervenitur.) Similiter & Sanctus Ambrosius in libro de Mysteriis cap. 8. (His abluta plebs dives insignibus ad Christi contendit altaria dicens: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Expositis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventute, cæleste illud festinat adire convivium.) Ubi & illud est observatu dignum quod Neophyti ad altare, cum reliqui extra illud, communicare solerent. Et S. Augustinus in libro de Cataclysmo cap. 1. (Baptizatus es, signatus es regio charactere, cœpisti consequi annonam de mensa regis tui.) His accedit Paulinus in epist. 12. ad Severum.

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
  Infantes niveos corpore, corde, habitu.
Circumdansque rudes festis altaribus agnos
  Cruda salutiferis imbuit ora cibis.

Huc etiam referri potest quod scribit liber Pontificalis de Innocentio I. papa, illum scilicet fecisse [Calices argenteos baptismi numero tres, pensantes singulos libras duas.] Quid denique quod Ferrandus in epistola ad Sanctum Fulgentium dubitet de baptismi validitate sine participatione Eucharistiæ collati: & Gelasius papa epistola 7. de eorum infantum salute, qui sine Eucharistiæ perceptione decedunt.

Quamdiu viguerit.

XIII. Neque vero existimandum est primis duntaxat sæculis eam in Ecclesia viguisse disciplinam, a qua postmodum deflexerit. Nam illius meminere Jesse Ambianensis, Leidradus Lugdunensis, Theodulfus Aurelianensis, Riculfus Suessionensis episcopi, & alii plures sæculi noni scriptores, quorum suffragiis nihil luculentius proferri potest. (Morem ergo accipiendæ Eucharistiæ, inquit Theodulfus libro de Baptismo cap. 18. e Domino traditum Ecclesia tenet, ut cum ex aqua & Spiritu sancto quis renascitur, Corpore Domini pascatur & Sanguine ejus potetur.) Quæ quidem verba maxime notanda sunt, utpote quæ baptizatorum communionem non ex simplici ecclesiæ præceptione profectam docent, sed fuisse *morem a Domino traditum*. Unde mirum videri non debet, si Riculfus in sua Constitutione anno 889. edita sanxerit, [ut baptizati mox post baptismum Eucharistiam, idest communionem sanctam percipiant.] Et Remigius Autissiodorensis in Homilia in Evangelium feria II. post Dominicam tertiam quadragesimæ: (baptizati Corporis & Sanguinis Domini debent...,. confirmari.)

XIV. Sæculo X. Idem usus adhuc obtinebat, ut constat ex Vita S. Adalberti Pragensis episcopi & Prussorum apostoli num. 37. Sæculo V. Benedictino. Immo & duodecimo, teste Hugone Victorino in lib. 1. de Cæremoniis, Sacramentis & Observationibus Ecclesiasticis cap. 20. ubi agens de recens baptizato. (Si, inquit, ejus valetudinis est, sacramenta unitatis, idest Corpus & Sanguinem Christi accipere debet,) citatque Augustinum lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum c. 22. in suæ sententiæ confirmatio

mationem. Et infra arguit quorumdam ignorantiam, quæ (adhuc formam retinens sed non rem, dat ore loco Sanguinis vinum. Quod penitus, inquit, supervacaneum arbitrarer, si sine scandalo simplicium dimitti posset. Si autem in reservando Sanguinem Christi vel ministrando pueris immineat periculum, potius supersedendum videtur.) Quod signum est, hunc usum jam illo tempore saltem quibusdam in locis abiisse in dissuetudinem. Illius nihilominus meminit Gilbertus episcopus, qui post mortem ipsius Hugonis Pictavensis ecclesiæ thronum ascendit. Sic enim ille habet in epistola ad Matthæum abbatum Sancti Florentii tom. 1. Anecdot. (Quoniam & pueri baptizati in solius panis sacramento sæpe communicant.) Sed & diu etiam postea perseveravit, præscriptusque legitur in variis Ritualibus mss. quorum character annos quadringentos vix excedit. Hujus ritus superiori adhuc sæculo vestigium aliquod retinebat ecclesia Ambianensis, in cujus Missali anno 1506. edito hæc leguntur: (Dum datur ei candela dicitur: Accipe lampadem, &c. Deinde portatur ad altare; & communicatur de vino dicens: Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam, Amen.) Et in Manuali anni 1524. ubi de baptismo masculorum: (Deinde communicatur de vino dicendo, Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam, amen.) Et in baptismo feminarum: (Deinde communicat de vino dicendo: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam, amen.) Verum hunc usum improbat Rituale Remensis ecclesiæ anno 1585. editum his verbis: (Summopere caveat sacerdos, ne quemadmodum perverso usu in quibusdam locis fieri dicitur, vinum porrigat infanti post baptismum, maximo utendo his verbis: *Corpus & Sanguis*, &c. Nam cum nihil aliud sit quam purum vinum quod porrigitur: nec jam de consecrato calice, & sub specie liquida parvulis detur communio, ut fiebat tempore SS. Cypriani & Augustini in Africa, & hic aliquando in Gallia factum fuisse legitur, unde etiam hujusmodi cæremoniam emanasse verisimile est, verba illa hoc quidem tempore & in illa infusione puri vini penitus omitti debent: cum numquam sint proferenda, nisi cum verum Corpus & verus Sanguis administrantur.) Et merito quidem. In ecclesia Petragoricensi (sacerdos benedicit vinum, & dat in ore infantis dicendo. ℣. Adjutorium nostrum. ℟. Qui fecit. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc. ℣. Benedicite. ℟. Dominus, qui te creavit in flore, te benedicat in ore, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Ponendo in os infantis: De rore cæli & de pinguedine terræ det tibi Deus abundantiam, & vivas in sæcula sæculorum.) Ita Rituale anno 1536. impressum. Simili fere modo Rituale Senonensis diœcesis jussu Cardinalis Borbonii editum statuit, (ut peractis baptismi ritibus, deferatur puer super altare, & accipiat sacerdos vinum in concavitate manus suæ sinistræ, & intingat digitum dextræ manus in ipso vino, & distillet in ore pueri dicens: accipe de rore cæli, & de pinguedine terræ frumenti, vini, & olei abundantiam. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Postea dicat initium evangelii secundum Joannem.) Sed Joannes Eckius, acerrimus sectæ Lutheranæ impugnator, qui non multo post florebat, homilia 17. de baptismo scribit, pueris baptizatis quibusdam in locis quod ex calicis ablutione supererat suo tempore præstitum fuisse. Eadem consuetudo viget etiamnunc in diœcesi Basileensi, cujus & nos testes fuimus: nam cum quadam Dominica in campestri parochia sacris mysteriis interessemus, ad offertorium puella tenens infantem recens baptizatum prima omnium obtulit ad altare, post communionem vero eidem infanti sacerdos sacri calicis ablutionem porrexit, hæc aut similia verba dicens: *Hæc ablutio calicis sit tibi salutaris, & ad vitam æternam capescendam, amen.* His adde quod scribit Guillelmus Lindanus, & ipse Calvini insectator, in Panopliæ Evangelicæ libro 4. cap. 25. scilicet (quod Frisiæ vel pueris baptizatis sacram offert Eucharistiam altari imponendam: Quod luculentum est, inquis, prisci moris vestigium.) Nunc autem justis quidem de causis aliis utitur Ecclesia moribus, quæ nec tamen ideo damnat antiquitatem, cui olim aliter placuerit, ut habet concilium Tridentinum sess. 21. cap. 4.

Pueri quomodo communicati.

XV. Jam vero cum pueri panem sacrum edere, nec divinum bibere calicem sine perpetuo effusionis periculo possent, quæritur qua olim ratione Corpori & Sanguini Domini participarent. Et quidem primis Ecclesiæ sæculis calicem ipsorum ori admotum fuisse constat. Extat insigne hujus ritus testimonium apud Cyprianum in libro de lapsis, ubi celeberrimam narrat historiam cujusdam infantulæ, quæ cum parentum incuria & nutricis delatione panem vino mixtum de idolothytis comedisset, ipso Cypriano sacrificante, aderat cum matre in ecclesia (Ubi vero solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus ceteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, & labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, & reluctanti licet de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violata Eucharistia permanere non potuit.) Verum alio ritu ac modo pueris tradendam esse Eucharistiam docet Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis cap. 20. (Pueris, inquit, recens natis idem sacramentum in specie Sanguinis est ministrandum digito sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt.) Idem præscribit antiquum Pontificale mss. insignis ecclesiæ Apamiensis in Syria his verbis: [Communicantur autem pueri, qui nondum noverunt comedere vel bibere sive cum folio sive cum digito intincto in Sanguine Domini, & posito in ore ipsorum, sacerdote ita dicente: Corpus cum Sanguine Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam, amen.] Eumdem ritum in oriente vigere tradit Abraham Ecchellensis in notis ad Arabicos canones concilii Nicæni, ubi de modo communicandi baptizatos infantes hæc habet: [Sacerdos infantem communicaturus digitum intingit Sanguine, & in os illius sugendum immittit.] Idem de Jacobitis asserit Vanslebius. Simili quoque fere modo loquitur Naironus in Evoplia catholicæ fidei parte 2. cap. 3. agens de Syris & Maronitis. Et tamen Gabriel Sionita in epistola ad Nihusium in Symmictis Allatii scribit, Maronitas & reliquos orientales infantibus sacro fonte nuper ablutis cocleat solo Sanguine delibutum sugendum exhibere.

Lactis & mellis traditio.

XVI. Præter sacram Corporis & Sanguinis Christi communionem, olim in occidentali saltem Ecclesia, lac & mel Neophytis porrigebatur: unde in quibusdam antiquis Ritualibus mss. post ritus baptismi sabbato sancto legitur benedictio lactis & mellis. De Africana testis est locuples Tertullianus in libro de Corona militis cap. 3. ubi de Baptismo. [Ter, inquit, mergitamur, inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus.] Et in libro 1. adversus Marcionem: [Sed ille quidem, usque nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos ungit; nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat; nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat.] Idem de aliis generatim ecclesiis asserit S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, ubi sic loquitur: (Multa alia, quæ per traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare; deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem.) Alibi tamen idem S. Doctor scribens in Isaiæ cap. 55. non lactis & mellis, sed vini & lactis meminit. Nam explicans illa verba quibus jubemur emere vinum & lac, ita scribit: (Quod vinum miscuit & sapientia in cratere suo, omnes stultos sæculi mundique sapientiam non habentes provocans ad bibendum: & ne non solum vinum emamus; sed & lac quod significat innocentiam parvulorum; qui mos ac typus in occidentis ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur.) Verum non ad usque Hieronymi tempora dumtaxat perseveravit hic ritus in occidente, sed ad usque medium sæculum nonum, ut docet nos Joannis diaconi viri doctissimi epistola ad Senarium tom. 1. Musei Italici, qui ab ipso inquisierat (cur in sacratissimum calicem lac mittatur & mel, & Paschæ sabbato cum sacrificiis offeratur.) Respondetque Joannes (baptizatis hoc sacramenti genus offerri, ut intelligant, quia non alii, sed ipsi, qui participes fiunt Corporis & Sanguinis Domini, terram repromissionis accipient, cujus iter inchoantes tamquam parvuli lacte nutriuntur & melle.) Verum illud non est obiter transeundum, quod ait lac & mel in sacratissimum calicem mitti, propterea quod id ipsum cautum legimus in Codice canonum ecclesiæ Africanæ, in cujus cap. 37. decernimus, (ne in sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum. Primitiæ

tiæ

tiæ vero, seu mel & lac, quod die solemnissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici Corporis & Sanguinis distinguantur.) Ceterum perseverat etiamnum apud Æthiopes hic ritus. Nam in Ordine baptismi, qui secundum usum ipsorum in tomo 6. Bibliothecæ Patrum editus est, communioni Neophytorum hæc subjiciuntur. (Diaconus deinde dat eis lac & mel, & dicit: Lac & mel immaculatum in regenerationem. Sacerdos autem dicit: Lac & mel immaculatum in regenerationem per Jesum Christum, amen.) Eumdem etiam usum ab initio viguisse apud Jacobitas, auctor est Macharius episcopus Mempheos a Vanslebio citatus, qui anno 756. florebat.

Numerus baptizatorum Pontifici denunciatus.

XVII. Altera post baptismum die olim in ecclesia Romana numerus baptizatorum summo Pontifici denunciabatur. Sic enim præscribitur in Ordine Romano: (Die resurrectionis Dominicæ procedente Pontifice ad S. Mariam cum ordinibus suis, notarius stat in loco qui dicitur Merulanas, & salutato Pontifice, dicit: In nomine Domini nostri Jesu Christi, baptizati sunt hesterna nocte in sancta Dei Genitrice Maria infantes masculi numero tanti, feminæ tantæ.)

XVIII. Eodem die baptizatis legebatur initium Evangelii Joannis, ut ex eo caperent altitudinem divinæ gratiæ, qua filius Dei natus hominis filius ipsos homines regenerator fecerat filios Dei, uti observaverunt fratres nostri in nota ad Sermonem 225. S. Augustini novæ editionis; idque evidenter colligitur ex sequenti sermone 226. Idem evangelium etiam super baptizatos, sed completis omnibus b... ...is cæremoniis, ad altare delatos legebatur in ecc...a ...iensi ante annos 400. & in Senonensi atque ...mensi ex vetustis Ritualibus ad illarum ecclesiarum usum editis.

XIX. Aliis per totam octavam diebus manebant ab omni hominum cœtu separati: saltem id innuit S. Augustinus in Sermone 260. novæ editionis habito in octavis Paschæ. Nam statim ab initio Sermonis hæc habet: (Regeneratis in baptismo, qui hodie miscendi sunt populo, brevis sed gravis sermo reddendus est.) Unde merito ita argumentari licet: si hac die miscendi erant baptizati populo, ergo aliis diebus non miscebantur. Et certe concilium Carthaginense IV. eos non modo removet ab hominum cœtu, sed & can. 86. decernit, ut (aliquandiu a lautioribus epulis, & spectaculis, & conjugibus abstineant.

XX. Ut vero a creaturis & voluptatibus ita secreti, creatori firmius adhærerent, quotidie summo quidem mane in missa quæ pro ipsis cantabatur, Corporis & Sanguinis Domini participes fiebant; id quod præscribitur in Ordine Romano aliisque Pontificalibus libris, & colligitur insuper ex S. Augustini Sermone 227. habito in die Paschæ, ubi recens baptizatos ita alloquitur: (Promiseram vobis qui baptizati estis sermonem, quo exponerem mensæ Dominicæ sacramentum, quod modo etiam videtis, cujus nocte præterita participes facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid *quotidie* accipere *debeatis*.) Clarius Rodulfus Bituricensis archiepiscopus in suo capitulari n. 20. (Quandiu, inquit, in albis sunt, quotidie a patrinis ad ecclesiam cum luminaribus deducantur, & Corpus & Sanguinem Christi usque in diem octavum æquali jure cuncti percipere studeant.) Et Pontificale ecclesiæ Pictaviensis: (Illud vero observandum est, ut postquam baptizati fuerint infantes, nullum accipiant cibum, nec ablactentur antequam communicent, & per septem dies paschæ ad missas procedant & offeratur pro ipsis & communicent. Concinit Pontificale Bisuntinum: [Si in pascha baptizantur, omnibus diebus ad missas procedant & quotidie communicent.)

XXI. Per easdem octavas exhortatoribus, sive instructoribus ad eos sermo quotidie habebatur, ut probant quæ adhuc supersunt ea de re sanctorum Patrum paræneses, maxime de sacramentis, quorum mysteria eos hactenus latuerant, de fidei articulis, de Trinitatis & Incarnationis mysteriis, quæ minutatim & familiariter eis exponebantur. Ubi illud mihi venit in mentem quod de Clodoveo primo Francorum rege Christiano narrat Fredegarius in Historiæ cap. 21. quod scilicet (baptismi gratiæ cum sex millibus Francorum in Pascha Domini consecratus est. Cum autem a S. Remedio in albis evangelii lectio Clodoveo adnunciaretur, qualiter Dominus Jesus Christus ad passionem venerat, dixit Clodoveus, si ego ibidem cum Francis meis fuissem, injuriam ejus vindicassem.) Tanta erat illorum temporum Neophytorum simplicitas! Sed non minor forte eorum auctoritas, ut pote qui supplices ad imperatores & reges pro gratiis obtinendis mittebantur; cujus rei exemplum videre est apud Evagrium in Historiæ Ecclesiasticæ lib. 6. cap. 25.

XXII. Post octavum diem Neophyti solemni ritu vestes albas deponebant, in quarum depositione hanc sacerdos super eos proferebat orationem, quam refert S. Hildephonsus lib. 1. Adnotationum de ordine baptismi cap. 140.

Oratio propter albas tollendas.

Domine JESU CHRISTE redemptor mundi, quem verum hominem veraciter ex homine natum Deus Pater suum filium esse signavit, confirma in hanc familiam tuam, quod nomine tuo signata, atque sacro liquore mundata, tuoque spiritu plena exsistit, etiam tuo jam Corpore & Sanguine satiatam se gaudeat atque redemptam, ut hæc sacramenta quæ in novitatem vitæ perceperunt, ita ad usum salutis indesinenter obtineant, ut ad remunerationem beatitudinis ex hoc securi accedant.

Item benedictio.

Dominus JESUS CHRISTUS, qui vos lavit aque sui lateris, & redemit effusione cruoris, ipse in vos confirmet gratiam adeptæ redemptionis. (Per quem renati estis ex aqua & Spiritu Sancto ipse vos cælesti consociet regno.) Qui dedit vobis initia sanctæ fidei, ipse conferat & perfectionem operis, & plenitudinem caritatis. Amen.

XXIII. Hactenus omnes baptismi ritus pro modulo nostro prosequuti sumus, in quibus investigandis operam diligentiamque nostram immerito, uti speramus, desiderabunt viri eruditi. Nam si quid forte curam studiumque nostrum effugerit, illud aut adeo levis est momenti, ut lectorum oculos fatigare non mereatur, aut denuo retractabitur cum de sabbati sancti & Pentecostes ritibus disserendum erit. Ne quis tamen aliquid a nobis intactum prætermitti conqueratur, unum hic subjiciemus articulum de Baptismo infirmorum, mortuorum, energumenorum, & eorum de quibus extat dubium an fuerint baptizati, deque susceptoribus seu patrinis. Huic subnectemus breves tractatus duos ineditos de Baptismo, cum veteri fidei profitendæ formula, ac demum varios diversæ ætatis diversorumque locorum Ordines ad conferendum baptisma adducemus.

ARTICULUS XVI.

Quæ fuerit antiquorum sententia de baptismo infirmorum, mortuorum, energumenorum, in utero matris baptizatorum, & eorum de quibus dubitatur, an fuerint baptizati, & de Patrinis.

Baptismus infirmorum validus.

I. CUm de baptismo infirmorum veterum sententiam inquirimus; hic non de illis agitur qui lecto exsurgere, ad fontem sacrum pergere, interrogantibus respondere, salutaribus undis toto corpore immergi, aliaque omnia præstare poterant, quæ sani omnino præstitissent. Sed de illis præsertim qui tam adversa utebantur valetudine, ut nec dimoveri, nec proinde aquis immergi, sed tantum perfundi possent: quorum alii libera prorsus ratione ac voce fruebantur, qua fidem profiteri & ad interrogata respondere valebant, aliis vero vox omnis, omnisque sensus, non tamen vita defecerat.

II. Et quidem utrorumque baptismum pro vero ac legitimo in Ecclesia semper habitum fuisse certissimum est, idque evincunt variæ illius leges ac canones, quibus infirmos etiam obmutescentes jubet baptizari: [Subito obmutescens, inquit concilium Arausicanum 1. can. 12. prout statutum est, baptizari aut pœnitentiam accipere, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet aut præsentis in suo nutu.] Eadem fere leguntur in antiquo codice canonum ecclesiæ Africanæ cap. 45. & in concilio Arelatensi II. can. 38. Quibus verbis concinunt ea quæ scribit S. Augustinus in libro 1. de Adulterinis conjugiis ad Pollentium: (Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo aut casu

ali-

aliquo oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi baptismum, vel ad interrogata respondere non possint; prosit eis quod eorum in fide christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.) Porro si obmutescentes baptizari poterant, multo magis ii, quibus adhuc sensus integer, integra ratio, vox integra manebat. Hinc concilium Eliberitanum can. 39. de gentilibus, qui in infirmitate positi baptizari expetunt, (si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, statuit eis manum imponi & fieri christianos.) Et Concilium Autissiodorense can. 18. permittit extra paschæ solemnitatem baptizari *grabatarios*.

Dubium de grabatariorum baptismo.

III. Non defuere tamen ex antiquis qui de baptismi eorum, qui in lecto perfusi fuerant, validitate addubitaverint. Hujusmodi dubium Cornelium Papam incessit, uti ipse innuit in epistola ad Fabium Antiochenum episcopum apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 43. ubi agit de Novato, qui jamjam moriturus baptizatus fuerat, (si tamen, inquit, hujusmodi baptismum suscepisse dicendus est.) Idem & Fido episcopo contigit, qui propterea Cyprianum consuluit de his, (qui in infirmitate & langoore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi christiani.) Cujus scrupulum submovit Cyprianus, scripta ad eum epistola 76. editionis Pamelianæ. Et tamen sæculo adhuc sexto sub judice lis erat: quæ res Ferrandum diaconum compulit ad scribendum Fulgentio Ruspensi episcopo de quodam adolescente, qui cum omnia, quæ sancto lavacro præmitti solent, subiisset; deficiente voce, ad Ecclesiam delatus, tinctus fuerat. Propositam ab eo difficultatem propriis ejus verbis, licet prolixam, quia tamen multa scitu digna continet, referre non pigebit: (Religiosi cujusdam viri famulus . . . . . dominorum fidelium diligentia, sacramentis ecclesiasticis imbuendus ad ecclesiam traditur: fit ea more catechumenus; post aliquantum nihilominus temporis propinquante solemnitate paschali inter competentes offertur, scribitur, eruditur: Universa quoque religionis catholicæ veneranda mysteria cognoscens atque percipiens, celebrato solemniter scrutinio, per exorcismum contra diabolum vindicatur; cui se renuntiare constanter, sicut hic consuetudo poscebat, auditurus symbolum profitetur. Ipsa insuper sancti Symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clara voce pronuntians, piam regulam Dominicæ orationis accepit, simulque & quid crederet, & quid oraret intelligens, futuro baptismati parabatur, cum subito violentis invaditur febribus, & crescente lethali infirmitate turbatur. Persuasit dierum brevitas, ut ad fontem ceteris abluendus differretur, sive potius servaretur. Et quid pluribus immorer? Hora exoptata cunctis advenerat, in qua populus acquisitionis Redemptori suo per baptismum consepultus vitam veterem poneret, & novam resurrectionis fidem innovatus assumeret. Tunc ille in extremo halitu constitutus sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus adportatur, & pro eo nobis quasi pro infante respondentibus, mente absentissimus accepit baptismum, quem se accepisse post paululum mortuus, in hac præsenti, arbitror, vita nescivit. Quæso nunc utrum nihil ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit,) &c. Hactenus Ferrandi proposita Fulgentio difficultas, quæ omnes ent pene omnes baptismi ritus complectitur. Aliam sub finem ejusdem epistolæ de baptismo eorum qui sine perceptione Eucharistiæ decedunt proponit: (Unde, inquit, petimus ut velociori responsione nos instruas, utrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, si quis baptizatus in nomine Sanctæ Trinitatis sacro cibo potuque fraudetur.) Cui respondet Fulgentius: (Nullus debet moveri fidelium in illis qui etsi legitime sana mente baptizantur, præveniente velocius morte, carnem Domini manducare & sanguinem bibere non sinuntur, propter illam videlicet sententiam Salvatoris, nisi manducaveritis.) &c.

IV. Porro qui sic in lecto perfundebantur, clinici a verbo græco dicti, cum ea infirmitate convalescebant, episcopo sese exhibere tenebantur, ut ea, quæ cogente necessitate prætermissa fuerant, supplerentur: Hinc Cornelius Papa in citata epistola ad Fabium redarguit Novatum, quod (postquam liberatus est morbo, reliqua non percepit, quæ juxte ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab episcopo consignatus est:) Et antiquus scriptor libri de Baptismo hæreticorum adversus S. Cypria-num: (Si a minore, inquit, clero per necessitatem traditum fuerit (baptisma) eventum expectemus, ut aut suppleatur a nobis, aut a Domino supplendum reservetur.) Quibus suffragatur Concilium Laodicenum can. 47. Ex canone vero 12. Concilii Neocæsariensis: (Si quis in ægritudine constitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet.) Idem confirmat Concilium Parisiense anni 829. cap. 8.

Et de his quidem Guillelmus Estius doctor Lovaniensis intelligit illum Apostoli locum 1. Cor. 5. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt*: quibus scilicet cum brevissime vitæ superesse crederetur, baptizari petebant, ut sibi post mortem saltem prodesset baptismus, quem pro se ipsis mortuis potius quam vivis accipiebant. Hi in antiquis Pontificalibus libris baptizari *ad succurrendum* dicuntur.

Baptismum mortuorum.

V. Ex hoc Apostoli loco non bene interpretato, quidam pro amicis suis sine baptismo defunctis denuo tingebantur, testante id in primis Tertulliano in libro de Resurrectione carnis cap. 48. signantius vero in libro 5. contra Marcionem cap. 10. Quem errorem Cerinthianis tribuit Epiphanius Hæresi 28. Marcionitis Chrysostomus Homil. 40. in 1. Cor., ubi quo ritu hunc peragerent baptismum describit his verbis: (Cum quis apud ipsos non initiatus obit, unum aliquem sub mortui lectum recondunt: Mortuum circumeunt, alloquuntur, rogant velitne baptizari. Deinde cum nihil respondeat; is qui subtus latet, pro illo respondet baptizari velle: eum deinceps pro mortuo baptizant, sic quemadmodum in scena fieri solet ludentes.)

VI. Verum si vivos pro mortuis baptizari gravissimus in Ecclesia semper error fuit; quanto gravior mortuos ipsos salutaribus aquis abluere. Et tamen eo olim presbyteros quosdam Africæ pepulit ignorantia, cui mederi tentarunt Patres Concilii III. Carthaginensis can. 6. caventes, (ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat,) sive ut habet Codex canonum ecclesiæ Africanæ cap. 18. (Ne jam mortuos homines baptizari faciat presbyterorum ignavia.) Quem canonem renovavit Synodus Carthaginensis sub Bonifacio. Quare autem baptizari mortui non debeant, disserit S. Fulgentius epist. 12. ad Ferrandum.

Baptismus energumenorum.

VII. De baptismo energumenorum ita decernit Concilium Eliberitanum can. 37. (Eos qui a spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet.) Ergo non baptizabantur nisi imminente mortis periculo; id quod apertius declarat Timotheus Alexandrinus episcopus in Responsione 2. canonica: (Si is qui a dæmone corripitur, non fuerit ab immundo spiritu mundatus; non potest sanctum baptismum accipere, sed in exitu a vita baptizatur.) Et ad 4. Interrogationem: (Si quis catechumenus, cum esset infirmus, emotæ mentis factus sit, nec possit fidem profiteri, suique suadeant, ut donec vivit sanctum baptismum accipiat; debetne sanctum baptismum accipere, an non?) Respondet: (Debet accipere, si non ab immundo spiritu tenetur.) In concilio vero Arausicano I. can. 15. hæc lego: (Energumenis catechumenis quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de baptismate consulendum.) Qui canon renovatur in concilio Arelatensi II. can. 40.

VIII. De baptismo infantium, quos mater in partu laborans, in lucem emittere non valet, ita definiunt antique Statuta Synodalia Ecclesiæ Nemausensis a nobis edita tomo quarto Anecdotorum: (Si vero, muliere in partu laborante, infans extra ventrem matris caput tantum emiserit, & in tanto periculo infans positus nasci nequiverit, infundat aliqua de obstetricibus aquam super caput infantis, dicens: *Ego baptizo te in nomine Patris, &c.* Et erit baptizatus.) His concinunt Statuta Synodalia ecclesiæ Biterrensis a Guillelmo episcopo anno 1342. edita, in quorum numero 50. hæc lego: (Præcipimus moneri populum, quod si in ipso partu mulieris immineat grande periculum, ipsa muliere multo tempore laborante in editione partus, & caput, manus, vel alia pars infantis appareat, quod illa baptizetur & censeatur baptizatus. Et si dictum infantem in parturitione mori contigerit, tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ.) Ab hac sententia non nihil deflectunt Statuta antiqua ecclesiæ Ruthenensis. Sic enim habent capite sexto:

(Si

(Si vero, muliere in partu laborante infans extra ventrem matris caput tantum emiserit, & in tanto periculo infans positus commode haberi nequiverit, infundet aliquis vel aliqua de astantibus aquam super caput infantis; dicens: *Creatura Dei, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Et erit baptizatus. Si vero non caput, sed aliud membrum emiserit, & super illud membrum aquam effundendo prædicto modo fuerit baptizatus, & postea vivus natus fuerit, non judicamus talem baptizatum.) Statuta ecclesiæ Carnotensis uti & Tutelensis addunt: (quia si pes vel manus tantum nascatur, non potest dici puer natus, sed nec renatus.) Eodem fere modo concilium Trevirense anno 1310. celebratum cap. 114. cujus hæc verba: (Si autem muliere in partu laborante, infans in ventre matris tantum caput emiserit, & nasci nequeat, mox aliqua de obstetricibus aquam super caput infantis infundat, dicens: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Amen*. Et erit baptizatus. Idemque dicendum est, prout quidam asserunt, si major pars corporis præter caput appareat, baptizatur; secus si minor solus pes, vel sola manus appareat, baptizari non debet; quod si fiat, nihil agitur. Cum enim partus tunc non nascatur, nec tunc etiam potest renasci.) Eadem est sententia Hugonis Victorini. Sed & Statuta Synodalia Joannis episcopi Leodiensis anno 1287. edita cap. 2. num. 6. hac de re sic decernunt: (Si caput infantis nascentis appareat, vel membrum aliud principalius, & timeatur de morte infantis, antequam perfecte nascatur, infundat qui affuerit aquam super caput nascentis, dicens: *Infans, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*. Si autem pervenerit vivus ad ortum, de novo baptizetur, sub his verbis: *Non te baptizo, sed si non fuisti baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*.) Sed & Statuta Synodalia ecclesiæ Biterrensis, tametsi infantem hoc casu censeant baptizatum, eum nihilominus, si supervivat, ad cautelam baptizari decernunt. Sed Glossa in caput *proprie* de Consecrat. dist. 4. asserit (eum baptizari si aqua etiam cadat super pedes.)

De baptismo sub conditione.

IX. Restat ut de eorum baptismo, de quibus dubitatur, an fuerint in Christo regenerati breviter aliquid dicamus. Hos incunctanter baptizandos esse semper in ecclesia usus invaluit. Extat ea de re concilii V. Carthaginensis canon 6. (Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari.) In hoc canone, quem congregati Patres consulti a legatis Maurorum, qui multos tales a barbaris redimebant, ediderunt, illud in primis observandum est, quod absolute absque ulla conditione salutari lavacro abluendos decernunt. Eumdem canonem renovavit anno 525. Synodus Carthaginensis sub Bonifacio Episcopo. Idem etiam legitur in concilio Wormatiensi can. 70. In epistola Sancti Leonis Papæ ad Rusticum & ad Neonam. In epistola Trojani episcopi Santonensis ad Eumerium Namnetensem episcopum conc. tom. 3. p. 378. In selectis Capitulis Theodori Cantuariensis archiepiscopi n. 67. Spicilegii tom. 9. In Excerptis Egberti Eboracensis episcopi cap. 41. In epistola I. Gregorii Papæ tertii cap. 5. In libro 7. Capitularium Regum Francorum. In Capitulari Heraldi Turonensis archiepiscopi cap. 33. in epistola Herivei Remensis archiepiscopi ad Widonem Rothomagensem archiepiscopum cap. 11. Notanda sunt hanc in rem verba Gregorii Papæ secundi in epistola 13. ad Bonifacii interrogata respondentis hoc modo: (De parvulis vero qui a parentibus subtracti sunt, & an baptizati sint an non, ignorant, quia interrogasti; hos ut baptizare debeas, secundum Patrum traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio poscit.) Neque enim simpliciter baptizandos asserit Gregorius, sed *secundum Patrum traditionem*. Eamdem etiam fuisse Orientalis ecclesiæ praxim constat ex hoc concilii Quinisexti canone 84. (Canonicos Patrum ritus sequentes, de infantibus quoque decernimus, quoties non inveniuntur firmi testes, qui eos absque ulla dubitatione baptizatos esse dicant; nec ipsi propter ætatem de sibi tradito mysterio apte respondere possint, debere absque ulla offensione baptizari: ne forte ejusmodi dubitatio eos ejusmodi purificationis sanctificatione privet.)

X. Nunc vero aliis Ecclesia regitur legibus, quæ conditionata semper in dubio utitur forma, qualis est illa, quam præscripsit Joannes XXII. apud Odoricum Raynaldum ad annum 1333. num. 4. (Si baptizatus es, non te rebaptizo: sed si nondum baptizatus es; ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.) Nonnulli viri eruditi existimant hujusmodi conditionatas formas a Scholasticis Theologicis adinventas fuisse: Verum toto aberrant cælo. Nam longe ante scholasticos, certe ante annos octingentos conditionata adhibebatur formula, id quod evincunt Isaaci Lingoniensis episcopi canones, in quorum tit. XI. can. 17. ita habet: (De quibus dubium est utrum sint baptizati an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis præmissis: Non te rebaptizo; sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.) Qui canon excerptus est ex lib. 6. Capitularium Regum Francorum cap. 184. Et etiam antea S. Bonifacius Moguntinus archiepiscopus in Statutis, quæ Spicilegii tomo 9. edita sunt cap. 28. decreverat, ut (si de aliquibus dubium sit, utrum sint baptizati, absque ullo scrupulo baptizentur: His tamen verbis præmissis: Non te rebaptizo, sed si nondum es baptizatus, ego te baptizo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.)

Susceptores seu patrini.

XI. Susceptores sive patrinos (alii sponsores, fidejussores, patres spirituales, offerentes appellant) qui non infimum in baptismo locum tenent, pene prætermiseram, de quibus ideo ultimo hoc loco brevi differere necesse est. Horum institutio ab ipsa fere ecclesiæ incunabula referenda est, utpote cujus meminere Tertullianus libro de baptismo cap. 18. S. Basilius epistola 128. & S. Augustinus multis in locis, ut alios interim plures omittam.

Quare instituti.

XII. Horum instituendorum causa præsertim fuit, ut baptizandos episcopo offerrent, uti videre est apud Dionysium de Cælesti Hierarchia, unde offerentes dicti; eosdem de rebus necessariis instruerent, fidem pro iis profiterentur, orationem Dominicam redderent, abrenunciationem sponderent, ex quo sponsoris nomen ipsis inditum est, id quod maxime erga infantes præstabant, unde & Sanctus Chrysostomus in psalmum 14. (Statim sacerdos exigit ab infima ætate pacta conventa & assertiones, & minoris ætatis fidejussorem susceptorem interrogat.) Eosdem denique de sacro fonte prodeuntes susciperent, & simul cum ipsis per totam octavam communicarent, quæ omnia constant ex dictis hactenus & articulo XVIII. referendis.

Viri a viris, feminæ a feminis suscipiebantur.
Susceptorum numerus.

XIII. Et quidem initio masculos soli mares, puellas solæ feminæ suscipiebant. Extat ea de re Concilii Niceni canon 22. ex vulgatis a Turriano: (Viri non teneant in baptismo puellas aut mulieres: neque mulieres teneant masculos: sed potius mulieres teneant puellas, & viri teneant masculos.) Cujus rei exemplum suppeditant Acta S. Sebastiani martyris apud Surium 20. Januarii, ubi de baptizatis a Sancto Polycarpo hæc leguntur: (Igitur omnes isti simul animæ sexaginta quatuor a Sancto Polycarpo presbytero baptizati, & a Sancto Sebastiano suscepti sunt: feminarum autem matres spirituales factæ sunt Beatrix & Lucina.) In Constitutionibus Apostolorum lib. 3. cap. 16. decernitur, ut (virum suscipiat diaconus, mulierem diaconissa, ut decore traditio infrangibilis sigilli administretur.) Ex quibus verbis colligas, unum dumtaxat olim in baptismo susceptorem fuisse: unde & concilium Metense anni 888. cap. 6. decernit, (ut infantem nequaquam duo vel plures, sed unus a fonte baptismatis suscipiat: quia in hujusmodi secta diabolo datur locus, & tanti ministerii reverentia vilescit. Nam unus Deus, unum baptisma, unus qui a fonte suscipi debet esse pater vel mater infantis.) Hic canon indicat auctum jam fuisse illo tempore patrinorum numerum. Certe nato Philippo Ludovici VII. Francorum regis filio, alteroque a nativitate die a Maurìtio Parisiensi episcopo baptizato, tres patrini dati sunt: (Hugo scilicet abbas S. Germani Parisiensis, qui puerum super fontem baptismatis in ulnis suis tenuit, Hervejus abbas Sancti Victoris, & Odo quondam

dam

dam abbas Sanctæ Genovefæ. Constantia vero soror regis Ludovici, uxor Raimundi comitis Sancti Ægidii, & duæ viduæ Parisienses matrinæ extiterunt;) ut legere est in Hist. Ludovici VII. Regis apud Chesnium tom. 4. Sed tandem tanto patrinorum numero aliquos limites e conciliis præfigi oportuit, illum ad ternarium reducentibus. (Ad elevandum puerum de sacro fonte tres tantum recipiantur,) inquit Concilium Bajocense anni 1280. cap. 4. Id quod ita capiendum est, ut ad suscipiendum masculum duo mares & una femina; ad puellam, duæ feminæ cum uno viro designentur, uti explicant Constitutiones Richardi episcopi Sarum in Anglia cap. 19. concilium Wigorniense anni 1240. cap. 5. & Exoniense anni 1287. cap. 2. Statuta Synodalia ecclesiæ Trecorensis cap. 8. a nobis edita tom. 4. Anecdotorum & Statuta Joannis episcopi Leodiensis anni 1287. cap. 2. num. 8. Verum hunc numerum ad duos patrinos reducunt Statuta Synodalia Joannis *Raulin* episcopi Augustodunensis 19. idque sub pœna viginti solidorum Turonensium, quam pœnam aggravant mulcta centum solidorum Statuta ecclesiæ Catalaunensis cap. 7. Verum Statuta Synodalia ecclesiæ Biterrensis anno 1342. edita cap. 9. decernunt, ut (sit unus patrinus tantum in baptismo, sive vir, sive mulier.) Idem habent Statuta ecclesiæ Nemausensis cap. 13. Statuta Caturcensis, Ruthenensis, & Tutelensis ecclesiarum cap. 5. & Statuta Sistaricensis episcopi Henrici cap. 3. idque propter affinitatis periculum. Hæc omnia Statuta velim consulat lector eruditus in tom. 4. Thesauri nostri Anecdotorum.

XIV. Sed in Capitularibus Regum Francorum libro 6. cap. 182. ab hoc numero removentur ii, (qui & communione canonica privati, & publicæ pœnitentiæ sunt subacti, donec per pœnitentiam satisfactionis reconciliationem mereantur, vel etiam illi qui tale peccatum commissum habent, pro quo publicæ pœnitentiæ plectendi & ligandi sunt.) Idem de publice pœnitentibus decrevit concilium Parisiense VI. ex quatuor Galliæ provinciis congregatum lib. 1. cap. 54. His adjungendi sunt monachi, qui publicam ex suo instituto pœnitentiam profitentur: unde concilium Autissiodorense cap. 20. (Non licet, inquit, abbati filios de baptismo suscipere, nec monachis commatres habere.) Et Statuta Synodalia ecclesiæ Nemausensis cap. 13. tom. 4. nostrorum Anecdotorum: (Prohibemus autem districte, ne in patrinum regularis aliquis admittatur, nec aliquis alius qui excommunicationis vel interdicti sententia est ligatus, vel qui non est confirmatus.) Idem habent Statuta Synodalia Cadurcensis Ruthenensis & Tutelensis ecclesiarum cap. 15. ibid. Idem prohibet presbyteris S. Carolus Synod. decret. 17. Idem & non confirmatis mss. Statuta Eliæ Uticensis episcopi. Denique idem & parentibus vetatur propter affinitatem, quæ eo casu contrahitur. His adde infantes & mysteriorum fidei penitus ignaros: quia cum præcipuum sponsorum munus sit filiolos non secus ac si proprii illorum parentes essent instruere, ut docent passim concilia, illud adimplere handquaquam valerent: Unde merito conqueruntur patres concilii Parisiensis anni 829. cap. 7. (Quod illi qui in sua sponsione aliquos de sacro fonte suscipiunt, nec fidei, nec baptismatis sacramento sunt instructi; & ideo eos quos suscipiunt, & secundum sanctorum Patrum documenta docere debuerant, erudire nequeunt.) In concilio autem Metensi anni 888. c. 6. decernitur, ut (nullus alterius suscipiat a fonte infantem, nisi apprime signaculum, idest abrenuntiationem diaboli & professionem catholicæ fidei, tenuerit.) Et Statuta S.ti Bonifacii Moguntini archiepiscopi c. 26. (Adnuntient, inquiunt, presbyteri, ut neque viri, neque feminæ de sacro fonte filiolos aut filiolas suscipiant, si non memoriter symbolum & orationem Dominicam tenuerint.) Et recte quidem. Ceterum si prædicti omnes ab officio sponsoris arcendi sunt; multo magis hæretici, aut de hæresi suspecti [quod ut vitari queat (inquit concilium Remense anni 1583.) rogabit sacerdos clara voce omnes qui puerum baptizandum ad ecclesiam comitati sunt, vel saltem patrinum & matrinam, numquid velint vivere & mori in ecclesia catholica, apostolica, & Romana, abnuentesque ab officio suscipiendi repellat.]

XV. Qualiter autem hi qui de sacro fonte alios suscipiunt, addit capite citato concilium Parisiense, instruere debeant, B. Augustinus in Sermone habito ad populum demonstrat dicens: [Quicumque igitur viri, quæcumque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter susceperunt, cognoscant se pro eis fidejussores extitisse apud Deum. Et ideo necesse est, ut semper illis sollicitudinem veræ caritatis impendant, admoneant, & castigent, atque corripiant, ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, & ceteris bonis operibus dediti sint.] Verum hic Sermo in nova editione S. Augustini in Appendicem tamquam spurius rejectus est; sed cujuscumque sit, non minus certa & vera est hæc admonitio, quæ longe prolixior in prædictæ Appendicis Sermone 163. habetur. Similia fere extant apud S. Cæsarium in Sermone 265. 267. ejusdem Appendicis. In ms. autem Pontificali ecclesiæ Antissiodorensis ante annos trecentos exarato post omnes baptismi ritus hæc lego: [His omnibus completis, dicat sacerdos patrinis & matrinis: Vos patrini & vos matrinæ, custodite hunc infantem a periculo ignis & aquæ usque ad septem annos, & dicatis patri & matri ejus, ut ipsum similiter custodiant, & doceant eum orationem Dominicam *Pater noster*, & Symbolum apostolorum *Credo in Deum*, & tunc signet eum dicens, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.*] Similia habent vetus Missale ecclesiæ Parisiensis annorum circiter 400. & Rituale Cenomanense S. Magdalenæ Bellilocensis annorum circiter 300. Sed in Capitulari Ahitonis Basileensis episcopi cap. 25. Spicilegii tom. 6. decernitur ut sponsores [usque cum adulti fuerint (filioli) & eis fidei suæ sponsionem & abrenunciationis exposuerint & reddiderint, in sua providentia habeant. Et quod illi quæ pro eis spoponderant ab eis eadem responsa ex integro exigant.] Similiter & Capitulare Attonis episcopi Vercellensis can. 18. Spicil. tom. 8. [Qui pro eis fidem promittunt, curam & sollicitudinem habere debent, ut illi hoc impleant, quod ipsi pro eis promiserunt.] Extat etiam apud Jonam Aurelianensem episcopum lib. 1. de Institutione laicali cap. 6. [quod Patres spirituales eos quos de sacro fonte suscipiunt, verbis & exemplis ad meliora provocare debeant,] quod vide si lubet.

XVI. Denique de patrinis non prætereundum decretum quod extat in statutis Synodalibus ecclesiæ Avenionensis a Joanne episcopo anno 1337. editis tom. 4. Anecdotorum pag. 562. [Nihilominus plurimorum revera fidelium relatione comperimus, longe altius nimisque profundius quam exprimi valeat detestantes, quod plures infantes hactenus sine sacramento baptismatis a sæculo proh dolor! transmigrarunt, ex eo videlicet quod cum difficultate inveniebantur patrini, qui eos facerent baptizari, propter immoderatos sumtus fieri solitos, dum partim dabatur infantibus, partim commatribus, aut nutricibus temporibus retro actis, & tam pro hujusmodi sumtibus, quam pro expectatione patrinorum . . . . sæpe multa lugendaque & vitanda pericula evenerunt, affectantes igitur cordis nostri medullitus hunc abusum consuetudinis execrandæ, quin potius in sacramenti præcipue salutaris horribili venalitate commercium, quod profecto meretur sacrilegii facinus asseri, prohibitione sollicita penitus aboleri; salubri, juvante Deo, nostræ prohibitionis edicto statuimus, ordinamus, præcipimus, firmiter & districte mandamus, quod patres & matres infantes natus vel nascituros, ultra unum diem naturalem non differant baptizare, & quod cum aliqua persona infantem faciet baptizari, eidem infanti, vel ejus matri, seu commatri, vel nutrici non præsumat dare vel mittere aliquid, nisi solum albam & cereum in baptismo; si qua autem contrarium facere vel attentare præsumserit, ab ingressu ecclesiæ se noverit suspensam, donec ad cognitionem capellani curati, pro præsentis transgressione mandati, pœnitentiam egerit salutarem.] His quæ de patrinis hactenus a nobis observata, unum addere liceat de Joanne Spatario, qui, ut refert S. Theodorus Studita lib. 1. epist. 17. in filii sui baptismo pro susceptore adhibuit S. Demetrii martyris imaginem.

ARTICULUS XVII.

In quo duo de Ritibus Baptismi Tractatus antiqui necdum editi proferuntur, cum vetusta confessionis fidei formula ad instructionem baptizandorum, uti credimus, olim composita.

POst discussos hactenus pro nostro modulo baptismi veteres ritus, alicujus operæ pretium existimavimus, duos antiquos de ritibus ejusdem sacramenti Tractatus, necdum, quod sciamus, editos, hic subjicare; quorum primus Magnum Senonensem archiepiscopum, uti conjicimus, agnoscere debet auctorem; alter vero si non Alcuinum, saltem ex ejus ad Odvinum presbyterum epistole magna ex parte contextus est. Primum scripsit Magnus jussu Caroli Imperatoris, qui vere Magni nomen non tam sibi comparasse videtur pro rebus

in

in bello fortiter gestis, quam pro zelo in tuenda ecclesiæ libertate ac sollicitudine in continendis sub disciplina clericis, instruendisque de fide religionisque officiis imperio suo subjectis plebibus. Quippe, ut ait Theodulfus Aurelianensis episcopus in epistola ad Magnum Senonensem, religioso principi (hoc semper familiare fuit, ut exerceret Præsules ad sanctam scripturarum indagationem & sanam sobriamque doctrinam, omnem clerum ad disciplinam, philosophos ad rerum divinarum humanarumque cognitionem, monachos ad religionem, omnes generaliter ad sanctitatem.) Hinc est quod frequentes ad episcopos proponebat quæstiones, (non necessitate discendi, sed studio excitandi, nec ut ipse his absolutis de nescitis valeret imbui, sed ut illi de somno desidiosi corporis ad rerum absolvendarum utilitatem valerent excitari,) inquit idem Theodulfus. Hujusmodi fuere quæstiones, quas de Ritibus baptismi ab omnibus sub suo imperio degentibus episcopis enucleandas direxit piissimus princeps, quasque ipse in epistola ad Odilbertum Mediolanensem archiepiscopum exhibet his verbis: [Nosse itaque per tua scripta aut per te ipsum volumus, qualiter te & suffraganei tui doceatis & instruatis sacerdotes Dei & plebem vobis commissam de baptismi sacramento, id est cur primo infans catechumenus efficitur, vel quid sit catechumenus: Deinde per ordinem omnia quæ aguntur. De scrutinio, quid sit scrutinium. De symbolo, quæ sit ejus interpretatio secundum latinos. De credulitate, quomodo credendum sit in Dominum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus, & in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, & cetera quę sequuntur in eodem symbolo. De abrenunciatione satanæ & omnibus operibus ejus & pompis. Quid sit abrenunciatio, & quæ opera diaboli & pompæ ejus. Cur catechumenus accipit salem. Quare tangantur nares, pectus ungatur oleo, cur scapulæ signantur, & quare pectus & scapulæ lavantur. Cur albis induitur vestimentis, cur sacro chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, & cur Corpore & Sanguine Dominico confirmatur. Hæc omnia subtili indagine præscripta nobis, sicut diximus, nunciare satage; & si ita teneas & prædicas, aut si in hoc quod prædicas teipsum custodias.]

Piissimi imperatoris votis paruerunt haud dubium episcopi, scriptis de proposito argumento certatim opusculis, ex quibus quatuor hactenus vulgatas habemus lucubrationes, Odilberti Mediolanensis & Leidradi Lugdunensis archiepiscoporum in Analectorum Mabillonii tom. 3. & 4. Theodulfi Aurelianensis in Menardi notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii papæ, & inter ejusdem Theodulfi opera apud Sirmondum, & Amalarii Trevirensis episcopi, sive Alcuini qui nomine Amalarii scripsit ad Carolum Magnum inter Alcuini epistolas. Præterea Magni Senonensis archiepiscopi libellum brevem *De Mysterio baptismatis*, needum editum penes se habere testatur præfatus Sirmondus. Hunc libellum absque auctoris nomine, & absque epistola ad Carolum magnum in ms. codice S. Albini Andegavensis repertum in prima editione exhibuimus. Sed cum eumdem in codice bibliothecæ Sequerianæ, quam testamento nobis legavit illustrissimus episcopus Metensis Henricus *de Cambou de Coislin* ante annos 800. exarato reperissem, hic illum ad fidem codicis Sequeriani repræsentandum existimavimus; maxime cum Andegavensis nonnihil interpolatus videatur. Huic subjiciemus breviorem alicujus anonymi libellum ex eodem Andegavensi codice descriptum, cum antiqua profitendæ fidei formula, ad baptizandorum instructionem, uti conjicimus, composita, & forte jussu Caroli Magni, quæ eodem in codice continetur.

M A G N I

SENONENSIS ARCHIEPISCOPI LIBELLUS

De mysterio baptismatis jussu Caroli Magni editus.

Ex ms. Coisliniano.

GLoriosissime imperator, innotescere magnitudini vestræ præsumsimus nos servi vestri Magnus scilicet & ceteri compares mei, licet indigni episcopi ad Senonicam diœcesim pertinentes; quia preceptum vestrum humiliter & libentissimo animo susceptum juxta quod nostra prevaluit exiguitas de mysterio baptismatis, sicut in vestra continetur epistola, ammonitionem vestram inquirere vel investigare studuimus, qualiter intelligere vel tenere debuissemus, unde si ausi sumus, immensæ clementiæ vestræ referimus laudes, eo quod nos de somno stultitiæ vel insipientiæ excitare dignati fuistis, sicut semper & ubique solliciti estis. Gratias namque omnipotenti Deo & vobis inde nos & plurimi alii eruditiores & meliores esse debemus & sumus. Vestram tamen exoramus clementiam, ut nobis indulgeat vestra benignitas, quod per omnia sicut debuimus vobis renunciare nequivimus, sed etiam hoc quod nobis patres per illorum reliquerunt exempla, & nos ex nostra exiguitate parte intelligimus ordine subsequamur.

Baptismum Græce latine tinctio interpretatur, quia ibi homo Spiritu gratiæ in melius mutatur. Et propterea infans ter mergitur in sacro fonte, ut sepulturam triduanam Christi trina dimersio mystice designaret, & ab aquis elevatio Christi resurgentis similitudo est de sepulcro. Nullatenus itaque baptismi mysterium perfici potest, nisi sub invocatione S. Trinitatis, quia rectum est ut homo, qui ad imaginem S. Trinitatis creatus est, ad eamdam revocetur imaginem.

Catechumenus autem audiens sive instructus interpretatur, ut audiat & discat antequam ad sacrum accedat fontem, mystica christianæ religionis sacramenta, & tunc discat fidem S. Trinitatis & symbolum, & cetera quæ christiana ammonet lex.

Scrutinium vero dicitur inquisitio, eo quod per illud exploratur qualiter fides catholica in illorum cordibus retinetur. Et aliter scrutinium a scrutando dicitur, quia tunc scrutandi sunt catechumeni, si rectam jam noviter fidem symboli eis traditam firmiter teneant.

Symbolum græce latine indicium & signum, vel conlatio interpretatur. Indicium quia per id indicatur fidei integritas; signum, quod eo bene retento & intellecto, fideles ab infidelibus discernuntur; conlatio, quia in eo apostoli omnem fidei integritatem contulerunt.

Qualiter itaque credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Filium ejus JESUM CHRISTUM, & in Spiritum Sanctum & cetera qui baptizandi sunt profitentur, quamvis parvuli per se profiteri non possint, tamen per corda & ora tenentium eos fides confitetur catholica, idest Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus unius essentiæ, unius potestatis & sempiternitatis, sine initio & sine fine unus Deus invisibilis, ita in singulis personarum proprietate servata, & substantialiter Trinitas dividi nec personaliter debeat omnino confundi: Patrem ingenitum, Filium genitum & natum ex MARIA Vergine & crucifixum, & mortuum, & resurrexisse, & ascendisse in cælos, & sedentem a dextris Patris, inde venturum esse in eadem carne judicare vivos & mortuos. Et Spiritum-sanctum nec genitum, neque ingenitum, sed procedentem a Patre & Filio. Nec non & unam confitentur catholicam ecclesiam & communionem omnium Sanctorum, id est congregationem omnium fidelium in Christo, atque credunt remissionem peccatorum, & resurrectionem carnis, & vitam post mortem, & regnare cum Christo in sæcula sæculorum amen.

Abrenunciatio dicitur abominatio sive detestatio, quia ante baptismum unusquisque propter originalia peccata servus est peccati, & ideo abrenunciat diabolo, qui est princeps peccati; & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus, id est vitiis, ut damnationem illius afferetur. Quam abrenunciationem recte confessio S. Trinitatis sequitur, ut ubi abundavit peccatum superabundet gratia.

Insufflantur etenim qui baptizandi sunt a Dei sacerdote, ut ex eis princeps effugetur peccatorum, & Christo Domino paretur introitus, & per illius insufflationem mereantur accipere Spiritum-Sanctum.

Exorcismus græce latine conjuratio sive sermo increpationis est adversus diabolum, & ideo exorcizatur unusquisque veniens ad baptismum, ut efficiatur templum Dei vivi, qui per naturam suam affectus erat templum diaboli, & recedente diabolo, per exorcizationem sacerdotis ingrediatur Christus, & efficiatur habitaculum Dei.

Salem in Sacramento baptismatis accipiunt, ut ejus gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque a sapore Christi desipiant, & sint insulsi & fatui; sed quod habuerunt in se naturaliter insulsum habeant per Christi gratiam per omnia sale conditum.

Tanguntur aures & nares de sputo, & dicitur *effeta*, id est adaperire; nares tanguntur, ut quamdiu vita comes & flatus vitæ in naribus & olfactus permanserit, assidue in Christi servitio perduret; & aures similiter tanguntur, ut salutarem doctrinam christianæ religionis ac fidei semper auscultent, & intente audiant, & omnes ridiculosas dæmonis suasiones respuant.

Pectus vero unguitur sancto oleo, ut signo crucis chri-

christianæ excludatur diabolo introitus, & Christo Domino paretur ingressus.

Scapulæ autem signantur, ut undique templum Dei dicatum ab omni Satanæ impedimento muniantur. Et hoc signatur iterum in pectoris & scapulæ unctione, ut fiat ei firmitas & bonorum operum perseverantia.

Post sacræ regenerationis lavacrum baptizati candidis induuntur vestimentis, ut surgentis ecclesiæ figurent mysticum mysterium, vel propter gaudium novæ regenerationis, vitæque castitatem, & angelici splendoris decorem.

Tunc demum sacro chrismate, quod latine dicitur unctio, caput perungitur, ut in regno & sacerdotio ecclesiæ delibuti, & Christi nominis gratiam accipiant, & ejus membra, qui eos redemit, & eorum caput est, effici valeant.

Deinde mystico velamine teguntur, ut intelligant se diadema regni & sacerdotii dignitatem portare, & tunc regiæ dignitatis ornamenta & sacerdotalis verticis habeant tegumentum, ut contra vitia sacerdotali velamine muniantur, & virtutum gemmis spiritualiter exornentur, & unctione sacrosancti chrismatis liniantur, ut sanctæ Trinitatis habitaculum effici mereantur.

Peractis autem omnibus baptismatis sacramentis, novissime per manus impositionem a summo sacerdote septiformis gratiæ spiritum accipiunt, ut corroborentur in fide recta per Spiritum-sanctum. Et ideo fit manus impositio, ut per benedictionem advocetur & invitetur Spiritus-sanctus. Denique sciendum est, quia sicut cetera baptismatis sacramenta per sacerdotes visibiliter fiunt, & per Dominum invisibiliter consecrantur; ita & Spiritus sancti gratia per impositionem manuum episcoporum fidelibus traditur, & a Domino confirmatur.

Postremo Corpore & Sanguine Dominico communicantur, ut illius membra efficiantur, qui pro eis passus est, & resurrexit, & per visibilem panem & vinum pascatur anima cibo invisibili, sicut ipse Dominus ait: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, & qui manducat carnem meam, & sanguinem meum bibit, in me manet, & ego in illo.* Morem istum accipiendæ Eucharistiæ a Domino traditum ecclesia tenet, ut cum aqua & Spiritu sancto quis renascitur, Corpore Domini pascatur, & Sanguine ejus potetur, ut in corpore Christi tradi us, & ille in Christo maneat, & Christus in eo.

Sic desinit codex Sequerianus, Andegavensis vero S. Albini addit sequentia:

A parvulo enim recens nato usque ad decrepitum senem sicut nullus est qui non peccato moriatur in baptismo, sed parvuli tantum originali, majores autem etiam his omnibus moriuntur peccatis quæcumque male vivendo addiderunt, & illud quod nascendo traxerunt.

Sacramentum enim baptismi est quod habet qui baptizatur, & sacramentum dandi baptismi est quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus si ab unitate recesserit, sacramentum baptismi non amittit: nulli enim sacramento injuria facienda est. Si discedit a malis, utrumque discedit; si permanet in malis, utrumque manet. Sicut ergo acceptatur baptismus, quem non potuit amittere qui ab unitate discesserat: sic acceptandus est baptismus, quem dedit ille qui sacramentum dandi cum discederet non amisit.

A N O N Y M I

BREVIS TRACTATUS

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

PRimitus enim paganus Catichuminus fit, id est audiens; scilicet ut unum agnoscens Dominum, relinquat errores varios idolorum, accedens ad baptismum ut renunciet maligno spiritui, & omnibus operibus ejus, & damnosis ejus pompis. Abrenuntio, id est recuso vel contradico operibus sathanæ qui omnium malorum princeps est; hæc sunt superbia, invidia, homicidium, adulterium, falsum testimonium, luxuria, idolorum servitus, avaritia, blasphemia, & his similia: quæ opera ideo dicuntur diaboli, quia ejus instinctu peraguntur, & ille ea per suam reperit malitiam. Antiquus itaque hostis a sinceritate divinæ innocentiæ, malitiæ suæ succensus face, discordat cum suo corpore, reprobis videlicet omnibus, quia nimirum ejus proprie corpus fiunt, qui suggestionum turpium blandimentis decepti, ei per diversa opera iniquitatis subcumbunt: sicut enim quod manducamus in corpus nostrum convertimus, ut cibus ipse secundum corpus hoc efficiatur quod nos sumus: sic malis moribus per nequitiam, & superbiam, & impietatem hoc efficimur quisque, quod diabolus, idest similis ejus; & subjicitur ei sicut subjectum est nobis corpus nostrum. Pompa dicta est græca significatione a πομπεύειν. hoc est sublime ostentari. Idcirco pompas jactantias dicimus. Exsufflatur, ut fugato diabolo, Christo domino nostro paretur introitus. Exorcizatur, idest conjuratur malignus spiritus, ut exeat & recedat, dans locum Deo vero. Accipit Catichuminus salem, ut putrida & fluxa ejus peccata sapientiæ sale divino munere mundentur. Symboli apostolici traditur ei fides, ut vacua domus a prisco habitatore derelicta, fide ornetur, & preparetur habitatio Deo; symbolum enim græce, & indicium dici potest & conlatio, hoc est quod plures in unum conferunt apostoli in his sermonibus, in unum conferendo unusquisque quod fecerit. Indicium autem vel signum idcirco dicitur, quia in illo tempore sicut Paulus apostolus dicit, & in Actibus Apostolorum refertur, multi simulantes se esse apostolos Christi nominantes quidem Christum, sed integris traditionum lineis non nuntiantes. Idcirco igitur istud indicium ponere sanxerunt, per quod agnosceretur qui Christum vere secundum apostolicas regulas prædicaret. Tunc fiunt scrutinia, ut exploretur sæpius an post renuntiationem satanæ sacra verba datæ fidei radicitus corde defixerint. Tanguntur & nares, ut quamdiu spiritum naribus trahat in fide accepta perduret. Pectus quoque eodem perungitur oleo, ut signo sanctæ crucis diabolo claudatur ingressus. Signantur & scapulæ, ut undique muniatur. Item in pectoris & scapulæ unctione signatur fidei firmitas & operum bonorum perseverantia, & sic in nomine sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur. Et recte homo qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus est, per invocationem sanctæ Trinitatis ad eandem renovatur imaginem, & qui tertio gradu peccati in mortem cecidit, id est consensu, tertio elevatus de fonte per gratiam resurgat ad vitam. Tunc albis induitur vestimentis propter gaudium regenerationis, & castitatem vitæ, & angelici splendoris decorem. Tunc sacro chrismate caput ungitur & mystico tegitur velamine, ut intelligat se diadema regni, & sacerdotii dignitatem portare juxta apostolum, Vos estis genus generale, offerentes vosmetipsos Deo vivo, hostiam sanctam, Deo placentem. Sic Corpore & Sanguine Dominico confirmatur, ut illius sit membrum qui pro eo passus est & resurrexit. Novissime per impositionem manus a summo sacerdote septiformis gratiæ Spiritum accepit, ut roboretur per Spiritum-sanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in baptismo per gratiam vitæ donatus æternæ.

ANTIQUA FIDEI PROFITENDÆ FORMULA.

Ad baptizandorum instructionem prælertim edita.

Fusior habetur in appendice ad tom. 10. S. Augustini.

CRedimus in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum visibilium & invisibilium conditorem. Credimus & in Dominum nostrum Jesum Christum, per quem facta sunt omnia, verum Deum, unigenitum, & verum Dei Filium, non factum adoptivum, sed & unius cum Patre substantiæ, atque per omnia ita æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec potestate possit esse (inferior.) Confitemur illum qui est genitus, quantus est ille qui genuit. Nun autem quia dicimus genitum a Patre Filium, divinæ & ineffabili generationi aliquod tempus adscribimus, sed nec Patrem aliquando cœpisse, nec Filium; non enim aliter possumus confiteri æternum Patrem, nisi confiteamur etiam coæternum Filium, ex Filio enim Pater dicitur, & qui semper Pater fuit, semper habuit & Filium. Credimus & Spiritum sanctum, Deum verum, ex Patre procedentem & Filio, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate, potestate, æternitate, substantia. Ita tota deitas sui perfectione æqualis est, ut exceptis vocabulis quæ proprietatem indicant, quidquid de una persona dicitur, de tribus dignissime possit intelligi. Unam eamdemque dicimus Trinitatis esse substantiam, & unum in tribus personis fatemur Deum, tres personas expressas sub proprietate distinguimus; quia non qui Pater est, Filius aut Spiritus-sanctus in persona hic est; nec qui Filius est, Pater, aut Spiritus sanctus hic est; nec qui Spiritus

ritus-sanctus est, Pater aut Filius hic est. Sed Pater semper Pater, Filius semper Filius, Spiritus-sanctus semper Spiritus-sanctus. Itaque substantia unum sunt, personis ac nominibus distinguuntur: ipsum autem Dei Filium, qui absque initio æternitatem cum Patre & Spiritu-sancto possidet, dicimus in fine sæculorum perfectum naturæ nostræ hominem suscepisse ex Maria semper Virgine, & Verbum carnem esse factum, adsumendo hominem, non permutando deitatem; nec, ut quidam scelestissimi opinantur, Spiritum-sanctum dicimus fuisse pro semine, sed potentia ac virtute Creatoris operatum. Sic autem confitemur in Christo unam Filii esse personam, ut dicamus duas perfectas atque integras esse substantias, id est deitatis & humanitatis, quæ ex anima continetur & corpore, adsumptum hominem his propter quos adsumptus est absque sola peccati macula quæ naturalis non est nobis, confitemur fuisse conformem; nos enim ita dicimus susceptum a Dei Filio passibile nomen, ut Dei tamen impassibile permaneret. Passus enim Filius non putative, sed vere omnia quæ scriptura testatur, id est esuriem, sitim, lassitudinem, dolorem, mortem, & cetera hujusmodi, secundum illud: Passus est quod pati poterat, id est non secundum illam substantiam quæ adsumpsit, sed secundum illam quæ adsumpta est: ipse enim Dei Filius secundum deitatem suam impassibilis est ut Pater, incomprehensibilis ut Pater, invisibilis ut Pater, inconvertibilis ut Pater. Et quamvis propria persona Filii, id est Dei, Verbum suscepit passibilem hominem, ita tamen ejus habitatione secundum suam substantiam deitas Verbi nihil passa est, ut tota Trinitas quam impassibilem necesse est confiteri. Mortuus est ergo Dei Filius secundum scripturas, juxta id quod mori poterat, resurrexit tertia die, ascendit in cælos, sedet ad dextram Dei Patris, manente ea natura carnis in qua natus & passus est, in qua etiam resurrexit; non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata & in æternum cum deitate mansura. Accepta ergo a Patre omnium potestate quæ in cælo sunt & in terra venturus est ad judicium vivorum ac mortuorum, ut & justos remuneret, & puniat peccatores. Credimus Ecclesiam quasi regenerationis matrem, non in ecclesiam credimus quasi in salutis auctorem. Rectus itaque confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subjungeretur ecclesia tanquam habitatori domus sua, & Deo templum suum, & conditori civitas sua. Hæc in sanctis angelis beata perstitit, & suæ parti peregrinanti sicut oportet opitulatur; quia utraque una erit consortio æternitatis; & nunc una est vinculo caritatis. Concordant autem nobiscum angeli etiam nunc, cum remittuntur nostra peccata: ideo post commemorationem sanctæ ecclesiæ in ordine confessionis ponitur remissio peccatorum; per hanc enim stat ecclesia quæ in terris est, per hanc non perit quod perierat & inventum est. Resurrectionem carnis ita credimus, ut dicamus nos in eadem, in qua nunc sumus veritate membrorum esse reparandos, qualesque semel post resurrectionem effecti fuerimus in perpetuo permansuros, unam esse vitam sanctorum, sed præmia pro labore diversa, & contrario pro modo delictorum, peccatorum quoque esse supplicia. Baptismum unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus quibus etiam in majoribus diximus esse celebrandum. Hominem si post baptismum lapsos fuerit per pœnitentiam credimus posse salvari. Novum & vetus testamentum recipimus in librorum numero quem sancta catholicæ ecclesiæ tradidit auctoritas. Animas a Deo dari credimus, quas ab ipso factas dicimus, anathematizantes eos qui animam quasi partem Dei divinæ dicunt esse substantiæ. Eorum quoque condemnamus errorem qui eas ante peccasse, vel in cælis conversatas fuisse dicunt, quam in corpora mitterentur. Execramur etiam eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini a Deo esse præceptum, & mandata Dei non a singulis, sed ab hominibus in commune posse servari. Vel qui primas nuptias cum Manichæo, aut secundas cum Cataphrygis damnant. Anathematizamus etiam illos qui Dei Filium necessitate carnis mentitum esse dicunt, & eum propter assumptum hominem non omnia facere potuisse quæ voluit. Joviniani quoque damnamus hæresim, qui dicit nullam in futuro meritorum esse distantiam, nosque eas sibi habituros esse virtutes quas hic habere neglexinus. Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio, & tam illos errare qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum non posse vitare, quam illos qui cum Joviniano asserant hominem non posse peccare; uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus hominem semper & peccare & non peccare posse, ut semper nos liberi confiteamur esse arbitrii.

ARTICULUS XVIII.

In quo varii ad baptismum conferendum ordines referuntur.

ORDO I.

Ex missali Gothico-Gallicano a Josepho Thomasio edito.

Collectio ad benedicendos fontes.

STantes, fratres carissimi, super ripam vitrei fontis, novos homines adduc eis de terra litori mercaturos sua commercia: singuli navigantes pulsent mare novum, non virga, sed cruce; non tactu, sed sensu; non baculo, sed sacramento. Locus quidem parvus, sed gratia plenus. Bene gubernatus est Spiritus-sanctus. Oremus ergo Dominum & Deum nostrum ut sanctificet hunc fontem, ut omnes qui descenderint in hunc fontem faciat eis lavacrum beatissimæ regenerationis in remissione omnium peccatorum. Per Dominum.

Collectio sequitur.

Deus qui Jordanis fontem pro animarum salute sanctificasti: descendat super aquas has angelus benedictionis tuæ, ut quibus perfusi famuli tui accipiant remissionem peccatorum; ac renati ex aqua & Spiritu sancto devoti tibi serviant in æternum. Per Dominum.

Contestatio

Dignum & justum est, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; initiator sanctorum, chrismatum Pater, & novi per unicum Filium tuum Dominum & Deum nostrum inditor sacramenti: qui portantibus aquis Spiritum tuum sanctum ante divitias mundi largiris: qui Bethsaidas aquas, angelo medicante, procuras: qui Jordanis alveum, Christo Filio tuo dignante sanctificas, respice, Domine, super has aquas, quæ præparatæ sunt ad delenda hominum peccata. Angelum pietatis tuæ his sacris fontibus adesse dignare: vitæ prioris maculas abluat, & parvum habitaculum sanctificet tibi, procurans ut regenerandorum viscera æterna florescant; & vere baptismatis novitas reparetur. Benedic, Domine Deus noster, hanc creaturam aquæ, & descendat super eam virtus tua: desuper infunde Spiritum tuum sanctum Paraclitum, Angelum veritatis. Sanctifica Domine hujus laticis undas, sicut sanctificasti fluenta Jordanis: ut qui in hunc fontem descenderint, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & peccatorum veniam, & sancti Spiritus infusionem consequi mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus apud Patrem & Spiritum-sanctum per omnia secula seculorum.

Deinde facis crucem de chrisma & dicis:

Exorcizo te creatura aquæ: Exorcizo te omnis exercitus diaboli; omnis potestas adversaria, omnis umbra dæmonum. Exorcizo te in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazaræi, qui incarnatus est in Maria Virgine: cui omnia subjecit Pater in cælo & in terra. Time, & treme tu, & omnis malitia tua: da locum Spiritui sancto: ut omnes qui descenderint in hunc fontem, fiat eis lavacrum baptismi regenerationis in remissionem omnium peccatorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est in sedem majestatis Patris sui cum sanctis angelis suis judicare te, inimice, & sæculum per ignem in sæcula sæculorum.

Deinde insufflas aquam per tres vices, & mittis chrisma in modum crucis, & dicis:

Infusio chrismæ salutaris Domini nostri Jesu Christi, ut fiat fons aquæ salientis cunctis descendentibus in eo, in vitam æternam. Amen.

Dum baptizas interrogas ei & dicis:

Baptizo te ill. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti in remissionem peccatorum, ut habeas vitam æternam. Amen.

Dum chrisma eum tangis, dicis:

Perungo te chrisma sanctitatis..... tunicam immortalitatis, qua Dominus noster Jesus Christus traditam a Patre primus accepit: ut eam integram & illibatam perferas ante tribunal Christi, & vivas in sæcula sæculorum.

Dum pedes ejus lavas, dicis:

Ego tibi levo pedes. Sicut Dominus noſter Jeſu Chriſtus fecit diſcipulis ſuis: tu facias hoſpitibus & peregrinis, * ut habeae vitam æternem.

Dum veſtimentum ei imponis, dicis:

Accipe veſtem eendidem, quem immaculatam perſetas ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Collectio.

Oremus, fretres cariſſimi, Dominum & Deum noſtrum pro Neophytis ſuis, qui modo baptizati ſunt, ut eum in majeſtate ſue Salveıor advenarit, quos regenerevit ex aque & Spiritu-ſancto, faciat eos ex æternitata vaſtire ſalutem. Per Dominum.

Item alia.

Baptizetis & in Chriſto coronatis, quos Dominus noſter a chriſma petentibus regeneretione donere dignatus eſt, preramur omnipotans Deus, ut baptiſmum quod ceperunt, immaculatum ipſum perferent uſque in finem. Per Dominum.

ORDO II.

Ex veteri miſſali Gallicano ab eodem edito.

OPUS AD BAPTIZANDUM.

Præfatio antequam exorcidietur.

AUctorem ee reparatorem noſtrum omnipotentam, fratres cariſſimi, qui ornamenta naturæ amiſſa per culpam, dignatus eſt reparare per gratiam; ſub reverendo myſterii præſentis officio ſupplieiter exorremus, ut aquis his virtutem trensfundat, in animas benedictiones infundet, & peragendum ſacratiſſimæ regenerationis effectum præſentia trinæ Majeſtatis aſſiſtat: confringat & conterat ſuper has aquas caput draconis: ut ſub undis fecibua tranſactione ſecreta chirographum priſtinum evacuetur; & debitoribus cum Chriſto per baptiſmum conſepultis, ita hic egatur mortis imitatio, ot ſalvatis perditis ſola ſe ſentiet in terris perditione. Per Dominum.

Collectio ſequitur.

Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto megnæ pietetis tuæ myſteriis, adeſto ſacramentis: & ad creandos novos populos, quos tibi ſuus beptiſmatis parturit, ſpiritum adoptionis emitte: ut quod noſtræ humilitatis gerendum aſt miniſterio, tuæ virtutis compleatur effectu. Per Dominum.

Exorciſmus aquæ fontis.

Exorcizo ta ſons aquæ perennis per Deum ſanctum, per Deum verum, qui ta in principio ab erida ſeparavit, & in quatuor fluminibus terram rigere præcepit. Sis aqua ſancta, aqua benedicta, abluens ſordea & dimittena peccate: in illius te nomina exorcizo, qui dedit diſcipulis ſuis novom ſacramentum dicens: Ita in gentibus baptizentes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritusſancti. Fiat nunc, Domina, equa ſancte exorcidiata ad expiandos filios Dei. Per Patrem & Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus aſt cum Spiritu-ſancto judicara mundum per ignem.

Præfatio ad benedicendum fontes.

Dominum immortalium munerum & ſalutarium gratiarum, fratres dilectiſſimi, concordi mante & humili orationa poſcamus, ut per Verbum, Sapientiam, & Virtutam ſuam, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum concurrenti ad baptiſmum ſalutarem plabi ſuæ gratiam novæ regenerationis indulgeat: etqua acceſſus hinc penitus malignæ contagionis everrens, infundat vitali lavacro Spiritum ſuum ſanctum; ut dum ſitiens fidem populus aquas Salutaris ingreditor; vere, ut ſeriptum aſt, per equem & Spiritum-ſanctum renaſcatur, & conſepultus in laveero Redemtori ſuo, in ſimilitudinem ſacri diviniqua myſtarii, cui commoritur per baptiſmum, aidem cooreſurget in regno. Per Dominum.

Benedictio fontis.

Benedic, Domine, hanc aquam ſalutaris, & ſanctifica eam omnipotens Trinitas; qui humanum genus formare creataque juſſiſti, quique etiam dediſti nobis per tui baptiſmatis myſtarium gratiam renaſcendi; reſpice propitius ſuper iſtius equæ creeturem religionis myſterio procuratem, ſpiritualem tuem benedictionem perfunde: ut fit ais, qui in ea beptizandi ſunt, ſona aquæ ſaluteris in remiſſiona vaterum criminum, ta, Domine, largiaote, in vitam æternam. Per Dominum.

Conteſtatio fontis.

Dignum & juſtum eſt, vere æquum & juſtum aſt, nos tibi gratiaa egare, Domine Deus æterne, qui ſolus habes immortalitatem; eamqua ne ſolus poſſideas, nobis quoque renovata ætate tribuiſti: qui humenu generi amiſſam per tranſgreſſionem priſtinæ originia dignitetem reformare in melius tam pretioſo, quem ſelici baptiſmatis munere voluiſti. Adſiſte, quæſumus, ed invoretionem nominis tui: ſanctifiea ſontem hunc, ſenctificetor generis humeni: fiat locus iſta dignus, in quem Spiritus-ſanctus inſinet: ſepeliatur hic illic Adam vetur, reſurgat novus: morietur omne quod carnis eſt, reſurget omne quod ſpiritua: Exuantur ſordentes vitiis, & diſciſſis criminibus, amictus ſplendoris & immortelitetis indumenta ſumantur. Quicumqua in Chriſto baptizebuntor, iduant Chriſtum. Quicumqua hic renunciaverint diabolo, da eis triumphare de mundo. Qui te in hoc loco invocavarit, tu eum cognoſcas in regno. Sic in hoc fonte extinguantur crimina, ue reſurgant: ſic invaleſcat equæ iſtius beneficium, ut æterni ignis reſtinguat incendium. Mitta fontis altaribus tuis, quos eltaria regnis tuis mittant. Totus hic horror mortis intereat. Quicumque hic tuus eſſe cœperit, tunc eſſe non deſinat. Quicumqua hic ſe ſibi negaverit, tu inſcribas; & per miniſterium noſtrum & myſterium tuum conſecratus tibi populus, æternis ad te præmiis conſecretur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Poſtea facis tres cruces ſuper aquam de chriſma, & dicis;

Daus, ad quem ſitientes animæ, bibendique immortalitatis amore feſtinant: de ais famulis tuis ſupplicantibos invenire munus quod cupiunt; adipiſci gratiam quam merentur: ingrediantur fontem regenerationis auctorem, in quo lethiferam illam primi parentis offenſam mutete in novum hominem caducæ carnis fragilitate, deponent. Per Dominum.

Interrogatio. Quis dicitur? ℟. Illi.

Abrenuntias ſatanæ, pompis ſeculi, & voluptatibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Credis Patrem, & Filium, & Spiritum-ſenctum unius eſſe virtutis? ℟. Credo.

Dicis. Credis Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum ejuſdem eſſe potaſtatis? ℟. Credo.

Credis Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum trinæ varitatis, una manente ſubſtentia, Deum eſſe perfectum? ℟. Credo.

Dicis. Baptizo ta? ℟. Baptize.

Baptizo te credentem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, ut habeas vitem ætarnem in ſæcula ſeculorum.

Infuſio chriſma.

Deus Patar Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ta regeneravit ex aqua & Spiritu-ſancto, quique tibi dedit remiſſionem peccatorum; ipſe ta linit chriſmata ſuo ſancto, ut habeas vitem æternam in ſecula ſeculorum.

Ad pedes lavandos.

Dominus & Selvetor noſtar Jeſus Chriſtus apoſtolis ſuis pedes lavit: Ego tibi pedes lavo, ut & tu facias hoſpitibus & peregrinis, qui ad te venerint. Hoc ſi fereris, habebis vitam æternam in ſecula ſeculorum. Amen.

Poſt baptiſmum.

Deus, ad quem ſcabie veteris hominis in fonte depoſita, novellæ ſobolis propago daſcandit; dum in novam æternamque ſubſtantiam ſalutaribus equis eluimur & naſcimur; conſerva in nos tui lateris purum liquorem, ne nequem ſuperinduera macules non valeet inimicus, nec auferatur Pater a filiis, nec Patri ſubtrahatur hæreditas.

ORDO III.

Ex antiquo Sacramentario Gallicano, quod ex ms. Bobienſi, annorum mille, vulgavit Mabillonius in Muſei Italici tomo 1.

INCIPIT ORDO BAPTISMI.

EXorcidio te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomina Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii ajus, & Spiritus-ſancti, ut omnis virtus adverſarii, omnes exercitus diaboli, omnes incurſus, omne phantaſma eradicare & effugare ab hac creatura aquæ, ut fit omnibus qui in aem deſcenſuri ſunt, fons aquæ ſalutaris in vitam æternam, ut cum baptizatus in ea quiſquis fuerit, fiet templum Dei vivi in remiſſiona peccatorum, in nomina Dei Patris omnipotentis, & Chriſti

Jeſu

* Huc reſpicere videtur S. Cæſarius in Sermone 257. appendicis novæ editionis operum S. Auguſtini, ubi inter minora peccata recenſet, *quod ſecundum promiſſionem noſtram in baptiſmo hoſpitibus pedes lavare neglexerimus.*

Jesu Filii ejus, & Spiritus sancti, qui judicatures est saculum per ignem, per hoc signaculum quod permanet in sæcula sæculorum.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto meguæ pietatis tuæ mysteriis, adesto sacramentis, & creandis novis populis, quos tibi fons baptismatis parturit, Spiritum adoptionis emitte, ut quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis compleatur affectu.

Deus qui invisibili potentia sacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum, & licet nos tantis mysteriis exsequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserenc, etiam ad nostres preces aures tuæ pietatis inclina. Deus cujue Spiritus super aquas inter ipsa primordia ferebatur, ut etiam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet.

Collectio sequitur.

Deus qui nocentis mundi crimina per aquem ebluens, regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signasti; libere eb omni impugnatoris incursu, & totius nequitiæ purgatæ discessu. Sit vivis aqua regenerans, unda purificans, ut homines hoc lavacro salurem in eis Spiritu-sancto purificati, perfectæ purificationis indulgentiam consequantur. Unde benedico te, creatura aquæ, per Deum † verum, per Deum † sanctum, qui te in principio verbo separavit ab arida, & in quatuor fluminis terræ rigare præcepit: qui te in deserto amarum suavitata indita fecit esse potabilem, & sitiente populo de petra produxit. † Benedico te per Jesum-Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui te in Cana Galileæ signum admirabile sua potentia convertit in vinum, qui pedibus super te ambulavit, & ab Johanne in Jordane baptizatus est: qui te una cum sanguine de latere suo produxit, & discipulis suis jussit, ut credentes..... baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, qui vivit & regnat.

Sursum corda. Dignum & justum est, omnipotens Deus: qui aperuisti nobis fontem vitæ æternæ, & regenerans nos per Spiritum tuum sanctum, quem ducem esse hujus sancti lavacri in remissione peccatorum, & fieri lavacrum aquæ in Spiritu-sancto, per quem omnem maculem tollens a nobis, exuis nos mortem, & induis nos vitam: tibi adsistentis in gloria laudamus Patrem semper in cælis, & recipientis ex initio virtutem per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem te Deum Patrem omnipotentem deprecamur, ut hic Spiritum-sanctum in aquam supermittere digneris, ut quoscumque baptizaverimus in nomine tuo, & Filii tui Dei ac Domini nostri Jesu Christi, & Spiritus-sancti, purificans ac regenerens accipias eos in numero sanctorum tuorum, & consummes in Spiritu tuo sancto in vitam æternam in sæcula sæculorum.

Deinde in Fonte chrisma decurrente, signum † facis, & dicis:

Infusio chrismæ salutaris Domini nostri Jesu Christi, ut fiat fons aquæ vivæ salientis cunctis venientibus in vitam æternam.

Post hæc dices:

Admitte, quæsumus, omnipotens Deus, familiam tuam ad fontem salutis æternæ, ut quos de tenebris ad lucem redire jussisti, nullus decipiatur fraudibus inimici.

Incipit exorcismus hominis, antequam baptizetur.

Exorcizo te, spiritus immunde, per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: ut omnis virtus adversarii, omnes exercitus diaboli, omnes incursus, omne fantasma eradicetur ac fugetur ab hoc plasmate, ut fiat templum Dei sanctum, in nomine Dei Patris omnipotentis, & Jesu Christi Filii ejus, qui judicaturus est sæculum per ignem in Spiritu-sancto in sæcula sæculorum.

Tangis nares, deinde dicis:

Effeta, effecta est hostia in odorem suavitatis.

Ungis eum de oleo sanctificato dicens:

Ungo te de oleo sanctificato sicut unxit Samuhel David in regem & prophetam.

Tangis nares, & aures, & pectus.

Operare creatura olei, operare, ut non lateat hic immundus spiritus, nec in membris, nec in medullis, nec in uno compagine membrorum: sed operetur in te virtus Christi, Filii Dei altissimi, & Spiritus-sancti per omnia sæcula sæculorum.

Interrogas nomen ejus dicens:

Quis dicitur? Ill. Abrenuncias satanæ, pompis ejus, luxuriis suis, sæculo huic? R. Abrenunciat. *Hoc ter dices.*

Interrogas nomen ejus. Quis dicitur? Ill.

Credit in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ? ℟. Credat.

Credit & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, conceptum de Spiritu-sancto, natum ex Marie Virgine, passum sub Pontio Pilato, crucifixum & sepultum. Descendit ad inferna, tertia die resurrexit e mortuis, ascendit in cælos, sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos & mortuos? ℟. Credat.

Credit in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam habere post mortem in gloriam Christi resurgere? ℟. Credat.

Baptizas eum & dicis:

Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, unam habentem substantiam ut habeas vitam æternam, partem cum sanctis.

Suffundis chrisma in fronte ejus dicens:

Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit per aquam & Spiritum-sanctum, quique tibi dedit remissionem peccatorum per lavacrum regenerationis & sanguinem † ipse te liniat chrismate suo sancto in vitam æternam.

Superindues eum dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Christi.

Collectio ad pedes lavandos.

Ego tibi lavo pedes, sicut Dominus noster Jesus Christus fecit discipulis suis, ita tu faciae hospitibue & peregrinis.

Dominus noster Jesus Christue de linteo quo erat præcinctus tersit pedes discipulorum suorum; & ego facio tibi: tu facies peregrinis, hospitibus & pauperibus.

Post baptismum.

Laudes & gratias Domino referamus, fratres dilectissimi, quod augere dignatus est Ecclesiæ suæ congregationem per caros nostros, qui modo baptizati sunt. Petamus ergo de Domini misericordia, ut baptismum sanctum, quod acceperunt, inlibatum, inviolatum, & immaculatum perferant ante tribunal Christi.

Item alia.

Domine Deus omnipotens, famulos tuos, quos jussisti renasci ex aqua & Spiritu-sancto, conserva in eis baptismum sanctum quod acceperunt, & in nominis tui sanctificationem perficere dignare, ut proficiat in illos gratia tua semper, & quod te ante donante susceperunt, vitæ suæ integritate custodiant.

ORDO IV.

Ex libro Sacramentorum Gelasii papæ a Thomasio edito ex codice ms. annorum 900.

S*Abbatorum die, mane reddunt infantes symbolum; Prius catechizas eos, imposita super capite eorum manu his verbis:* Nec te latet satanas, &c.

Inde tanges ei nares & aures de sputo, & dicis ei ad aurem.

Ephpheta, quod est adaperire in odorem suavitatis; tu autem effugare, diabole, adpropinquavit enim judicium Dei.

Postea vero tangis ei pectus & inter scapulas de oleo exorcizato, & vocato nomine, singulis dicis:

Abrenuncias satanæ? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.
Et omnibue pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Inde vero dicis symbolum, imposita manu super capite ipsorum.

Postea vero dicitur eis ab archidiacono: Orate, electi: flectite genua, complete orationem vestram in unum, & dicite, amen. *Et respondent omnes.* Amen.

Iterum admonentur ab archidiacono his verbis:

Catechumeni recedant. Omnes catechumeni exeant foris.

Iterum dicit diaconus: Filii carissimi, revertimini in locos vestros: & expectantes horam qua possit circa vos Dei gratia baptismum operari.

(*Postea agit de cerei benedictione, lectionum & orationum recitatione, & fontis consecratione, tum subdit.*)

Inde benedicto fonte baptizas unumquemque in ordine suo sub his interrogationibus.

Credis in Deum Patrem omnipotentem? ℟. Credo.

Credis in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrem, natum, & passum? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum-sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem? ℟. Credo.

Deinde per singulas vices mergis eum tertio in aqua: postea cum ascenderit a fonte, infans signatur a presbytero in cerebre de chrismate his verbis:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu-sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum: ipse te liniat chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. ℟. Amen.

Deinde ab Episcopo datur eis Spiritus septiformis.

ORDO V.

Ex eodem libro Sacramentorum Gelasii papæ atque ex ms. codice bibliothecæ Colbertinæ n. 1348. ab annis circiter 900. exarato, ex Regio n. 3866. & Noviomensi ejusdem ætatis.

AD SUCCURRENDUM INFIRMUM CATICUMINUM.

SI *baptizandus fuerit, accedens sacerdos dicit orationes quæ supra scriptæ sunt; & tradit ei symbolum, & orationem, & catechizat eum his verbis:* Nec te latet, satanas, *& reliqua sicut in nocte sancta scriptum est.*

Inde de saliva oris tui cum digito tangis nares, & aures, & dicis eis: Effeta, quod est, adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, adpropinquavit enim regnum Dei.

Deinde tangis ei pectus, & inter scapulas de oleo exorcizato sub hac interrogatione.

Abrenuncias satanæ? R. Abrenuntio.
Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Cum autem expolietur infirmus benedicis fontem.

Incipit Oratio.

Exaudi nos omnipotens Deus, & in hujus aquæ substantiam tuam immitte virtutem, ut abluendus per eam & sanitatem, & vitam simul mereatur æternam. Per.

Item benedictio aquæ ad succurrendum.

Exorcizo te, creatura aquæ, per Deum vivum, per Deum sanctum, per Deum totius dulcedinis creatorem, qui te in principio verbo separavit a terra, & in quatuor fluminibus dividens, terram rigare præcepit. Adjuro te per Jesum Christum, Filium ejus unicum, ut efficiaris in eo qui te baptizandus est, fons aquæ salientis in vitam æternam, regenerans eum Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. Amen.

Item alia ad succurrendum.

Adesto, Domine, tuis muneribus, ut quod nostro est gerendum servitio, tuo impleatur auxilio. Per.

Sequitur benedictio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, spiritualium sanctificator, te suppliciter deprecamur, ut ad hoc ministerium humilitatis nostræ respicere digneris: super has aquas abluendis & vivificandis hominibus præparatas angelum sanctitatis emittas; quo peccatis vitæ prioris ablutis, reatuque deterso, purum sancto Spiritu habitaculum procuret. Per.

Item alia benedictio.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi Filii ejus, & Spiritus-sancti. Omnis virtus adversarii, omnis incursio diaboli, omne phantasma eradicare & effugare ab hac creatura aquæ, ut fiat fons aquæ salientis in vitam æternam, & eum baptizatus fuerit, fiat templum Dei vivi in remissionem peccatorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem.

Et antequam perfundas eum aqua, interrogas ei verba symboli dicens:

Credis in Deum Patrem omnipotentem? ℟. Credo.

Credis & in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, & passum? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum-Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam? ℟. Amen.

Et eum interroges, per singulas vices mergis eum tertio in aqua. (Codex Regius & Noviomensis addunt: *his verbis.* Baptizo te ille in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut habeas vitam æternam. Quæ verba desiderantur etiam apud Ambrosium lib. 2. de Sacramentis cap. 7. & in primo ordine Gelasiano.)

Postea cum ascenderit a fonte infans, signatur a presbytero in cerebre de chrismate his verbis:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrisma salutis in Christo Jesu in vitam æternam. *Et Resp.* Amen.

Postea si fuerit oblata agenda est missa, & communicet. Sin autem, dabis eis tantum sacramenta Corporis & Sanguinis Christi dicens. Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi in vitam æternam.

Et das ei orationem ita dicens:

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti famulum tuum ex aqua & Spiritu sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum; tribue ei continuam sanitatem ad agnoscendam unitatis tuæ veritatem. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut famulum tuum digneris serenis aspectibus præsentare; & cui donasti baptismi sacramentum, longævam tribuas sanitatem. Per.

Deinde consignatur ab episcopo.

ORDO VI.

Ex ms. libro Sacramentorum Gellonensis monasterii.

ORDO VERO QUALITER CATACIZANTUR EST ITA.

POst *sextam horam procedunt ad ecclesiam & ordinantur per ordinem sicut scripti sunt, masculi ad dexteram, feminæ ad sinistram, & faciens sacerdos crucem in frontibus singulorum, postea imposita manu super capita eorum dicit:* Nec te latet satanas, &c.

*Deinde tangit eos presbyter per singulos nares & aures de sputo oris sui dicens * unumquemque:* Effete, effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis, tu autem effugare diabole, adpropinquavit judicium Dei.

Postea vero tangit eos per singulos de oleo exorcizato, pectus crucem faciendum cum pollicem ita dicenda: Ille abrenuntias satanæ? ℟. Abrenuntio. *Et facit crucem de oleo in pectus ejus. Iterum dicit:* Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio. *Iterum facit crucem de oleo in ipso pectus. Iterum dicit:* Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio. *Et facit crucem inter scapulas de ipso oleo sancto. Hoc per singulos tam masculos quam feminas expletur.*

Deinde ambulat in circuitu, imposita manu super capita eorum, decantando excelsa voce Credo in Deum, *& reliqua. Vertit se ad feminas, & facit similiter. Postea dicitur eis ab archidiacono:* Orate electi, flectite genua, Levate. Complete orationem vestram in unum, & dicite, amen. ℟. Amen.

Iterum monentur ab archidiacono his verbis: Caticumini recedant. Si quis caticuminus est, recedat. Omnes caticumini exeant foras.

Iterum dicit diaconus: Filii carissimi, revertimini in locis vestris expectantes horam, qua possit circa vos Dei gratia baptismum operare.

Postea impletur cerei benedictio. Inde sequuntur lectiones vigiliarum paschæ cum reliquo officio usque evangelium ad missam vigiliarum.

Hoc expleto, procedit pontifex de ecclesia cum omni ordine sacerdotum, letania cantantes, hoc est Kyrie eleison, *usque dum perveniant ad fontes, præcedentes ante eum duobus cereis ardentis, statura hominis in altum habentes, cum thuribulis & timiamatibus ambulant ad fontem benedicendum. Et tunc circa fontes incipiunt letania, qui sequitur.*

Christe audi nos. *Duo aut ter dicuntur. Ab omnibus ter repetatur.*

Sancta Maria, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Petri, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Paule, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Andreas, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Johannes, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Laurenti, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Stephani, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Mauricii, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Nazari, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Symforiani, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Martini, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Melani, ora pro nobis. *Simil. om.*
Sancti Germani, ora pro nobis. *Simil. om.*
Omnes sancti, orate pro nobis. *Simil. om.*

Pro-

* Forte deest *ad*.

Propitius esto,	Libera nos Domine. *Simil.*	*om.*
Peccatores,	Te rog. audi nos.	*om.*
Ut pacem donis,	Te rog. audi nos.	*om.*
Ut pluviam donis,	Te rog. audi nos.	*om.*
Ut serenitatem donis,	Ta rog. audi nos.	*om.*
Ut aeris temperie donis,	Ta rog. audi nos.	*om.*
Filius Dei,	Te rog. audi nos.	

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis. *Similiter* Christe audi nos. *Similiter* Kyrie eleison, *ter dicens.*

Completa autem ista letania in circuitu fontes, adstante omne clero vel cuncto populo cum multis luminibus, facta silentio, dicit Pontifex: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequitur oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto, &c. *Dicit* Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Dicit* Sursum corde. ℟. Habemus ed Dominum. *Iterum dicit:* Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & justum est. *Et dicit decantando quasi canone hanc.* Deus invisibilis potentiæ, &c. consequantur. *Hic signentur aquæ.* Unde benedico te, &c. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Hic mutat sensum quasi lectionem legas.* Hæc nobis præcepta servantibus, &c. Efficaces per Dominum nostrum. *Hic deponunt acolyti cereos duos, quas tenere videntur intra fontes in ipsa aqua, & usque dum baptizantur semper ibi accensi sunt.* Descendat in hanc plenitudinem, &c. vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. *Et insufflat sacerdos ter virtute in aqua hoc modo. Et postmodum fundit chrisma de vasculo intro fontis super ipsa aqua in modum crucis, & sua manu sua. Miscitur ipsa chrisma cum aqua, & spargit per omnes fontes, & super omne populo. Hoc facto, omnis populus qui voluerit, accipit benedictionem unusquisque in in vassis suis de ipsa aqua antea quam ibi parvuli baptizentur, ad spargendum tam in domibus e rure, quam & in vineis, campis, & fructibus eorum. Deinde presbyter aut diacone etiam sine cereo fuerit, & acolythi discalciati induente se aliis vestibus mundis vel candidissimis, ingrediuntur in fontes intro aqua, & baptizantur primo masculi, deinde femina sub hac interrogatione, dicit presbyter:* Ille talis Credis in Deum Patrem omnipotentem creatori cæli & terræ. ℟. Credo.

Credis & in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cælus, sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos & mortuos? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam? ℟. Credo.

Et acceptis infantibus de parentis, baptizant eos sub trina mersione tantum S. Trinitatem semel invocantes, ita dicendum: Baptizo te in nomine Patris, *& mergit semel;* & Filii, *& mergit iterum;* & Spiritus-sancti, *& mergit tertio. Levantes autem ipsos infantes in manibus suis, offerunt eos uni presbytero: ipso vero presbytero faciens de chrisma cum pollice in vertice eorum cum vocationem S. Trinitatis dicit:*

Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu-sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipsa te lenit chrisma salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. Amen.

Et sint patrini qui eos suscepturi sunt cum linteis in manibus eorum, & accipiunt ipsis a presbyteris vel diaconis, qui eos baptizant. Pontifex vero ingreditur ad fontes, habens composita sedem in ipsa ecclesia, ubi voluerit, sedens in ea, & deportantur ipsi infantes ante eum, & dat singulis stola, casula, & chrismale, & decem siliquas, & vestiuntur.

Induti vero ordinentur per ordinem sicut scripti sunt in circuitu, & dat orationem pontifex super eos cum chrisma, faciens crucem in frontibus eorum, cum vocatione S. Trinitatis, & tradedit eis septiformem Spiritus sancti gratiam.

Omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui regenerasti, &c.

Postea signat eum in fronte de chrisma dicens: Signum Christi in vitam æternam. Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Hoc autem per omnia præcaventes, ut hoc non neglegant, quia tunc omnem baptismum christianitatis nomine confirmant. Post hoc ingrediuntur ad missas, & communicant omnes; illud autem providentes, ut postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec ablactentur antea quam communicent sacramenta Corporis Christi, & omnibus diebus septem Paschæ semper ad missas procedant, & offerent pro ipsis, & communicant omnes. Hoc autem suprascripto ordine baptismum S. Pascha celebrantur.*

ORDO VII.

Ex eodem ms. codice Gellonensi.

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS.

INCIPIT ORDO AD INFIRMUM CATICUMINUM FACIENDUM SIVE BAPTIZANDUM.

Ubi infirmus ad eum deportatus fuerit, primitus si ecclesia adest; vocat illum intro ecclesia. Sin autem, ubicumque facile ei visum fuerit; facit presbyter crucem in frontem ejus cum pollice ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

Deinde posita manu super caput ejus, dicit orationem.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare, &c.

Inde vero benedicit salem hoc modo, sic dicens orationem hanc. Exorcizo te creature salis in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Domini nostri Jesu Christi, &c.

Postea vero interrogat nomen ipsius, & ponit de ipso sal in ore ejus, dicens: Accipe ill. sal sapientiæ propitiatus in vitam æternam. *Et dicat postmodum orationem;* Deus Patrum nostrorum, &c. *Et orant convertentes se. Iterum facit crucem presbyter in fronte ejus in nomine S. Trinitatis sicut prius, & imponit manum super caput dicens:* Deus Abraham, Deus Isaac, &c. *Et orant sicut antea. Inde iterum faciens crucem sicut in superius in fronte ejus, dicens orationem hanc.* Ande maledicte satanas, &c. *Et orant sicut supra. Iterum faciens crucem in frontibus ejus, dicens:* Exorcizo te immunde spiritus &c. *Et orant sicut superius, orationes III. super masculos tantum dicuntur, & istas alias tres quæ sequuntur super feminas tantum dicunt, reliquas anteriores vel posteriores communes super utrumque sexum dicunt. Oratio super feminas, faciens crucem in fronte ejus, sicut supra, & imponens manum super caput ejus dicens:* Deus cœli, & terræ, &c. *Et orant sicut prius. Iterum faciens crucem similiter & imponens manum super caput: & dicens hanc:* Exorcizo te immunde spiritus, &c. *Et orent sicut superius. De isto loco inantea sicut superius diximus, omne ordo tam ad masculus quam ad feminas æquanimiter completur, & faciens crucem in fronte ejus, & imponens manum super caput ejus:*

Æternam ac justissimam pietatem tuam, &c.

Hoc expleto, dicit: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Et dicat:* Sequentia S. Evangelii secundum Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine. In illo tempore respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Domine, Pater cœli & terræ, &c. *usque* Onus leve.

Postmodum tenet manum super caput infantis, dicit symbolum, & postea dicit orationem Dominicam. Et si in tanta infirmitate pervenerit, ut supra scripto ordine facere nullo modo occurrat; salem benedicto in os ejus mittat: & de ista loca, quod sequitur incipiat facere, signans eum in fronte cum pollice, dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. *Et tenens manum super caput ejus, dicens:*

Innumeras medelę tuæ curas deprecamur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, quas distribuet humanis infirmitatibus Christus. Erige hunc famulum tuum ægritudinis languoris depressum, & omnem sensum ei dignare tuis visitationibus resovere, quatenus adoptionis * suem possessionem gaudium sanitatis percipere. Expelle itaque ab eo cuncta contrariæ valetudinis tela. Releva quem redemare glorieris, ut baptismi sit in illo palma non mortis, & gloriosum semper bajulet quod accipit signaculum crucis Christi. Per Dominum nostrum, qui venturus est.

Iterum signans eum, & tenens manum super caput ejus, dicens:

Famulum tuum, Domine, ad tui baptismi gratiam reccurrentem respicere & conservere, ut tui nominis signo quicqoid in eum per originali peccati transgressione pœnæ obnoxium diabolus obtenebat, sacri fontis indulgentia resolvetur, veteris hominis excubias deponatur, & novitate indutus amictu resurget. Omnis nequissime spiritus ab eo venena depelle, & salutare baptismi tui gratia adimple, ut tui muneris perceptionem in æternam vitam valeat exultare. Per Dominum.

Iterum

* gratiam.

Iterum signat eum ut supra, & tenens manum super caput ejus dicit:

Te, Domine, supplices exoramus, ut visitatione tua sancta erigas ad te hunc famulum tuum, ne adversario liceat usque ad tentationem pervenire; sed sicut in Job terminum pone, ne inimicus de anima hujus fine redemptionem baptismatis incipiat triumphare. Differ, Domine, exitum mortis, & spatium vitæ distendere. Leva quem perducas ad baptismi sacramentum. Tolle occasionem diabolum triumphandi, & reserva quem triumphis comparare Christi, ut sanus tibi in ecclesia tua gratia baptismatis renascatur, facturus cuncta quæ petimus. Per Dominum nostrum Jesum.

Et ponens manum super caput ejus dicit symbolum, & postea orationem Dominicam. Iterum ponens manum super caput ejus dicit: Nec te latet satanas, &c.

Inde saliva oris sui digitis tangit ei nares, & aures, & dicit ad aure.

Effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis, tu autem effugare, diabule: adpropinquavit enim judicium Dei.

Deinde tangit ei pectus de oleo exorcizato, crucem faciendo cum pollice ita dicendo: Ille abrenuncias satanæ? ℞. Abrenuncio. *Et facit crucem de oleo in pectus ejus. Iterum dicit:* Et omnibus operibus ejus? ℞. Abrenuncio. *Iterum facit crucem de oleo in ipso pectus. Et dicit tertio:* Et omnibus pompis ejus? ℞. Abrenuncio.

Et facit crucem inter scapulas de ipso oleo sancto.

Cum autem expoliatur infirmus, benedicit aqua dicens: Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo. *Deinde dicit* Oremus. *Et dicit:* Exaudi nos omnipotens Deus, &c. *Deinde dicit benedictionem.* Exorcizo te creatura aquæ, &c. *Item alia ad succurrendum.* Adesto, Domine, tuis, &c. *Sequitur benedictio.* Domine sancte, Pater omnipotens, &c. Exorcizo te creatura aquæ, &c. *Et insufflat in quatuor vicibus. Inde mittit chrisma in modum crucis in ipsa aqua. Et interrogat presbyter dicens:* Illi credis in Deum Patrem omnipotentem, &c. *ut in alio ordine.*

Et excepit eum in manus suas, & baptizat eum sub trinam mersionem, tantum S. Trinitatem semel invocans, ita dicendo: Baptizo te in nomine Patris, *& mergit semel.* Et Filii, *& mergit iterum.* Et Spiritus-sancti, *& mergit tertio: aut concha perfundit.*

Levat eum a fonte, & faciens crucem de chrisma cum pollice in vertice ejus cum invocationem S. Trinitatis, & dicit: Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit, &c.

Et vestitur infans. Et si episcopus adest, statim confirmare cum chrisma oportit, postea communicare. Et si episcopus præsens non fuerit, antequam post baptismum ablactetur aut aliquid accipiat, Corpus & Sanguinem Domini communicetur, dicens presbyter: Corpus Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam. *Et dicit orationem.* Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti, &c.

Item alia.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam, &c.

ORDO VIII.

Ex ms. codice S. Remigii Remensis ante annos 900. exarato.

S*Abbatorum die mane reddunt infantes symbolum. Prius catechizas eos imposita manu super capita eorum hic verbis:* Ne te latet, satanas, &c. *Inde tanges ei nares & aures, & dices ei ad aurem,* Effete, effete, &c. *Postea tanges ei pectus & inter scapulas de oleo exorcizato, & vocate nomine ejus, singulis dicens:* Abrenuncias satanæ, &c. Et ego te linio oleo salutis in vitam æternam.

Inde vero dicis symbolum imposita manu super capita eorum. Postea dicitur eis ab archidiacono: Orate electi, flectite genua, &c. *Iterum admonentur ab archidiacono his verbis:* Catecumeni recedant, &c. *Iterum dicit diaconus:* Filii carissimi revertimini, &c.

Hoc expleto, procedit pontifex de ecclesia cum omni ordine sacerdotum, letania canentes, procedentibus ante eum duobus cereis staturam hominis habentes, cum turabulis & timiamatibus ad fontes benedicendum. Completa autem ipsa letania in circuitu fontis, facto silentio, dicit pontifex: Dominus vobiscum. ℞. *omnes.* Et cum spiritu tuo. *Et dicit.* Omnipotens sempiterne Deus, adesto, &c. *Deinde accipiens chrisma cum vasculo, effundes eam in cruce super ipsam aquam, & miscitas ipsum chrisma cum ipsa aqua, & spargis tam super ipsum fontem, quam super circumstantes. Qui voluerint accipient de ipsa aqua in vase suis ad spargendum ubi voluerint. Et interrogante presbytero symbolum, tenentibus ipsis, qui eos suscepturi sunt, ita:* Ille Credis in Deum Patrem omnipotentem? ℞. Credo, &c. Vis baptizari?

Et ingrediuntur presbyteri aut diaconi, etiam si necesse fuerit acolythi discalceati, induentes se aliis vestibus mundis, & ingrediuntur ad fontes intro in aqua, & accipientes eos a parentibus suis baptizantur primi masculi, deinde feminæ sub trina mersione, tantum S. Trinitatem semel invocantes, ita dicendo: Baptizo te in nomine Patris, *& mergis semel.* Et Filii, *& mergis iterum.* Et Spiritus-sancti, *& mergis tertio.*

Cum autem surrexerint a fonte, facit presbyter signum crucis de chrisma cum pollice in vertice eorum dicendo: Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, &c.

*Et suscipiuntur ab ipsis a quibus suscepturi sunt. Pontifex vero egreditur a fonte, habens compositam sedem in ipsam ecclesiam, & deportantur ad eum infantes, & dat stolam, casulam, & chrismale, & decem siliquas & vestiuntur. Inde vero ordinantur per ordinem sicut scripti sunt, & confirmat eos cum chrisma. Hoc autem præcaventes non negligantur, quia tunc omne baptismum legitimum christianitatis est nomine * confirmantur.*

Post hoc ingrediuntur ad missas, illud prævidentes, ut postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec ablactentur antequam communicent. Et omnibus diebus septem paschæ semper ad missas procedant. Et offeruntur pro ipsis, & communicant omnes.

ORDO IX.

Ex ms. Pontificali ecclesiæ Pictaviensis annorum 800.

S*I quis nondum catechumenus ad baptizandum venerit sabbato sancto, dicit sacerdos super eum orationem ad catechumenum faciendum.* Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini Jesu Christi. *Et reliqua. Inde dat illi gustare medicinam salis benedicti dicendo:* Ille telis accipe salem sapientiæ in vitam propitiatus æternam. Pax tibi. *Inde dicit:* Æternam ac justissimam pietatem tuam. *Postea catechizat eum his verbis:* Nec te latet, satana. *Deinde tangit ei nares & aures de sputa, & dicit secrete ad aurem.* Effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole: appropinquavit enim judicium Dei. *Prosequitur ad abrenunciandum; tangit ei pectus & inter scapulas de oleo exorcizato, dicendo:* Et ego te linio: *Et reliqua. Post hæc benedicto fonte, interrogat eum credulitatem fidei dicens:* Credis in Deum Patrem? *& reliqua, & baptizatur. Illud vero observandum est, ut postquam baptizati fuerint infantes, nullum cibum accipiant, nec ablactentur antequam communicent, & per septem dies paschæ ad missas procedant, & offeratur pro ipsis, & communicent.*

(Postea multa describit ad ritus sabbati spectantia, post benedictionem vero fontis hæc subdit:)

Post hæc si voluerit pontifex baptizat unum aut duos ex infantibus, jubens presbyteris, & diaconibus, vel si necesse fuerit ceteris ex sacro ordine, reliquos baptizare. Interim canitur versus Fortunati presbyteri ad baptizatos: Tibi laus perennis auctor: *Et reliqua.*

(Hunc hymnum paulo post integrum describit idem codex, quem, quia in editis Fortunati carminibus desideretur, hic referre non pigebit.)

Tibi laus perennis auctor
Baptismatis sacrator,
Qui sorte passionis
Das præmium salutis.
Nox clara plus & alme,
Quam luna, sol, & astra,
Quæ luminum corona
Reddis diem per umbram.
Tibi laus.
Dulcis, sacrata, blanda,
Electa, pura, pulcra,
Sudans honore mella,
Rigans odore chrisma.
In qua Redemptor orbis
De morte vivus exit;
Et quos catena vinxit
Sepultus ille solvit.
Tibi laus.

* l. confirmatum.

Quam

Quam Christus apperuit
Ad gentium salutem,
Cujus salubri cura
Redit novata plasma.
Tibi laus.
Accedite ergo digni
Ad gratiam lavacri;
Quo fonte recreati
Refulgeatis agni.
Tibi laus.
Hic gurges est fideles
Purgans liquore mentes,
Dum rore corpus sudat,
Peccata tergit unde.
Tibi laus.
Gaudete candidati,
Electa vasa regni,
In morte consepulti
Christi fide renati.
Tibi laus.

ORDO X.

Ex ms. codice Parthenonis B. M. Calensis in diœcesi Parisiensi, annorum circiter 800.

INCIPIT ORDO SUPER ELECTOS AD CATECUMINUM FACIENDUM.

U*T autem venerint ad ecclesiam scribantur nomina eorum; & stent masculi ad dexteram, feminæ in sinistra: Et mittet manum super capita eorum, dicens orationem hanc:*

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es. Omnem cæcitatem cordis ab eo expelle. Disrumpe omnes laqueos satanæ, quibus fuerat colligatus. Aperi ei, Domine januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in ecclesia deserviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui percepta medicina. Per eumdem.

Inde vero benedicat sal hoc modo:

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Domini nostri Jesu Christi, & in virtute Spiritus-sancti. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit, ut in nomine Sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices ✠ benedicendo benedicas ✠ ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum. In nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. Amen.

Postea vero interroget nomina ipsorum, & ponat de ipso sal in ore singulorum ita dicendo:

Ille. Accipe salem sapientiæ propitiatus in vitam æternam.

Oratio post datum salem.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor creaturæ, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum respicere digneris propitius, ut hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quominus cibo expleatur cœlesti, quatenus sit semper, Domine, spiritu fervens, spe gaudens, tuo nomini serviens. Perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Dominum.

Iterum facias crucem in frontibus eorum, & dicas orationem hanc:

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui Moisi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans eis angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte, te quæsumus, Domine, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, ut similiter custodiat & hunc famulum tuum, & perduc eum ad gratiam baptismi tui.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero. Da honorem Jesu Christo filio ejus, & Spiritui-sancto, & recede ab hoc famulo Dei; quia istum sibi Deus & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem fontemque baptismatis vocare dignatus est. Et hoc signum sanctæ crucis, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole numquam audeas violare.

Iterum facias crucem in frontibus eorum, & dicas orationem hanc:

Deus immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum, te invoco super hunc famulum tuum, qui baptismi tui donum petens, æternam consequi gratiam spirituali regeneratione desiderat. Accipe eum, Domine, & quia dignatus es dicere: Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis: petenti præmium porrige, & januam pande pulsanti, ut æternam cœlestis lavacri benedictionem consecutus, promissa tui muneris regna percipiat.

Audi, maledicte satana, adjuratus per nomen æterni Dei & Salvatoris nostri Filii ejus: cum tua victus invidia tremens gemensque discede, nihil tibi sit commune cum servo Dei jam cœlestia cogitanti, renuntiaturo tibi a sæculo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da igitur honorem advenienti Spiritui-sancto, qui ex summa cœli arce descendens, proturbatis fraudibus tuis divino fonte purgatum pectus, id est sanctificatum Deo templum & habitaculum perficiat, ut ab omnibus penitus noxis præteritorum criminum liberatus, hic servus Dei gratias perenni Deo referat semper, & benedicat nomen ejus sanctum in sæcula sæculorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium ejus, qui venturus est judicare vivos & mortuos.

Iterum facias crucem in frontibus eorum, & dicas hanc orationem:

Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Ergo maledicte.

Istas tres orationes superiores dicas super masculos tantum. Et istas alias tres quæ sequuntur super fœminas, faciens crucem in frontibus earum, & dicas orationem hanc:

Deus cœli, Deus terræ, Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus martyrum, Deus confessorum, Deus virginum, Deus omnium bene viventium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genuflectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, te invoco, Domine, super hanc famulam tuam, ut perducere eam digneris ad gratiam baptismi tui. Ergo maledicte, *ut supra*.

Item sicut supra.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui tribus Israel de Ægyptia servitute liberas per Moysen famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti, te supplex deprecor, Domine, ut liberes hanc famulam tuam, & perducere eam digneris ad gratiam baptismi tui. Ergo maledicte, *ut supra*.

Exorcizo te, immunde spiritus, per Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum, ut exeas & recedas ab hac famula Dei. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui cæco oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitavit. Ergo.

De isto loco in antea tam super masculos, quam super feminas, æqualiter complentur, faciens crucem, & imponens manum super capita eorum.

Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus luminis & veritatis super hunc famulum tuum ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eum & sanctifica. Da ei scientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui. Teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad percipiendam gratiam tuam. Per Dominum.

Hoc expleto, dicitur: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. In illo tempore, respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, *usque &* onus meum leve. *Require secundum Matth.*

IN SABBATO SANCTO, ORATIO AD CATECHIZANDUM INFANTEM.

P*Rimum faciat sacerdos crucem in frontibus singulorum, & imposita manu super capita eorum dicat.*

Nec te latet satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem supplicii sempiterni, diem qui venturus est, velut clibanus ardens. In quo tibi atque universis angelis tuis æternus veniet interitus. Proinde damnate da honorem Deo vivo & vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, & Spiritu-san-

sancto: In cujus nomine atque virtute præcipio tibi quicumque es spiritus immunde, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei, quem hodie Deus & Dominus Jesus Christus ad suam gratiam & benedictionem fontemque baptismatis vocare dignatus est, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum. In nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem.

Inde tangat ei nares & aures cum digitis de sputo, & dicat ad aures.

Effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole; appropinquabit enim judicium Dei.

Deinde dicat, Credo in unum Deum, creatorem, & *reliqua. Postea vero tanget ei pectus de oleo exorcizato, crucem faciendo cum pollice. Et invocato nomine ejus dicat:*

Abrenuncias satanæ? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Et post hæc tangit ei inter scapulas de ipso oleo sancto. His expletis, procedit sacerdos ad fontem benedicendum.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto sacramentis, & ad creandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte, ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & justum est.

Vere dignum & justum est, &c. Deus, qui invisibili potentia sacramentorum tuorum, mirabiliter operaris effectum: & licet nos tantis mysteriis exsequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens, etiam ad nostras preces aures tuæ pietatis inclinas. Deus, cujus Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, ut jam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet: Deus, qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signasti, ut unius ejusdemque elementi mysterio & finis esset vitiis & origo virtutibus: Respice, Domine, in faciem ecclesiæ tuæ, & multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu lætificas civitatem tuam, fontemque baptismatis aperis, toto orbe terrarum gentibus innovandis, ut tuæ majestatis imperio sumat unigeniti tui gratiam de Spiritu-sancto.

Hic cum manu sua dividit aquam in modum crucis.

Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam arcana sui luminis admixtione fœcundet, ut sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam progenies cœlestis emergat. Et quos aut sexus in corpore, aut æternitas discernit in tempore, omnes in unam pariat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc, jubente te, Domine, omnis spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis admixtio: non insidiando circumvolet, non latendo subripiat, non inficiendo corrumpat. Sit hæc sancta & innocens creatura ab omni impugnatoris incursu, & totius nequitiæ purgata discessu, sit fons vivus, aqua regenerans, unda purificans, ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu-sancto perfectæ purgationis indulgentiam consequantur. Un ✠ de benedico te, creatura aqu ✠ æ, per Deum vi ✠ vum, per Deum sanctum, qui te in mundi creatione principio verbo separavit ab arida, cujus Spiritus super te ferebatur, qui te de paradiso manare, & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit: qui te in deserto amaram, suavitate indita, fecit esse potabilem, & sitienti populo de petra produxit. Bene ✠ dico te & per Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui te in Cana Galilææ signo admirabili sua potentia convertit vinum, qui pedibus super te ambulavit, & a Johanne in Jordane in te baptizatus est. Qui te una cum sanguine suo de latere produxit, & discipulis suis jussit, ut credentes baptizarentur in te dicens: Ite, docete omnes gentes baptizantes eos: In nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, ✠ Spiritus-sancti.

Hic mutet vocem quasi lectionem legens.

Hæc nobis præcepta servantibus, tu Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus aspira, tu has simplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.

Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus tui.

Hic sufflat tribus vicibus in aquam.

Et totam hujus aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu. Hic omnium peccatorum maculæ deleantur, hic natura ad imaginem tuam condita, & ad honorem sui reformata principii, vetustatis cunctis squaloribus emundetur, ut omnis homo sacramentum regenerationis ingressus, in veræ innocentiæ novam infantiam renascatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem.

Inde accipiens vas aureum cum crismate, fundit chrisma in fonte, in modum crucis, & expandit aquam cum manu sua. Tunc baptizantur infantes, primum masculi, deinde feminæ. Et tenente eo infantem, a quo suscipiendus est, interrogat pontifex vel sacerdos ita:

Quid vocaris. *Respondet* Ill.

Item interrogat sacerdos: Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

Interrogat: Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum & passum? ℟. Credo.

Interrogat: Credis & in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam?

Respondet. Credo.

Deinde baptizat sacerdos sub trina mersione, tantum S. Trinitatem semel invocans ita dicendo: Et ego te baptizo in nomine Patris, *& mergat semel*. Et Filii, *& mergat iterum*. Et Spiritus-sancti, *& mergat tertio*.

Ut autem surrexerint a fonte, faciat presbyter signum crucis de chrismate cum pollice in vertice ejus dicens hanc orationem:

Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, &c. *ut in editis*.

Et vestitur infans vestimentis suis. Si vero episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate, & postea communicare: Et si episcopus deest, communicetur a presbytero dicente ita:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Amen.

Oratio ad infantes consignandos.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu-sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de cælis, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consili & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis: adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam. Per.

Oratio ad baptizandum infirmum.

Medelam tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui subvenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas. Te ergo, Domine, supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum eruas ab hac valetudine, ut non prævaleat inimicus usque ad animæ tentationem: sicut in Iob terminum ei pone, ne inimicus de anima ista sine redemtione baptismatis incipiat triumphare. Differ, Domine, exitum mortis & spatium vitæ extende, releva quem perducas ad gratiam baptismi tui. Per.

Oratio ad baptizandum infirmum.
Postquam eum catechizaverit benedicat aquam his verbis:

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Domini nostri Jesu Christi Filii Dei, & Spiritus-sancti, ut si quod fantasma, si qua virtus inimici, si qua incursio diaboli, eradicetur & effugetur ab hac creatura aquæ, ut fiat fons saliens in vitam æternam, & cum in ea baptizatus fuerit hic famulus Domini, fiat templum Dei vivi in remissionem omnium peccatorum. In nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem.

Baptizat eum, & liniat eum de chrismate in cerebro, & dicit orationem hanc:

Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regenerare, *ut supra*.

Communicat eum, & confirmat eum, si episcopus adest.

ORDO XI.

Ex ms. codice Bibliotheca Colbertina n. 1927. qui fuit olim monasterii S. Germani a Pratis, estque annorum circiter 800.

ORDO BAPTISTERII.

P*Rimitus enim convenit nos in sacramento baptismatis abrenunciationem facere, deinde ter catecuminum in faciem exsufflare, & dicere:* Recede, diabole, ob hac imagine Dei increpatus ab eo, & da locum Spiritui-sancto. *Deinde facere crucem in fronte ejus dicendo:* Signum Sanctæ crucis Domini nostri Jesu Christi in frontem tuam pono. *Et in pectore similiter crucem facere dicendo:* Signum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in pectus tuum pono.

Deinde tenens manum super capita infantum dicat orationem hanc.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere digneris, &c.

Alia.

Preces nostras quæsumus, Domine, clementer exaudi, & hunc electum, &c.

Alia.

Deus qui humani generis ita es conditor, &c.

Inde vero benedicite sal hoc modo.

Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate, &c.

Postea vero interroget nomina ipsorum, & ponat de ipso sale in ore singulorum ita dicens: Accipe salem sapientiæ propitiatus in vitam æternam.

Oratio post datum salem.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor creaturæ, &c.

Iterum faciat crucem in fronte ejus, & dicat hanc orationem.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, &c. Ergo maledicte, &c.

Item super masculum.

Deus immortale præsidium, &c. Audi maledicte satana, &c.

Iterum faciat crucem in fronte ejus, & dicat orationem hanc.

Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, &c. Ergo maledicte, &c.

Istas tres orationes superiores super masculos tantum, & istas alias tres, quæ sequuntur, super feminas faciens crucem in frontibus earum, & dicat orationem hanc.

Deus cæli, Deus terræ, Deus angelorum, Deus arcangelorum, &c. Ergo maledicte, &c.

Item ut supra.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui tribus Israel, &c. Ergo maledicte.

Item sicut supra.

Exorcizo te, immunde spiritus, per Patrem, &c. Ergo maledicte, &c.

De illo loco in antea tam super masculos, quam super feminas æqualiter compleantur, faciens crucem, & imponens manum super capita eorum, dicens.

Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, &c. *Hoc expleto, dicit:* Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Sequentia S. Evangelii secundum Matth.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore, respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine, cæli & terræ, *&c. usque* & onus ejus leve.

IN SABBATO SANCTO ORATIO AD CATECHIZANDUM INFANTEM.

P*Rimum faciat sacerdos crucem in frontibus singulorum, & imposita manu super capita eorum dicat.*

Nec te latet, satana, imminere tibi pœnas, &c.

Inde tangat ei nares & aures cum digito de sputo, & dicat ad aurem.

Effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Deinde dicat, excelsa voce Credo in Deum. *Et reliqua. Postea vero tangat ei pectus de oleo exorcizato, crucem faciendo cum pollice, & dicat:* Exi, immunde spiritus, & da locum Spiritui-sancto.

Deinde faciat crucem inter scapulas de oleo cum pollice, dicens: Fuge, immunde spiritus, da honorem Deo vivo & vero.

Deinde vocato nomine ejus dicat:

Abrenuntias satanæ? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

His expletis, procedat sacerdos ad fontes benedicendos, & dicat: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, &c. Per omnia sæcula sæcul. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & justum est. *Et dicit decantando quasi canonem benedictionem hanc:*

Vere dignum & justum est, &c. qui invisibili potentia, &c. de Spiritu-sancto. *Hic cum manu sua dividit aquam in modum crucis.* Qui hanc aquam regenerandis, &c. Baptizantes eos, in nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus-sancti. † *Hic muta vocem quasi ad legendum*. Hæc nobis præcepta servantibus, &c. efficaces. *Hic ponunt cereos.* Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus tui. *Hic sufflat tribus vicibus in aqua.* Totamque hujus aquæ substantiam, &c. Renascatur. Per Dominum, &c. *Hic mittas chrisma in modum crucis in fonte his verbis.* * Fecundetur & sanctificetur fons iste ex eo renascentibus in vitam æternam. *Commisceesque chrisma cum aqua, spargens tam super fontem, quam super circumstantes. Qui autem voluerit, accipiat tunc de ipsa aqua ad spargendum in domo. Et eo tenente infantem, a quo suscipiendus est, interroget sacerdos ita.*

Quis vocaris? ℟. Ille.

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ? ℟. Credo.

Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, & passum? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam? ℟. Credo.

Deinde baptizet sacerdos sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem invocans, ita dicendo: Et ego te baptizo In nomine Patris, *& mergat semel.* Et Filii, *& mergat iterum.* Et Spiritus sancti, *& mergat tertio.*

Ut autem surrexerit a fonte, faciat presbyter signum crucis de chrismate cum pollice in vertice ejus dicens orationem hanc:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit, &c.

Et vestitur infans vestimentis suis dicente presbytero:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferes ante tribunal Christi, ut habeas vitam æternam.

Si vero episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate, & postea communicare. Et si episcopus deest, communicetur a presbytero dicente ita:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.

Oratio ad infantes consignandos.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Oratio ad baptizandum infirmum.

Medelam tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, &c.

Oratio aquæ ad baptizandum infirmum. Postquam eum caterbizaveris benedices aquam his verbis:

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Domini nostri Jesu Christi Filii Dei, &c. in remissionem omnium peccatorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est, &c.

Baptizas, & linis eum de chrismate in cerebro, & dicis illi taliter. Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. *Postea tangis eum chrismate in capite, & dicis illi orationem istam:*

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit, &c.

Communicas, & confirmas eum.

OR-

* *In marg. alia sed antiqua manu:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

ORDO XII.

Ex ms. libro sacramentorum monasterii Moisacensis, nunc bibliotheca Colbertina n. 428. annorum circiter 800.

INCIPIT ORDO SUPER ELECTOS AD CATECUMINUM FACIENDUM.

UT autem venerint ad ecclesiam, scribentur nomina eorum, & stent masculi ad dexteram, fœmina autem in sinistram. Et mittat sacerdos manum super capita eorum, & faciens crucem in frontibus, & pectoribus eorum, dicat ita:

Signum crucis Salvatoris nostri Jesu Christi in frontem tuam pono. Signum crucis Salvatoris nostri Jesu Christi in pectus tuum pono.

Et dicat orationem hanc:

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere digneris, &c.

Alia.

Preces nostras quæsumus, Domine, clementer exaudi, & hunc electum, &c.

Item alia.

Deus qui humani generis ita es conditor, &c.

Exorcismus salis.

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate, &c.

Benedictio salis.

Benedic, Domine, hanc creaturam salis tue benedictione cælesti, &c.

Hac oratione expleta, accipiat sacerdos de eodem sale, & ponat in ore infantis, dicendo illi: Accipe salem sapientiæ propitiatus in vitam æternam.

Oratio post datum sal.

Deus patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, &c.

Iterum facias crucem in fronte ejus, & dicas orationem hanc:

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui Moisi, &c.

Ergo maledicte, &c.

Iterum super feminam.

Deus cæli, Deus terræ, Deus angelorum, Deus archangelorum, &c.

Ergo maledicte, &c.

Item super masculum.

Deus immortale præsidium, &c.

Audi maledicte satana, &c.

Item super feminam.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui tribus Israel, &c.

Ergo maledicte, &c.

Item super masculum.

Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris, &c.

Ergo maledicte, &c.

Item super feminam.

Exorcizo te, immunde spiritus, per Patrem, &c.

Ergo maledicte, &c.

De isto loco ita orat tam super masculos, quam super feminas æqualiter compleantur.

Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, &c.

IN SABBATO SANCTO.

Oratio ad catechizandum infantem.

NEc te latet satana imminere tibi pœnas, &c.

Inde tangat ei nares & aures de sputo, & dicat ad aurem:

Effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare diabole, adpropinquavit enim judicium Dei.

Postea tangat ei pectus & inter scapulas de oleo exorcizato crucem faciendo cum pollice, & vocatis nominibus singulis dicat:

Exi, immunde spiritus, da locum spiritui sancto.

Abrenuncias satanæ? ℟. Abrenuntio. Fuge, immunde spiritus, da honorem Deo.

Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Et ego te linio oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro vivo & vero.

Inde dicat symbolum imposita manu super capita eorum: Credo in Deum Patrem omnipotentem.

Benedictio fontis.

Dicendum est: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus adesto magnæ pietatis tuæ, &c.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & justum est.

Æterne Deus, qui invisibili potentia, &c. Indulgentiam consequantur.

Hic sanctificandum est. Unde benedico te creature aquæ, &c. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Hic mutat vocem quasi lectionem legens:* Hæc nobis præcepta servantibus, &c. efficeres. Per. *Hic ponuntur cerei in aquam, & insufflat tribus vicibus ita dicens:* Descendat in hanc plenitudinem, &c. renascatur. Per Dominum.

Tunc spargit sacerdos de ipsa aqua super populum, & accipiunt qui volunt in vasculis ad spargendum per domos. Inde mittatur chrisma, & vergatur in fontem in crucis modum, dicente sacerdote: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, fœcundetur & sanctificetur fons ille, & ex eo renascentes in vitam æternam.

His expletis, tenentes eos infantes a quibus ipsi infantes suscipiendi sunt, interrogans illos sacerdos: Quis vocaris? ℟. Ille.

Credis in Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ? ℟. Credo.

Interr. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum Dominum nostrum, natum, & passum? ℟. Credo.

Interr. Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternem? ℟. Credo. Vis baptizari? Volo.

Deinde baptizet sacerdos sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem semel invocans ita dicendo: Baptizo te in nomine Patris, *& mergat semel.* Et Filii, *& mergat iterum.* Et Spiritus-sancti, *& mergat tertio.*

Ut autem surrexerint a fonte, faciat presbyter signum crucis de chrismate cum pollice in vertice eorum dicens: Deus omnipotens Pater Domini nostri J. C. qui te regeneravit, &c.

Et mittitur chrismal super capita eorum, & dicatur a sacerdote. Accipe vestem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Christi Domini nostri.

Et si Episcopus adest, statim confirmari eum oportet, & postea communicare. Sin autem, communicetur a presbytero ita dicente. Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.

EXPLICIT ORDO BAPTISTERII.

SIn autem infirmus infans venerit ad baptizandum, faciat suprascripto ordine, sed tantum post Æternam ac justissimam. *Addat hanc orationem.*

Medelam tuam deprecamur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui subvenis in periculis, &c.

Tunc dicis symbolum, & orationem Dominicam, & catechizas eum his verbis: Nec te latet satanas, *& reliqua.*

Inde vero tangat ei nares & aures de sputo, & dicat ad aurem: Effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis.

Postea vero tanges ei pectus, ut inter scapulas de oleo exorcizato, & vocato nomine ill. dicens:

Abrenuntias satanæ? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Et ego te linio chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro.

Et non dicis illam benedictionem majorem, sed istam ad succurrendum.

Benedictio fontis.

Exaudi nos omnipotens Deus, & in hujus aquæ substantiam, &c. mereantur æternam. Per.

Oratio aqua ad baptizandum infirmum.

Postquam eum catechizaverint, benedices aquam his verbis: Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Domini nostri Jesu Christi, &c. in remissionem omnium peccatorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus.

Item benedictio aqua ad succurrendum.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omni-

omnipotentis, & in caritate J. C. &c. in remissionem omnium peccatorum. Per.

Et ante quam perfundas eum aqua, interroga eum verba Symboli, & dic:

Credis in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ? ℟. Credo.

Credis & in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, & passum? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem? ℟. Credo.

Deinde mergis eum in aqua, postea vero cum ascenderit a fonte infans, signatur a presbytero de chrismate, & dices illi: * Baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, *& dices hanc orationem:* Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, *ut supra.*

Iterum det ei aliam orationem.

Omnipotens & misericors Deus, majestatem tuam, &c.

Postea communicas eum, & dic orationem hanc:

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos, &c.

ORDO XIII.

Ex ms. Gemmeticensi tempore Theodorici abbatis, qui obiit anno 1032. descripta.

SIgnaculo Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti signo oculos tuos, ut videas claritatem Dei; aures, ut audias virtutes ejus; nares, ut percipias odorem suavitatis ejus; cor, ut credas in eum; os, ut confitearis illi. Per Dominum.

Alia.

Signaculum Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti te sanum faciat omni tempore vitæ tuæ, ut nullam habeat diabolus potestatem de te; sed Trinitas divine regnet in te in vitam æternam in sæcula sæculorum. Amen.

Incipiunt orationes ad caticumenum faciendum.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, &c.

Alia.

Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, &c.

Alia.

Deus qui humano generi ita es conditor, &c.

Benedictio salis dandum caticumenis.

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, &c.

Oratio expleta, accipiat sacerdos de eodem sale & ponit in ore infantis, dicens illi:

Accipe sal sapientiæ: Sit tibi Dominus propitiatus in vitam æternam.

Oratio post datum sal.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor creaturæ, &c.

Iterum faciat crucem in fronte ejus, & dicat orationem:

Deus Abraham, &c. (*sequuntur tres orationes super masculos, & tres super feminas dicendæ, & una super utrosque.*)

Tunc presbyter faciens crucem cum pollice infra palmam dextram infantis dicat:

Trado signaculum Domini nostri Jesu Christi in manu tua dextera, ut te signes & te de adversa parte repellas, & in fide catholica permaneas & habeas vitam æternam, & vivas cum Domino semper in sæcula sæculorum. Amen.

Inde cum ipsa manu infantis signet ipsum infantem.

Signo te signaculo Domini nostri Jesu Christi, de manu tua dextera, ut te conservet contra adversarios tuos, ut habeas vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde descendunt ad fontes cum letania.

Kyrie eleison, &c.

Benedictio fontis.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto, &c.

Item ad catechizantes infantes dic. Pater noster, & Credo in Deum, *usque in finem.* Vel te latet, satanas &c.

Postmodum vero tanguntur ei nares & aures de sputo, & dicat ad aurem dexteram: Effeta, quod est adaperire. *Deinde ad nares & aurem sinistram:* In odorem suavitatis: Tu autem effugare, diabole, adpropinquavit enim judicium Dei.

Postea vero tangat ei pectus & inter scapulas de oleo exorcizato crucem faciendo cum pollice; & vocato nomine ejus interroget sacerdos:

Abrenuncias satanæ? ℟. Abrenuntio.

Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Et omnibus pompis ejus. ℟. Abrenuntio.

Et ego linio te oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam.

Benedicto fonte, & eo tenente infantem a quo suscipiendus est, interroget sacerdos ita: Quis vocaris? *Respondeat ille nomen infantis: & ponat sacerdos manum super caput infantis, & dicat:*

Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ? ℟. Credo.

Credis & in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum & passum? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, *usque* vitam æternam? ℟. Credo.

Hæc omnia credis? ℟. Credo.

Quid petis? ℟. Baptismum.

Vis baptizari? ℟. Volo.

Deinde baptizat eum sacerdos sub trina mersione sanctam Trinitatem semel invocans, ita dicendo: Et te baptizo in nomine Patris, *& mergat semel.* Et Filii, *& mergat iterum.* Et Spiritus-sancti, *& mergat tertio.*

Ut autem surrexit a fonte, faciat presbyter signum crucis de chrisma cum pollice in vertice ejus dicens: Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit, &c.

Et vestitur infans vestibus suis candidis, & mittatur chrisma super caput ejus, ita dicendo:

Accipe vestem candidam, quam perferas ante tribunal Christi in vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. Amen. *Respondet tenens:* Perferam.

Postea ponit sacerdos candelam in manu sua, ita dicendo.

Accipe candelam irreprehensibilem, custodi baptismum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere in aula cælesti in vitam æternam in sæcula sæculorum. Amen.

Si vero episcopus est, statim confirmari eum oportet chrismate, & postea communicare. Et si episcopus deest, communicetur a presbytero dicente ita: Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.

Postea orationem istam.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum tuum ex aqua & Spiritu-sancto; quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum, tribue ei continuam sanitatem ad agnoscendam universitatis tuæ veritatem. Per.

Oratio ad consignandos infantes.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum tuum, &c.

ORDO XIV.

Ex ms. Codice Gladbacensis monasterii in diœcesi Coloniensi.

INCIPIT ORDO BAPTISMATIS.

P*Rimum vero ante januas ecclesiæ statuantur masculi ad dextram, feminæ autem ad sinistram, & presbyter accedens sufflet vehementi spiritu singulos infantes, ita dicat:*

Exi immunde spiritus, & da locum Spiritui-sancto.

Tunc presbyter imponat nomen singulis, facta cruce cum pollice in frontibus singulorum dicendo:

Accipe signaculum Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Deinde dicat super eos orationem hanc:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri JESU CHRISTI respicere, &c.

Benedictio salis dan. catechumenis.

Oremus.

Exorcizo te &c.

Expleta autem hac oratione, interroget nomina singulorum; & ponat de ipso sale in ora infantum, ita dicendo:

Accipe salem sapientiæ propitiatus in vitam æternam. Pax tibi.

Benedictio post datum salis, tam super masculos, quam super feminas.

Deus patrum &c.

* *Hic videtur esse transpositio, quare & in codice hæc verba. Et dices illi:* Baptizo te, &c. *parum sunt abrasa.*

Hic sacerdos faciat crucem in fronte infantium, has sequentes statim dicat, istam orationem super masculos.

Deus Abraham.

Oratio super feminas, simili modo faciens crucem in frontibus eorum:

Deus cœli &c.

Super masculos.

Deus immortale.

Item super masculos.

Audi maledicte.

Super feminas.

Deus Abraham.

Item super feminas.

Exorcizo te.

Super feminas faciens crucem.

Exorcizo te immunde.

Tam super masculos, quam super feminas faciens crucem.

Æternam ac justissimam &c.

Hic post istam diaconus legat evangelium super infantes:

Sequentia S. Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore: Tunc oblati sunt ei parvuli *&c. usque* abiit inde.

Post hæc sacerdos tenens manum super capita infantum, silenter cantet symbolum, quod est Credo, *& orationem Dominicam, quæ est* Pater noster.

His autem ita peractis, hæc sequens Oratio publice dicatur ad catechizandos infantes.

Oremus.

Non te latet satana, &c.

Hic mitte salivam de ore sua in primos digitos duos, id est pollicem, & indicem, & sic apprehendens pinnulam dextræ auris, ita dicis ei:

Effeta, quod est adaperire.

Postmodum accipiens nares infantis, dicis:

In odorem suavitatis;

Deinde retinens pinnulam sinistræ auris:

Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Illis omnibus ita peractis ante ecclesiam, jubeat presbyter parvulos: Intra ecclesiam.

Lectio Libri Genesis &c.

Sequuntur quatuor lectiones, & totidem orationes.

Hic cantet letaniam super fontem. Kyrie.

Sequitur letania & benedictio fontis.

Hoc finito, præsentent infantes secundum ordinem ante sacerdotem, his namque eos tenentibus, qui eos de baptismo suscepturi sunt, & tunc demum sacerdos singulos infantes specialiter per nomen infantis interrogat, si satanæ renuncient, & si firmiter symbolum Domini habeant, his verbis:

Abrenuntias satanæ? *Et compater infra sic respondet.* Abrenuntio.

Sacerdos: Et omnibus operibus ejus? *Respondet.* Abrenuntio.

Item Sacerdos: Et omnibus pompis ejus: *Respondet.* Abrenuntio.

Item de credulitate.

Credis in Deum Patrem omnipotentem &c. *Resp.* Credo.

Credis & in JESUM &c. *Credo.*

Credis & in Spiritum-sanctum, &c. *Credo.*

Post talem vero parvulorum responsionem, presbyter faciens crucem cum exorcizato oleo in pectore & inter scapulas infantium, eos nominando, ita dicat:

N. Et ego linio te oleo salutis in Christo JESU Domino nostro in vitam æternam.

Eo autem ordine sic peracto, presbyter accipiens infantes a parentibus eorum, sicut suprium est, & ab eis rogatus sub trina mersione primum masculos, & postmodum feminas nominando baptizet his verbis:

Ill. Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

Sed & hoc in modum crucis facere memento: primum vero in orientalem plagam, secundum in dexteram, quod est australem plagam, tertio in sinistram, hoc est in aquilonarem partem.

Cum autem infantes elevati fuerint a fonte, compater singulorum accipiens eos, habeat intra cubam, pedibus infantis adhuc in aquam consistentibus, donec presbyter chrisma requirens, proferat interim quoque ista dicente:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri JESU CHRISTI, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum.

Hic presbyter faciens signum crucis cum chrisma in vertice infantis, & eum nominans ita dicis:

Ipse te linit chrismate salutis in Christo JESU Domino nostro in vitam æternam.

Post hæc ponens cappam super caput ejus, & eum nominans sic dicatur:

Accipe vestem candidam, &c.

Tunc demum extrahatur infans foras cubellam, & statim in illa die usque dum missa percelebratur, quanti sunt in ecclesia maneant. Post missam autem antequam sumant Corpus & Sanguinem Domini, hæ orationes dicantur super infantes noviter christianos.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti famulos tuos ex aqua & Spiritu-sancto, quique dedistis eis remissionem omnium peccatorum, tribue eis continuam sanitatem, ad agnoscendam unitatis tuæ veritatem. Per.

Alia Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut hos famulos ac famulas, digneris serenis aspectibus præsentare, & qui dedisti baptismi sacramentum, longævam tribuas sanitatem. Per.

Post has autem orationes, detur eis eucharistia ita dicendo:

Corpus Domini nostri JESU CHRISTI in vitam æternam. Amen.

Hoc autem finito, revertatur in pace domum, & quotidie ab eodem die donec expleantur septem dies, tempore etiam sperata missa, revisant ecclesiam.

ORDO XV.

Ex ms. Pontificali insignis ecclesiæ Apamiensis in Syria, annorum circiter 500.

N*On est ignorandum quod hac die (sabbato sancto) post tertiam procedunt ad ecclesiam qui baptizandi sunt; & tunc qui possunt reddunt orationem Dominicam & symbolum, & faciens crucem sacerdos cum pollice in frontibus singulorum, dicit:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

Postea imposita manu super capita singulorum dicit hanc orationem ad catechizandos infantes: Nec te latet satanas, &c.

Post hæc tangit nares & aures singulorum de sputa, & dicit: quod est adaperire, &c.

Tunc invocato nomine uniuscujusque dicit: Abrenuntias satanæ? &c.

Postea tangit de oleo sancto pectus & inter scapulas, crucem faciendo cum pollice, & dicit: Et ego te linio oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. Amen.

Tunc imposita manu super capita eorum, dicat orationem Dominicam & Symbolum.

Catechizatis itaque primum sicut diximus infantibus, & expletis postmodum lectionibus cum canticis, & reliquo officio; descendit Pontifex ad benedicendos fontes processionaliter cum letania: Portantur ante ipsum duo cerei & thuribulum cum thymiamate. Ubi vero venerit Pontifex Romanus ad porticum S. Venantii, ibi sedente eo in faudestolio, & diaconibus, & subdiaconibus, & schola cantorum hinc inde stantibus; duo juniores diaconi cardinales vadunt ad ostium ecclesiæ Sancti Venantii, & ibi recipiunt priorem cardinalium hinc inde sustentantes eum, & conducentes eum usque ad præsentiam Pontificis, ceteris cardinalibus sequentibus eum; Et ipso prior cardinalis tertio petit benedictionem a Romano Pontifice in veniendo, flectendo genua recipit benedictionem. Postmodum dicit Pontifex: Ite baptizantes populum vestrum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: *De hinc unusquisque indutus revertitur ad titulum suum cum parochianis suis. Et Pontifex Romanus procedit ad Fontes, ubi facto silentio dicit:*

Dominus vobiscum. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus adesto, &c. Per omnia sæcula sæculorum. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Domino Deo nostro. Vere dignum, æterne Deus, qui invisibili clementia ... gratiam de Spiritu-sancto. *Hic enim manu dividat aquam in modum crucis.* Qui hanc aquam ... corrumpat. *Hic aquam manu tangat.* Sit hæc sancta ... consequamur. Per. *Hic faciat crucem super fontem.* Inde benedico te ... ferebatur. *Hic dividat aquam in quatuor partes.* Qui te de paradisi fonte ..... *Hic iterum faciat crucem.* Benedico te per Jesum. ... & Spiritus sancti. *Hic mutet vocem quasi lectionem legens:* Hæc nobis præcepta servantibus .... efficaces. Per. *Hic ponat cereum in aquam, & dicat ad pristinum sonum.* Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus san-

sancti. *Hic sufflet in aquam tribus vicibus in hunc modum.* ℣. Totamque hujus aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu. *Hic tollentur cerei.* Hic omnium peccatorum, &c. *Postea infundat chrisma in fontem in modum crucis super ipsam aquam, dicens:* Sanctificetur & fœcundetur fons iste in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Tunc misceat ipsum chrisma cum eadem aqua, & spargat cum manu per omnem fontem.*

Deinde baptizat ipse pontifex unum, aut duos, aut tres, de ipsis infantibus, Johannem, Petrum, & Mariam; & reliquos presbyter aut diaconus.

Ea igitur tenente infantem a qua suscipiendus est, talis fit interrogatio: Quis vocaris? Johannes. *Et consequenter ait Baptista:* Johannes credis in Deum Patrem omnipotentem? &c. Vis baptizari? Volo. *Tunc baptizat eum sub trina mersione, sanctam Trinitatem semel tantum invocando sic.* Et ego te baptizo in nomine Patris, *& mergitur semel.* Et Filii, *& mergitur iterum.* Et Spiritus-sancti, *& mergitur tertio.* Ut habeas vitam æternam. Amen. *Et statim suscipiet eum patrinus, qui primus obtulerat eum, de manu Baptistæ; & offerat sacerdoti vel episcopo, qui cum pollice dextro faciat crucem de chrismate in vertice infantis, dicens:*

Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit, &c.

Deinde imponit ei albam, dicens:

Accipe vestem sanctam candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam. Amen.

Postea dat ei candelam, dicens:

Accipe lampadem irreprahensibilem, custodi baptismum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei in aula cælesti.

Tunc, si episcopus adest, statim oportet eum confirmari chrismate, & communicari secundum consuetudinem quarumdam ecclesiarum. Si vero abest, communicetur a presbytero. Communicantur autem pueri, qui nondum noverunt comedere, vel bibere, sive cum folio, sive cum digito intincto in Sanguine Domini, & posito in ore ipsorum, sacerdote ita dicente:

Corpus cum Sanguine Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Amen.

Si vero provecti sunt, communicantur juxta morem consuetum: Romæ vero Pontifex Romanus ubi, sicut diximus, baptizavit tres pueros, videlicet Johannem, Petrum, & Mariam; vadit ad consignatorium, ibique chrismat infantes, & post lavat manus: Deinde cum letaniis revertitur ad altare, &c.

Illud de parvulis providendum est, ne postquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, nec ablactentur sine summa necessitate antequam communicent sacramento Corporis Christi. Et postea per totam hebdomadam paschæ omnibus diebus ad missam procedant, offerant & communicent: Hic autem suprascriptus ordo baptismi, sicut in sabbato Paschæ, sic & in sabbato Pentecostes celebretur.

ORDO XVI.

Ex ms. codice bibliotheca S. Genovefæ Parisiensis annorum circiter 200. in quo nonnulli ritus ecclesiæ Laudensis in Italia continentur.

INCIPIT ORDO AD CATHECUMENOS FACIENDOS.

IN *primis cum infans ductus fuerit ad ecclesiam, sacerdos stans ante fores ecclesiæ exsufflet tribus vicibus in ore infantis in modum crucis. Postea dicat:*

Per istam insufflationem & Dei benedictionem exeat a te spiritus malignus, & ingrediatur in te Spiritus-sanctus, & totum permaneat in æternum.

Deinde sacerdos interroget quod nomen infans habere debet, dicendo: Quid petis ad ecclesiam? ℟. Fidem.

Iterum dicit sacerdos. Fides quid tibi præstat? ℟. Vitam æternam.

Postea dicit sacerdos: Hæc est autem vita æterna: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet & prophetæ.

Deinde sacerdos interroget quo nomine infans debeat vocari, & post interrogationem insufflet ter in os infantis calido, ita dicendo: Accipe Spiritum-sanctum.

Postea dicat sacerdos: Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare, &c.

Oremus.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi; & hunc electum tuum Dominicæ crucis: *Faciendo super frontem infantis cum pollice signum crucis,* cujus impositione eum signamus, &c.

Oremus.

Deus qui humani generis, &c.

Deinde sacerdos accipiat de sale benedicto, & ponat in os infantis tribus vicibus, ter interrogando de nomine infantis, sic dicendo: Johannes, vel Maria, vel aliter, accipe sal sapientiæ: propitiatio sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

Post datum salis dicat sacerdos:

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, &c.

Deinde omnes dicant: Pater noster, *totum. Postea dicat sacerdos:* Omnes dicant sicut & ego symbolum, Credo in Deum Patrem, &c.

Postea invocet sacerdos nomen infantis, & ipsum introducat in ecclesiam cum signo crucis sic dicendo:

Johannes, vel Maria: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Intra in ecclesiam Dei per manum sacerdotis, ut partem habeas cum Christo in vitam æternam. Amen.

Deinde tangat ei nares & aures de sputo tribus vicibus, & ter nomen infantis invocando, & ter sic dicendo:

Effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Postea tangat ei pectus, & inter scapulas de oleo exorcizato, crucem faciendo cum pollice, & invocato nomine infantis, dicat: Abrenuntias satanæ? ℟. Abrenuntio. *Iterum dicit sacerdos:* Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio. *Iterum dicit sacerdos:* Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio. *Sequitur.* Johannes, vel Maria, & ego te linio oleo salutis in Jesu Christo Domino nostro in vitam æternam. Amen.

His expletis, sacerdos tenendo infantem in suis manibus, vel alius pro eo, interroget quo nomine vocetur: Johannes, vel Maria.

Tunc dicit sacerdos: Johannes, vel Maria, Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ? *Patrini pro puero respondent,* Credo.

Iterum sacerdos dicit: Credis & in Jesum Christum Filium ejus unicum, natum & passum? ℟. Credo.

Iterum dicit sacerdos: Credis & in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.

Iterum invocato quo nomine infans debet vocari: Johannes, vel Maria, Vis baptizari? ℟. Volo.

Deinde sacerdos baptizat eum sub trina immersione, sic dicendo: Johannes, vel Maria, Ego baptizo te, In nomine Patris, *& mergat semel.* Et Filii, *& mergat secundo.* Et Spiritus-sancti, *& mergat tertio.*

Ut autem surrexerint a fonte, portetur infans ad altare, ut ibidem sacerdos faciat signum crucis de chrismate cum pollice in vertice infantis, dicendo hanc orationem. Iterum interrogetur quo nomine vocetur infans. Postea dicat:

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit, &c.

Post hæc autem tegat ei sacerdos verticem cum veste linea alba nova, & dicat: Accipe vestem candidam, &c.

Postea det ei candelam, dicens: Accipe lampadem irreprehensibilem, &c.

Tunc sacerdos cum signo crucis signet infantem, dicens; In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus-sancti †. ℟. Amen. Vade in pace.

EXPLICIT ORDO AD CATECHUMENOS FACIENDOS.

ORDO XVII.

Ex ms. codice Ecclesiæ Viennensis in Gallia, annorum circiter 200.

S*Abbato sancto archiepiscopus indutus cappa serica alba, & archidiaconus in dalmatica alba, præcedentibus cero-*

ferariis, & subdiacono hebdomadario, sequentibus suburbanis, & magistro scholæ, veniant ad capellam S. Mariæ de Capellis in claustro ad introducendos pueros qui baptizandi sunt. Et archidiaconus dicat:

Orate electi, flectite genua, levate. Complete orationem vestram, & dicite, Amen. *Et*, Signate illos.

Postea archiepiscopus interrogatis nominibus singulorum, imponens manus suas super pueros, dicat orationem. Nec te latet satanas.

Ipsa completa, dicat archidiaconus: Catechumeni recedant: Si qui catechumeni, exeant foras.

Illis autem exeuntibus, archiepiscopus cum ministris redeat ad ecclesiam, & ceroferariis & diacono & subdiacono præcedentibus, & sedeat in faldistorio juxta altare. Archidiaconus percepta benedictione ab archiepiscopo, descendat subtus gradus a parte chori dextri ad benedictionem cerei faciendam. Dum vero benedictio fit; clerici de minori choro erigantur, alii vero de majori choro sedeant usque dum archidiaconus dicat: Dominus vobiscum. Sursum corda. *Debet ibidem assistere alter clericorum minoris chori juxta & prope archidiaconum ad mandatum magistri, qui deferat cereum.*

BENEDICTIO CEREI.

EXultet jam angelica turba, &c. *cum cantu, & dum benedicitur cereus, capitolus indutus cappa serica alba præsentet archiepiscopo incensum, ut illud benedicat, & ignem thuribuli, & descendat deferens archidiacono thimiamata cum candela accensa ex igne thuribuli, quod defert thuriferarius.*

Postquam archidiaconus grana incensi apposuerit in cereo ad modum crucis, ipsum accendit, qui inde die ac nocte ardeat usque ad secundas vesperas Paschæ inclusive, & finitis dictis vesperis, apponatur in summitate dicti cerei una ex candelis de rastro, quæ inde per totam hebdomadam ardeat die noctuque, & sic fiat sabbato & per hebdomadam Pentecostes.

Oratio post benedictionem cerei dicenda: Deus qui divitias. *Et illam dicat archiepiscopus. Dum dicit; ascendat lector in ambonem indutus alba plana, & absolute sine titulo pronunciet*, In principio Deus. *Et similiter aliæ lectiones pronuncientur.*

In sabbato sancto suburbani ecclesiæ S. Georgii, S. Laurentii, S. Ferreoli, S. Andreæ inferioris, S. Mariæ ultra Lariam, S. Severi, S. Martini, S. Niceti, S. Andreæ superioris, S. Blandinæ, S. Johannis in claustro, cum capellano capellæ episcopi debent dicere orationes sequentes gradatim: & dum dicuntur orationes, surgant omnes existentes tam in choro quam juxta altare officiantes, capite discooperto.

Canonici debent legere lectiones de mandato magistri. Prima lectio: In principio, &c. *Debet dici a canonico ad minus, aliæ a presbyteris pro canonicis. Oratio* Deus qui mirabiliter *dicitur a capellano S. Georgii seu curato a parte dextra altaris. Secundam orationem dicat capellanus seu curatus S. Laurentii a parte sinistra; & sic alias orationes dicunt capellani seu curati prænominati, quisque a parte sua. Tractum* Cantemus *dicant ceroferarii. Quando dictus tractus incipitur, magister & quidam sacerdos de mandato ipsius & omnes de minori choro eant ad fontes in capellam S. Johannis Baptistæ ad dicendam litaniam; & uterque chorus respondeat ter. Decantata letania, redeant in chorum. Tractum*, Vinea &c. *dicant duo de majori choro, ut supra. Archiepiscopus dicat orationem ad catechumenum faciendum, masculis ad dextram, & feminis ad sinistram constitutis. Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, &c.

Circa finem lectionum duo diaconi induantur albis, & descendant cum archiepiscopo ad fontes, præcedentibus ceroferariis, & cereo benedicto, & cruce; & sequente clero universo, & suburbanis multis. Sacerdos vero S. Johannis vas aureum deferat, in quo sanctum chrisma servatur. Diaconus tenens crucem erectam ante altare S. Johannis, & ceroferarii juxta eum, cantores id est præcentor, & cantor, vel eorum vicarii canonici, seu milites, aut quaternarii litaniam incipiant. Uterque chorus respondeat ter.

Expleta letania, facto silentio, archiepiscopus procedat ad fontes benedicendos, & dicat: Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. *Oratio.* Omnipotens, *&c. Deinde.* Per omnia sæcula, &c. *in modum præfationis. Suburbani vero circum circa fontes stantes faciant signa & aspirationes sicut archiepiscopus: Non tamen tangant aquam, neque cereum. Eodem modo fiat sabbato Pentecostes. His omnibus expletis, fundat chrisma de vascula in fontem in modum crucis, dicatque lenta voce:* Sanctificetur & fœcundetur fons iste.

His peractis, interroget archiepiscopus illos a quibus suscipiendi sunt infantes, modo sequenti: Quomodo vocas illum?

Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

Credis in Spiritum-sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam, ℟. Credo.

Quid petis? ℟. Baptismum.

Deinde baptizet archiepiscopus eum sub trina mersione tantum sanctam Trinitatem semel invocans, ita dicendo: Et ego te baptizo in nomine Patris, *& mergat semel in aqua*, & Filii, *& mergat iterum*, Et Spiritus-sancti, *& mergat tertio.*

Ut autem surrexerit a fonte, faciat archiepiscopus signum crucis de chrismate cum pollice in vertice ejus dicens hanc orationem: Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, &c. *Deinde accipiat archiepiscopus vestem candidam, id est albam, induat infantem dicendo illi:* Accipe vestem candidam, &c. *Et si archiepiscopus agat officium, debet statim infantem confirmare.*

ORDO XVIII.

Ex antiquo Rituali Ecclesiæ Lemovicensis.

INCIPIT OFFICIARIUM CURATORUM INTER CÆTERA DECLARANS MODUM ADMINISTRANDI SACRAMENTA ECCLESIÆ.

SEd quia sacramentum baptismi est fundamentum aliorum sacramentorum, ideo de eodem primitus est dicendum. Præmittentur tamen aliqua notabilia circa baptismum valde bona. In primis notandum est quod sacerdotes debent monere frequenter, & etiam instruere plebem suam, in forma ipsius baptismi, in lingua laica & Romana, ne propter imperitiam laicorum aliquando infans absque forma per sanctam Ecclesiam statuta baptizetur, videlicet si videant in puerum periculum mortis imminere, statim, si adsit & possit haberi masculus, accipiat aquam frigidam vel calidam, non alium liquorem cum scutella vel cipho, vel alio vase, vel cum manu: Et baptizet eum faciendo tres aspersiones super caput ejusdem pueri, & dicendo sic formam: Petre, vel Petronilla, vel creatura Dei, Ego baptizo te, In nomine Patris, † *prima aspersio.* Et † Filii, *secunda aspersio.* Et Spiritus-sancti, † *tertia aspersio.* Amen.

Et si masculus non possit haberi, in tali periculo baptizet eum fœmina. Et si non possit haberi fœmina; faciat hoc pater. Si pater non possit haberi; ipsa mater. Sed quamdiu fuerunt alii, a patre vel a matre nullatenas baptizetur; & si ex necessitate a patre proprio, vel a matre infans fuerit baptizatus, matrimonium inter eos in sua firmitate remanebit. Et nulla sic baptizanti pœnitentia est injungenda, quia ex hoc debet potius commendari, & ita instruendi sunt, ut habeant peritiam baptizandi, si cum infans natus fuerit, periculum mortis sibi immineat, ita quod presbytero nequeat præsentari. Sed necessitate cessante omnibus laicis & clericis, nisi sint in presbyteros canonice promoti, potestas baptizandi & catechismum faciendi est interdicta.

Item licet etiam patrinum vel matrinam non habuerit, erit infans nihilominus baptizatus: cum vero secundum formam prædictam ex necessitate infans a laico fuerit baptizatus, si supervixerit, presbytero quam citius poterit præsentetur; qui quidem presbyter inquirat sollicite qualiter fuerit baptizatus, & si baptizans non recordetur ad plenum de verbis in baptismo prolatis, vel circumstantes discordant; vel forte infans expositus inventus est juxta ecclesiam, vel alibi, nec potest haberi certitudo utrum sit baptizatus aut non; in his casibus faciat sacerdos catechismum & baptizet ipsum his verbis quæ sequuntur dicens formam: Si baptizatus es, non te baptizo. Si non es baptizatus, ego baptizo te. In nomine Patris † *prima aspersio*, Et † Filii, *secunda aspersio.* Et Spiritus sancti † *tertia aspersio.* Amen.

Si autem sacerdos inveniat infantem a laico baptizatum ita quod non sit aliquatenus dubitandum, non baptizet eum, nec faciat catechismum sed ungat eum oleo sancto in pectore & inter scapulas, sine ulla interrogatione, scilicet: Abrenuncias sathanæ? &c. *Sed dicet solum:* Ego te linio de oleo exorcizato in pectus tuum. † Et inter scapulas tuas. † In Christo Jesu Domino nostro, & habeas vitam æternam.

Postmodum inungat eum etiam chrismate sacro in vertice dicendo orationes & facienda alia quæ post baptismum consueverunt fieri, sicut continetur infra in baptismi officio, si vero infanti baptizando ad presbyterum portando non potest fieri catechismus secure propter mortis periculum; tunc presbyter incontinenti sine catechismo baptizet eum, & inungat eum statim oleo benedicto & chrismate sacro; & faciat omnia alia

qua

quæ fiunt post baptismum, sicut infra patebit. Cum vero puer est sine periculo; sacerdos cum solemnitate debita baptizet eumdem: & cum magna devotione ac discretione, ne videlicet baptizet masculum pro femina, aut e converso. Quod si evenerit, non est infans rebaptizandus. Item verba recte pronuntiando & discrete in omni signacula faciendo. Insuper etiam in verbis sacramentalibus quæ sunt scilicet, Ego baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. *Et in trina aspersione sit valde paratus, & ante baptismum fiat unctio cum oleo catechuminorum, & cum chrismate post baptismum.*

Item irregularis, excommunicatus, interdictus, & suspensus, & qui non est confirmatus, non debet admitti in patrinum: tamen si aliquis de prædictis fuerit patrinus, non nocet baptismo. Item nota quod tria sunt necessaria in baptismo: primo intentio baptizantis vel ecclesiæ generalis: secundo aqua naturalis; quia in alio liquore non valeret: Tertio verba Ego te baptizo, in nomine Patris, &c. *quæ debet dicere baptizans aspergendo aquam ter super caput seu supra majorem corporis partem.*

Item nota quod tres sunt baptismi species. Prima dicitur fluminis cum dictis verbis, de qua specie quotidie utimur: secunda species dicitur flaminis id est Spiritus-sancti: ut cum quis desiderans baptismum, moritur non habens aliquem qui eum baptizet. Tertia species est sanguinis, sicut fuit in innocentibus & in multis aliis, qui fuerunt baptizati in suo sanguine, & potest esse in quolibet credente in Christum antequam baptizetur pro Christo moriente.

Item habent in synodalibus hoc modo: Si vero infans a laico baptizatus mortuus fuerit antequam presbytero præsentetur; & dubitaverit an fuerit in baptismo forma debita servata, & certificari non potest: In tali dubio infans in cimiterio ecclesiastico sepeliri debet. Idem credimus posse fieri quando expositi juxta ecclesiam vel alibi mortui reperiuntur, nec de baptismo ipsorum potest haberi aliqua certitudo dum infantes a laico dicuntur esse baptizati, & mortui sunt antequam presbytero præsententur, & inventum fuerit formam debitam non fuisse servatam; seu infantem expositum seu mortuum inventum constiterit per scriptum vel alia signa baptizatum non esse, non debet in cimiterio sepeliri, in aliis casibus si occurrerint, superior est consulendus.

Item nota quod in aliquibus locis sunt duo patrini in masculo & duæ matrinæ in femina, in aliquibus nisi unus patrinus & una matrina. Observet unusquisque ritum suæ parochiæ.

MODUS ADMINISTRANDI MASCULIS BAPTISMI SACRAMENTUM, ET PRIMO AD CATECHUMINUM FACIENDUM INFANTULUM.

T*Enentibus videlicet masculum in brachio dextro: & feminam in sinistro ad ecclesiæ introitum accenso lumine presbyter ad minus indutus superpellicio cum stola, dicit:* Que vous a Dieu donné? ℟. *Patrinus & matrina:* Un fils, ou une fille:

Presbyter. Que demande-t-il? ℟. Baptême.

Presbyter. Comment aura-t-il nom? ℟. Jehan ou Pierre,

Tunc presbyter dicit:

Exi ab eo satan spiritus immunde, & da locum advenienti Spiritui-sancto Paraclito.

Et exsufflat ter in faciem infantis dicens: In nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, & ✠ Spiritus-sancti. Amen.

Deinde faciens crucem cum digito suo in infantis fronte, dicit repetendo: Nommez-le. ℟. Jehan.

Presbyter dicat:

Signum sanctæ crucis Domini nostri Jesu Christi in frontem tuam pono ✠.

Signum crucis Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in pectus tuum pono ✠.

Signum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi inter scapulas tuas pono ✠.

Accipe signum crucis tam in fronte ✠, tam in pectore ✠, quam in corde ✠. Sume fidem cælestium præceptorum, & talis esto moribus ut in templum Dei esse jam possis,

Et subjungit: Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi respicere dignatus es, super hunc famulum N. vel hanc famulam N. *Sicut in aliis recentioribus, &c.*

Oratio.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi; & hunc electum tuum N. *faciat signum crucis cum pollice in pueri fronte* ✠ crucis Dominicæ, cujus impressione eum, *vel eam* signa ✠ mus, perpetua custodi virtute, ut magnitudinis gloriæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum ad novæ regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum.

Oratio.

Deus qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator, &c. *Sequitur Benedictio salis, nec dicitur oremus, sed simpliciter* Benedicite. Dominus.

Exorcizo te creatura salis in nomine ✠ Dei Patris omnipotentis & in charitate Domini nostri ✠ Jesu Christi, & in virtute Spiritus ✠ sancti, &c.

Postmodum dando sal in ore infantis dicit presbyter: Nommez-le. ℟. Jean, &c.

Presbyter dicit.

Accipe sal sapientiæ, ut propitiatus sit tibi Dominus in vitam æternam. Amen.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ Conditor veritatis, te supplices exoramus, &c. *Hic faciat crucem in fronte & in pectore tribus vicibus.*

Alia oratio & dicitur

Oremus.

Deus Abraham ✠ Deus Isaac ✠ Deus Jacob ✠ &c. *Sequitur diaboli conjuratio, & fiat sine* Dominus vobiscum, *& sine* oremus *dicendo.*

Ergo maledicte diabole recognosce tuam sententiam, &c. *Hic fiat crux a sacerdote in fronte ejusdem infantis cum pollice dextro dicens:* Et hoc ✠ signum sanctæ Crucis, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole numquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia oratio.

Oremus.

Deus immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, &c. Per Christum, &c. *Et adjuratio diaboli sine* Dominus vobiscum, *& sine* oremus.

Exi, maledicte sathana, adjuratus per nomen æterni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen.

Postea subjungitur diaboli conjuratio.

Ergo maledicte recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero, &c. *Hic fiat crux in fronte infantis cum pollice dextro dicens:* Et hoc ✠ signum sanctæ crucis, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde exorcismus sine, Dominus vobiscum, *& sine* oremus.

Exorcizo te immunde spiritus. In nomine ✠ Patris, & Filii, & Spiritus sancti: ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei, &c. *Deinde diabolo conjuratio.*

Ergo maledicte, recognosce sententiam tuam, &c. *Ut supra.*

Hic fiat crux in fronte cum pollice dextro. Et hoc ✠ signum sanctæ Crucis. *Ut supra. Postmodum dicitur oratio communis.*

Oremus.

Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis & veritatis, &c. *Deinde Presbyter dicit sine* Dominus vobiscum, *& sine* oremus,

Nec te lateat sathana imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, &c.

Mox expuat presbyter in suam palmam sinistram, tangensque aures & nares infantis de sputo suo cum pollice dextro in modum crucis, ad dextram autem primo dicendo. Quid vocaris *Resp.* N.

Epheta, quod est adaperire. ℟. Epheta, *postea ad nares dicens.* In odorem suavitatis. ℟. Epheta, *similiter ad sinistram aurem dicendo:* Tu autem effugare, diabole appropinquabit enim judicium Dei. ℟. Epheta. Et benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti descendat super te, & maneat semper. In nomine ✠ Patris, & Filii ✠, & Spiritus ✠ sancti. Amen.

His expletis, mox jubeat presbyter patrinis & matrinis quisque dicere. Pater noster. Ave Maria, *&* Credo in Deum, *&* Credo in Spiritum. *Deinde matrina debet expoliare puerum, & tradere patrino; qui accipiet subtus scapulas, & presbyter introducat infantem infra ecclesiam, dicendo manu dextra super puerum:* Intra in gaudium Domini tui, & ingredere in templum Domini, ut habeas vitam æternam & vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Et desferentur puerum ad fontes, omnibus apparatis, & patrino tenente eum nudum in porta ecclesiæ, & matrina in manu & pede si sit consuetudo in illa ecclesia, vel faciendo cæremonias consuetas. Dicit presbyter. Quid vocaris. ℟. N.

Abrenuntias sathanæ? *Respondeant tenentes puerum:* Abrenuntio.

Presbyter. Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Presbyter. Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Subsecutive presbyter interrogando nomen pueri, præparet modicum olei in vertice pollicis, & ungat seu liniat puerum oleo sancto; primo pectus, & postea inter scapulas in modum crucis, ita dicendo: Ego te linio de oleo exorcizato in pectus ✠ tuum: & inter scapulas ✠ tuas: in Christo Jesu Domino nostro: ut habeas vitam æternam. Amen.

Quo linito, interroget presbyter symbolum ab eo qui tenet puerum: & eundo ad fontes dicat: Quid vocaris. ℟. N.

Et tunc dicit presbyter: Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. ℟. Credo.

Presbyter. Credis & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, natum & passum? ℟. Credo.

Presbyter. Credis & in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Peccatorum remissionem, carnis resurrectionem, Vitam æternam post mortem? ℟. Credo.

Presbyter. Hæc omnia credis? ℟. Credo.

Item presbyter quæsito pueri nomine dicit, Quid petis? ℟. *Patrini.* Baptismum.

Presbyter subjungit: Vis baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti? ℟. Volo.

Quid vocaris? R. N. *Tunc presbyter dicit.* A t'on rien fait a cet Enfant pour le vouloir baptiser? *Si dicatur.* Non. *Dicit presbyter puero?* Et ego baptizo te. In nomine ✠ Patris, *Infundendo simul aquam supra caput ejus.* Et ✠ Filii. *Simul.* Et Spiritus ✠ sancti. Amen. *Simul & tertio. Infusio tamen illa sit modesta, ne aquæ frigiditate teneritas infantis gravetur, sed si dicat:* On y a fait aucune chose pour doute de mort. *Tunc dicit presbyter.* Si baptizatus es, non te baptizo. Sed si nondum baptizatus es, ego baptizo te. In nomine Patris. *Et immergendo ter, ut supra. Et dicit presbyter.*

Oremus.

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, &c.

Et oratione dicta, chrismetur puer in vertice in modum crucis cum pollice, & postea presbyter imponit capiti pueri vestem, & resumendo pueri nomen N. & dicit: Quid vocaris. ℟. N. *Presbyter dicit:*

Accipe vestem sanctam, candidam, & immaculatam quam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam & vivas in secula sæculorum. Amen. *Et subjungit presbyter.* Pax tecum. *Ponendo vestem supra caput.*

Et postmodum puero involuto, in manu ejus dextra apponitur candela per presbyterum, qui suggerit patrino & matrinæ, ut manus apponant eidem candelæ, & dicit dirigendo verba sua ad puerum: N. nunciando eum dicit: Accipe lampadem ardentem: & irreprehensibilis custodi baptismum tuum, &c.

Postea presbyter mundet loca ubi præfuit chrisma, & oleum, & aquam, & abstergat cum panno albo; vel secundum aliquos, si non mundet dicta loca, præcipiat mulieribus, ne prima tria pueri balnea projiciantur in loco inhonesto propter reverentiam sacramenti. Deinde Patrinus tradat puerum mulieribus, & involvunt eum pannis. Presbyter, patrinus & matrina abluant manus super fontes cum aqua alia, non de fonte benedicto: postea suscipiat patrinus puerum, & præsentet eum sacerdoti ad altare, vel in aliquo loco consueto: & presbyter posita stola super pueri caput in modum crucis, dicat initium sancti Evangelii secundum Johannem. In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, &c.

Oratio.

Protege Domine famulum tuum subsidiis pacis, & B. Mariæ Virginis patrociniis confidentem, a cunctis hostibus redde securum.

Alia oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti hunc famulum tuum, vel, famulam tuam ex aqua & Spiritu-sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum: tribue ei continuam & longam sanitatem ad cognoscendam virtutis tuæ veritatem. Per Christum.

Et hoc facto, injungit presbyter patrino & matrinæ, ut dicant parentibus quod per sepcuaiam ab omnibus periculis puer conservetur, & citius quam fieri poterit addiscant ei Pater noster *&* Ave Maria *&* Credo in Deum. *Utrumque quod competit patrino & matrinæ & eidem diligenter insinuandum est per presbyterum.*

Moneant autem Sacerdotes obstetrices seu matronas, ut non audeant baptizare aliquem, nisi sit mortis periculum; sed tamen sciendum est quod urgente necessitate quilibet potest baptizare, etiam pater & mater, & mulier quæcumque, si non sit vir præsens: mulier autem baptizans, accipiat aquam mundam, & cum baptizandi intentione dicat: Enfant je te baptise au nom du Pere, & du Fils, & du Saint Esprit. Amen. *Infundendo ter in modum crucis, ut supra in baptismi regulis.*

Si opus fuerit cito per presbyterum baptizare aliquem, cum vita sit brevior quicquid de præmissis fieri poterit fiat. Sit tamen cura vigilans quod puer vivens valeat aqua cum forma verborum lavari, & mundari ac chrismari, & ad ecclesiam portatum interroget presbyter. Quid vocaris. ℟. N. *Presbyter.* Dominus vobiscum; & cum Spiritu tuo.

Oratio.

Medelam tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui subvenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas: te ergo, Domine, supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum N. eruas ab hac invalitudine, ut non prævaleat inimicus ad animæ tentationem: sicut in Job, terminum ei pone, ne inimicus de anima ista sine redemptione baptismatis incipiat triumphare. Differ, Domine, exitum mortis, & spacium vitæ extende, revela eum, quem perducas ad gratiam baptismi tui. Per Christum.

Postea jubeat sacerdos omnibus dicere orationem Dominicam Pater noster. *Et manibus appositis, mittat eum in ecclesia, & benedicatur aqua dicente sacerdote:* Benedicite. Dominus.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Domini nostri Jesu Christi Filii Dei, & Spiritus-sancti, si quod fantasma, si qua virtus, si qua incursio diaboli est: inde jube eradicare & fugare ab hac creatura aquæ, ut fiat fons saliens in vitam æternam, & cum baptizatus fuerit hic famulus tuus, fiat templum Dei vivi in remissionem omnium peccatorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, sæculum per ignem. Amen.

Post sacerdos faciat stillare cereum in aquam in modum crucis, & dicat.

Sanctificetur & fœcundetur fons iste in nomine ✠ Patris, & Filii ✠, & Spiritus ✠ sancti. Amen. *Et cetera omnia, ut præmittitur, agantur: si autem necessitas tanta evenerit, ut hæc omnia fieri non possint, ubicumque fuerit, imposito ei nomine, cum quilibet sive homo sive femina baptizare potest. Etsi fieri potest, unum vel duos secum habeat patrinos. Quod si habere non poterit, faciat adjuvante Dei gratia, & vocet nomen ejus dicens:* Ego baptizo te, in nomine ✠ Patris, *ut supra: & si supervixerit, ad ecclesiam deportetur, & a presbytero in vertice pueri in modum crucis de chrismate sole super fontem chrismetur a sacerdote orationem dicente.* Deus omnipotens Pater, *ut supra.*

ORDO XIX.

Ex veteri Missali Romano ad usum fratrum Minorum accommodato annorum circiter 200.

Sabbato sancto dum lectiones leguntur VII. subdiaconi præparentur, quorum unus portet crucem ad fontem, & faciunt ibi letaniam septenam, quinam, & ternam hoc modo: videlicet prior subdiaconus incipit Kyrie eleison, *secundus & ipse idem dicit* Kyrie eleison, *& tertius postea* Kyrie eleison, *deinde quilibet usque ad septimum singulatim dicit* Kyrie eleison. *Prior vero postquam omnes dixerint sigillatim* Kyrie eleison, *dicit* Christe eleison, *& omnes septem dicunt sigillatim* Christe eleison. *Postea prior dicit* Christe audi nos; *& quilibet sigillatim dicit* Christe audi nos; *& prosequitur totam letaniam usque ad finem. Et dicuntur de quolibet choro septem sancti, septem de Apostolis, septem de Martyribus, septem de Confessoribus, & septem de Virginibus. Et postmodum fit letania quina per quinque subdiaconos, per omnia ut supra, excepto quod de quolibet choro dicuntur quinque sancti: & deinde letania terna per tres subdiaconos, per omnia ut supra, excepto quod de quolibet choro dicuntur tres sancti.*

Et unus sacerdos catechizat præsentatos sibi infantes, faciens crucem cum pollice in frontibus singulorum. In nomine † Patris, † & Filii, † Spiritus-sancti. Amen. *Postea imposita manu super capite eorum dicit:* Nec te lateat

lateat satana. *Post hæc tangat aures & nares singulorum de spute dicens*: Ephera quod est adaperire aures & nares, &c.

Tunc invocato nomine uniuscujusque dicat: Johanes *sive* Maria, abrenuntias satanæ? ℞. Abrenuntio. *Et sacerdos iterum dicit*: Et omnibus operibus ejus? ℞. Abrenuntio.

Postea tangit de oleo sancto catechizande pectus & inter scapulas crucem faciendo cum pollice dicat: Et ego te linio, &c. *Tunc imposita manu iterum super capita, dicat orationem Dominicam & symbolum.*

Infantibus vero catechizatis, letaniis completis, lectionibus perlectis, & ceteris decantatis, Pontifex vel archipresbyter cum omni schola clericorum descendit ad benedicendum fontem: præcedentibus subdiacono cum cruce, & aliis necessariis cum cantoribus cantantibus tractum, Sicut cervus desiderat, &c. *Deinde ad fontes, antequam ineat ad benedictionem fontium, dicat hanc orationem ibi juxta fontes.*

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad devotionem populi renascentis, qui sicut cervus aquarum expetit fontem; & concede propitius ut fidei ipsius sitis baptismatis ministerio animam corpusque sanctificet. Per Dominum, ℞. Amen.

Ascendit gradus, astantibus ministris hinc inde suo faculis, factoque silentio dicit: ℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo. *Orationem quasi legendo.*

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnis pietatis tuæ mysteriis, adesto sacramentis; & ad creandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, Spiritum adoptionis emitte; ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

In vigilia vero Pentecostes loco suprascriptæ orationis, scilicet, Omnipotens sempiterne Deus, *dicitur oratio sequens.*

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut solemnitatem doni Sancti Spiritus colimus, cælestibus desideriis accensi, fontem vitæ sentiamus. Per.

Sequitur fontis benedictio ut supra col. 205. Sed antequam projiciatur chrisma in fonte, mansionarius vel alius clericus hauriat de aqua illa benedicta fontis ad aspergendum per domos & utensilia domorum.

Benedictione completa, & præsentatis sibi infantibus, Johanne *scilicet*, & Petro, *atque* Maria, *interrogat afferentem*: Quid vocaris? ℞. Johannes.

Et dicat: Johannes, Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cęli & terræ? ℞. Credo.

Iterum interroget: Credis in Jesum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum & passum? ℞. Credo.

Iterum interrogat: Credis in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen? ℞. Credo.

Iterum interrogat: Johannes vis baptizari? ℞. Volo.

Tunc baptizatus sub trina mersione S. Trinitatem semel tantum invocando sic: Ego te baptizo, in nomine Patris, *& mergat semel*. Et Filii, *& mergat secundo*. Et Spiritus sancti, *& mergat tertio*, ut habeas vitam æternam. Amen.

His vero baptizatis, Pontifex vadit ad chrismarium, & sacerdotibus canonicis vel mansionariis seu custodibus baptizantibus reliquos parvulos. Baptizatos autem sacerdos sacro chrismate & verticem eorum perungat, & dicat. ℣. Pax tecum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

Oratio.

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu-sancto, quique tibi dedit remissionem peccatorum tuorum, ipse te liniat chrismate salutis in vitam æternam. Amen.

ORDO XX.

Ex Rituali Cadomi anno 1614. edito.

MODUS BAPTIZANDI SECUNDUM ECCLESIAM ROMANAM.

Cum venerit infans ante januas ecclesiæ, sacerdos interroget de nomine infantis; & faciat eum tenere super brachium dextrum, & dicat: Johannes, *vel* Petre, *vel* Maria, quid petis ab Ecclesia Dei? *Respondet patrinus*: Fidem.

Sacerdos. Fides quid tibi præstat? *Respondet patrinus*. Vitam æternam.

Sacerdos. Hæc est vita æterna: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum: hoc est primum & maximum mandatum.

Et dicat hoc tribus vicibus. Postea insufflet ter in faciem ejus, & dicat:

Exi ab eo, *vel* ab ea, immunde spiritus, & da locum Spiritui-sancto Paraclito.

Et idem dicat tribus vicibus. Deinde faciat crucem in fronte & in pectore infantis, nominando, & dicat:

N. Accipe signaculum ✠ Dei Patris omnipotentis, tam in fronte quam in corde, ut præcepta mandatorum suorum valeas adimplere.

Tunc exhalet calido flatu ter in faciem ejus, & dicat:

Insufflo te catechumenum denuo, in virtute Spiritus-sancti, ut quicquid in te vitii malorum est spirituum invasione, per hujus exorcismi mysterium, gratiæ sit tibi ipsa virtus purgatio.

Oratio.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi; & electum tuum N. crucis Dominicæ, cujus impressione eum, *vel* eam signa † mus, virtute custodi; ut magnitudine gloriæ tuæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum, ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Dominum nostrum.

Tunc accipiat sal, & ponat in ore infantis, dicens invocato nomine ejus.

N. Accipe sal sapientiæ, quod propitietur tibi in vitam æternam. ℞. Amen.

Oremus.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius; ut hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quominus cibo expleatur cœlesti: quatenus sit semper, Domine, spirito fervens, spe gaudens, & tuo nomini semper serviens: & perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Deinde dicat. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. ℞. Gloria tibi, Domine.

In illo tempore, oblati sunt parvuli ad Jesum, ut manus eis imponeret, & oraret: Discipuli autem ejus increpabant eos. Jesus vero ait: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere venire ad me: talium est enim regnum cęlorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

Tunc introducat infantem in ecclesiam, & dicat:

Petre, *vel* Maria, intra in conspectum Domini per manum sacerdotis, ut habeas vitam æternam. ℞. Amen.

Et dicant Pater noster, & Credo in Deum. *Et ponant infantem in pavimento. Et dicto* Credo in Deum & Pater noster; *tunc tangat aures & nares ejus cum spute dicens*:

Effeta, quod est adaperire aures & nares in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Et dicit ei invocato nomine ejus N. Abrenuntias satanæ? *Respondet patrinus*: Abrenuntio.

Sacerdos: Et omnibus operibus ejus? *Respondet patrinus*: Abrenuntio.

Sacerdos: Et omnibus pompis ejus? *Respondet patrinus*: Abrenuntio.

Deinde tangat ei pectus & inter scapulas de oleo sancto, faciendo crucem ✠ cum pollice, & dicat ad eum:

Et ego te linio pectus & scapulas oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam æternam.

Et venientes supra fontem, sacerdos interrogat infantem, ita dicens: Quo nomine vocaris? *Respondet patrinus*. N.

Item interroget: N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ? *Respondet patrinus*: Credo.

Sacerdos: Credis & in Jesum Christum, Filium ejus, unicum Dominum nostrum, natum & passum? *Respondet patrinus*: Credo.

Sacerdos: Credis & in Spiritum-sanctum, & sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam? *Respondet patrinus*: Credo.

Deinde dicat ei: Petre, *vel* Maria, vis baptizari? *Respondet patrinus*: Volo.

Deinde baptizet sacerdos infantem sub trina immersio-

ne,

ne, *sanctam Trinitatem semel invocans & dicens:* Et ego te baptizo, in nomine Patris † *& mergat semel.* Et Fi † lii, *& mergat iterum.* Et Spiritus † sancti, *& mergat tertio. Ut autem surrexerit a fonte, faciat presbyter signum crucis † chrismate cum pollice in vertice capitis ejus, dicens hanc orationem.*

Oremus.

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu-sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate olei salutis in vitam æternam. Amen.

Deinde sacerdos accipiat linteum, & ponat in capite infantis, & dicat hanc orationem:

Accipe vestem candidam, sanctam, & immaculatam, quam perferas coram Domino nostro Jesu Christo, ut habeas vitam æternam. Amen.

ORDO XXI.

Ex Rituali Ambrosiano jussu Cæsaris-Montii Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis edito.

ORDO BAPTISMI PARVULORUM.

I*Nfans sub vestibulo ecclesiæ præ foribus a compatre, aut commatre, brachio dextro illum vel illam sustentante, ita offertur, ut e conspectu parochi sit: qui superpelliceo & stola violacea indutus, in limine ostii ecclesiæ stans, primo interroget, an suæ parochiæ, tum masculus-ne sit, an fœmina; post, an domi baptizatus. Ubi vero baptizatus non sit, ita ut infra, ordine, atque interrogat, & advertat ut genus in pronunciando semper mutet, si fœmina fuerit, ut in rubricis dictum est.*

Parochus. Quis illum offert? *Patrinus.* Ego. *Parochus.* Quid vult fieri? *Patrinus.* Christianus. *Parochus.* Meretur a parentibus suis? *Patrinus.* Meretur.

Tum parochus abrenunciationis mysterium inchoando, ad infantem versus, interrogat.

Abrenuncias diabolo? *Patrinus pro infante respondet:* Abrenuncio.

Parochus. Abrenuncias sæculo & pompis ejus? *Patrinus:* Abrenuncio.

Tunc parochus illum admonet & contestatur dicens:

Memor esto sermonis tui: & numquam tibi excidat tuæ series cautionis.

Patrinus. Memor ero.

Deinde parochus pollice & indice saliva oris sui perfuso, tangit infantis aures & nares. Cum tangit aures dicit:

Epheta, quod est adaperire.

Nares tangendo dicit:

In odorem suavitatis, in Christo Jesu Domino nostro, in vitam æternam. ℟. Amen.

Post ter faciem illius, ad similitudinem crucis, exsufflat dicendo:

Exsufflo te, immundissime spiritus, in nomine † Domini nostri Jesu Christi. Tu autem effugare, diabole: appropinquabit enim judicium Dei.

Hic oleo catechumenorum pollice suo intincto, eum ungit in pectore, & inter scapulas, signum crucis faciendo, simulque dicendo.

Ego te linio oleo salutis, in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam æternam: ℟. Amen.

Postea bombacio partes unctas abstergit; quod in pelvicula seponit, ut post baptismum comburatur, & in sacrarium mittatur, ac deinceps dicit:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Æternam & justissimam pietatem tuam, &c.

Exsufflat in faciem ejus ad similitudinem crucis, tum dicit:

Exorcizo te, omnis immundissime spiritus, in nomine Domini nostri † Jesu Christi, omnis incursio adversarii, omnis ira, omne phantasma, eradicare & effugare ab hoc plasmate Dei, quod Dominus noster Jesus Christus hodie ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum Dei vivi, & Spiritus-sanctus habitet in eo, in nomine † Dei Patris omnipotentis, & in nomine † Jesu Christi filii ejus, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Hic interrogat quod nomen parentes aut efferentes infanti imponi volunt, eoque nomine appellans, crucem in fronte faciens, dicit:

N. accipe signum sanctæ † crucis, serva præcepta divina: verbo Dei hodie renasceris, & cælesti luce formaris. Ingredere templum Dei vivi, & sublato errore tenebrarum, evasisse te laqueos mortis lætus agnosce. Nunc ergo promissa cælestia & adventum Dei omnipotentis expecta, ut possis sperare venturum Verbum genitum, virginali partu editum, credentibus annuntiatum, in cujus invocatione illuminaris, cujusque signaculo in fronte signaris, per hoc signum quod non delebitur, in nomine † Dei Patris omnipotentis, & in nomine † Jesu Christi Filii ejus, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus cui ad initiandum nulla parvitas non idonea est, qui omnem ætatem, omnemque sexum ad majestatis tuæ cultum dignanter admittis: tibi hæc novi hominis exordia & rudis vitæ dicamus infantiam: Da ut hunc ignarum mali parvulum unigeniti tui signo sanctæ † crucis tueatur inscriptio: tuus sit, tibi adolescat, te timeat, te diligat, te creatorem suum semper agnoscat, & ad sanctum lavacrum regenerationis te deducente perveniat. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hoc loco parochus exorcizat & benedicit sal, in quo benedicendo tribus primis vicibus exsufflet super illud ad similitudinem crucis: reliquis vero manu tantum benedicit.

Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris † omnipotentis, & in caritate Domini nostri Jesu † Christi, & in virtute Spiritus † sancti. Exorcizo te per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum qui te ad tutelam generis humani procreavit, & populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hæc creatura salis in nomine sanctæ Trinitatis efficiatur salutare sacramentum, ad effugandum inimicum, quam tu, Domine, sanctificando † sanctifices, & benedicendo † benedicas: Ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℣. Amen.

Deinde accipiat sal benedictum primoribus digitis, & dum modicum immittit in os infantis, eum nominatim appellando, ita dicit:

N. Accipe sal sapientiæ: propitiatum sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, &c.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui Moysen, &c.

Hoc loco parochus exuit stolam violaceam, & induit albi coloris aliam: qua non infantem tangens, sed nutu significans ut introeat, præeundo illum introducit in ecclesiam, dicens:

Ingredere, fili, in domum Dei: audi Patrem tuum docentem te viam scientiæ.

Dum accedit ad fontem, potest dicere psalmum sequentem.

Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, &c.

Infans apud sacrum fontem humi collocatur, pedibus versis ad baptismalem fontem, & sacerdos ad altare spectans una cum compatre commatreve, dicit: Credo in Deum, &c. *&* Pater noster.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius de excelsa sede majestatis tuæ super hunc famulum tuum N. competentem, qui ad tuam cucurrit ecclesiam. Concede ei, Domine, ut sub protectione manus tuæ ad sacri baptismatis gratiam pervenire mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum, &c.

Postea interrogat eum qui baptizandus est proprio nomine hoc modo.

Parochus. N. Quid petis? *Patrinus:* Baptizari.

Parochus. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ? *Patrinus.* Credo.

Parochus. Credis & in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, & passum? *Patrinus.* Credo.

Pa-

Parochus. Credis & in Spiritum-sanctum: sanctam Ecclesiam catholicam: sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: vitam æternam? *Patrinus*. Credo.

Deinde parochus infantem supinum, a patrino sublatum utraque manu excipit, ita ut dextera capiti ejus propior sit: tum ter occiput mergit in aqua in crucis formam. Et mergendo, si certo scit illum non esse baptizatum, explicate profert.

N. Ego te baptizo in nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus †- sancti. Amen.

Quæ verba proferantur dum ter mergit, semel dum ait: N. Ego te baptizo in nomine Patris, *iterum dum ait:* Et Filii, *tertio dum dicit:* Et Spiritus sancti. Amen.

Compater autem postremo manum infanti supponit, & de fonte levat, atque ita tenet, ut orientem spectet. Sin autem parochus re investigata atque ita explorata dubitat an infans baptizatus sit, ita dicit:

N. Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Patris †, & Filii, † & Spiritus †- sancti. Amen.

Idque mergendo modo supra notato.

Parochus baptizati infantis caput mantili abstergit: tum genibus flexis cum compatre dicit Litaniam.

Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Domine miserere. ℟. Domine miserere.
Domine miserere. ℟. Domine miserere.
Domine miserere. ℟. Domine miserere.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
S. Maria, intercede pro eo, *si fœmina, dicat*, pro ea.
S. Michael, intercede pro eo. ea.
S. Gabriel, intercede pro eo. ea.
S. Raphael, intercede pro eo. ea.
S. Joannes, intercede pro eo. ea.
S. Petre, intercede pro eo. ea.
S. Paule, intercede pro eo. ea.
S. Jacobe, intercede pro eo. ea.
S. Andræa. intercede pro eo. ea.
S. Stephane. intercede pro eo. ea.
S. Nazari, intercede pro eo. ea.
S. Celse, intercede pro eo. ea.
S. Protasi, intercede pro eo. ea.
S. Gervasi, intercede pro eo. ea.
S. Thecla, intercede pro eo. ea.
S. Pelagia, intercede pro eo. ea.
S. Martine, intercede pro eo. ea.
S. Galdine, intercede pro eo. ea.
S. Carole, intercede pro eo. ea.
S. Ambrosi, intercede pro eo, ea.
Omnes Sancti, intercede pro eo, ea.
Exaudi Christe, Voces nostras.
Exaudi Christe, Voces nostras.
Exaudi Christe, Voces nostras.
Exaudi Deus. Et miserere nobis.
Exaudi Deus, Et miserere nobis.
Exaudi Deus, Et miserere nobis.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.

Baptizato infante, sacerdos intingit pollicem in chrismate & profert orationem sequentem, & dum dicit: Ipse te liniat, &c, *ungit verticem infantis in formam crucis.*

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, &c.

Deinde bombacio eum abstergit, & reponit, ut supra imponitque ei vestem candidam; & dum imponit, ita dicit.

Accipe vestem candidam, sanctam & immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Postea dat compatri, commatrive infantem in dextera tenenti candelam accensam, & ait:

Accipe lampadem ardentem irreprehensibilem: custodi baptismum tuum, serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis ei occurere cum omnibus sanctis in aula cœlesti, habeasque vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti famulum tuum ex aqua & Spiritu-sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum: tribue ei continuam sanitatem, ad cognoscendam divinitatis tuæ virtutem. Per Dominum nostrum, &c.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.
℣. Benedicat & exaudiat nos Deus.
℟. Amen.
℣. Procedamus cum pace.
℟. In nomine Christi.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Benedictio Dei omnipotentis Patris †, & Filii † & Spiritus- † sancti, descendat super te & maneat semper, ℟. Amen.

QUÆ SERVANDA SUNT POST BAPTISMUM.

Baptismo expleto, medulla panis digitos parochus abstergei: aqua manus ambas solas lavabit, nec ullus præterea alius; aquam ablutionis in sacrarium statim effundet.

Si quæ autem linteola ad abstergendum infantis caput allata erant, ea sic adhibita in usum profanum non convertat. Quod si Ecclesiæ usibus accommodari non queunt, comburet: cinerem vero in sacrario recondet.

Lotis manibus, sermonem pro personarum multitudine, fletuque habebit, in quo præter cætera aliquam etiam considerationem christianam explicabit, de solemni sponsione, quam unusquisque fidelis in baptismo facit, ut fideles qui adsunt, tam sanctæ promissionis recordatione excitati, videant atque exequantur quæ solemniter spoponderant.

Compatres præterea monebit, docebitque eorum officii partes, quas pro susceptionis fidejussionisve munere præstare debent, ut scilicet, quemadmodum sanctus Augustinus monet: infanti semper sollicitudinem veræ charitatis impendant, curentque ut is instituatur doctrina christianæ rudimentis, admoneantque ut idem castitatem custodiat, a maledicto & perjurio linguam cohibeat, superbia non efferatur, non invideat, iracundiam odiumve in corde non teneat; & alia id generis.

Demonstrabit item cognationem spiritualem, quæ inter compatres & baptizatum, illiusque patrem & matrem: ac præterea inter baptizantem, baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum contracta est.

Quæ cognatio spiritualis docebit quam mutuis sanctæ charitatis officiis, & quam sincere, & quam caste imprimis colenda sit.

Monebit de pœna excommunicationis decreto Concilii provincialis proposita, ipso facto subeunda, si ante annum puerpera, nutrixve, aut alia quævis mulier, aut alius quicumque vir infantem una secum in lecto teneat sine præscripta cautione, aut si quis id facere coegerit.

Monebit item, ut puerpera simul atque domo a partu pedem effert, ecclesiam parochialem adeat, ubi benedictionem accipiat, stata prece præscripta in hujus libri parte secunda.

Cavebit ne ob eam causam ipse puerperæ domum ingrediatur, etiamsi illa adversa valetudine laboraret: neque eidem panem benedictum sub hostiæ forma præbebit.

Cavebit a comessationibus baptismi tempore etiam domi parentum infantis.

Notabit præscripta ratione in libro baptizatorum, antequam discedat, si commode fieri potest, nomina & cognomina, ac patriam infantis, parentum & patrini ac matrinæ sive in Ecclesia, sive domi infans baptizatus est: annum item & diem, cæteraque ad præscriptum formulæ tradita.

Monebit denique, eamdem baptismi diem a parentibus notari: ut qua die infans baptizatus est, eum ex instituto patrum, quotannis ardentiori prece, eleemosyna, si per facultates potest, omnique charitatis opere atque officio spiritualisque gaudii celebritate recolat: memor se chyrographo damnationis deleto, hæreditatis cælestis participem in Christo Domino factum esse. Repete, *inquit sanctissimus pater noster Ambrosius*, quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renonciasti diabolo & operibus ejus, mundo, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus: Memor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ series cautionis.

ORDO

ORDO SUPPLENDI IN ECCLESIA SOLEMNES BAPTISMI CÆREMONIAS, CUM INFANS DOMI OB NECESSITATEM BAPTIZATUS EST.

PArochus superpellicea & stola violacea indutus, in limine ecclesiæ, de infante domi baptizato, in vestibulo ecclesiæ oblato, ut superius dictum est, interrogat.

Deinde a patrino nomen infantis inquirit, tum illum appellans, dicit:

Abrenuncias diabolo? *Patrinus*: Abrenuntio.

Parochus: Abrenuncias sæculo & pompis ejus? *Patrinus*: Abrenuncio.

Tum parochus illum admonet & contestatur dicens:

N. Memor esto sermonis tui & numquam tibi excidat tuæ series cautionis. *Patrinus*: Memor ero.

Deinde parochus pollice & indice saliva oris sui perfuso, tangit infantis aures, primo dexteram, deinde sinistram dicendo:

Epheta, quod est adaperire. *Postea nares, dicendo*: In odorem suavitatis, in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. Amen.

Hic oleo cathecumenorum pollice suo intincto eum ungit in pectore & inter scapulas, signum crucis faciendo, simulque dicendo:

Ego te linio oleo salutis, in Christo Jesu † Domino nostro, in vitam æternam. ℟. Amen.

Postea bombacio partes unctas abstergit, ac deinceps dicit.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, &c.

Hic illum appellans signat in fronte signo crucis his verbis:

N. Accipe signum sanctæ crucis, serva præcepta divina. Ingredere templum Dei vivi, & sublato errore, &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus cui ad initiandum nulla parvitas non idonea, &c.

Hoc loco parochus exorcizat & benedicit sal, in quo benedicendo tribus primis vicibus exsufflat super illud ad similitudinem crucis: reliquis vero manu tantum benedicit, sicque dicit.

Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris, &c.

Deinde accipit sal benedictum primoribus digitis; & dum modicum immittit in os infantis, eum nominatim appellando ita dicit:

N. Accipe sal sapientiæ, propitiatum sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor, &c.

Deinde stola alba suscepta, introducit illum in ecclesiam & ait:

Ingredere fili in domum Dei, audi patrem tuum docentem te viam scientiæ.

Dum accedit ad fontem potest dicere, psal. Sicut cervus. *Infans apud sacrum fontem humi collocatur, & sacerdos una cum compatre commatreve dicit*: Pater noster, *&* Credo.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus respicere propitius de excelsa sede majestatis tuæ super hunc famulum tuum N. qui ad tuam cucurrit Ecclesiam. Per Dominum, &c.

Deinde dicit cum compatre litaniam, ut supra.

Hic postea parochus intingit pollicem in chrismate, & profert orationem sequentem, & dum dicit: Ipse te liniat, &c. *ungit verticem infantis chrismate in formam crucis.*

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus Pater omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, &c.

Deinde bombacio locum abstergit, imponitque ei vestem candidam, & dum imponit, ita dicit:

Accipe vestem candidam, &c. *ut supra.*

Postea dat compatri commatrive, qui infantem in dextera tenet candelam accensam, & ait:

Accipe lampadem ardentem irreprehensibilem, &c. *ut supra.*

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti famulum, &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison,

℣. Benedicat & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Benedictio Dei omnipotentis, Patris †, & Filii †, & Spiritus † sancti, descendat super te, & maneat semper. Amen.

DE BAPTISMO ADULTOTUM.

LIcet episcopalis curæ sit, quemadmodum Conciliis provincialibus decretum est; ut quæ cura & diligentia ex canonum præscripto patrumque doctrina adhibenda est in iis ad baptismum admittendis, qui adulta seu perfecta sunt ætate, ea ne ullo modo omittatur: immo episcopi plerumque ejus ætatis homines, ipsi baptizare soleant: hoc tamen loco ea res omnino prætermittenda non fuit.

Cum is baptismum petit, sive Judæus ille sit, sive paganus, sive alius, primo quærantur testimonia certa de ejus conditione, anteacta vita, statuque omni; & hominis voluntas diligenter exploretur, utrum ex animo veraque pietate baptismum petat.

Si ita comperiatur, per piam religiosumque virum inquiratur utrum priorem vitæ rationem deserere vere proponat: utrum peccatorum suorum pœniteat, atque in posterum abstinere statuat.

Ad quæ si ille recte pieque animo sit paratus, tum idoneo, religiosoque viro committatur; a quo per aliquos menses, nisi justa vel necessaria causa brevius spatium requirat, fidei doctrina & christianæ vitæ institutionibus accurate erudiatur, & congrua quoque abstinentia exerceatur.

Cum satis fuerit archiepiscopi arbitrio christiane instructus, ad ecclesiam ducatur communi vestitu, albam vestem mox post baptismum rite accepturus, eique statæ ceremoniæ adhibeantur, ex ordine baptismi parvulorum.

Et quoniam dilatio baptismi adulto convenit, poterit plerumque ad majorem sacramenti cultum, unum ex statis temporibus Paschatis & Pentecostes expectari.

Interroganti respondeat ipse, non patrinus: quod si forte mutus, aut furiosus baptizandus esset, archiepiscopus consulatur: qui item statuat quando illa interrogatio adhibenda sit.

Patrinus tamen semper assistat, tamquam qui pro baptizando spondeat.

Genuflexus debet qui baptizandus est fidem profiteri, baptismumque petere.

Baptizetur per immersionem, ut ritus Ambrosianæ ecclesiæ postulat, siquidem commode fieri possit, alioqui per infusionem.

Quomodo autem qui baptizatus est, postea curetur, sive a patrinis quorum proprium officium est, sive ab aliis ab archiepiscopo probatis, concilio provinciali primo expressum est quo loco de Judæis agitur.

ORDO XXII.

Ex Græcorum Euchologio.

OFFICIUM SANCTI BAPTISMATIS.

INgreditur sacerdos, & albo sacerdotali ornatu assumpto & brachialibus, cereisque accensis omnibus, thuribulo etiam accepto, ad piscinam proficiscitur, & thus in circuitu ejus adolet: reditoque thuribulo, adorat. Tum vero sacerdos dicit: Benedic Domine. *Et sacerdos alta voce, ait*: Benedictum regnum Patris, & Filii, & Sancti Spiritus: nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Diaconus.

In pace Dominum precemur.

Pro suprema pace.

Pro pace totius.

Pro sancta hac domo.

Pro archiepiscopo.

Ut sanctificetur aqua hæc virtute, & operatione, & adventu Spiritus sancti. Dominum precemur.

Ut in eam redemptionis gratia, & Jordanis benedictio mittatur. Dominum precemur.

Ut virtus purgativa supersubstantialis Trinitatis his aquis insideat. Dominum precemur.

Ut lumine cognitionis & pietatis per Spiritus-sancti adventum per eam illuminemur. Dominum precemur.

Ut fiat depulsio omnium insidiarum inimicorum, tam visibilium quam invisibilium. Dominum precemur.

Ut baptizandus in ea regno immortali dignus fiat. Dominum precemur.

Pro eo qui nunc ad sanctam illuminationem accedit, & pro salute ejus. Dominum precemur.

Ut

Ut filius lucis & hæres æternorum bonorum fiat. Dominum precemur.

Ut complantatus & particeps mortis & resurrectionis Christi Dei nostri fiat. Dominum precemur.

Ut baptismi stola, & Spiritus arrha, pura & immaculata in tremendo Christi Dei nostri die, illi conservetur. Dominum precemur.

Ut regenerationis lavacrum fiat ei aqua hæc in remissionem peccatorum & incorruptionis indumentum. Dominum precemur.

Ut Dominus Deus vocem & orationem nostram exaudiat. Dominum precemur.

Ut ipsa & nos ab omni tribulatione, ira & angustia liberemur. Dominum precemur.

Suscipe, salva, miserere.

Sanctissimæ, illibatæ.

Diacono hæc dicente, sacerdos tacitus apud semetipsum orationem hanc dicit:

Clemens & misericors Deus, qui corda scrutaris & renes, secretaque hominum solus nosti: nihil enim coram te absconditum est, sed omnia nuda sunt & aperta oculis tuis: qui ea quæ in me sunt probe nosti; ne projicias me, neque faciem tuam avertas a me; sed omitte peccata mea in hac hora, qui hominum peccata dissimulas propter pœnitentiam. Ablue sordes corporis mei, & maculas animæ meæ, totumque & integrum me tua virtute invisibili sanctifica; ne libertatem aliis prædicans, eamque dicta ineffabilis tuæ humanitatis fide aliis largitus, ipse ut servus peccati reprobus efficiar. Ne, Domine, solus bonus & misericors, ne avertar confusus, quin potius mitte ad me virtutem ex alto, & ad præsentis magni mysterii ministerium me corrobora, & in regenerando per meam miseriam Christum efforma, & eum super fundamentum apostolorum & prophetarum superædifica; & ne evellas, sed potius in tua sancta catholica & apostolica ecclesia, ceu veritatis germen eum complanta, nec inde avelli permittas, ut eo in pietate proficiente glorificetur sanctissimum nomen tuum Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Sciendum, in suprapositæ oratione non fieri exclamationem, sed sacerdotem tacitum apud se Amen *dicere. Deinde clara voce hanc orationem profert.*

Magnus es, Domine, & miranda sunt opera tua, nec ullus sermo ad mirabilium tuorum laudem sufficiat. *Dicatur ter.* Tu enim voluntate tua, ex non existentibus ad esse cuncta adduxisti: tua potestate cuncta contines, & tua providentia mundum moderaris. Tu e quatuor elementis creaturæ compacta, quatuor temporibus anni circulum coronasti. Te intellectuales cunctæ potestates contremiscunt, te laudat sol, te luna celebrat, tibi adsunt astra, tibi lux obtemperat, coram te tremunt abyssi, tibi obsequuntur fontes. Tu cælum sicut pellem extendisti, tu firmasti terram super aquas, tu arena mare circumvallasti, tu ad respirationem aerem expandisti. Angelicæ virtutes tibi ministrant, te adorant archangelorum chori, multis oculis inclyta Cherubim, & sex alis volitantia Seraphim te circumstantia, inaccessæ gloriæ tuæ metu occultantur. Tu namque Deus incomprehensus, sine causa, & ineffabilis in terram descendisti, forma servi accepta, in similitudinem hominum factus. Non enim poteras, Domine, propter viscera misericordiæ tuæ videre hominum genus tyrannidi diaboli subjectum, propterea venisti, & salvasti nos. Gratiam fatemur, misericordiam prædicamus, non occultamus beneficium. Naturæ progeniem liberasti, tuo partu virgineum uterum sanctificans: unde & omnis creatura te cum apparuisti collaudavit. Tu enim Deus noster in terra visus es, & cum hominibus conversatus es. Tu & Jordanea fluenta sanctificasti, Sancto Spiritu cælitus demisso, reconditorum ibi draconum nidos dissipasti. Ipse igitur, benigne Rex, adesto per Sancti Spiritus tui adventum, & aquam istam benedic. *Dicatur ter.* Et da ei redemptionis gratiam, Jordanis benedictionem: fac illam incorruptionis fontem, sanctitatis munus, peccatorum solutionem, ægritudinum medelam, dæmonibus perniciosam, adversariis potestatibus inaccessam, angelica virtute exundantem: & ab ea effugiant, qui creaturæ insidiantur. Quia nomen tuum admirabile & gloriosum, adversariisque formidandum invocavi, Domine.

Et insufflans in aquam, cruce illam signat, & orationem adjicit, dicens:

Conterantur sub signo figuræ crucis tuæ adversariæ cunctæ potestates. *Dicatur ter.* Discedant a nobis aerea cuncta & invisibilia idola, spectraque, & tenebrosus dæmon in aqua ista non abscondatur: Neque cum baptizando precamur, spiritus nequam cogitationum caliginem & mentis turbationem inducens, descendat: sed tu omnium Domine aquam redemptionis renuncia illam, sanctificationis aquam, carnis & spiritus expiationem, vinculorum relaxationem, delictorum remissionem, animarum illuminationem, regenerationis lavacrum, spiritus renovationem, adoptionis gratiam, incorruptionis indumentum, vitæ fontem. Tu enim dixisti, Domine: lavamini & mundi estote, auferte iniquitatem ab animabus vestris. Tu nobis supernam & iteratam desuper nativitatem per aquam & spiritum contulisti. Appare, Domine, etiam in hac, & baptizandum in ea transmuta, ut veterem hominem, qui ob seductionis concupiscentias corruptus erat, deponat; novum, qui secundum imaginem creantis eum renovatur, induat: ut similitudini mortis ejus per baptismum complantatus, resurrectionis particeps fiat: & dono Spiritus sancti tui custodito, & gratiæ deposito multiplicato, bravium supernæ vocationis accipiat, & primogenitis descriptis in cælis annumeretur: in te Deo & Domino nostro Jesu Christo, cui cum principii experte tuo Patre, & cum sanctissimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu, sit gloria & potestas: nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Pax omnibus. *Diaconus.* Capita vestra Domino inclinate.

Et ter sacerdos in vas olei insufflat, illudque tertio cruce signat, id est oleum a diacono tenendum, & eodem dicente: Dominum precemur; *sacerdos sequentem orationem dicit:*

Dominator Domine, Deus Patrum nostrorum, qui in arca Noe salvatis columbam olivæ ramum, reconciliationis symbolum, ore ferentem misisti, & per eos tam salutis a diluvio, quam gratiæ mysterium præsignasti, & deinceps olivæ fructum in sanctorum sacramentorum tuorum complementum subministrasti; qui per eum & legi subditos Spiritu-sancto replesti, & eos qui sunt in gratia perfecisti: ipse virtute & operatione & adventu Sancti Spiritus oleum hoc benedic, ut incorruptionis unctio, justitiæ armatura, animæ corporisque renovatio, omnis diabolici machinamenti expulsio, in immunitatem a malis sive ex eo unctis, vel illud quoquo modo assumentibus fiat. In gloriam tuam, & Unigeniti Filii tui, & sanctissimi, & boni, & vivifici tui Spiritus, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. *Chorus respondet*, Amen.

Diaconus. Attendamus. *Sacerdos cum populo ter* Alleja *decantans, tres cruces oleo in aqua effuso facit: Et deinde exclamat:*

Benedictus Deus, qui illuminat & sanctificat omnem hominem in hunc mundum venientem: nunc & semper, & in sæcula sæculorum. *Chorus.* Amen.

Tunc offertur baptizandus: & sacerdos accepto oleo crucis figuram exprimit in ejus fronte, & in pectore, & in dorso dicens:

Ungitur servus Dei N. oleo exultationis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Et cruce signat ejus pectus & dorsi medium. In pectore quidem dicens: In animæ corporisque medelam: *In auribus:* Ad fidei auditum. *In pedibus:* Ad ambulandum gressus tuos. *In manibus:* Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me.

Uncto vero toto corpore, baptizat eum sacerdos, erectum illum tenens, & ad ortum solis respicientem, & dicit:

Baptizatur servus Dei N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. *Unaquaque prolatione demergens & educens eum ex aqua. Et peracta baptismi actione, lavat se sacerdos decantans cum populo:* Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, *& reliquum psalmum. Illud autem ter dicitur: & induens eum suis involucris, ait:* Induitur servus Dei N. tunica justitiæ, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Et canitur modulus tono obliquo quarto: Tunicam mihi præbe lucidam, qui lumine amictus es sicut vestimento, valde misericors Christe Deus noster.

Et postquam indutus fuerit, adjicit sacerdos orationem hanc:

Dominum precemur.

Benedictus es Domine Deus omnipotens, fons bonorum, sol justitiæ, qui per Unigeniti Filii tui & Dei nostri apparitionem, velut salutis sol, iis, qui in tenebris erant, illuxisti, & nobis indignis beatam purgationem in vivifica unctione contulisti: qui & nunc recens illuminatum servum tuum per aquam & Spiritum peccatorum sponte atque etiam indeliberata commissorum

remissio-

remissione ei concesse, regenerare voluisti; ipse, Domine rex omnium benigne, signaculum doni sancti & omnipotentis & adorandi tui Spiritus, & sancti Corporis & pretiosi Sanguinis Christi tui communionem ei largire. In sanctitate tua custodi illum, in vere fide confirme a maligno & omnibus ejus astutiis illum erue, & salutari tuo timore in puritate & justitia animam illius custodi, ut omni verbo & opere tibi placitus filius & heres evadat regni cælestis.

Exclamando.

Quia tu es Deus noster, Deus miserendi & salvandi, & tibi gloriam rependimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Et oratione hac terminata, baptizatum sancto unguento ungit, crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus dicens:

Signaculum doni Spiritus-sancti. Amen.

Deinde cum susceptore & puero in circuli modum procedit sacerdos. Nos vero canimus: Quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis. Alleluja. *Terque dicitur. Et deinceps propositum.* Dominus illuminatio mea. ℣. Dominus defensor vitæ meæ.

Apostolus.

Ad Romanos Epistolæ Pauli lectio.

Fratres, quicumque baptizati sumus in Christo: in morte ipsius baptizati sumus, *&c. usque* viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.

Evangelium secundum Matthæum.

In illo tempore. Undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus, *&c. usque* Et ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Amen.

Deinde fit protensa precatio & dimissio.

ORDO XXII.

Ex eodem Euchologio.

ORATIONES BAPTISMATIS QUAS PRÆCEDENTIBUS CATECHISMIS DICIT PATRIARCHA MAXIMI SABBATO SANCTO VESPERE.

Postquam introitus lucernarii, & prima sessio fuerint terminata, secundo lectore incipiente Illuminare, *descendit e throno patriarcha, & per sacristiam in magni baptisterii vestiarium ingreditur: tum mutat vestes & candido amicitur ornatu, & candida sandalia sumit, & ad piscinam progreditur. In circitu suffumigat, & thuribulo reddito, cereo signat aquam, & interim fit ab archidiacono collecta oratio.*

In pace Dominum precemur.

Pro superna pace, &c.

Pro archiepiscopi nostri sacerdotio, ope, conservatione & opere manuum ejus, Dominum precemur.

Ut regenerentur, &c.

Ut mittantur, &c.

Pro iis qui nunc ad S. Baptismum accedunt, & pro eorum salute.

Ut fiat illis hæc aqua.

Ut liberentur, &c.

Sanctissimæ.

His dictis, sacerdos subjunget tacite orationem hanc intra seipsum: misericors & clemens, *&c.*

Tacite quoque & intra seipsum exclamationem & Amen *dicit. Absolvente vero archidiacono illud:* Sanctissimæ immaculatæ, &c. *Incipit elata voce* Magnus es Domine, &c.

Et insufflat in aquam, terque digito supra signat; & rursus dicit, Conterantur sub signo, &c. *Populus,* Amen *Sacerdos,* Pax omnibus. *Diacono dicente,* Capita vestra. *Sacerdos caput in vas olei a diacono deportatum inclinans ter in illud insufflat, terque signat, & dicit* Dominator Domine, &c. *Et erectus exclamat,* Ad gloriam tuam, &c. *Et populus respondet* Amen.

Et diacono dicente Attendamus, *ollulam olei sancti sacerdos assumit, & facit ex eo in aqua tres cruces, & cum cantoribus vel cum populo canit ter* alleluja. *Reddito deinde vase, exclamat:* Benedictus Deus qui illuminat, &c.

Et offertur baptizandus uni sacerdoti, & accipit de oleo sancto, &c. Et tunc ungitur ex eodem oleo a diacono per totum corpus. Dum vero unguntur illi, circumcingitur linteo patriarcha, & supermanicalia induit, & deinde baptizat dicens:

Baptizatur N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

In unaquaque enuntiatione unius personæ educens eum & immittens in aquam.

Et dum omnes baptizati fuerint, lavatur ille, & linteum supermanicaliaque deponit; & archidiacono dicente Attendamus, *incipiunt cantores,* Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. *atque certe sacerdos cum populo illud idem dicit ter: & sic dicitur,* Benedictus es, Domine, &c.

Et oratione hac finita, ornatu baptismatis exuitur Patriarcha, & assumit eum quis missis inservit. Tum vadit ad S. Petrum, & cantore dicente: Quotquot in Christo baptizati estis, *unguento sancto baptizatos ungit, faciens signum crucis in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus dicens:*

Signaculum doni Spiritus-sancti.

His dictis, cum orphanis concinit Beati quorum remissæ sunt, *& ingreditur cum recenter illuminatis ad introitum, id est processionem, & deinceps divinam perficit missam.*

In reliquis vero festis cum baptismata in parvo baptisterio celebrantur, adveniens Patriarcha, cuncta juxta præscriptum ritum peragit. Et postquam in vestiario recenter illuminatos sancto unguento consignaverit, sedes imperatorem præstolaturus. Cantor autem cum orphanis (pueris cantoribus) psallentes: Beati quorum remissæ sunt, *recenter illuminatos in ecclesiam introducit.*

ORDO XXIV.

Ex eodem Græcorum Euchologio.

Diaconica Sancti Sabbæ pro baptismo.

In pace Dominum precemur.

Pro superna pace & salute animarum nostrarum, Dominum precemur.

Pro sancta hac domo.

Ut sanctificentur, &c.

Ut in illas redemptionis gratiam demittat Dominus, &c.

Ut adventu Sancti Spiritus aquæ istæ benedicantur.

Ut adveniat in illas, &c.

Ut benedicentur illæ ut Jordanea fluenta, Dominum precemur.

Ut inimici animarum interfectoris virtus omnis in eis extinguatur. Dominum precemur.

Ut haurientibus & sumentibus ex illis in animarum & corporum purgationem fiant. Dominum precemur.

Ut baptizati in ipsis, velut cœli luminaria absque sorde & macula manifestentur. Dominum precemur.

Ut liberemus, &c.

Oratio a sacerdote baptizaturo facienda.

Diacono faciente orationem, adprecatur sacerdos intra seipsum dicens: Misericors & clemens, &c.

Scire convenit, hoc clara voce ad finem usque a sacerdote non dici, sed & Amen *tacite pronunciat. Postquam vero diaconus diaconica hæc compleverit; sacerdos exclamat dicens:* Magnus es Domine, &c.

Et ter in aquam insufflat, & digito ter eam signat, & dicit: Conterantur sub virtute, &c. *Et responso* Amen. *Dicit sacerdos:* Pax omnibus.

Diaconus. Capita vestra, &c. *Sacerdos caput in vas olei a diacono deportato inclinans, ter illud insufflat, terque illud signat, & dicit:* Dominator Domine, &c.

Et responso Amen, *diaconus dicit* Attendamus. *Et accipit sacerdos sancti olei vas, & ex ipso facit in aqua tres cruces, & canit* Alleluja *usque tertio cum populo: & post hæc vas olei deponit. Deinde exclamat,* Benedictus Deus, &c.

Et affertur illi baptizandus, & accipit sacerdos oleum sanctum. Et tunc a diacono per totum corpus ungitur. Et demum baptizatur a sacerdote dicente:

Baptizatur N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Postquam vero baptizatus fuerit, dicit cantor. Beati quorum remissæ sunt. *Tum vero diacono faciente orationem precatur sacerdos hoc pacto:* Benedictus es Domine, &c.

Et oratione hac peracta, dicit. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. *Et unguento sacro baptizatos ungit sacerdos, facitque signum crucis in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus dicens:*

Signaculum doni Spiritus-sancti.

Disceditque dicens. Beati quorum remissæ sunt. *Mox cum recens illuminatis procedit in introitu, & celebratur divina missa.*

ORDO

ORDO XXV.

Ex eodem Græcorum Euchologio.

Dicto Amen (*superioris officii*), *incipit diaconus hac diaconica: & sacerdos hanc orationem silentio dicit; & cum compleverit orationem sacerdos, diacono litaniam agente, incipit:*

In pace Dominum precemur.

Pro pace totius.

Pro patre & archiepiscopo nostro N.

Ut inhabitat, *&c. ut supra*.

Ut hujus salutaris lavacri participum iniquitates cunctæ in aquis istis submergantur. Dominum precemur.

Ut baptizandi in illis lucis filii renuncientur. Dominum precemur.

Ut unctionis oleo divina in eis adversus hostes virtus admisceatur. Dominum precemur.

Ut ad divinitus traditi unguenti susceptionem fiant baptizandi vasa sanctificata. Dominum precemur.

Ut apostolicæ fidei indubitatam & firmam cognitionem retineant. Dominum precemur.

Ut gratia adoptionis ditentur. Dominum precemur.

Ut incondemnate sanctis mysteriis participent. Dominum precemur.

Ut hæredes renuncientur bonorum juste viventibus promissorum. Dominum precemur.

Ut cum nobis liberentur ab omni afflictione, ira & angustia.

Sacerdos dicit orationem secreto, pro ut præfatum est, diacono memorata diaconica recitante: Clemens & misericors.

Huc usque silentio dicenda. Incipiunt deinceps quæ clara voce proferenda sunt: Magnus es, Domine, *&c.*

Et insufflat ter in aquam, eamque ter digito signat, & rursum dicit: Conterantur sub signo, &c.

Sacerdos: Pax omnibus. *Diaconus:* Capita vestra Domino. *Inclinat deinde sacerdos in vas olei a diacono deportatum, & ter in illud insufflat, terque signat illud, & dicit:* Dominator Domine, *&c.*

Et accipit sacerdos sancti olei vasculum, & ex eo tres cruces in aqua efformat, cum populo ter Alleluje occinens. Post hæc ollulam deponit, & ter exclamat, Benedictus, &c.

Et offertur baptizandus uni presbyterorum, & accipit ex oleo sancto, & crucis signum in ejus fronte, & pectore, & scapulis facit dicens:

Ungitur N. oleo lætitiæ, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Et tunc ungitur a diacono totum ejus corpus. Postmodum baptizatur a pontifice dicente:

Baptizatur N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Mox vero baptizatis omnibus sertio cantat: Beati quorum remissæ sunt iniquitates. *Et dicit versum, & Dm laudes persolvit. Diaconus.* Dominum precemur. *Sacerdos orationem*, Benedictus es Domine, &c.

Et responso Amen, *digreditur patriarcha vel pontifex ad vestiarium, & cantore dicente:* Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. *Baptizatos unguento sacro sacerdos ungit, faciens crucis signum primo in fronte, dicens:* Signaculum doni Spiritus-sancti. *In oculis dicens:* Unctio Spiritus-sancti. *In naribus dicens:* Unctio pignoris Spiritus-sancti. *In auribus dicens:* Unctio participationis vitæ æternæ. *In manuum volam interiorem dicens:* Unctio sancti Christi Dei, & signaculum insidiis liberum. *In corde tandem:* Complementum doni Spiritus-sancti, thorax fidei & veritatis. *Et dicit:* Beati quorum remissæ sunt iniquitates. *Et de reliquo celebratur missa.*

ORDO XXVI.

Ex eodem Græcorum Euchologio.

IN PUERUM MORTI PROXIMUM ORATIO, SANCTORUM BAPTISMATUM OMNE PROOEMIUM BENEDICTIONEMQUE COMPREHENDENS.

Dicit *sacerdos:* Benedictum regnum Patris, &c. *Deinde* Tat Sanctus. Sanctissima Trinitas. Pater noster. Quia tuum est.

Dominum precemur.

Domine Deus omnipotens, omnis creaturæ visibilis & invisibilis opifex, qui cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, fecisti; qui in unam molem equam coarctas, qui claudis abyssum, & tremendo gloriosoque tuo nomine illam signas, qui aquas super cælos suspendis: tu super aquas terram stabilivisti, tu mare in virtute tua confirmasti, tu confregisti capita draconum in aquis, tu terribilis es, & quis resistat tibi? Respice, Domine, super creaturam tuam hanc, & super aquam istam, & redemtionis gratiam illi largire; da illi Jordanis benedictionem, fac illam incorruptionis fontem, sanctificationis donum, infirmitatum medelam, dæmonibus perniciosam, potestatibus adversis inaccessam, angelica virtute exundantem. Effugiant ab ea qui creaturæ tuæ insidiantur; quia nomen tuum mirabile, & gloriosum, & adversariis tremendum invocavi.

Et confestim oleum in aquam mittit. Deinde puerum baptizat dicens: Baptizatur servus Dei, *&c.*

Et continuo induit illum, & sacro ungit chrismate dicens: Signaculum doni, *&c. Et post hæc juxta ordinem gyrat illum cantant:* Quotquot in Christo baptizati estis, *ut supra. Et fit demissio.*

ABLUTIO POST SANCTUM BAPTISMA.

Et *post dies septem iterum puerum deferunt in ecclesiam, ut abluatur: linteisque eum solvit sacerdos, & zonam discingit, orationes subsequentes dicens:*

Dominum precemur.

Deus qui servo tuo per sanctum baptisme peccatorum redemtionem, & regenerationis vitam largitus es: Ipse, Dominator Domine, vultus tui illuminationem in ejus corde semper splendere concede: clypeum fidei ejus ab inimicorum insidiis immunem conserva, incorruptionis indumentum ab eo assumptum mundum & impollutum, & spirituale gratiæ signaculum intactum & intemeratum, in eo propitius ipsi nobisque factus, secundum multitudinem misericordiarum tuarum, custodi.

Quia benedictum est & glorificatum venerandum, & magnificum nomen tuum Patris, & Filii, & Sancti Spiritus, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Amen.

Dominum precemur.

Dominator, Domine Deus noster, qui per baptismi piscinam, splendore cælesti baptizatos illustras, qui recens illuminato servo tuo per aquam & Spiritum peccatorum sive sponte, sive involuntarie commissorum remissionem tribuisti; potenti tua manu illi imposita, bonitatis tuæ virtute illum protege: gloriæ arrham inamissam in illo custodi, & in vitam æternam beneplacitumque tuum, illum deducere digneris.

Quia tu es sanctificatio nostra, & tibi gloriam rependimus, Patri, & Filio, & Spiritui-sancto, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Pax omnibus. Capita vestra Domino inclinate.

Hic qui Christum & Deum nostrum induit, tibi nobiscum caput suum inflexit, quem velut athletam invictum adversus frustra in illum & nos irrumpentes hostes conserva, cunctosque corona incorruptibili ornatos, ad finem usque victores esse præbe.

Quia tuum est misereri & salvare, & tibi gloriam rependimus, cum principii experte tuo Patre, & sanctissimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Mox pueri cingulum solvit, & amiculum ejus, extremitatibus ad se invicem junctis, acceptum aqua munda rigat, unaque puerum aspergit dicens: Justificatus es, illuminatus es, &c.

Et accepta spongia nova, aqua frontem ejus, caput pariter, & pectus detergit, & reliqua, dicens:

Baptizatus es, illuminatus es, unguento confirmationis unctus es, sanctificatus & ablutus es, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT II.

De ritibus ad Confirmationis Sacramentum spectantibus.

ARTICULUS I.

Quo tempore olim Confirmationis sacramentum conferretur, & de ætate ad illud suscipiendum requisita.

I. POST explicatos baptismi ritus, consequens est, ut de his, qui sacramentum Confirmationis spectant, sermonem instituamus. Tanta est enim utrorumque connexio, ut ab invicem separari non debeant. Quippe confirmatio, quam veteres manuum impositionem, consignationem, spirituale signaculum; Græci chrisma, chrismatis sive unguenti mysterium appellabant, tamquam ultimum baptismi complementum, perfectio & consummatio semper suspecta est, non quasi istius integritati aliquid desit, quominus veri & sinceri censeamur Christiani: Sed quod per baptismum quasi modo geniti infantes, per confirmationem virtute Spiritus sancti imbuti, in viros perfectos crescamus. Hinc vetus illa Ecclesiæ consuetudo ad nostra fere tempora praxi saltem quibusdam in locis deducta, baptizatos etiam parvulos statim percepto baptismatis sacramento, confirmandi: Cujus rei fidem certam & indubitatam faciunt non modo Rituales libri & Pontificales a nobis superiori capite prolati; sed Patres fere omnes, qui his de rebus aliquando scripserunt.

Confirmatio olim post baptismum statim collata.

II. Hos inter principem locum tenere debet Tertullianus, qui in libro de Baptismo cap. 7. & 8. id diserte asserit: (Egressi, inquit, de lavacro perunguimur benedicta unctione . . . . dehinc manus imponitur per benedictionem invocans Spiritum sanctum.) Idem docet Tertulliani discipulus, sed magistro longe felicior ac sanctior, Cyprianus epistola 70. ad Januarium & alios scribens, quia, (ungi necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possis.) Et epistola 73. ad Jubajanum, (Quod nunc quoque, inquit, apud nos geritur, ut qui in ecclesia baptizantur, præpositis ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum-sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.) Clarius Laodiceni concilii Patres canone 48. (Oportet eos qui illuminantur post baptismum inungi supercælesti chrismate.) Similiter Dionysius in libro de Cælesti Hierarchia (ipsi, qui sacratissimo regenerationis mysterio consecrantur, adventum Spiritus sancti consummans inunctio largitur unguenti.) Hinc & Eutiches in confessione fidei quæ habetur in Concilii Chalcedonensis Actione 1. pag. 135. (In hac, inquit, fide baptizatus signatus sum.) Denique ut Ambrosium libro de Mysteriis cap. 7. Hieronymum Dialogo adversus Luciferianos & alios plures omittam, hunc Ecclesiæ antiquæ morem perspicue demonstrat S. Augustinus Sermone 324. ubi de quodam puero catechumeno defuncto, meritis & intercessione S. Stephani ad vitam reducto, hæc habet: (Continuo tulit illum ad presbyteros (mater), baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita ei manus est, completis omnibus sacramentis assumptus est.) His adjungere possem Leonem papam Sermone 4. de Nativitate Domini suos ita adhortantem; (Permanete stabiles in ea fide, quam confessi estis coram multis testibus, & in qua renati per aquam & Spiritum, accepistis chrisma salutis & signaculum vitæ æternæ.) Et concilium Toletanum IV. can. 57. ubi agens de Judæis tempore Sisebuti regis baptizatis; ait (eos esse divinis sacramentis associatos, & baptismi gratiam percepisse, & chrismate unctos esse, & Corporis Domini & Sanguinis extitisse participes.

Quandiu perseveraverit mos ille.

III. Perseveravit is usus in Ecclesia multis post sæculis: Sed ineunte decimo tertio jam passim obsoleverat: saltem id non obscure innuit ms. Pontificale ecclesiæ Apamiensis in Syria anno 1214. exaratum, dum post omnes baptismi ritus præscribit, ut (si episcopus adest statim oporteat eum confirmari chrismate, & communicari secundum consuetudinem quarumdam ecclesiarum.) Quibus ex verbis recte omnino colligitur, hunc ritum in compluribus Ecclesiis antiquatum, in aliquibus dumtaxat viguisse. Et certe in antiquo Missali Romaricensis monasterii ante annos circiter sexcentos descripto, in ordine baptismi nulla dandæ confirmationis, sed tantum communionis fit mentio. Perseveravit nihilominus postea in ecclesia Remensi, ut discimus ex ms. Rituali archimonasterii S. Remigii Remensis, num. 49. cujus character annos quadragintos vix attingit. Perseveravit & in aliis ejusdem provinciæ ecclesiis. Nam in Suessionensi Rituali tempore Nivelonis II. episcopi scripto, & in Pontificali ecclesiæ Noviomensis ejusdem circiter ætatis cum Rituali citato S. Remigii, [quod ms. asservatur Compendiensi in Sancti Cornelii monasterio,] post baptismum, si adsit episcopus, præcipitur & confirmatio & communio. Perseveravit denique & in Gallicana ecclesia Viennensi, cujus in Ordinario initio superioris sæculi scripto idem legitur. Similia videre licet in Missali Romano ab annis circiter 200, edito atque ad usum Fratrum Minorum accommodato. Perseverat etiam nunc apud Græcos, apud quos teste Allatio lib. 3. de Perpetua consensione ecclesiæ occidentalis & orientalis cap. 18. nullus est (qui sacramento baptismi accepto domum absque sacramento confirmationis redeat.) Idem de Maronitis & Syris asserit Naironus in Evoplia Catholicæ fidei parte 2. cap. 3. Idem & de Jacobitis Vanslebius in Gallica Historia ecclesiæ Alexandrinæ part. 2. cap. 21. quibus adstipulatur Orthodoxa confessio orientalis ecclesiæ anno 1662. a Nectario patriarcha approbata, quæst. 105. primæ partis.

Baptizatos absente episcopo confirmabat ipse diœcesim visitans.

IV. Et hæc quidem intelligenda sunt quando baptismus ab episcopo ipso, aut eo præsente, celebrabatur. Nam eo absente alia prorsus erat ratio. Quid porro tum? Audi Hieronymum Dialogo adversus Luciferianos: (Non quidem abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem Spiritus-sancti manum impositurus excurrat.) Igitur episcopus post celebratum baptisma, diœcesim suam perlustrabat, Neophytis Sancti Spiritus gratiam manuum impositione impertiturus; cujus rei egregium nobis exemplum suppeditat Beda Venerabilis in Vita S. Cuthberti Lindisfarnensis episcopi c. 29. qui (dum parochiam suam circuiens, monita salutis omnibus ruris & viculis largiretur, nec non etiam nuper baptizatis ad accipiendam Spiritus-sancti gratiam manum imponeret,) comitis cujusdam uxorem ab ægritudine liberavit. Simile exemplum legitur in ejusdem Vitæ cap. 32. Huc spectat Sancti Gregorii papæ monitum ex epistola 46. lib. 8. (Præterea Ecclesiis ad quas sine labore potestis accedere, fraternitas vestra officium visitationis impendat: ut hi, qui illic Deo propitio baptizantur, inconsignati non debeant remanere.) Hinc & illud decretum concilii Germanici I. canone 3. (Ut quandocunque jure canonico episcopus circumierit parochiam ad confirmandos populos, presbyter semper paratus sit ad suscipiendum episcopum cum collectione & adjutorio populi, qui ibi confirmari debet.) Similia habes in concilio Suessionensi anno 744. celebrato canone 4. & in Cabilonensi II. anni 813. canone 14. in Ticinensi anni 855. Eamdem praxim confirmat concilium Burdigalense anni 1262. cap. 4. decernens, ut dum contigerit episcopum suam diœcesim visitare, parochus ejus accepto nuncio, moneat & inducat subditos, ut ad recipiendum confirmationis sacramentum se præparent.

Confirmationi quænam præfixa tempora.

V. Cæterum etsi ex communi & constanti ecclesiæ disciplina usus obtinuerit, ut statim post baptismum traderetur

deretur ab episcopo per manuum impositionem & sacram inunctionem Spiritus-sanctus, idque infinitis prope testimoniis comprobari posset: haudquaquam tamen ibo inficias, nonnulla a quibusdam huic muneri præfixa fuisse tempora, id faciente non absentia modo episcoporum, sed multitudine præsertim baptizatorum, quibus tingendis & confirmandis nox solida vix fuisset satis. Habemus ea de re Concilii Parisiensis anno 829. celebrati decretum 1. parte cap. 33. [Sicut autem duobus temporibus Pascha videlicet & Pentecoste baptismus, ita etiam traditio Sancti Spiritus per impositionem manuum fidelibus tradatur; exceptis videlicet, ut dictum est, infirmis & morte periclitantibus, quibus sicut baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter donum Spiritus sancti est tradendum.) Ea forte de causa S. Udalrico Augustano episcopo consuetudo fuit, ut feria secunda post Pascha ad S. Aphrem (post perecta missarum solemnia multitudinem populi illic congregati sacro chrismate confirmaret,) ut habent ejus Acta cap. 4. Rabanus in lib. 1. de Institutione clericorum cap. 39. huic officio octavum a baptismo diem assignat, cum scilicet vestes candidas Neophyti deponunt. Idem docet auctor libri de Divinis Officiis sub nomine Alcuini cap. de Septuagesima, ubi sic loquitur: (Septuagesima tendit ad sabbatum, ante octavas Paschæ baptizati alba vestimenta deponunt, & tunc confirmari eos oportet ab episcopo, & per impositionem manus accipere Spiritum-sanctum.) Memini etiam me hæc verba legisse apud quemdam auctorem, cujus nomen nunc a memoria excidit: (In octava die baptizati mitras deponunt, & ab episcopo in fronte per chrisma signantur, & per hoc per septiformem Spiritum ad regnum Dei confirmantur.) Eadem est sententia Guillelmi Durandi in Rationario lib.6.cap.84. (Baptizatus autem, inquit, confirmari non potest nisi demum post septem dies post baptismum, propter septem dona Spiritus-sancti, quæ recipiunt in baptismo.) Cujus quidem consuetudinis praxim videre est apud Hildegarium in Vita Sancti Faronis Meldorum episcopi cap. 103. E contrario vero Conradus Constantiensis episcopus octo ante Pascha diebus, scilicet Dominica indulgentiæ, idest Palmarum, sacramentum Confirmationis administrasse dicitur in formula, qua inter fratres conscriptos S. Galli receptus est, quæ habetur ad Goldastum tom. 2. p. 183. At vero auctor est Amalarius in libro 4. de Ecclesiasticis Officiis cap. 29. *secundum modum primitivæ Ecclesiæ* ipso sacratissimæ Pentecostes die hora tertia datam fuisse confirmationem, qua scilicet hora per illapsum Spiritus-sancti confirmati sunt Apostoli. Sed hoc de his præsertim intelligendum, qui nocte Pentecostes divino lavacro fuerant abluti. Confirmationi quoque baptizatorum quinque post Pentecosten dies impendit ecclesia Mediolanensis, ut videre est in Cæremoniali Ambrosiano, jussu Federici Borromæi dignissimi S. Caroli successoris edito, cujus hæc præsertim verba notanda sunt: (In civitate autem solet hoc sacramentum ministrare in solemnitate Pentecostes: in qua quidem administratione, ea omnia servare curabit, quæ in sacramentali Ambrosiano fusius præscribuntur, tum quo ad parochos ministrosque necessarios, tum etiam quo ad ea quæ ad confirmandos, compatres, & denique ad loca, ecclesias, apparatum, suppellectilemque requiruntur, & ad alias instructiones hujusmodi pertinent, quæ omnia eodem libro continentur. Ut autem facilius distinctiusque populus ad suscipiendum hoc sacramentum accedat; hujusmodi ministratio fit ordine infra scripto. Feria secunda post Pentecostan in ecclesia collegiata Sancti Stephani in Brolio pro populo portæ Orientalis & portæ Tonsæ, nec non suburbiorum. Feria tertia in ecclesia collegiata Sancti Nazarii pro populo portæ Romanæ & suburbiorum. Feria quarta in ecclesia Sancti Laurentii pro populo portæ Ticinensis, & portæ Vercellinæ, & suburbiorum. Feria quinta in ecclesia Sancti Thomæ in Terra Amara pro populo terræ Comensis, & suburbiorum. Feria sexta in ecclesia S. Mariæ Scalensis pro populo portæ novæ & suburbiorum. Si vero archiepiscopus magis forsan expedire censuerit, poterit prædictum confirmationis sacramentum administrare in ecclesia metropolitana diebus prædictis, ad quam singularum prædictarum portarum populus conveniet.) Neque vero omittenda sunt quæ his præmittuntur: [Peculiare munus archiepiscopi est sacri chrismatis administratio, quam non solum sacris solemnibusque Pentecostes diebus; sed etiam, si ita pro civitatis ingenti frequentia judicaverit, Paschæ resurrectionis tempore, in adventu sacro Domini, & quoties diœcesim visitat, rite peragit.)

Omnis ætas confirmationi apta.

VI. His ex omnibus colliges, nullam olim ætatem ad excipiendum confirmationis sacramentum definitam esse; sed sicut omnis ætas apta est baptismo, ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus, ita omnis ætas confirmationi idonea; nihilque adeo majori sollicitudine præcavebant antiqui, quam ne segnes aut pigri hac in re invenirentur; scientes, (quod decretales paginæ (ut ait Petrus Damiani in Sermone de Dedicatione) & SS. Patrum Instituta decernunt, non esse differendam post baptismum hujus sacramenti virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, a quo nemo unquam nocendi inducias extorsit.) Hinc concilium Incerti loci a nobis editum tom. 4. Anecd. c. 39. [Publice, inquit, proponatur in ecclesia, quod nisi infra annum puer fuerit confirmatus, tam pater, quam mater ab ingressu ecclesiæ suspendetur;] & concilium Wigorniense anni 1240. cap. 6. [Præcipimus, quod sacerdotes parochiales subditos suos studiose moneant & frequenter, quod parvulos suos faciant confirmari: Sciantque patres & matres eorum, se post annum a nativitate pueri computandum ab ingressu ecclesiæ suspendendos, si infra annum, dum tamen episcopi copiam habuerint, vel transitus episcopi per loca, in quibus habitant, fuerit manifestus, non præsentaverint confirmandos.] Et concilium Exoniense anni 1287.cap.3. [Ne ob parentum negligentiam ipsos contingat absque confirmatione diutius remanere: statuimus, ut parvuli infra triennium a tempore ortus sui confirmationis recipiant sacramentum, dum tamen proprii vel alieni episcopi copia habeatur. Alioquin parentes ex tunc qualibet sexta feria in pane & aqua jejunent, donec pueri confirmentur.] Similiter & Constitutiones Richardi episcopi Sarum anno 1217. editæ cap.24. [Quod si ultra quinque annos ad plus fuerit per negligentiam ac incuriam parentum non confirmatus; tam pater, quam mater ab ingressu ecclesiæ tandiu suspendantur, quousque puer confirmetur. Simili pœnæ subjacebit sacerdos, qui circa hoc negligens extiterit.] Paulo mitius egit concilium Coloniense anno 1280. celebratum cap. 5. permittens, ut ad confirmandos pueros septennium ab eorum ortu expectetur. Ita etiam Statuta Synodalia Johannis episcopi Leodiensis cap.3.n.1. Quæ quidem ætas ita superioris sæculi celebratis conciliis placuit, ut præverti non patiantur. Ita decernunt concilium Turonense anni 1583. cap. 7. Bituricense anni 1584. titulo 20. can. 4. Aquense anni 1585. Tolosanum anni 1590. cap. 3. Narbonense 1609. cap. 15. Inter articulos reformationis Parisiis anno 1586. a septem episcopis editos tom. 4. Anecdot. septuagesimus tertius decernit, [ut non nisi annis majores confirmentur, quo melius suscepti sacramenti memores esse possint, quamvis ad decimum usque annum pueros expectare non abs re esset, ut scilicet sacramenti vim ac dignitatem percipere queant.] Immo catechismus concilii Tridentini laudat, si duodecimus ad confirmationem annus expectetur. Quod quidem sic intelligendum est, modo absit omne vitæ periculum: alioquin omni ætate conferendum est confirmationis sacramentum, & prævalere debet illud S. Thomæ p. 3. q. 72. a.8. ad 4. (Maturis hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant.) Quia ut ait Hugo Victorinus, (omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret. Non quia damnaretur, nisi forte propter contemtum; sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.) Et Statuta Synodalia Guillelmi episcopi Biterrensis anno 1342. edita cap. 13. tom. 4. Anecdot. (Quod sacramentum, si quis ex contemtu dimiserit utpote copiam habens episcopi confirmantis, & confirmari contemnat, credo neque absque hoc sacramento se posse salvari, peccat mortaliter, & non est veras christianus.) Et Statuta Synodalia ecclesiæ Cadurcensis, & Tutelensis cap. 7. (licet omissio talis sacramenti puero morienti non noceat ad salutem, prodest tamen viventibus, quia dat eis robur contra agones & prælia hujus mundi. Nocet etiam parentibus, quia si omittant ex contemtu, graviter peccant, cum sit necessitatis sacramentum.)

Confirmatio in provectam nimis ætatem non differenda.

VII. Porro ex dictis hactenus patet quam sit damnanda quorumdam plebejorum negligentia, qui ut scribit Jonas Aurelianensis episcopus in lib. 1. de Institutio-

ne Laicali cap. 7. (Partim incuria, partim ignorantia, in tantum in hac re negligentes existunt, ut etiam quidam illorum, non nisi jam in decrepita ætate hujus doni consecrationem percipiant.) Huic morbo mederi tentavit S. Otto Pomeranorum episcopus, monens Pirissanses hoc sacramentum (non usque in senectam differendum esse, ut quidam putant; sed in ipsius adolescentiæ fervore percipiendum, quia illa ætas magis obnoxia est tentationibus.) Efficacius vero remedium attulisse putavit concilium Lambetense anni 1281. cap. 4. prohibens ne non confirmatus ad Eucharistiam percipiendam admittatur. Et concilium Bituricense anni 1584. tit. 20. can. 7. commonens (neminem hoc sacramento non insignitum se ad eucharistiam & matrimonium admissuros.)

ARTICULUS II.

De dispositionibus ad recipiendam confirmationem requisitis.

I. Dispositiones ad Sacramentum Confirmationis rite recipiendum aliæ sunt interiores, aliæ exteriores: aliæ item ex parte subjecti, aliæ ex parte ministri: aliæ ex parte temporis, aliæ ex parte loci.

Confessio & jejunium ante confirmationem.

II. Dispositiones interiores sunt præsertim, ut depositis ad sacerdotem in confessione peccatis ab omni lætali macula conscientia mundetur: exteriores, ut confirmandus jejunus ad sacramentum accedat. Primam præcipiunt Constitutiones Odonis Parisiensis episcopi cap. 4. [Si confirmandus adultus fuerit, confiteatur prius & postea confirmetur.] Constitutiones Anonymi episcopi anno 1237. editæ apud Spelmannum tom. 2. conciliorum Angliæ: (Quod si adultus fuerit confirmandus, monendus est per sacerdotem loci, ut prius confiteatur.) Concilium Coloniense anni 1280. cap. 5. (Confirmandi vero si fuerint decem annorum vel ultra, prius suis sacerdotibus confiteantur, quam confirmentur.) Statuta Synodalia Johannis episcopi Leodiensis anno 1287. edita c. 3. n. 2. tom. 4. Anecdotorum: [Adulti autem si sint, & doli capaces, vel duodecim annorum & amplius, prius confiteantur presbyteris suis, quam confirmentur.] Statuta Guillelmi episcopi Biterrensis cap. 14. (Si confirmandus adultus fuerit, debet prius confiteri, & postmodum confirmari.) Simili modo Statuta Synodalia ecclesiæ Meldensis cap. 7. De posteriori ita loquitur Anonymus in Tractatu Theologico, qui ms. ante annos 400. servatur in Majori-Monasterio cap. 26. de Confirmatione: (Hoc quoque sacramentum non nisi a jejunis debet dari vel accipi, nisi necessitas cogat.) Utrumque vero longe antea Herardus Turonensis archiepiscopus in Capitulari n. 75. præscripsit his verbis: (Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur confessiones dare prius, ut mundi donum Sancti Spiritus valeant percipere.) Quæ quidem verba tamquam ex concilio Aurelianensi citat Gratianus de cons. dist. 5. cap. 6. Similiter antiqua Statuta Synodalia ecclesiæ Æduensis c. 9. (Si confirmandus adultus fuerit, prius confiteatur, & postea confirmetur, jejuni ad confirmationem accedant.) Statuta ecclesiæ Caturcensis, Ruthenensis, & Tutelensis cap. 7. (Sacerdotes moneant subditos suos, ut hoc sacramentum recipiant, & tempore receptionis sint jejuni; & si adulti sunt, de suis peccatis contriti & confessi.) Statuta ecclesiæ Constantiensis cap. 23. (Quod si confirmandus adultus fuerit, confiteatur prius, & postea confirmetur: & jejuni veniant ad confirmationem, qui sunt perfectæ ætatis.) Statuta Synodalia ecclesiæ Nannetensis: (Et adulti baptizati, qui confirmandi fuerint, prius confiteantur, si tempus habeant confitendi.... & jejuni etiam, si fieri potest, hoc sacramentum recipiant.) Concilium Bajocense anno 1300. cap. 5. (Adulti autem, qui debent confiteri, & qui confirmandi fuerint, prius confiteantur.... jejuni etiam, si fieri potest, hoc recipiant sacramentum.) Concilium Trecense anni 1400. (jejuni si fieri potest omnes debent recipere sacramentum. Si confirmandus est adultus, antequam confirmetur instruatur, ut confiteatur peccata sua.) Concilium Lingonense anni 1404. (Priusquam quis confirmetur aut chrismetur, si annos discretionis habet, confiteatur peccata sua, & sit jejunus, si fieri potest.) Concilium Senonense anni 1524. (Illud sacramentum pœnitentes, & si fieri potest, jejuni recipiant.) Concilium Carnotense anni 1526. (Præcipimus curatis & eorum vicariis, ut moneant suscepturos hoc sacramentum, ut sint jejuni, si commode fieri possit: & si adulti fuerint, sint contriti & confessi.) Concilium Parisiense anni 1557. (A cibo abstinens, si commode potest, & sacramentali confessione purgatus, confirmationis sacramentum rite suscipiat.) Concilium Remense anni 1583. Episcopi sacramentum confirmationis (conferent gratis, & iis qui usum aliquem rationis habent, confessis; & si commode fieri potest jejunis.) Concilium Aquense anni 1585. (Qui adulta ætate confirmandi sunt, primo de peccatis suis confiteantur; jejuni illud suscipiant.) His adde Statuta Synodalia Guillelmi Gubernatoris episcopi Macloviensis de Confirmatione cap. 5. & Catechismum Concilii Tridentini.

Confirmandi sunt instruendi.

III. Præter ea requiritur ex parte confirmandi, ut sit sufficienter instructus: unde concilium Aquense anni 1585. (Qui confirmandi sunt, inquit, & qui patrini adhibentur, parochus ante videat, præsertim quos rudiores esse suspicabitur, an orationem Dominicam, salutationem angelicam, symbolum apostolorum, decem præcepta norint. Atque ob eam quidem causam episcopus illa fidei rudimenta sibi ab illis recitari jubebit.) Simile aliquid legitur in concilio Narbonensi anni 1609. & in Statutis Synodalibus Guillelmi Gubernatoris episcopi Macloviensis. In concilio etiam Rothomagensi anni 1581. præscribitur, ut confirmandi coram episcopo recitent symbolum.

Omnes sordes a fronte abstergant.

IV. Altera ad Confirmationem ex parte confirmandi præparatio est, ut pridie omnes a fronte sordes abstergat, decidentesque ad eam capillos abscindat. Qua de re extant plura conciliorum decreta. Concilium Coloniense anni 1280. cap. 5. (Moneant presbyteri parentes baptizatorum nondum confirmatorum, ut eos ad episcopum, qui solus potest confirmare, ducant septennes vel majoris ætatis, & tondeantur capilli, maxime circa frontem dependentes, & laventur frontes diligenter.) Simili modo loquitur Johannes episcopus Leodiensis in Statutis Synodalibus anno 1287. editis cap. 3. num. 1. Concilium Rothomagense anni 1581. (Jubeant ut munda & nitida fronte accedant.) Concilium Aquense anni 1585. (Curatus præmoneat illos, ut non fronte sordida aut capillis, ut aliquando ex nimia contingit accidentium incuria, indecenter contecta, accedant.) Concilium Mediolanense V. sub sancto Carolo: (Pridie illius diei quo suscipient (confirmationem) caput lavent, aliove modo mundent, capillosque sibi tonderi curent.)

Bandelli confirmatorum.

V. Denique cum pro reverentia sacri chrismatis antiquus in ecclesia usus invaluerit, ut frontes chrismatorum alligentur, ut patet ex Pontificali Egberti Eboracensis episcopi, quod eleganter scriptum litteris Saxonicis conservatur in ecclesia Ebroicensi; antequam confirmandi episcopo se sistant, bandellos sibi providisse debuerant: qui quidem ex concilio Wigorniensi cap. 6. debebant esse *ex nova tela*, quosque ita describit concilium Coloniense anni 1280. cap. 5. (Bandellos de panno lineo spisso, sine fractura, & sine nodo, latitudinis trium digitorum, & longitudinis competentis, albos & bene mundos.) Et Statuta Synodalia Johannis episcopi Leodiensis cap. 3. n. 1. (Et habeant fasciolas sive bandella de spissa tela, non tenui peplo, quæ sint sine sutura, & sine nodo inter medio, quæ habeant latitudinem trium digitorum, & longitudinem duorum pedum & dimidii, & sint munda & alba.)

Patrini confirmandorum.

VI. Hæ sunt præcipuæ ex parte confirmandorum præparationes, quibus addere possemus electionem patrinorum, ita tamen (ut ne feminis mares, nec vero contra maribus foeminæ, neque senioribus adolescentes, cum minime hoc per ætatem conveniat, comparres in confirmationis sacramento adhibeantur, nisi id aliter necessitas aliquando postulat,) ut ait concilium Mediolanense V. sub sancto Carolo: quibus similia leguntur in concilio Aquensi toties citato, & Statutis Synodalibus Guillelmi Gubernatoris, ex quibus unus & idem duorum vel trium potest esse in confirmatione patrinus. Ex Statutis autem Synodalibus ecclesiæ Caturcensis, Ruthenensis, & Tutelensis cap. 7. unicus debet esse patrinus. Ex Parisiensi quoque concilio anni 829. parte 1. cap. 54. (Publice pœnitentes non possunt esse patrini in confirmatione.)

Con-

Confirmatio a jejuno conferenda.

VII. Dispositiones ex parte ministri confirmantis erant præsertim summa in conferendo hoc sacremento sollicitudo, ut propterea diœcesim suam frequens percurreret, Neophytos per se aut per alios instrueret, & ut jejunis jejunus ipsa Spiritum sanctum traderet. Hanc jejunii legem imponit episcopo concilium Meldense apud Burchardum lib. 4. cap. 67. edito hoc canone: (ut episcopi non nisi jejuni per impositionem manus Spiritum-sanctum tradant.) Concinit concilium Rothomagense anni 1072. canone 7. Donum Sancti Spiritus (ut non detur nisi jejunis & e jejunis, neque ipsa confirmatio absque igne fiat, statutum est.) Et sane par erat, ut sicuti a jejunis recipiebatur; ita & a jejunis administraretur confirmatio: id quod pro constanti & indubitato agnoscendum, enim statim post baptismum ea conferretur, quia baptismus non nisi a jejuno celebrabatur.

Sacris vestibus induta.

VIII. Quod vero spectat ad confirmantis habitum exteriorem: is erat haud dubium, qui baptismo adhibebatur: in decimo tamen Ordine Romano apud Mabillonium Musei Italici tomo 2. hæc lego: (His vero tribus baptizatis, immantatus manto supra dalmaticam pontifex vadit ad chrismarium.) Sed ex Cæremoniali Ambrosiano volenti hoc sacramentum administrare archiepiscopo præparanda sunt (stola, pluviale albi coloris, gemma pectoralis, mitra auriphygiata, & baculus pastoralis. Indumenta item pro assistentibus albi coloris.) Jam vero qualiter ad confirmandum procederet describit idem Cæremoniale his verbis: (Accedenti archiepiscopo ad ecclesiam ministrandi hujus sacramenti causa, obviam prodibit universus clerus illius ecclesiæ, organorumque modulatione, & musicorum concentu, si commode fieri potest, ac campanarum sono excipietur in januis, ubi archiepiscopus cappam induit, & a digniori præsenta & clero illius ecclesiæ aspersorio accepto, aspergit seipsum & circumstantes; eidemque assistunt digniores ecclesiæ, nisi forsitan adsint ex ordinariis Metropolitanæ, atque ita præcedentibus ecclesiasticis illius ecclesiæ, prævia ante archiepiscopum immediate cruce archiepiscopali, a sacerdote cotta induto delata, nisi adsit Capitulum Metropolitanæ, quod sub cruce archiepiscopali incedit, ante altare majus accedit, procumbensque in faldistorio paulisper orat, tum ad suum solium accedens a parte evangelii arectum, induitur paramentis pro missa.... Absoluta missa, ad confirmationem administrandam procedet, depositis paramentis missalibus, induitque ut supradictum est.)

Confirmationis conferenda hora.

IX. Ex his verbis patet usus ecclesiæ Mediolanensis sacramenti confirmationis mane post missam administrandi. Idem præstabat olim S. Udalricus episcopus Augustanus, qui seculo X. florebat sanctitate. Idem in multis etiam decernitur conciliis. Sed in Aquensi anni 1585. hora diei tertia ad id muneris assignatur, qua scilicet Spiritus sanctus in apostolos illapsus, eosdem confirmavit. Quæ quidem hora, ut supra notavimus ex Amalario in primitiva observabatur ecclesia.

Confirmationis locus.

X. Restat ut de loco ad confirmandum adsignato brevi aliquid dicamus. Is quibusdam in locis erat a baptisterio separatus, dicebaturque consignatorium quale illud erat, quod in Neapolitana ecclesia construxit Johannes ejusdem civitatis initio sæculi VII. antistes, quod describit Johannes diaconus in libro Gestis episcoporum Neapolitanorum hoc modo: (Hic pulchrum construxit ædificium, marmoreis columnis affabre fusultum, atque nobilibus picturis decoratum, quod consignatorium albatorum vocabatur, inter fontes nempe majores, quos Soter episcopus fecerat, & ecclesiam Stephaniam, per cujus januas duas, qui sacrum baptisma recepissent, a dextra parte ingredientes, episcopo qui illorum in medio residebat, offerebantur, & benedictione accepta ordinatim a sinistra parte exirent.) In libro tamen Sacramentorum S. Gregorii papæ locus ad confirmationem designari videtur sacrarium sive sacristia: nam post præscriptos baptismi ritus hæc habet: (Pontifex vero redit in sacrarium, expectans ut cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos.) In volgato vero Ordine Romano sacristia vel ecclesia ad arbitrium episcopi: (Pontifex ergo egreditur a fonte in sacrarium, habens ibi compositam sedem, vel in ecclesia, ubi voluerit, & sedeat in ea: & cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos.)

Viri a feminis separatim confirmati.

XI. Sed quocumque tandem in loco traderetur ab episcopo Spiritus sanctus, illud certe observatu dignum, quod sicut olim mares a feminis separatim baptizabantur, ita & confirmabantur, quam ex veteri ecclesia disciplinam retineri voluit, Aquensis concilium anni 1585. & Mediolanense V. sub S. Carolo statuens, ut [mares in ecclesia a parte sua, feminæ ab altera sint; sicque separatim distincti, genibus flexis, manibus ante pectus junctis, suo quisque ordine pie & religiose orent. In promiscua ab omni strepitu, & vociferatione, & inani confabulatione caveant: Sed silentio sancto utantur. Et quod veteris ritus est primum mares, deinde feminæ confirmentur.]

ARTICULUS III.

De ministro, materia, forma, & ritibus confirmationis.

I. DE ministro, materia, & forma confirmationis litigant inter se insigniorum theologorum sententiæ. Nonnulli enim sic episcopum constituunt ministrum confirmationis, ut simplici presbytero nulla umquam ratione id muneris competere posse pernegent: aliis è contrario affirmantibus summum Pontificem, urgente gravi necessitate, hanc provinciam simplici sacerdoti committere posse. Alii materiam confirmationis in manuum impositione; formam in oratione quam super baptizatos fundit episcopus, rogans eis tribui dona Sancti Spiritus, reponunt: alii vero materiam in unctione, formam in verbis quæ profert inungendo episcopus. Horum controversias componere nec est animus, neque id me posse confido. Sed instituti mei ratio postulat, ut rem, sicuti ait, historice proferam, dogmatis decisione ad theologos remissa.

Episcopus ordinarius confirmationis minister. Presbyter an possit esse extraordinarius.

II. Igitur ordinarium, ut aiunt, confirmationis ministrum esse episcopum vere & legitima institutum & ordinatum, constans est & recepta ab omnibus sententia, immo Armentario Ebredunensi episcopo ob illegitimam ordinationem deposito, concessum fuisse *neophytos confirmare* reperio in concilio Regensi can. 3. Et certe id avincit Innocentii papæ I. auctoritas ad Decentium episcopum Eugubinum sic scribentis: (De consignandis vero infantibus, manifestum est non ab alio quam episcopo fieri licere. Nam presbyteri licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel paraclitum sanctum tradant, non solum ecclesiastica consuetudo demonstrat. Verum illa lectio apostolicorum Actuum quæ asserit Petrum & Johannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam presbyteris seu extra episcopum, seu præsente episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paraclitum.) Hinc & Gregorius Magnus lib. 3. epist. 9. ad Januarium episcopum Calaritanum; (Presbyteri, inquit, baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non præsumant; sed presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut episcopi postmodum ungere debeant in fronte.) Et Theodulfus Aurelianensis episcopus libro de Baptismo cap. 17. (Quod ergo presbyteris baptizatos chrismate ungere licet; Spiritum vero Sanctum per manus impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab Apostolis ecclesiæ est traditus.) His concinit canon 3. Isaaci Lingonensis episcopi titulo 11. (Si quis non ab episcopo, sed a chorepiscopo, qui non est episcopus, sed vicarius episcopi, priusquam prohibiti essent, fuerit confirmatus, reiterari aliis benedictionibus debet.) Ex his, inquam, & similibus veterum scriptorum testimoniis liquido constat episcopum esse solum confirmationis ordinarium ministrum. Solum, inquam, episcopum, nam chorepiscopis id vetant concilium Parisiense VI. anni 829. part. 1. cap. 27. & Meldense anni 845. can. 44. At quod concludunt plures haud ignobiles theologi, quales sunt S. Bonaventura, Durandus, Hadrianus, Johannes Major, Esthius, & alii solum etiam

esse & extraordinarium, quominus ab aliis communiter admittatur, obstat S. Hieronymi auctoritas ad Evagrium epistola 85. scribentis: (Quid facit, excepta ordinatione episcopus, quod non faciat presbyter?) Et dialogo adversus Luciferianos docet, id quod (in ecclesia baptizatus nisi per manus episcopi non accipit Spiritum sanctum, ad honorem potius sacerdotii quam ad legis necessitatem esse institutum.) Ad quæ verba alludere videtur Beda Venerabilis in Psalm. 26. asserens confirmationis unctionem (propter arrogantiam non concessam esse singulis sacerdotibus, sicut & multa alia.) Hieronymi dicta confirmant exemplo S. Gregorii papæ, qui cum prohibuisset presbyteros Sardiniæ confirmare infantes, ut supra vidimus, hanc postea illis potestatem concessit, libro 3. epistola 6. scribens ad Januarium episcopum Calaritanum in hæc verba: (Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte eos qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur; ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.) Idem docet Theodulfus Aurelianensis in suo secundo capitulari apud Baluz. tom. 7. Miscel. pag. 45. ubi tradit concilium Carthaginense presbyteris concedere (fidelis chrismate confirmati more episcoporum, si tamen in periculo mortis aliquem viderint qui ab episcopo chrismate sancto non fuerit confirmatus.) His accedit Græcorum praxis qui ab omni ævo baptizatos per simplices sacerdotes confirmasse videntur: Unde & orto schismate illud Latinis objicere non prætermiserunt, quod apud eos presbyteri confirmarent. Hoc sane illis crimini dedit Photius schismatis primarius auctor epist. 2. quod (chrismate inunctos per sacerdotes denuo chrismate inungere non horruerunt, cum se episcopos prædicarent, & presbyterorum chrisma inutile quoddam ac frustra factum comminiscerentur.) Eorum objectioni respondit Ratramnus Corbejensis monachus doctissimus libro 4. contra opposita Græcorum cap. 7. Spicilegii tom. 2. asserens ab illis hoc (magis levitate, quam ratione propositum esse: si quidem ecclesiæ suæ consuetudinem sequentes ista proponunt, non aliquam divinæ legis auctoritatem.) Deinde latinos a criminationibus Græcorum ita vindicat, ut eorum tamen praxim & usum non damnet, quem non ex partium studio aut schismatis occasione processisse dicit, sed ex antiqua ecclesiæ suæ *consuetudine*, quæ aliis etiam ecclesiis communis fuisse videtur: Nam Ambrosiaster qui longe ante ortum Græcorum dissidium Commentarios in epistolas Pauli edidit in cap. 4. ad Ephesios testatur, quod (apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus.) Quem locum citat Rabanus sub nomine S. Ambrosii in in Responsis canonicis ad Regimbaldum chorepiscopum n. 6. Idem etiam olim fuisse in usu apud Hispanos indicat concilium Hispalense cap. 7. asserens (Novellis & ecclesiasticis regulis prohibitum esse simplicibus sacerdotibus paracletum Spiritum tradere fidelibus baptizatis per impositionem manuum, & chrismate frontes baptizatorum signare.) Quid quod & apud Gallos idem viguisse videtur; saltem id non obscure innuit concilii Arausicani I. can. 1. (Hæreticos in mortis discrimina positos, si catholici esse desiderant; si desit episcopus, a presbyteris cum chrismate, & benedictione consignare placuit.) Et concilium Epaonense cap. 16. (Presbyteris propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab episcopo noverint expetendum.) Quæ verba, ut & priora concilii Arausicani, de confirmatione interpretatur vir doctissimus Petrus de Marca Parisiensis archiepiscopus in Notis ad concilium Claromontanum. Denique concilium Florentinum numquam Græcis vitio vertit quod infantes ab eorum presbyteris confirmarentur.

Materia & forma confirmationis.

III. Venio nunc ad materiam & formam hujus sacramenti. Qui materiam confirmationis in manuum impositione constituunt, formam vero in oratione qua rogat episcopus septem dona Spiritus-sancti confirmando tribui, duobus præcipuæ momentis nituntur, scilicet quod in Actibus Apostolorum unius fit mentio impositionis manuum, cui & orationi pontificis Sancti Patres omnem sanctificationis virtutem attribuunt. Et quod in antiquis Pontificalibus libris & Sacramentariis, in quibus omnes sacramentorum ritus ad amussim referuntur, nulla unctionis & verborum quæ, dum eam efficit episcopus, pronunciat, mentio habetur, sed impositionis dumtaxat manuum & orationis prædictæ. Horum sententiam confirmare videtur exemplum S. Boniti Arvernorum episcopi, qui ut habent ejus Acta Sæculo III. Benedictino duos energumenos, medio ut erat in itinere, confirmasse manuum impositione perhibetur. Neque vero credibile est unctionem medio in campo adhibitam fuisse, maxime cum de illa taceant Acta prædicta.

IV. Sunt qui, ut ab hujusmodi difficultatibus se expediant, impositionem manuum cum unctione confundunt. Verum utramque distingui rite probant Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii papæ & Combefisius in Notis ad Vitam S. Bacchi Junioris. Itaque qui oppositam tuentur sententiam primum fundamentum concutere possunt respondendo Sanctos Patres non minus unctioni quam impositioni manuum vim sanctificationis attribuere: unum aut alterum hic profero. S. Cyprianus in epistola 70. ad Januarium. (Ungi, inquit, necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei & habere in se gratiam Dei possit.) Et in epistola 73. ad Jubajanum ait baptizatos signaculo Dominico consummari. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. Mystagogica: (Nobis, postquam ex aquis sacri lavacri ascendimus, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus. De quo & B. Esaias in sua prophetia, ex persona Christi locutus est, Spiritus Domini super me, quapropter unxit,) &c. Et non multo post addit chrisma illud non esse (unguentum nudum, neque commune, sed charisma Christi, quod adventu Spiritus sancti, per ipsius divinitatem energiam habet.) Plura hujusmodi proferre possemus SS. Patrum testimonia, quibus paginas opplere esset prorsus supervacuum. Unum dumtaxat hic addam ex Theodulfi Aurelianensis episcopi libro de ordine baptismi, cap. 57. ubi postquam dixit presbyteris non licere frontes baptizatorum chrismate signare, addit: (quod solis debetur episcopis cum tradunt Spiritum paraclitum.) Ergo censebat per unctionem tribui gratiam seu Spiritum-sanctum.

V. Ad libros vero Rituales, Pontificales & Sacramentorum, quos proferunt ii qui materiam confirmationis in chrismatione; formam vero in verbis quæ consignans episcopus recitat inungendo, consistere nolunt; sed materiam in impositione manuum, formam in oratione reponunt; ex quibus, inquiunt, nulla in plerisque unctionis, nulla verborum, quæ pronunciat inungens episcopus mentio fit: quod validissimum & Achilleum reputant argumentum; tria reponi possunt.

VI. Primum quod in plerisque etiam hujusmodi libris nulla fit mentio impositionis manuum, sed sola & nuda dumtaxat legitur oratio ad consignandos infantes, *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es*, &c. in qua suam esse volunt confirmationis formam. Ita videre est in antiquo codice S. Benigni Divionensis ante annos 800. scripto, in Rituali Gemmeticensi tempore Theodorici abbatis exarato, in duobus codicibus Colbertinis annorum minimum 800. quorum uni præfixus est numerus 2376. alteri 2585. in quibusdam etiam prædicta oratio desideratur, ut in libro Sacramentorum Moysacensis monasterii, qui in eadem bibliotheca Colbertina asservatur. Unde ex silentio nonnullorum librorum, in quibus nihil de unctione & ei conjuncta formula præscribitur, nihil certi concludi potest. Et certe forma baptismi in quibusdam etiam libris desideratur, licet omnes baptismi ritus non negligenter describant. Adde quod in Græcorum Euchologio ne vel minimum quidem verbum reperitur de impositione manuum, nec ulla præscribitur oratio ad invocandum septiformem Spiritum-sanctum cum baptizantur confirmanturque pueri de vita periclitantes. Immo impositionem manuum omnino omittendam esse satis innuit Orthodoxa Confessio Ecclesiæ Orientalis anno 1662. a Nectario Jerosolymitano Patriarcha & quatuor sedibus apostolicis approbata, cujus in quæst. 104. hæc leguntur: (Hæc vero unguenti inunctio aut potius hæc unctionis ejus efficacia, ævo Apostolorum per impositionem manuum fiebat, dicente ita scriptura Act. 8. 7. Tunc imponebant illis manus & accipiebant Spiritum sanctum. Postmodum in unctione unguenti fieri cœpit, teste Dionysio Areopagita B. Pauli discipulo Eccles. Hierarch. cap. 2. & 4.

VII. Secundo in omnibus Pontificalibus libris quos ingenti numero evolvi, in quibus habetur ordo confirmationis ab ordine baptismi separatim descriptus; in omnibus, inquam, unctio sub certa verborum formula facienda præscribitur; nec usquam præfata oratio, in qua sitam esse volunt confirmationis formam, solitaria legitur, nisi

nisi cum ordini baptismi confirmatio subjungitur: unde etiam aliquando in uno eodemque codice post ritus baptismi conspicitur oratio ad consignandos infantes sola, postmodum vero ubi ordo confirmationis post aliquot folia describitur, omnia quæ ad confirmationem spectant, unctio in primis cum sibi conjuncta formula, reperiuntur. Id quod animadverti in optimæ notæ Sancti Luciani Bellovacensis annorum circiter 700. Unde ergo post baptismi ordinem unicam ad consignandos infantes orationem habent nonnulli codices manuscripti? Sane si conjecturis aliquid dare liceret; dicerem propterea ibidem esse collocatam, quod a presbyteris, baptismi munia absente episcopo obeuntibus, post omnes baptismi ritus & orationes recitaretur: in quo nihil prorsus incommodi reperio, cum seclusa manuum impositione, pronunciantes hanc orationem presbyteri, confirmasse non existimarentur. Conjecturam meam confirmant antiqui duo codices, Missale scilicet Anglicanum monasterio Gemmeticensi dono datum a Roberto ex abbate prædicti monasterii episcopo Londonensi, & postmodum archiepiscopo Cantuariensi, cujus caracter annos circiter 900. repræsentat, & Missale Moysacense a nobis jam aliquoties laudatum, in quibus post ritus baptismi infirmorum, qui frequentius a presbiteris administratur, prædicta oratio dicenda præscribitur, nulla episcopi aut confirmationis facta mentione.

VIII. Tertio silentium illud provenire potuit ex summa cura & sollicitudine SS. Patrum abscondendi christianæ religionis mysteria, ex qua factum, ut qui primi libros sacramentorum composuerunt, sacramentorum formas scripto tradere noluerunt, quos imitati posterioris ætatis scriptores, confirmationis formam prætermiserunt. Quanta fuerit in præsenti negotio Innocentii Papæ I. religio, testatur ejus epistola I. ad Decentium Eugubinum episcopum, in qua postquam de unctione adhibenda in confirmatione disseruit, sic tandem concludit: (Verba autem dare non possum, ne magis videar prodere quam ad consultationem respondere.) Isthæc Innocentii sanctissimi Pontificis religio, validius omnibus, quæ proferri possent, argumentis probat formam confirmationis esse verba quæ pronunciat inungens episcopus, quæque data noluit Innocentius, ne prodere videretur mysteria. Alioquin quid periculi esset verba illa declarare?

IX. Ad exemplum Sancti Boniti dicendum, nihil obesse quominus energumenos illos quos confirmando impositione manuum in itinere sanavit, etiam unxisse perhibeatur, maxime cum in concilio I. Arausicano statutum sit can. 2. ut [nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquam debeat progredi.] Has observationes, quæ illustrandæ veritatis gratia aliquanti nobis visæ sunt momenti, peritorum judicio & censuræ lubentes subjicimus, quos ut nos errantes corrigant & emendent oramus atque etiam rogamus.

Quænam corporis partes ungendæ.

X. Jam vero quod spectat ad partes corporis ungendas; ecclesia Latina ex constanti omnium seculorum praxi unicam frontem ungere consuevit. Græci olim frontem, aures, nares, & pectus ungebant, cujus rei luculentum habemus Cyrilli Hierosolymitani testimonium in Catechesi 3. Mystagogica: (Et primum, inquit, frons illinitur, ut abstergat a vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat: simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Domini intueri. Deinde vero aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis, de quibus dicebat Esaias: Et addidit mihi Dominus aures ad audiendum. Et Dominus in evangelio: Qui habet aures ad audiendum audiat. Postea nares, ut divinum recipientes unguentum, dicatis, Christi gratus odor est Deo in his qui salvantur. Tum vero & pectus inungitur, ut induti thoracem justitiæ, fortiter adversus insultus diaboli consistatis.] Hodie vero longe plures corporis partes ungunt scilicet, frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes, ut videre est in eorum Euchologio. In Ordine baptismi Severi Alexandrini præscribitur ut omnia confirmandorum membra inungantur, frons vero tribus vicibus, quem ad usum accedit Æthiopum praxis, quam mox referemus. Syri autem teste Naitono, confirmandos in sola fronte inungunt.

Formæ variæ.

XI. Dum frontem illinit Pontifex hæc verba pronunciat: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.* Olim hæc tantum verba dicebat: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Pax tibi*, ut videre est apud Amalarium libro 1. de Officiis ecclesiasticis cap. 2. & apud vulgatum Alcuinum de Divinis Officiis cap. de Sabbato sancto. Eandem formam refert Guillelmus Durandus in suo Rationali libro 6. cap. 84. Sed dubito an illius ævo fuerit in usu, cum refragentur omnes pontificales libri, quorum diversas formulas cuilibet perspicere licebit in variis confirmationis ordinibus infra repræsentandis. In antiquo ordine & in vetusto codice Wertmensi hæc forma legitur: *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.* Græci hanc formam adhibent, *Signaculum doni Spiritus sancti*; quam ita explicat Orthodoxa Confessio Ecclesiæ Orientalis supra citata quasi si dicatur: *In unctione sacri hujus unguenti obsignaris, confirmarisque in Spiritus-sancti donis, quæ in confirmationem christianæ fidei tuæ accipis.* Ad eam formam multum accedit ea quæ extat in ordine Gelasiano & in antiquioribus Sacramentorum libris. *Signum Christi in vitam æternam. Amen.* In ordine baptismi Severi Alexandrini ista habetur: *Chrismata sancta, suavitate odoris Christi Dei, sigilla veræ fidei, complementa pignoris Spiritus-sancti obsignatur talis N. in nomine Patris, amin; & Filii, amin; & Spiritus-sancti ad vitam seculi seculorum, amin.* De forma apud Æthiopes usitata hæc lego in ordine baptismi secundum usum eorum: (Postea ungit frontem, dorsum, & oculos eorum in figuram crucis, & dicit: *In unctionem gratiæ Spiritus-sancti. Amen.* Ungit nares & labia, & dicit: *Pignus regni cælorum. Amen.* Ungit aures, & dicit: *Unctio sancta Dei nostri Christi, & signum quod non aperitur. Amen.* Ungit dorsum, & granum pectoris seu os stomachi, & dicit: *Perfectio gratiæ Spiritus-sancti, fidei & justitiæ. Amen.* Ungit tibias & ulnas, genua, & omnes juncturas eorum, sola pedum, & spinam, & dicit: *Ungo te unctione sancta, ungo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti paracliti. Amen.* Naitonus hanc Maronitarum & Syrorum formam adducit: *Signatur servus tuus N.N. signaculo chrismatis sancti, in nomine Patris. Amen. Et Filii. Amen. Et Spiritus-sancti. Tibi gloria in secula seculorum. Amen.*

Nominis mutatio.

XII. Ante unctionem episcopus interrogat nomen confirmandi, quod & formæ præmittere solet. Hoc nomen aut idem erat cum imposito in baptismo, aut si ita expedire judicabat episcopus, de novo imponebatur, ut decernunt Odonis Parisiensis episcopi Constitutiones: [Possint nomina mutari pueris, si velint, in confirmatione, aut si visum fuerit expedire.] Idem statuunt concilia plurima Trecense anni 1400. Senonense anni 1524. Carnotense anni 1526. Aquense anni 1585. Tolosanum anni 1590. & Mediolanense V. sub Sancto Carolo, in quo inter alia hæc lego: [Curet etiam episcopus ac parochus, ut qui turpe rediculumve nomen habet, neque plane conveniens homini Christiano, illud mutet sumatque in confirmationis sacramento nomen alicujus, qui veræ pietatis sanctæque religionis laude floruit.] Quæ totidem pene verbis exprimuntur in citato concilio Aquensi. Hujus ritus praxim videre est in Vita Venerabilis Mariæ abbatissæ num. 4. Sæculo V. Benedictino, & in Vita S. Adalberti num. 5. ibidem pag. 851.

Alapa.

XIII. Postquam episcopus formam pronunciavit, percutit leniter confirmati maxillam: cujus ritus nullam apud veteres scriptores aut Rituales mentionem vidi, nec ullum Durando, Mimatensi episcopo antiquiorem, qui de illo loqueretur, auctorem reperi. Sed Statuta Synodalia Johannis episcopi Leodiensis cap. 3. num. 2. statuunt ut [parentes confirmatos eorum parvulos sæpe reducant ad memoriam quando, & a quo & ubi fuerunt confirmati.]

Bandelli quandiu deferendi.

XIV. Præterea facta unctione, & recitata oratione, vitta linea hunc in finem a confirmando allata frons ejus circumligabatur, quam quidem per septem dies deferebat, ut habet Ordo Romanus, idque propter rationem quam affert Anonymus in ms. Tractatu theologico bibliothecæ majoris monasterii his verbis: (Si denique quæritur quanto tempore debeant unctionem observare in capite qui confirmati sunt, ut non laveut caput: Sciant quod septem diebus.

Septem

Septem enim sunt dona Spiritus-sancti, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & Spiritus timoris Domini. Et tot debent esse dies observationis, quot sunt dona gratiæ spiritualis.) Quam rationem desumere potuit ex Hugone Victorino lib. 2. de Sacramentis parte 7. cap. 7. Idem ante utrumque docuerat Amalarius in lib. 1. de Divinis Officiis cap. 40. (Solet quæri, inquit, inter vulgares, quanto tempore debeant unctionem chrismatis observare in capite, ut non laventur qui accipiunt manus impositionem absque tempore baptismi? Quibus potest responderi, quanto tempore generaliter ab Ecclesia celebretur adventus Spiritus-sancti super apostolos, tanto tempore celebretur apud unumquemque, qui eum accepit, hoc est septem diebus.) Et Johannes Abricensis in libello de Divinis Officiis: (Hi qui ab episcopo accipiunt manus impositionem, septem diebus debent observare chrismatis unctionem: est enim septiformis gratiæ Spiritus-sanctus, & ejus celebritas atque mysterium jure septem diebus colitur.) Postea vitta linea seu bandellus post triduum deponi cœpit, uti præscribitur in Constitutionibus episcopi Anonymi apud Spelmannum ad annum 1237. In concilio Wigorniensi anni 1240. In Coloniensi anni 1281. In Trecensi anni 1400. In Lingonicensi anni 1404. & aliis. His continunt Statuta Synodalia Johannis episcopi Leodiensis cap. 3. num. 2. his verbis: (Moneantur parentes, quod confirmatos pueros tertia die adducant ad ecclesiam, ut presbyter lavet frontes eorum, & comburat bandella, & aquam lotionis faciat in sacram piscinam reponi.) Statuta Synodalia ecclesiæ Caturcensis, Ruthenensis, & Tutelensis cap. 7. [Bandellos mundos & latos & satis longos supra chrismationem in fronte positos tribus diebus deferant propter fidem Trinitatis: quibus elapsis, frons confirmati & bandellus abluantur a sacerdote super frontes ob reverentiam sacramenti. Bandellus vero ad humanos usus nullatenus transferatur, sed comburatur, vel in usus mundos ecclesiæ deputetur.] Antiquum pontificale Sagiense ms. [Dicatque eis Capellanos episcopi in publicum, quod tertia die sequenti faciant bandellos suos per proprios sacerdotes seu presbyteros vel alios amoveri, & frontes suas in sacrario lavari, & ibidem bandellos suos comburi, inhibeatque eis expresse, ne quis eorum a modo confirmationis recipiat sacramentum.] Tandem in Carnotensi concilio anni 1526. decernitur, ut confirmati baodellos [portent ad minus per xxiv. horas, ne chrisma possit ab aliis tangi.] Sed ex concilio Mediolanensi V. sub S. Carolo & ex Aquensi anni 1585. [Frons confirmati chrismate ab episcopo illita, primum bombyce diligenter a sacerdote abstergatur, mox a clerico in sacris si fieri potest constituto tela linea munda & pura aqua madefacta lavetur, quæ aqua postea in baptisterii sacrarium projiciatur.] Ita nimirum sensim & sine sensu ab antiquis ritibus deflectitur.

XV. Depositis autem bandellis frons confirmati aqua & sale debet lavari juxta sancita conciliorum, Trecensis anni 1400. Senonensis anni 1524. & Carnotensis anni 1526. & aqua ipsa in locum sacrum projici, bandelli vero comburi.

XVI. Tandem ut omnem hanc confirmationis materiam absolvam; duo mihi restant observanda. Primum decernit concilium Bajocense anni 1300. cap. 5. scilicet ut [ea die (qua sacramentum hoc administratur,) non celebrent sacerdotes, nisi celebrent summo mane.] Idem habent Statuta Synodalia ecclesiæ Nannetensis cap. 4. & Henrici episcopi Sistariensis cap. 6. Alterum est de nominibus confirmatorum in singulari libro describendis, ex præscripto conciliorum Rothomagensis anni 1581. Aquensis 1585. Tolosani 1590. & Narbonensis anni 1609. ex quibus Aquense hæc habet: [Hanc rationem adhibeant episcopi, ut omnes qui ad hoc sacramentum accedunt, chirographum præ manibus gestent, in quo descriptum sit nomen illius qui confirmandus est, & præterea patrini; quod clericus qui episcopum antecedit de manibus confirmandi accipiens, voce elevata nomen confirmandi tantum leget, ut episcopus nomen confirmandi agnoscat: postea in filum reponat, quod in fine confirmationis curato tradat, ut nomina confirmatorum & patrinorum in libro chrismatorum referat.] Ut scilicet agnoscere posset confirmatos a non confirmatis, & ne sacramentum illud reiteraretur.

ARTICULUS IV.

In quo varii ad confirmandos ordines referuntur.

ORDO I.

Ex antiquo Pontificali ms. Egberti archiepiscopi, qui circa medium seculum octavum Eboracensem regebat ecclesiam.

CONFIRMATIO HOMINUM AB EPISCOPO DICENDA. QUOMODO CONFIRMARE DEBET.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, hunc famulum tuum ex aqua & Spiritu-sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum, tu, Domine, immitte in eum septiformem Spiritum tuum sanctum Paraclitum de cælis. Amen. Da ei Spiritum sapientiæ & intellectus. Amen. Spiritum consilii & fortitudinis. Amen. Spiritum scientiæ & pietatis. Amen. Imple eum Spiritu timoris Dei & Domini nostri Jesu Christi, & consigna eum signo sanctæ cru✠cis tuæ propitiatus in vitam æternam.

Hic debet mittere chrisme in fronte ipsius hominis & dicere:

Accipe signum sanctæ cru ✠ cis chrismate salutis in Christo Jesu in vitam æternam. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Pax & benedictio Domini sit semper tecum. Et cum spiritu tuo.

Postea hanc orationem recitare debet:

Confiteor te Deus Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, ut habeas vitam æternam, & vives in sæcula seculorum. Ecce sit benedictus omnis homo, qui timet Dominum, benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas quæ bona sunt in Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Pax tecum in vitam æternam. Amen.

Modo ligandi sunt.

Deus qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, & per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, & præsta ut eorum earumque corda, quorum vel quarum hodie frontem delinivimus, & signo crucis confirmavimus, Spiritus-sanctus adveniens, templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Per Dominum.

Modo communicandi sunt de sacrificio.

Sequitur benedictio episcopalis.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, & vobis in baptismate & in confirmatione remissionem omnium peccatorum tribuat. Amen.

Quique Sanctum Spiritum igneis linguis suis dedit discipulis, corda vestra ipsius illustratione irradiet, atque in sui amorem jugiter accendat. Amen.

Quatenus ab omnibus vitiis emundati, ipsius opitulatione ab omnibus adversitatibus defensi, templum illius effici mereamur. Amen.

Ille qui vos creavit ab omnibus malis imminentibus custodiat, & ab omni pravitate defendat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

Alia benedictio ad missam post confirmationem.

Effunde quæsumus, Domine, super hos famulos tuos & famulas tuas cœlestem benedictionem tuam, quibus per nos eximium septiformem Spiritum-sanctum tuum tradere voluisti, ejusdemque Spiritus-sancti gratiam & dona largire. Amen.

Ut quicumque sunt ex aqua & Spiritu-sancto renati semper sint tua protectione muniti. Amen.

Redundet in eis diffusa caritas per Spiritum-sanctum, quæ operiat ac superet omnem multitudinem peccatorum. Amen.

Protege eos & eas protectione divina, ut fugiant ab eis universa peccata, & tua semper studeant adimplere præcepta. Amen.

Requiescat in eis propitius, qui quondam requievit in apostolis gloriosus.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

OR-

ORDO II.

Ex Sacramentario Gelaſiano, & quatuor mss. annorum 900. Regio 3866. Colbertino 1348. Gellonenſi, & Noviomenſi.

* D*At orationem Pontifex ſuper eos, cum chriſma faciens crucem in frontibus eorum cum vocatione S. Trinitatis, & tradit eis ſeptiformem Sancti Spiritus gratiam.*

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui regeneraſti famulos tuos ex aqua & Spiritu-ſancto, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum, tu, Domine, emitte in eos Spiritum-ſanctum tuum paraclitum: & da ei Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilii & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & pietatis: adimple eos Spiritu timoris Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti: & jube eos conſignari ſigno crucis in vitam æternam. Per eumdem Dominum.

Poſtea ſignat eos in fronte de chriſmate dicens:]

Signum Chriſti in vitam æternam. *Reſpondet* Amen. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORDO III.

Ex ms. codice inſignis eccleſiæ Bellovacenſis, qui fuit quondam Rogerii epiſcopi, & primi Comitis.

ORATIO SUPER CONFIRMANDOS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, hos famulos ex aqua & Spiritu-ſancto, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum, emitte in eos Spiritum-ſanctum tuum Paraclitum: & da eis Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilii & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & pietatis, & adimple eos Spiritu timoris Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & jube eos conſignari ſigno crucis in vitam propitiatus æternam. Per.

Deinde faciat crucem in fronte cum chriſmate dicens:

Signum Chriſti in vitam æternam. Amen. Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo.

Confirmet vos Pater, & Filius, & Spiritus-ſanctus, ut habeatis vitam æternam, & vivatis in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat vos Dominus ex Sion, & videatis bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ veſtræ. Amen.

ORDO IV.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Pictavienſis, ab annis circiter 800. exarato.

ORDO AD CONSIGNANDOS INFANTES.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos, &c.

Poſt hæc Pontifex facit crucem de chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus dicendo:

Signat te Deus ſigillo fidei ſuæ in conſignatione fidei. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.

Dicit iterum: Pax tibi. *Et reſpondetur:* Et cum ſpiritu tuo.

ORDO V.

Ex Pontificali eccleſia Caturcenſi ab annis circiter 800. ſcripto.

AD CONFIRMATIONEM BENEDICTIO.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, hos famulos tuos & famulas: quique dediſti eis remiſſionem peccatorum, emitte in eos vel in eas ſeptiformem Spiritum tuum Paraclitum de cœlis, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, adimple eos, vel eas ſpiritu timoris tui; & conſigna eos, vel eas in ſignum ſanctæ crucis in vitam propitiatus æternam. Per.

Alia.

Confirmo & conſigno te in ſignum ſanctæ crucis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Pax & benedictio Dei ſit ſemper tecum.

Confirmet vos Pater, & Filius, & Spiritus-ſanctus, ut habeatis vitam æternam, & vivatis in ſæcula ſæculorum.

Sic vivatis in hoc ſæculo, ut Deo omnipotenti placeatis in futuro.

Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.

Benedicat vobis Dominus ex Sion, & videatis bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ veſtræ in domo Domini.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti deſcendat ſuper vos, & angelus Domini maneat ſemper vobiſcum.

ORDO VI.

Ex ms. libro ſacramentorum Sancti Remigii Remenſis num. 264. & ex Pontificali eccleſiæ Beatæ Mariæ Remenſis, circa tempora Hincmari exarata.

ORATIO AD INFANTES CONSIGNANDOS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Confirmo & conſigno te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen. Pax tecum.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui ex nihilo cuncta creavit, & vobis in baptiſmate per Spiritum-ſanctum remiſſionem peccatorum tribuit. Amen.

Quique eumdem Spiritum-ſanctum in igneis linguis diſcipulis ſuis dedit, corda veſtra ipſius illuſtratione irradiat, atque in ſui amorem jugiter accendat. Amen.

Quatenus a cunctis vitiis emundari, ipſius opitulatione ab omnibus adverſitatibus defenſi, templum ipſius effici mereamini. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur cujus regnum.

Codex B. Mariæ omiſſa hac benedictione addit.

Deus qui Apoſtolis tuis ſanctum dediſti Spiritum, & per eos eorumque ſucceſſores ceteris fidelibus tradendum eſſe voluiſti; reſpice ad humilitatis noſtræ famulatum, & præſta ut quorum frontes ſacroſancto chriſmate delinivimus, vel ſigno crucis conſignavimus, eorum mentes Spiritus ſanctus adveniens templum gloriæ dignanter inhabitando perficiat. Qui *vivis*, in unitate ejuſdem.

Benedictio.

Inclinet Deus aurem ſuam ad preces noſtræ humilitatis, & det vobis gratiam ſuæ benedictionis, & præmium ſempiternæ ſalutis. Amen.

Semper & ubique Dominum propitium habeatis, & in ejus laudibus exultetis. Amen.

Omnium peccatorum noſtrorum vincula ſolvat, & ad gloriam ſempiternam pervenire eos faciat. Amen.

Omnipotens Deus ſua vos clementia benedicat, & ſenſum in vobis ſapientiæ ſalutaris infundat. Amen.

Catholicæ fidei documentis vos enutriat, & in ſanctis operibus perſeverabiles reddat. Amen.

Greſſos veſtros ab errore convertat, & viam vobis caritatis oſtendat. Amen. Quod ipſe præſtare.

ORDO VII.

Ex ms. libro Sacramentorum monaſterii Moyſacenſis annorum circiter 800.

AD CONSIGNANDOS INFANTES.

COnfirmo te ſigno crucis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, in vitam æternam. Amen.

Dicat pontifex: Pax & benedictio Dei ſit ſemper tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Sequitur oratio.

Deus, qui apoſtolis tuis ſanctum dediſti ſpiritum, & per eos eorumque ſucceſſores ceteris fidelibus tradendum eſſe voluiſti; reſpice propitius ad humilitatis noſtræ famulatum, & præſta ut eorum earumque corda, quorum vel quarum frontes ſacroſancto chriſmate delinivimus, & ſigno crucis conſignavimus, idem Spiritus-ſanctus adveniens templum gloriæ ſuæ dignanter inhabitando perficiat. Per Dominum.

Poſtea dicat diaconus: Humiliate vos ad benedictionem.

Tunc dicat pontifex benedictionem hanc:

Benedicat vos omnipotens Deus, qui cuncte ex nihilo crea-

* In codicibus Regio & Noviomenſi ſic legitur Rubrica: *Deinde ab epiſcopo datur eis Spiritus ſeptiformis ad conſignandum: & imponet eis manum in his verbis:* Deus omnipotens, &c.

areavit, & vobis in baptismete per Spiritum-sanctum remissionem omnium peccatorum tribuit. Amen.

Quique eumdem Spiritum-sanctum in igneis linguis apostolis suis dedit, ipsius illustratione corde vestra irradiet, atqua in sui amorem jugiter eccendat. Amen.

Quatenus e cunctis vitiis emendati, ipsius opitulatione ab omnibus pravitatibus desensi, templum illius effici mereamini. Amen. Quod ipse.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, & pax Domini sit semper vobiscum.

Benedictio super confirmatos.

Effunde, Domine, super hos famulos tuos cœlestem benedictionem, quibus per nos exiguos septisormem Spirium tuum sanctum tradere voluisti, atque ejusdem Spiritus-sancti gratiam & dona largire, ut qui sunt es aqua & Spiritu-sancto renati, sint semper ejus protectione muniti Amen.

Redundet in eis carites difusa per Spiritum-sanctum, quæ operiat ac superet omnem multitudinem peccatorum. Amen.

Protege eos protectione divina, ut fugiant universa & tue sempet studeant adimplera præcepta. Amen.

Requiescat in illis, qui quondam requievit in Apostolis gloriosis. Amen. Quod ipse.

ORDO VIII.

Ex libro Sacramentorum insignis ecclesiæ Senonensis ante annos 800. scripto.

OMnipotens sempiterna Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Confirmo & consigno te signo sanctæ crucis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut habees vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Oratio post confirmationem.

Deus, qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, &c.

ORDO IX.

Ex ms. libro Sacramentorum Majoris-monasterii annorum circiter 700.

CONFIRMATIO EPISCOPALIS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerere dignatus es hos famulos, &c.

Quo nomine vocaris? N.

Confirmo te signo sanctæ crucis & chrismate sanctificationis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut habeas vitam æternam. Amen.

Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Confirmet te Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, & vivas cum eo sine fine in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti vos custodiat, ab omni malo defendat, & ad vitam æternem perducat. Amen.

ORDO X.

Ex ms. Pontificali S. Luciani Bellovacensis, annorum circiter 700. & Cameracensi annorum circiter 500.

ORATIO AD CONSIGNANDOS INFANTES.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Tunc faciat crucem de chrismate cum pollice suo in frontibus eorum, dicens unicuique.

Consigno & confirmo te signo sanctæ crucis. In nomina Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Pater sancte, per unicum Filium tuum gratiam Spiritus-sancti in a^{os}_{um} vel e^{as}_{am} confirmare digneris. Amen.

Post unctionem chrismatis.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti spiritum, &c. dignanter inhabitando perficiat. Per.

In Pontificali Cameracensi post formam confirmationis additur: Pax tecum. Et cum spirite tuo. *Et post orationem,* Deus, qui apostolis tuis, *subjicitur hæc benedictio:* Benedicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ, & videatis filios filiorum vestrorum, pacem super Israel.

ORDO XI.

Ex ms. Pontificali Vindocinensi, sive Salisburgensi, ante annos 600. exarata.

POntifex veniens ad infantes, tenente archidiacono chrisma, involutis scapulis & brachiis ex panno lineo elevata & composita manu super capita omnium, det orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus-sancti.

Spiritus sanctus superveniat in vos, & virtus Altissimi sine peccato custodiat vos.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Oratione expleta, interrogantibus diaconibus nomina singulorum, Pontifex uncto pollice in chrismate, faciat crucem in singulorum frontibus, ita dicens:

Confirmo te, & signo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Iterum confirmatis omnibus dicat hos versus.

Ecce sic benedicerer homo, qui timet Dominum. Benedicat vobis Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ. Custodiat vos Dominus in timore suo sanctissimo. Qui vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Pax vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Item oratio post confirmationem.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, & per eos, &c.

Et episcopus det benedictionem super confirmatos ita:

Benedicat vos omnipotans Deus, qui cuncte creavit ex nihilo, & vobis in baptismate per Spiritum-sanctum remissionem omnium tribuit peccatorum. Amen.

Quique eumdem Spiritum in igneis linguis discipulis dedit, ipsius illustratione corda vestra perlustret, atque in suum amorem jugiter accendat. Amen.

Quatinus ejus dono e vitiis emundati ipsiusque opitulatione ab omnibus adversitatibus desensi, templum ejus effici mereamini. Amen. Quod ipse præstare.

ORDO XII.

Ex ms. Pontificali ecclesiæ Conchensis in Hispania, quod postea usus fuit ecclesiæ Xantonensi, & servatur in Majori-monasterio, estque annorum circiter 500.

ORDO AD CONFIRMATIONEM INFANTUM.

P*Rimum dicatur antiphona:* Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo quod est in Jerusalem, alleluje, alleluja. Gloria. Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. *Cum suis capitulis* Salvos fac servos & ancillas tuas Deus meus. Esto eis Domine. A facie. Mitte eis Domine. *Deinde episcopus dicat orationem ad consignandos infantes:*

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos, &c.

Finita oratione quærat episcopus nomen infantis, de chrismate faciens crucem cum pollice in ejus fronte dicens:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti confirmo & consigno te signo crucis Christi, ut repleeris Spirire-sancto, & hebeas vitam æternam. Amen. Et pax tecum. *Et respondeant omnes.* Et cum spiritu tuo.

Item confirmatis omnibus dicat episcopus hos versus:

Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum, benedicat vobis Dominus ex Sion, & videetis quæ bona sunt Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ. Custodiat vos Dominus in timore suo sanctissimo. Qui vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

His expletis dicat episcopus orationem:

Deus qui Apostolis tuis sanctum dedisti, &c.

Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus-sancti descendat super vos & maneat semper. Amen.

Postea dicatur hæc oratio super omnes.

Adsit nobis, Domine, virtus Spiritus-sancti, quæ eorum vel earum corda, quorum vel quarum frontes sacrosancti chrismatis unctione liniendo, signaculo Dominicæ crucis designavimus, clementer expurget, & sui roris intima aspersione fœcundet, atque saluberrima illustratione & operatione confirmet. Per ejusdem.

Post

Post hanc vero orationem annunciet levita : Humiliate vos ad benedictionem. *Et ℟. ministri* Deo gratias.

Tunc decantando dicat episcopus super omnes hanc benedictionem.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, & vobis in baptismate per Spiritum-sanctum remissionem omnium peccatorum tribuit. Amen, &c.

ORDO XIII.

Ex ms. Pontificali insignis ecclesiæ Noviomensis, annorum 400.

ORDO AD CONSIGNANDUM INFANTEM.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Consigno & confirmo te signo sanctæ crucis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Pater sancte, per unicum Filium tuum gratiam Sancti Spiritus in eos confirmare digneris.

Oratio.

Deus, qui Apostolis tuis per unctionem chrismatis sanctum dedisti Spiritum, & per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, & præsta ut eorum corda, quorum frontes sacro chrismate delinivimus, & signo crucis designavimus, idem Spiritus-sanctus adveniens, templum ecclesiæ tuæ dignanter habitando perficiat. Per Dominum.

Benedictio.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, &c.

Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus-sancti, descendat super vos, & pax Domini sit semper vobiscum. Amen.

ORDO XIV.

Ex ms. Pontificali insignis ecclesiæ Arelatensis, annorum 400.

P*Ost batismum apportentur infantes ante pontificem, ad confirmandum dicat :*

Spiritus-sanctus superveniat in vos, & virtus Altissimi sine peccato vos custodiat.

Domine exaudi orationem meam.

Dominus vobiscum.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Tunc intincto pollice in chrismate, faciat crucem in singulorum frontibus dicens :

Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Et Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Deinde sequitur.

Confirma hoc Deus, quod, &c. Gloria Patri, &c. Confirma hoc Deus, &c. *Postea dicat archiepiscopus :* Ostende nobis Domine, &c. Domine exaudi. Dominus vobiscum.

Oratio.

Deus qui apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, &c.

Benedictio post confirmationem.

Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum, benedicat vobis ex Sion, & videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ. Amen.

ORDO XV.

Ex ms. codice Victorino n. gg. 14. annorum 500.

Oratio dicenda ab episcopo super baptizatum antequam confirmetur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum tuum N. ex aqua & Spiritu sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum, tu, Domine, mitte in eum septiformem Spiritum-sanctum tuum Paraclitum. Da ei, Domine, de cœlis Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis, adimple eum Spiritu timoris tui, & consigna eum signo sanctæ crucis, propitiatus in vitam æternam. Per.

Deinde tincto pollice in crismate, faciat crucem in fronte ejus dicens :

Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

Deinde dicat : Pax tecum.

Postea orationem hanc :

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, quique per eos, eorumque successores ceteris fidelibus tradidisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, & præsta ut cujus hodie frontem sacro sancto chrismate delinivimus, & signo crucis confirmavimus templum gloriæ tuæ dignanter habitando perficias. Qui cum Patre & eodem Spiritu.

Postea dicat : Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc. Benedicat vos divina majestas Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus.

ORDO XVI.

Ex ms. Pontificali Ecclesiæ Constantinopolitanæ, annorum circiter 500.

ORDO AD CONSIGNANDOS PUEROS.

DOminus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Tunc inquisito nomine ejus, & pollice tincto in chrismate, pontifex faciat crucem in illius fronte dicens :

Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Consignatione facta.

Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum : benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona quæ sunt Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Gloria Patri. Sicut erat. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, &c.

Vade in pace, & angelus Domini tecum in ultionem inimicorum Dei. Amen.

ORDO XVII.

Ex ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria.

I*Nfantes quidem in brachiis dextris tenentur : majores vero pedem ponant super pedem patrini sui, quibus per ordinem dispositis ante pontificem : ipse pontifex imposita manu super capita singulorum, dat orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus-sancti, sic dicens :*

Spiritus-sanctus super vos descendat & virtus Altissimi sine peccato vos custodiat. Amen.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos, & famulas ex aqua & Spiritu-sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum Paraclitum de cœlis. ℟. Amen. Spiritum sapientiæ & intellectus. ℟. Amen. Spiritum consilii & fortitudinis. ℟. Amen. Adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis Christi, in vitam propitiatus æternam. Per.

Tunc pontifex intincto pollice in chrismate, & interrogato uniuscujusque nomine, faciat crucem in frontibus singulorum, sic dicens :

Johannes *vel alio quovis nomine invocans eos.* Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Consignatis omnibus dicit hos versus :

Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum, benedicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ. Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c. Pax vobis. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, & per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti : respice propitius ad humilitatis nostræ famula-

mulatum, & præsta ut horum corda, quorum frontes sacro chrismate delinivimus, & signo crucis designavimus, idem Spiritus-sanctus adveniens, templum gloriæ tuæ dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Patre & eodem Spiritu-sancto vivis & regnas. Per.

Deinde faciat crucem super eos dicens:

Benedicat vos Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Amen.

ORDO XVIII.

Ex ms. Pontificali Christiani archiepiscopi, qui ab anno 1249. ad 1251. Moguntinam rexit ecclesiam. Extat in bibliotheca regia num. 4203.

INCIPIT ORDO AD CONSIGNANDUM PUERUM AB EPISCOPO.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Tunc imposito nomine uniuscujusque, & pollice intincto in chrismate * *episcopus faciat crucem in frontibus eorum dicens:*

Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Consignatione facta dicat:

Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum, benedicat vos Dominus ex Sion, & videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ. Gloria Patri. Sicut erat. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, &c.

ORDO XIX.

Ex ms. Pontificali ecclesiæ Senonensis, annorum 500. quod extat in bibliotheca regia, num. 4219.

AD CONSIGNANDOS INFANTES.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Tunc faciat crucem in fronte eorum de chrismate dicens:

Consigno te signo crucis & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Pax vobis. Et cum spiritu tuo.

Oratio post unctionem.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, &c.

Benedictio.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, & vobis in baptismate per Spiritum-sanctum remissionem omnium peccatorum tribuit. Amen.

Qui eundem Spiritum in igneis linguis discipulis suis dedit, ipsius illustratione corda vestra perlustret, atque in sui amorem jugiter accendat. Amen.

Quatenus ejus dono a cunctis vitiis emundati, ipsius opitulatione ab omnibus adversitatibus defensi, templum illius effici mereamini. Amen.

Quod ipse.

ORDO XX.

Ex ms Pontificali Guillelmi episcopi Mimatensis, quod usui fuit Johanni de Sairebruche episcopo Catalaunensi, & ex Pontificali ecclesiæ Parisiensis, annorum circiter 300.

DE CHRISMANDIS IN FRONTE PUERIS.

Pontifex pueros in fronte chrismare volens, paratus cum amictu, stola, & pluviali albi coloris, & mitra, præmittit admonitionem, prout dicetur in titulo de visitandis parochiis. Deinde loto prius & terso pollice dextra manus, & confirmandis genua flectentibus, & junctis ante pectus manibus dicit:

Spiritus-sanctus superveniat in vos, & virtus Altissimi custodiat a peccatis. ℞. Amen.

Deinde dicit:

Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit cœlum & terram. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.

Oremus.

Et tunc elevatis, & super confirmandos extensis manibus, dicit orationem:

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Tunc sedens super faldistorium coram altari vel alibi paratum, inquisito sigillatim nomine cujuslibet consignandi, sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus præsentati, & summitate pollicis dextra manus chrismate intincta, pontifex facit crucem in fronte illius, dicens:

Johannes, vel Maria, *vel alio quovis nomine*, Consigno te signo sanctæ crucis, & confirmo te chrismate salutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut replearis eodem Spiritu-sancto, & habeas vitam æternam. ℞. Amen.

Et dicendo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, *producit signum crucis ante faciem illius. Deinde dat sibi leniter alapam super genam, dicens:* Pax tecum.

Omnibus taliter consignatis, tergit cum mica panis vel pecia linea, & lavat cum aqua pollicem super aliquem calicem stagneum, vel super aliquam pelvim, & aqua lotionis cum pecia linea vel pane funditur in fontibus vel piscina. Interim cantatur antiphona: Confirma hoc Deus quod, &c. Gloria Patri, &c. Confirma, &c.

Deinde præsul surgens, stans mitra deposita, dicit:

Ostende nobis Domine. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.

Oremus.

Oratio quam dicit junctis ante pectus manibus, & omnibus confirmatis devote genua flectentibus.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, &c.

Deide dicit:

Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.

Et faciens signum crucis supra eos, dicit:

* Benedicat vos Dominus ex Sion, & videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ, & habeatis vitam æternam. ℞. Amen.

Expedita itaque confirmatione, pontifex annunciat confirmatis sive chrismatis, quod in honorem S. Trinitatis chrismalia in frontibus portent, & die tertia sacerdos lavabit eorum frontes, & comburet chrismalia super fontes, vel ex chrismalibus fiant candelæ ad usum altaris. Patrinis vero seu matrinis annunciet, quod instruant & informent filiolos suos bonis moribus & operibus, quod fugiant mala, & faciant bona; & quod doceant eos. Credo in unum Deum. Pater noster, *& etiam* Ave Maria: *quoniam se ad hoc obligaverunt prout hæc in nostris constitutionibus synodalibus plenius continetur.*

Idem ordo habetur etiam in ms. Pontificali ecclesiæ Autissiodorensis, excepta antiphona: Confirma hoc Deus, *& benedictione, cujus loco legitur ista:* Benedicat vos omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, &c. *Exceptis etiam rubricis quæ longe breviores sunt: in fine vero ista extat.* Tunc dicat eis episcopus quod tertia die veniant ad ecclesiam, ut presbyteri deponant eis bandellos suos, & laveat frontes eorum in piscina. Bandellos vero debent comburere sacerdotes.

Idem etiam ordo reperitur, in ms. Pontificali ecclesiæ Lugdunensis, quod usui fuit ecclesiæ Tharentasiensi, in quo tamen hæc præmittuntur.

Pontifex pueros in fronte chrismare volens, paratus cum amictu, stola, pluviali albi coloris & mitra præmittat admonitionem populo dicens, quod nullus confirmatus debet reconfirmari. Quod nullus qui non sit confirmatus potest esse in confirmatione patrinus. Quod nullus excommunicatus vel gravibus facinoribus alligatus ingerat se ad percipiendum hoc sacramentum, vel ad præsentandum confirmandum. Quod adulti prius debent confiteri, & postmodum confirmari. Quod in hoc sacramento compaternitas contrahitur, impediens matrimonium, & dirimens jam contractum. Quod nullus præsentet nisi unum vel duos ad plus. Item ne aliquis filium aut filiam, nec filiastrum aut filiastram adducat in præsentia episcopi aut teneat dum confirmet. Item ne aliquis infans adducatur ad confirmandum, qui non compleverit annum septimum. Item ut habeant bandellos longos, latos, & mundos, & frontes etiam abluantur, si necesse sit, & quod nullus recedat post confirmationem donec receperint benedictionem, & audierint ab episcopo quando, & per quem bandelli amoveri debeant, & quomodo honeste debeant se habere.

O R-

* In margine alia manu additur: *Alii dicunt hanc benedictionem quæ est die tertia post Pentecosten:* Benedicat vos omnipotens, qui cuncta de nihilo creavit.

ORDO XXI.

Ex tribus mss. Pontificalibus Aquensi, annorum 400. Romano quod in bibliotheca regia num. 3867. ante annos 300. exaratum asservatur, & Laudensi annorum minimum 200.

ORDO AD CONSIGNANDOS PUEROS.

DOminus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c. *ut supra col.* 253.

Tunc inquisito nomine ejus, & pollice tincto in chrismate, pontifex faciat crucem in illius fronte dicens:

Signo te signo crucis † & confirmo te chrismate salutis. In nomine † Patris, & † Filii, & † Spiritus-sancti. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Consignatione facta, dicat episcopus:

Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum: Benedicat te Dominus ex Sion, & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, &c.

Deinde faciat crucem super eum dicens:

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Amen.

ORDO XXII.

Ex ms. Pontificali bibliotheca regia, num. 4473. annorum 300. quod fuit insignis ecclesia Andegavensis.

ORDO AD CONFIRMANDUM.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerare, &c. *ut supra col.* 253.

Tunc faciat crucem in frontibus singulorum cum chrismate, dicens:

Confirmo & consigno te signo sanctæ crucis, & chrismate sanctificationis. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † - sancti. Amen.

Pax tibi. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, &c.

Benedictio.

Ecce sic benedi † cetur homo, qui timet Dominum, bene † dicat vobis Dominus ex Sion, & videatis quæ bona sunt in Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ, & habeatis vitam æternam in sæcula sæculorum. Amen.

ORDO XXIII.

Ex missali Romano, annorum circiter 200. ad usum Fratrum Minorum accommodato, in quo post baptismi ritus hæc subjiciuntur.

DEinde tres illos quos baptizaverat Pontifex sibi repræsentatos chrismate sacro in fronte confirmat, dicens:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatos es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu-sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum-sanctum tuum Paraclitum de cælis. ℟. Amen. Spiritum sapientiæ & intellectus. ℟. Amen. Spiritum consilii & fortitudinis. ℟. Amen. Spiritum scientiæ & pietatis. ℟. Amen. Adimple eos Spiritu timoris tui, & signa eos signo crucis Christi in vitam propitiatus æternam. Per Dominum.

Oratione completa, faciat crucem in frontibus singulorum de chrismate cum pollice, dicendo: Johannes, *vel quovis alio nomine.* Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. ℣. Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Confirmatus vero dicit hos ℣. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. ℣. Benedicat vobis Dominus ex Sion, & videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ.

℣. Gloria Patri, &c.

Pax vobis. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus, qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, & per eorum successores, &c. *Deinde faciat crucem super eos, dicens:* Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Amen.

GRæcorum in confirmandis neophytis ritus hic essent repræsentandi, nisi superiori capite articulo ultimo cum variis ad baptizandum ordinibus simul eos exhibuissemus, col. 227. 228. 229. &c. adeo ut hic reponere necessarium non sit.

CAPUT III.

De Eucharistia ut est sacrificium in genere.

ARTICULUS I.

De variis liturgiarum generibus.

I. CUm nullum sit in Ecclesia sacramentum Eucharistia majus, nullum nobilius, aut illustrius; ita nullum fuit umquam majori apud christianos veneratione habitum, nullum ampliori rituum aut ceremoniarum apparatu distinctum, nullum frequentiori usu celebratum. Nam alia sacramenta aut semel tantum, aut interdum suscipimus: istud vero quasi quotidiano usu terimus, & in vitę spiritualis alimoniam convertimus: unde & nullum virorum doctrina pręcellentium calamum magis aliquando exercuit. Quapropter cum multa nobis de illo dicenda occurrant (quod ipsum tamen quanta potuerimus brevitate exequemur) ut faciliori methodo & sine confusione in iis pertractandis procedamus, omnia quæ hoc de sacramento nobis discutienda proponimus, in tria capita distribuere visum est; in quorum primo cuncta quæ ad Eucharistiam, ut est sacrificium, in genere spectant referemus. Secundo ejusdem singulares ritus investigabimus. Tertium de Eucharistia, ut est sacramentum, sive de diverso usu Eucharistiæ extra sacrificium pertractabit.

II. Et primo quidem de variis liturgiarum generibus differere nobis operæ pretium visum est. Liturgiæ autem, seu ut vocant, missæ nomine, aliud nihil intelligimus, quam ordinem lectionum, precum, ac ceremoniarum, quæ in offerendo Corporis & Sanguinis Domini sacrificio incruento adhiberi solent. Unde tot sunt liturgiarum genera, quot hujusmodi ordines lectionum, orationum, ac rituum adinveniri possunt.

Liturgia Apostolorum.

III. Qui de institutis ab apostolis liturgiis longas, nec forte indoctas, texunt dissertationes; hi divinando potius loquuntur, quam certi aliquid docent. Nulla enim earum, quę sub aliquo illorum nomine circumferuntur, tamquam genuinus eorum fœtus a viris doctissimis admittenda est. Sed & quod ait Sanctus Gregorius papa l. 7. epist. 64. (quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem (Dominicam) oblationis hostiam consecrarent,) cujus ad verba alludere videtur Ratherius Veronensis episcopus de Contemptu canonum part. 1. ubi scribit quod (illa specialissime oratione consecretur oblatio populo porrigenda, ubi Deo dicitur: Pater noster qui es in cęlis,) verosimile non apparet, nisi cum oratione Dominica alia superaddantur, maxime verba Christi Domini hoc sacramentum instituentis. Nam constat ex Actis a S. Luca scriptis, apostolicos conventus, quibus ad frangendum panem divinum plebem christianam coadunabant, non parvo temporis intervallo perdurasse. Sed & contrarium ex Hieronymi lib. 1. adversus Pelagium cap. 18. non obscure arguitur. Christus, inquit, (sic docuit apostolos suos: ut quotidie in Corporis illius sacrificio credentes, audeant dicere: Pater noster, qui es in cælis,) quibus ex verbis evidenter patet, orationem Dominicam partem dumtaxat, eamque fortasse perminimam liturgiæ constitutam fuisse.

Liturgiæ partes præcipuæ apud Justinum.

IV. Nullum hoc de argumento testimonium antiquius aut illustrius proferri potest verbis Justini martyris in Apologia e. ad Antoninum Pium. Ubi si non omnem liturgiæ ordinem, saltem præcipuas ejus partes tam clare ac distincte describit, profanum alloquens imperatorem, ut si cum fideli sermo illi fuisset, nihil certe evidentius aut apertius differere potuisset: (Credentem jam, inquit, & nobis adscitum ad fratres qui dicuntur eu adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces & supplicationes, tum pro seipsis, tum pro baptizato, & aliis ubique gentium omnibus animo intento peragendas ..... Precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei qui fratribus præest offertur panis & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus-sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eo quod nos donis hisce suis dignatus sit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actionem absolvit, populus qui adest omnis, fauste approbatione acclamat, dicens *Amen*. Amen autem voce Hebrea *fiat* significat. Præsidens vero postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione leta comprobavit, qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt unicuique præsentium, & ad absentes perferunt.) In his Justini verbis quinque præcipuas liturgiæ partes advertere licet, quarum prime in precibus quæ pro Ecclesia & infidelium conversione fiebant consistit, secunda in pacis osculo, tertia in oblatione panis & vini aqua mixti, quarta in ejusdem consecratione, quinta in Eucharistię distributione seu communione.

Liturgiæ Clementis.

V. Ordo liturgię præscriptus in Constitutionibus Apostolorum lib. e. cap. 61. incipit e lectionibus tribus, veteris scilicet ac novi testamenti, atque evangelii, quas sequitur oratio super catechumenos, energumenos, ac pœnitentes; eorumque ejectio: iis egressis præscribitur oratio & oblatio. Post oblationem pacis osculum, deinde oratio pro omni Ecclesia, universoque mundo, pro suis partibus, ac membris, pro sacerdotibus, ac principibus, pro pontifice, & rege, atque pro communi pace. Postmodum oblationis consecratio, ac demum communio.

Liturgiæ SS. Jacobi, Basilii, & Chrisostomi.

VI. De liturgia quam magnifico apparatu describit Dionysius nihil dico, ut pote quam quilibet consulere potest. Celebriores in oriente fuerunt liturgiæ S. Jacobi, S. Basilii, & S. Johannis Chrysostomi. De quibus ita scribit Proclus Constantinopolitanus non multo post Chrysostomum archiepiscopus in traditione Liturgiæ: (Multi quidem & alii divini pastores qui apostolis successerunt, ac ecclesiæ doctores sacrorum divinæ illius missę mysteriorum rationem explicantes, scripta mandatum ecclesię tradiderunt: in quibus primi & clarissimi sunt B. Clemens, summi illius apostolorum discipulus ac successor, qui sacrosancta ille mysteria a sanctis apostolis sibi revelata in lucem edidit: & S. Jacobus, qui in sortem ecclesiæ Jerosolymitanæ administrandæ vocatus fuit... Magnus porro postea Basilius hominum socordiam & ignaviam conspiciens, eosque nihil aliud quam terrene & abjecta cogitantes, & ob id longitudinis missæ persæsor, non quod supervacaneum aliquid aut nimis longum concinere eam arbitraretur; sed ut simul orantium & audientium ignaviam atque pigritiam præcideret, propterea quod multum temporis poneretur, breviorem recitandam dedit .... Haud multo post pater noster Johannes, cui aurea lingua cognomen dedit, curam ovium, ut pastorem decet, magna alacritate suscipiens, ac hominum naturæ socordiam atque ignaviam prospiciens, fibras omnes & radices hujus præteatus satanici prorsus evellere voluit. Quare multa pręcidit, & ut brevior esset constituit, ne sensim homines libertatem & otium maxime amplectentes, fallacibus & furiosis adversarii sermonibus decepti, ab hac apostolica & divina traditione deficerent, quod multis sæpe accidisse variis in locis ad hunc usque diem deprehendimus.) Tres illę liturgiæ excusæ sunt græce & latine non semel. Primam ecclesię Jerosolymitanæ usui fuisse colligitur ex Cyrilli illius loci antistitit Catechesibus mystagogicis, ubi vulgatam Jacobi liturgiam aliquoties describere videtur: quæ causa forsan extitit, ut illi, quamvis falso, attribueretur.

Secundæ & tertiæ usus longe frequentior apud Græcos, maxime vero Chrysostomi, quæ per totum fere annum recitatur. De utriusque usu hæc habet Typicum Græcorum: (Sciendum est, in diebus Dominicis magnæ quadregesimæ, & in vigiliis Domini sollemnitatum magni Basilii liturgiam fieri; similiter & in commemoratione ipsius. Præsanctificatorum vero quadragesimæ dies sibi vindicat, & reliquis totius anni diebus Johannis Chrysostomi liturgia fit.) Et Ordo monasterii Casulorum apud Allatium: (Sciendum decies cani S. Basilii liturgiam per totum annum, Vigilie Christi natalium, die eidem Basilio sacro, Vigilia luminum [id est Epiphanię) quinque sanctę quadragesimę Dominicis, sancta & magna ferie V. & magno sabbato; & sunt decies. Nam Dominica Palmarum Liturgie Chrysostomi dicitur.) Sunt & alia plura Liturgiarum genera ad ecclesiam orientalem spectantia, quæ tanti non sunt, ut his immoremur, cum de his sufficiant ea, quæ scripsit Cardinalis Bona in lib. 1. de Rebus Liturgicis. Obiter tantum hic observabo id, quod de Jacobitis scribit Vanslebius in Gallica Ecclesiæ Alexandrinæ Historia parte 2. cap. 18. Jacobitas non secus ac Abyssinos duodecim habere liturgias. 1. S. Johannis Evangelistæ. 2. Trecentorum decem & octo Patrum qui Nicæno interfuere concilio. 3. S. Epiphanii. 4. S. Jacobi Syrugiensis. 5. S. Johannis Chrysostomi. 6. Christi Domini. 7. Apostolorum. 8. S. Cyriaci. 9. S. Gregorii Nysseni. 10. Dioscori. 11. S. Basilii. 12. S. Cyrilli. Ex quibus tribus dumtaxat uti solent, scilicet, Sancti Basilii, quam in dies recitant. S. Gregorii, quam Domini aliisque diebus solemnioribus festis diebus usurpant. Et S. Cyrilli, quam per quadragesimam, jejunium Natalis Domini, & in commemoratione defunctorum adhibent.

Liturgia Romana.

VII. In occidente quatuor insigniores extiterunt Liturgiæ: Romana, Ambrosiana, Gallicana, & Hispanica seu Mozaraba. Romana auctorem habuisse creditur S. Petrum apostolorum principem, nec sine fundamento: aucta postmodum ab illius successoribus Pontificibus.

Ambrosiana.

VIII. Ambrosiana seu Mediolanensis parentem agnoscit S. Ambrosium Mediolanensem episcopum: ipse enim ut scribit Walfridus Strabo lib. de Rebus Ecclesiasticis cap. 22. (Tam missæ, quam cæterorum dispositionem officiorum, suæ ecclesiæ & aliis Liguribus ordinavit: quæ & usque hodie, inquit, in Mediolanensi tenentur ecclesia.) Perseverat hactenus in Mediolanensi ecclesia Liturgia Ambrosiana: non tamen pura, aut omnis mutationis expers, ut edita diversis temporibus illius ecclesiæ missalia consulenti perspicuum esse potest. Ejus seriem infra exhibebimus.

Gallicana.

IX. In ecclesia Gallicana plures fuerunt Liturgiæ, sed tamen idem in omnibus ordo precum, licet orationes essent diversę, ut patet ex tribus Gallicanis a Thomasio editis, & ex quatra a Mabillonio Musæi Italici tomo 1. quæ singulę differunt in orationibus: unde constat non unum & eumdem harum Liturgiarum fuisse auctorem, sed plane perplures: quinam vero illi sint, nos latet: Constat tamen S. Hilarium Pictavorum antistitem *librum hymnorum* & *alium mysteriorum* scripsisse: cujus rei fidem facit S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 100. Sæculo insequenti idem a Musæo Massiliensi presbytero tentatum fuisse auctor est Gennadius in libro de Viris Illustribus cap. 79. ubi de Musæo sic scribit: [Hortatu S. Venerii episcopi sui excerpsit ex sacris scripturis lectiones totius anni festivis aptas diebus; Responsoria etiam psalmorum, & capitula tempori, & lectionibus congruentia ...... Sed & ad personam S. Eustasii episcopi successoris prædicti hominis Dei composuit *Sacramentorum* egregium & non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum & temporum, pro lectionum textu psalmorumque serie & decantatione discretum: sed supplicandi Deo & contestandi beneficiorum ejus soliditate sui consentaneum.] His adjungendus est Sidonius Apollinaris, quem *de missis ab eo compositis* laudat Gregorius Turonensis lib. 2. Historiæ Francorum cap. 22. Et S. Germanus Parisiorum episcopus, qui, ut, ut legimus in antiqua expositione Liturgiæ Gallicanæ a nobis edita tom. 5. Anecdotorum, *scripsit de missa*. Nec mihi dubium est, quin plures fuerint alii Liturgiarum Gallicanarum auctores: sed quicquid sit de auctoribus illarum, constat approbatas fuisse a Gregorio Magno ex ejus ad Augustinum Anglorum Apostolum epistola, licet a Romana essent omnino diversæ, perseveraruntque usque ad tempore Pippini

pini

pini Francorum regis, sub quo cum Romana commutari cœperunt. Ordo autem illarum is erat.

X. Liturgia incipiebat ab antiphona, quam cum versu psalmi & gloria Trinitatis chorus præcinebat. Antiphonam sequebatur præfatio, seu admonitio ad populum, quam sacerdos prælegebat ad hortandam plebem, ut debita cum veneratione celebraret ad quam convenerat solemnitatem. Non me latet, quosdam antiphonam inter & præfationem constituere hymnum angelicum a choro decantandum. Verum id absque ullo auctoritatis fundamento. Nam duo ex Gregorio Turonensi loca, quæ ad id probandum proferunt, nihil prorsus evincunt, sed hymnum illum in quibusdam aliis supplicationibus publicis decantatum fuisse demonstrant. Post præfationem diaconus alta voce silentium indicebat, cujus ritus meminit Gregorius Turonensis lib. 7. hist. Franc. cap. 8. his verbis: (Unde factum est, ut quadam die Dominica postquam diaconus silentium populis, ut missæ auscultarentur, indixit.) &c. Quo loco *missæ* pro *orationes* sumi non dubito. Indicto silentio sacerdos populum salutabat, ac populi responsioni collectam subjiciebat, a cunctis flexis genibus devote audiendam, ut probant Cæsarii Arelatensis episcopi quidam sermones.

XI. Post collectam chorus cantabat trisagium, & quidem græce & latine, quod sequebatur canticum Zachariæ *Benedictus Dominus Deus Israel*. Quod quidem canticum cum aliis lætitiæ hymnis in quadragesima supprimebatur. Sequebatur lectio ex prophetis & ex apostolo. Nam præter evangelii lectionem, duas, unam ex veteri, alteram ex novo testamento, lectiones cantabant: quem ritum videre est apud Gregorium Turonensem l. 1. de miraculis S. Martini cap. 5. ubi hæc habet: (Factum est ut illa Dominica prophetica lectione jam lecta, ante altarium staret, qui lectionem B. Pauli proferret.) In Sanctorum festivitatibus, sive martyrum, sive confessorum acta eorum etiam publice legebantur, ut auditis eorum virtutibus, populi ad similia perpetranda accenderentur. Ita Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria martyrum cap. 86. lectam fuisse S. Polycarpi passionem narrat.

XII. Lectionibus pronuntiatis, chorus hymnum trium puerorum decantabat, & quidem, ut reor, per modum responsorii, quem sane hymnum a Gregorio Turonensi historiæ Francorum lib. 8. cap. 3. *psalmum responsorium* dici conjicio. Nam quælibet ex scripturis cantica psalmorum nomine donare consueverant veteres. Porro ad hunc ritum spectare existimo canonem 13. concilii Toletani IV. (ut per omnes Hispaniæ ecclesias vel Galliæ in omnium missarum solemnitate decantetur hymnus trium puerorum in pulpito.)

XIII. Dum diaconus ad analogium evangelium cantaturus procederet, chorus interim trisagium præcinebat, quod cantato evangelio iterum repetebat. Prænuncianti diacono, populus respondebat *Gloria omnipotenti Deo*, ut constat ex Gregorii Turonensis lib. 8. Hist. Francor. cap. 4. Eo decantato, episcopus verbum e suggestu habebat ad populum; aut, si per infirmam valetudinem id sibi non liceret, vel forte tardioris esset linguæ, homilias proprias aut ab alio conscriptas, maxime sanctorum Patrum, pronunciari a sacerdotibus aut diaconis jubebat. Deinde diaconus super audientes & catechumenos preces constitutas effundebat, ut supra diximus.

XIV. Ejectis catechumenis, diaconis silentium indicebat, tum corpus Domini in turri conservatum ex præcedenti sacrificio deferebat ad altare, ut constat tum ex antiqua expositione liturgiæ Gallicanæ a nobis edita tom. 5. Anecdotorum, tum ex Gregorii Turonensis lib. de Gloria martyrum cap. 85. Allata ad altare eucharistia, fiebat panis & vini consecrandi oblatio, atque interim chorus canebat *sonum*, id est antiphonam quæ nostro responsorio respondebat. Facta oblatione, sacra recitabantur diptycha, hoc est nomina episcoporum scripta in tabella altari superposita. Hujusmodi tabellam eburneam vidi in ecclesia Bituricensi, in qua archiepiscoporum nomina continentur. Recitatis diptychis, sacerdos *collectionem post nomina* dicebat, postea pacis osculum fideles sibi invicem impertiebant, tum sacerdos recitabat *collectionem ad pacem*, quam sequebatur contestatio (ita illi præfationem appellabant) & canon, qui brevissimus erat.

XV. Post consecrationem sacerdos recitabat orationem *post secreta*. Postea fiebat confractio & commixtio corporis Christi. Atque interim chorus antiphonam concinebat, atque finita, sacerdos collectam ante orationem Dominicam recitabat; orationem Dominicam sequebatur altera collecta a sacerdote pronunciata. Ante communionem benedictio impertiebatur, & quidem tribus orationibus ab episcopo; unica eaque brevi a simplici sacerdote hoc modo: *Pax, fides, & caritas, & communicatio corporis & sanguinis Domini sit semper vobiscum*. Dum fiebat communio, aut ea peracta, chorus psallebat *Trecanum*. Quid autem esset Trecanum non satis capio. Triplicem cantum vocis etymologia significare videtur. In regula autem S. Aureliani præscribitur, ut *psallendo omnes communicent*. Erit forte qui Trecanum interpretetur symbolum apostolorum sanctæ Trinitatis fidem explicans, quod in missali quidem Mozarabum post consecrationem ante communionem dicendum præscribitur: in Gallicana vero liturgia post recitaretur. Tandem sacerdos dicebat orationem post Eucharistiam, quam sequebatur alia collecta. Hæ sunt fere antiquæ liturgiæ Gallicanæ partes, quas ex nostris observationibus præviis ad expositionem antiquæ liturgiæ Gallicanæ hic recudere duximus operæ pretium.

Hispanica seu Mozaraba.

XVI. Cum Gallicana liturgia maximam affinitatem habet missa Mozarabum seu Hispanica, cujus si non auctor S. Isidorus Hispalensis episcopus, saltem amplificator & illustrator agnoscendus est. Plures alios simili operi manum admovisse reperimus. Nam S. Leander Isidori frater, & in sede Hispalensi decessor, in ecclesiasticis officiis non parvo studio laborasse dicitur apud eumdem Isidorum in libro de Scriptoribus ecclesiasticis. Idem Hildephonso Toletano episcopo attribuit Julianus Toletanus in Appendice ad librum ejus de Scriptoribus ecclesiasticis; qui & Felicem episcopum de simili labore laudat ibidem. Denique & Petrus Ilerdensis episcopus, & Salvus abbas Albaildensis missas composuisse dicuntur. Unde quod supra observavimus de Galliis, idem in Hispaniis evenisse vero absimile non est, scilicet plures olim fuisse liturgias Hispanicas, in quibus tamen idem ordo precum & orationum observabatur ubique. An vero de hujusmodi missa intelligendus est locus ex concilio II. Bracarensi canone 4. (Placuit, ut eodem ordine missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus metropolitanæ ecclesiæ episcopus ab ipsa apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum.) An vero ante Isidorum institutamque ab eo missam Mozarabum Liturgia Romana in Hispaniis cantaretur, aliorum sit judicium. Perseveravit in Hispaniis Mozarabum liturgia usque ad tempora Gregorii VII. papæ, cujus tempore, agente præsertim Hugone abbate Cluniacensi, abrogatæ missæ Mozarabum substituta est Romana, ut discimus ex Alfonsi regis Hispaniarum epistola ad S. Hugonem, quam ms. legimus Cluniaci, extatque Spicilegii tom. 6. (De Romano, inquit, officio quod tua jussione accepimus, sciatis nostram terram admodum desolatam esse.) Et certe non nisi inviti ac renitentes Mozarabum missam deseruerunt Hispani, qua de re vide Mabillonii annales tom. 5. p. 155. quæ tamen antea jam desivisset in regno Arragoniæ sub Alexandro II. Sed tandem eam resuscitavit æterna memoria dignus Franciscus Ximenes archiepiscopus Toletanus, qui novis caracteribus eam recudi jussit, & in ecclesia Toletana observari. De illius origine, duratione, & instauratione videndus Alvarus Gomezius lib. 2. de Rebus Gestis Cardinalis Ximenii.

XVII. Præter ista missarum genera, quarum distinctio ex parte auctorum aut nationum, a quibus fuerunt frequentata, repetitur: plura alia recenseri possunt. Nam aliæ erant missæ publicæ & solemnes, aliæ privatæ, & solitariæ, aliæ missæ de Sanctis, aliæ de tempore, aliæ votivæ: de quibus abunde & pie Cardinalis Bona nec minus erudite disseruit. Aliæ insuper erant missæ perfectæ, aliæ præsanctificatorum, aliæ siccæ seu nauticæ. Missæ perfectæ dicebantur eæ, in quibus sacerdos celebrans consecrabat & communicabat; missæ præsanctificatorum, in quibus communicabat, sed non consecrabat: missæ siccæ, in quibus nec consecrabat, nec communicabat.

Missæ Præsanctificatorum.

XVIII. Missam præsanctificatorum semel in anno celebrant latini feria sexta Parasceves. Græci per totam quadragesimam, unis exceptis sabbatis, & Dominicis, ac feria 5. in Domini, atque Annunciationis festivo die. Extat ea de re concilii Trullani canon 52. (In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato, & Dominica, & sancto Annunciationis die, fiat sacrum Præsanctificatorum.) Et longe antea concilium Laodicenum decreverat, (non oportere in quadragesima panem offerre, nisi sabbato & die Dominico tantum.) In monasteriis etiam perfecta missa celebratur feriis secunda & tertia primæ hebdomadæ. Ita ex Ordine monasterii

ARTICULUS II.

Quæ lingua olim in sacris liturgiis adhibita.

Missa lingua vernacula dicta.

I. QUamvis hodiernus ecclesiasticæ disciplinæ usus obtineat, ut missa non nisi [tribus lingnis, hebraica, græca & latina canteri præcipiatur,] ut loqnitur Honorius Angustodunensis de Gemma animæ lib. 1. cap. 9e. multisque ac justis rationibus maternam linguam a sacris liturgiis Ecclesia suis legibus proscripserit: longe tamen alia fuit ipsius primæva institutio. Nec sine causa nobis cum Cardinali Bona de Rebus Liturgicis lib. It. cap. 5. (asserendum videtur, Apostulos eorumqua successores eo idiomata in singulis regionibus usos, quod tunc illis commune ac vernaculum erat: & ita Hierosolymis Chaldaice, Antiochiæ vero, Alesandriæ & in aliis Græcorum civitatibus græce; Romæ autem & io toto Occidente latine celebrassa:) Quod vero addit: (Nititur hæc mea assertio antiquissimæ & immemorabili Ecclesiæ consuetudini. Io Occideote enim non ioveniuntur antiquæ liturgiæ nisi latinæ. In Orienta vero, quamvis multæ diversarum linguarom nationes sint, quæ christiane professione censentur, veteres tameo liturgias non habeot, nisi græca que Græci & Melchitæ; & Chaldaica lingue, qua Maronitæ, Nastoriani, & Jacobitæ per varias provincias dispersi utuntur;) videtor his verbis omnes antiquarum liturgiarum preces ad tres hasce linguas restringere: quamvis, ut initio dixerat, probabilius sit non solum tribus hisce lingois, sed (apostolos eorumque successores eo idiomate in singulis regionibus usos, quod tunc illis communa & vernaculum erat.) Et certe alias etiam linguas in sacris litorgiis adhibitas fuisse aliquot argumentis siva exemplis demonstrare possumus.

II. Egregium nobis suppeditat Vita S. Antonii abbatis ab Athanasio Alesandrino episcopo scripte, nam cum litteras non didicisset, nec aliud quam vulgare, seu patrium, id est Ægyptium idioma, novisset, iogressus tamen ecclesiam, & audire S. Evangelii lectione, que Christus perfectionem cupienti veodere omnia præcepisse dicitur, quasi hæc sibi proounciata fuisse axistimans, ad novum vitæ genus instituendum animatus, cuncte quæ habebat universa vendidit, pretio eorum in pauperes distributo. Ex quibus necessario concludendum, sacrum quod lectum fuit evangelium Ægyptiaco idiomate fuisse decantatum, alioqnin Antonius, qui litteras ignorabat, illud non iotellesisset.

III. Longe clarius est illud axampluro qood ex Vita S. Theodosii Archimandritæ auctore Theodoro Petreorum apiscopo apud Allatium in epistola ad Naudæum deducitur. Hic enim [cum intra monasterium quatuor exædificasset ecclasias; unam in qua græca dialecto multitudo Patrum separatim sacrificium laudis, uti scriptum ast, Deo sacrificaret; alteram, in qua nativo sermone aliud geous hominum (Bessi dicuntur in ejus Vita apud Surium 10. Januarii) supremo Deo supplicationes deferrent: tertiam, in qua Armenii perpetuo divinis hymnorum cantibus addicti, lingue proprie Domino laudes dicerent: quartam, in qua qui ab impuro dæmone torquerentur fratres, quorum paulo ante meminimus, gratias cum iis qui eorum servitio destinerentur, Salvatori Christo agereot; in hoc forte solum sani, in quod & facti sont. Hac itaqua ratione in his sacra psalmodiæ regule peragebatur: cum species in die, quod dici solet, creaturę universę auctorem collaudarent. In sacrę vero communionis synaxi missæ seriem ab initio ad evangeliorum sacrorum lectionem *in proprie lingua* singuli & ecclesia complentes; tum omnes, exceptis a dæmone vexatis fratribus, in magnam Græcorum congregantur ecclesiam, ibique divinorum Christi mysteriorum participes fiunt.)

IV. Simile est illud quod narrat Cyrillus Scytopolitanos in Vita S. Sabę: (Eo itaque tempore Armenios e parvo oratorio in ecclesie a Deo extructam transtulit, ut psalmodiæ regulam Armeniorom dialecto exequerentur, imponens eis Megalioo, & reliquam officii seriem io synaxibus separatim Armenica lingua peragerent, & tempore divinæ oblationis cum Hellenistis convenirent, & divine participarent mysteria.) Qui locus ita habetor apud Surium 5. Decembris: (Armeniorum autem multitudinem transfert in illud divinum templum, adeo ut christianis quidem consueta glorificatio, & ipsa avangelii lectio, quæ fit iis qui præsentes sont, *proprie eorum sermone* impleretor, simulque cum aliis divina sumerent sacramenta.) Additqua, quod cum quidem additionem hymno angelico a Petro Fullone io confirmationem Eutychianæ hæreseos factam usurparent, ipse (aliam hymnorum consequentiam, quandoquidem sciebat eam recte prosequi Armenios, permisit eis solita voce canere, solum vero hymnum trisagium sanxit canere lingua græca.)

V. Sæculo IX. Sclavis ad fidem Christi studio & prædicatione S. Methudii conversis Johannes VIII. Summus Pontifex non permisit modo, sed quam maxime laudavit, eos divine officia, & sacram liturgiam lingua Sclavonica peragere. Audiendos hanc in rem idem Pontifex in epistola 247. ad Stentopolcrum comitam Moraviæ: (Litteras denique Sclavonicas a Constantino quodam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debitas resonent, jure laudemus, & ut in eadem lingoa Christi Dei nostri præconia & opera enarrentur, jubemus: neque enim tribus tantum linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur, quæ præcipit dicens, *Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi*: & apostoli repleti Spiritu-sancto loqunti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cælestia quoque tuba insonet, monens: omnia lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris. De quibus etiam in prima ad Corinthios epistola satis manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes, Ecclesiam Dei ædificemus. Nec sanæ fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive missas in eadem Sclavonica lingue canera, sive evangeliom vel lectiones divinas novi & veteris Testamenti bene translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum officia psallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, hebræam scilicet, græcam, & latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam.) Quibus verbis Summus Pontifex non solum permittit & laudat liturgiam Sclavonice celebrari; sed id etiam recte fieri, nec sanæ fidei quidquam inde detrimenti oriri, axemplo apostolorum & Scripturę auctoritate confirmat. Addit nihilominus: (Jubemus tamen, ut in omnibus ecclesiis terræ vestrę propter majorem honorificentiam avangelium latine legatur, & postmodum Sclavonica lingue translatum in auribus populi latina verba non intelligentis annuntietur, sicut in quibusdam ecclesiis fieri videtur. Et si tibi & judicibus tuis placet missas latine lingua magis audire, præcipimus ut latine tibi missarum solemnia celebrentur.) Antequam vero hanc Sclavis facultatem Johannes concederet, idem apud Pannonios jam instituarat præfatus Methudius; que de re accusatus apud Summum Pontificem, & ab eo facti sui rationem redditurus accersitus ast, ex Johannis epist. 195. Sed Papa auditis Methodii pro Christi fide disseminande laboribus, & exacta ab eo fidei ratione, ejus probavit institutum, data ad Sfentopulcrum epistola præcitata anno 880. scripte, divino etiam monitu ad id provocatus, ut tradit Æneas Sylvius, qui postea fuit Summus Pontifex Pius II. in Historię Boemicę cap. 13. Quę tamen Gregorium VII. scribentem ad Uratislaum Bohemię ducem non moverunt, ut (secundum Sclavonicam linguam divinum officium celebrari) apud eos annueret. Scribit tamen Henschenius in commentario prævio ad Vitam SS. Cyrilli & Methodii die 9. Martii, Sclavos qui ritum Græcorum in sacris sequuntur, hactenus Sclavonicum sermonem in sacre liturgia retinuisse. Apud Moscovitas totum sacrum seu missa gentili & vernacule lingue peragi solet, ut scribit Sigismundus Liber in commentario rerum Moscoviticarum. Sed & hodie plurimi ex schismaticis orientis populis patria lingua missam celebrant, quos recenset Cardinalis Bona in libro 1. de Rebus Liturgicis cap. 9. num. 4. & seq. Neque solum schismatici, sed alii etiam qui Romano Pontifici communione colligantur. De Maronitis audiendus est Johannes Morinus in Præfatione ad Ritus Ordinationum eorum (Gregorius XIII. in urbe fundavit illius nationis collegium, in quo adolescentes plures Maronitę litteris latinis & theologicis instituuntur, ut iis imbuti, patriam revertentes religionem catholicam, quam eorum majores coluerunt, excolant & amplificent. Fundationis Bulla inter Gregorii XIII. Bullas habetur 91. in qua præter cetera ipsis conceditur, missas & catera officia ecclesiastica idiomate Chaldaica vel Arabico celebrare. Hoc autem faciunt Romę non modo in collegio proprio, non secus ac Græci; sed etiam ut accepi nonnumquam extra collegium, quod aliis orientalibus non facile permittitur.) Quibus adde quę scribit Papebrochius io Paralipomenis ad Conatum io Catalogos Pontificum Dissertatione 30.

Hymnus angelicus græce decantatus.

VI. Sed & in Occidente quamvis latinum idioma semper in missis usurpatum fucrit; nonnunquam tamen in aliquibus liturgiæ partibus alias etiam linguas adhibitas fuisse constat. Nam Romæ olim in prima Natalis Domini missa hymnus angelicus græce decantabatur, ut docet nos Anonymus Turonensis in suo ms. Speculo ecclesiæ his verbis: (In hac missa cantatur *Gloria in excelsis Deo*, quod antea tacebatur. In hac enim nocte nato Domino hæc insonuit laus angelica, a nunquam prius audita. Solus sacerdos præcinit, mox cum eo totus chorus: quia cum unus angelus evangelizasset ortum Christi pastoribus, facta est cum angelo multitudo cælestis exercitus. Nos canimus illud græce juxta morem antiquum Romanæ ecclesiæ, cui tam græci quam latini solebant antiquitus deservire, & a græcis habitabatur maxima pars Italiæ, unde lingua græca non minus erat nota etiam latinis, quam latina, & quia LXX. interpretes utrumque testamentum transtulerunt ex hebræo in græcum, & inde translatum est in latinum, ob honorem & reverentiam linguæ græcæ cantamus canticum angelicum illud græce in prima quidem missa, sed in secunda latine. Decet enim ut græca præcedat latinam tanquam mater filiam, græcamque latina sequatur ceu filia matrem. Unde temporibus Gelasii papæ antequam Gregorius introitus missæ composuisset, omnes missæ incipiebant a κύριε ἐλέησον, quod est Domine miserere, ἡμᾶς, idest nobis.)

Lectiones græce & latine.

VII. Præterea prophetiarum, epistolæ & evangelii lectiones certis diebus græce & latine in ecclesia Romana recitatas fuisse discimus ex Anastasio in Vita Benedicti III. ex Cencio, Petro Amelii, & primo Ordine Romano ex vulgatis Musei Italici tom. 2. de quibus accedit Amalarii suffragium in lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 1. ubi sic loquitur: (Lectiones ab antiquis Romanis græce & latine legebantur, qui mos apud Constantinopolim hodieque servatur, ni fallor, propter duas causas: unam, quia aderant græci, quibus incognita erat lingua latina, aderantque latini, quibus incognita erat græca. Alteram, propter unanimitatem utriusque populi.) Quod de Constantinopolitana ecclesia hic testatur Amalarius, id certe constat ex Nicolai papæ I. Epistola 8. ad Michaelem imperatorem, qui cum Summo Pontifici objecisset, quod barbaram & Scythicam linguam in missa usurparet; apposite rescripsit Nicolaus: (Ecce quotidie immo vero in præcipuis festivitatibus inter græcam linguam veluti quiddam pretiosum hanc, quam barbaram & Scythicam linguam appellatis, miscentes, quasi minus decori vestro facitis. Istius enim dictione linguæ Constantinopolitana ecclesia lectionem apostolicam & evangelicam in stationibus fertur primitus recitare, sicque demum græco sermone propter græcos utique ipsas lectiones pronunciare.) Quem quidem ritum sæculo adhuc undecimo viguisse discimus ex Leonis papæ XI. epistola 1. ad Michaelem patriarcham Constantinopolitanum: (Quod si contradicitis, inquit, ad quid vestro imperatori latinæ laudes, & in Ecclesia græcis recitantur latinæ lectiones.) Certe non adeo barbaram linguam latinam existimavit sexta Synodus, quæ post Macharii condemnationem Sedis Apostolicæ legatis missam latino idiomate publice cantare permisit, testante id in primis Anastasio in Vita Agathonis his verbis: (Tanta autem gratia divina omnipotentis concessa est missis Sedis Apostolicæ, ut ad lætitiam populi vel sancti concilii, qui in urbe regie erant Johannes episcopus Portuensis Dominicarum die octavarum Paschæ in ecclesia B. Sophiæ missas publicas latine celebraret coram principe & patriarcha, ut omnes unanimiter in laudes & victorias piissimorum imperatorum eo die latinis vocibus acclamarent.) In solemni Alexandri papæ V. inauguratione celebrata in concilio Pisano epistolam & evangelium tribus linguis pronunciata, *grece, hebraice, & latine* testantur acta ejusdem concilii Spicilegii tomo VI. pag. 334.

Initium missæ usque ad evangelium græce cantatum.

VIII. Sæculo X. Cassinenses monachi feria tertia post Pascha extra monasterium procedentes ad S. Petri ecclesiam (missam: Venite benedicti Patris mei cum cantu promiscuo, græco videlicet atque latino usque ad completum evangelium) cantabant, ut discimus ex veteri codice Cassinensi tempore Berthari abbatis scripto, cujus fragmentum protulimus in lib. 3. de Antiquis Monachorum Ritibus cap. 17. num. 14. & ex Leone Marsicano Chronici Cassinensis libro 1. cap. 31.

Symbolum.

IX. Præterea in mss. Constitutionibus ecclesiæ Neapolitanæ hæc leguntur: (In die resurrectionis, dicto evangelio Dominus archiepiscopus incipit Credo in græco sermone, si placet, & supradictus archiepiscopus, presbyter Sancti Georgii ad Mercatum cum sociis suis, & archipresbyter Sanctæ Mariæ Rotundæ decantant in græco sermone in conspectu Domini archiepiscopi alta voce, & alii cantores de choro repetunt alternatim in latino cantando etiam alta voce, & deinde missa finitur, ut consuetum est.) His adde quod in Vita Sancti Athanasii episcopi Neapolitani scribit Anonymus, quem nonnulli Petrum diaconum Cassinensem monachum esse arbitrantur: (In qua laici simul cum clericis assidue græce latineque communi prece compte psallunt Deo, debitumque persolvunt jugiter officium.) Quem quidem locum citat Ughellus in Italiæ sacræ tomo 6. pag. 111.

X. Quæ consuetudo in ecclesia Neapolitana tempore Sancti Athanasii, hoc est circa medium sæculum IX. vigebat, eadem longe antea obtinueret in Arelatensi, agente in primis S. Cæsario illius civitatis antistite, qui ut tradit Cyprianus episcopus Tolonensis in ejus Vitæ lib. 1. cap. 11. (Adjecit atque compulit ut laicorum popularitas psalmos & hymnos pararet, alta & modulata voce, instar clericorum: alii græce, alii latine prosas antiphonasque cantarent, ut non haberent spatium in ecclesia fabulis occupari.) Hodie in percelebri Sancti Dionysii in Francia monasterio epistola & evangelium in Francia monasterio epistola & evangelium in quinque præcipuis festivitatibus græce & latine pronunciantur. In octava vero Sancti Dionysii quidquid a choro in missa præcinitur totum græco sermone canitur.

Epistola gallice.

XI. Memini etiam me legisse in veteri Rituali ms. ecclesiæ Suessionensis, ut in festo Sancti Stephani epistola missæ latine & gallice cantaretur. Eamdem etiam reperi in antiquo Missali Sancti Gatiani Turonensis ab annis circiter sexcentis exarato descriptam in folio separato pro ut sequitur.

LECTIO ACTUUM APOSTOLORUM. *Por amor de vos pri Sangnor Barun. Se & vostuit escoter la lecun de Saint Estenne le glorieux Barun. Escotet la por bonne entention, qui a ce jor recu la passion.* IN DIEBUS ILLIS STEPHANUS. *Saint Estenvee fut plains de grant bonté. Emmentot cele qui jeregnent en Dieu fesoit miracle. O nom de Dieu menle asennerat, & ances a tot dona lante, por ce haierent autent livre.* SURREXUNT. *Encontre lui se dresserent trestuit, diserent ensemble manvais mes cetui il a deable qui parole en luy,* &c. Hujusmodi epistola voce barbara dicitur *farcita* in mss. Ordinariis Narbonensi & Cabilonensi. Vidi etiam antiquos missalia mss. in quibus prose vitam Sancti Stephani gallice descriptam continens reperiebatur, qualem hoc sæculo quædam parochiæ ecclesiæ Remensis decantabant: quas ab illustrissimo archiepiscopo Carolo Tellerio abrogatas esse audivi.

ARTICULUS III.

Quibus olim diebus sacra celebraretur Liturgia, & quoties in die.

Missæ quibus olim diebus celebrata. Tribus per hebdomadam diebus. Quatuor.

I. EX titulo hujus articuli intelligunt lectores (quod nec viri eruditi ignorant) non omni olim die sacram peractam fuisse liturgiam. Neque enim, ut ait S. Odo Cluniacensis abbas in Collationum libro v. cap. 28. (Hoc mysterium primordiis ecclesiæ tam frequenter ut nunc celebrabatur, quod tamen quanto ratius, tanto religiosius agebatur.) Et certe id non patiebatur frequentium persecutionum furor, non sæva tyrannorum rabies, qua christianis in unum conveniendi, uti necesse erat, facultas negabatur. Porro quamvis primis Ecclesiæ temporibus unus duntaxat dies dominicus ad eam rem observatus videatur, ut colligitur ex Apostolo 1. Cor. 16., præcipiente ut per *unam sabbati*, id est primam sabbati, seu Dominico die collectæ fiant, idque satis innuat S. Justinus martyr in Apologia 2. ubi agens de Christianis conventibus, solius meminit Dominicæ: auctor est tamen

Epi-

Epiphanius, tres in hebdomada dies ad id muneris statutos fuisse ab Apostolis, Dominicam scilicet, & quartam, sextamque feriam. Sic enim in Expositione fidei catholicæ: (Sacri porro conventus & synaxes ab Apostolis instituti sunt his potissimum diebus, quarta, sextaque feria, & Dominica.) Cujus sententiam confirmare videtur Tertullianus in libro de Oratione, ubi ostendit ipsis stationum diebus, quæ feria quarta sextaque cum jejuniis transigi consueverant sacrificia celebrari, ac Dominicum Corpus in fideles distribui solere: (Similiter, inquit, de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto Corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne sollemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto Corpore Domini & reservato utrumque salvum est, & participatio sacramenti, & executio officii.) Tribus hisce diebus sabbatum adjicit S. Basilius in epistola 289. ad Cæsaream Patriciam: (Nos quater singulis septimanis communicamus, Dominico die, feria quarta, in Parasceve, & sabbato; sed & per dies etiam alios, si martyris alicujus memoria celebretur.) Idem per omnes in toto orbe ecclesias usu receptum fuisse tradit Socrates in Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 22. a qua tamen lege Alexandrinos & Romanos excipit. Nam [cum omnes ubique terrarum ecclesiæ, inquit, per singulas hebdomadas die sabbati sacra mysteria celebrent; Alexandrini tamen & Romani vetustam quandam traditionem secuti, id facere detrectant.) Socratem describit Nicephorus lib. 12. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 34. Addit Socrates: (Præterea Alexandriæ quarta feria, & ea quæ dicitur Parasceve leguntur sacræ Scripturæ, easque doctores interpretantur, & cuncta fiunt quæ ad collectam pertinent præter mysteriorum celebrationem.) Itaque ex Socrate Alexandrini solis diebus Dominicis rem sacram peragebant. Quod vero de Romanis dicit eos præter aliarum ecclesiarum morem sabbatis non celebrasse, confirmari posset ex epistola Innocentii papæ I. ad Decentium Eugubinum, ubi non solum sabbato, sed etiam feria sexta a missarum sollemniis abstinuisse referuntur. Nam agens de jejunio feriæ sextæ & sabbati majoris hebdomadæ hæc habet: (Quod utique non dubium est in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta non penitus celebrari. Quę forma utique per singulas tenenda hebdomadas, propter quod commemoratio diei illius semper est celebranda.) Equidem scio viros quosdam eruditos existimasse hæc verba (quæ forma utique per singulas tenenda hebdomadas,) non de sacrificio sed de jejunio, de quo potissimum hoc loco agit esse capienda. Et certe his refragari videtur S. Hieronymus epist. 28. in qua hæc lego: (De sabbato quod quæris utrum jejunandum sit, & de eucharistia an accipienda sit quotidie, quod Romana ecclesia & Hispania observare perhibentur.) Sed & si de liturgia intelligantur, certissimum est non diu post hunc morem fuisse antiquatum. Nam in ordine Gelasiano & in libro Sacramentorum S. Gregorii papæ missæ pro feriis sextis & sabbatis quadragesimæ assignantur.

In Africa quotidie, In Hispania. Costantinopoli, Feria 5. in quadragesima missa vacabat.

II. Tempore Sancti Augustini variæ erant ecclesiarum consuetudines. Nam, ut ipse ait epistola 54. novæ editionis ad Januarium, [alibi nullus dies prætermittitur quo non offeratur, alibi sabbato tantum & Dominico, alibi tantum Dominico.] In Africa tamen quotidiani sacrificii usus jam tum invaluerat, saltem id facile colligitur ex ejusdem S. Augustini Sermone 58. novæ editionis de Oratione Dominica ad competentes: [Oratio quotidie dicenda est vobis cum baptizati fueritis. In ecclesia enim ad altare Dei quotidie dicitur ista Dominica oratio, & audiunt illam fideles. Non ergo timemus ne minus diligenter eam teneatis; quia etsi quis vestrum non poterit tenere perfecte, audiendo quotidie tenebit.] Clarius in epist. 98. [nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in sacramento non solum per omnes Paschæ sollemnitates, sed *omni die* populis immolatur.] Idem de ecclesiis Hispaniæ asserendum videtur ex S. Hieronymi epist. 28. & ex hoc concilii Toletani I. anno 400. celebrati canone: (Presbyter vel diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet ecclesiæ deputatus clericus, si intra civitatem, vel in loco in quo ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, ad ecclesiam ad sacrificium quotidianum non accesserit; clericus non habeatur.) Idem & de Constantinopolitana colligitur ex his Chrysostomi verbis hom. 3. in Epistola ad Ephes. (Frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad altare, nemo est qui simul participet.) Denique idem videre est in Sermone 25. inter falso adscriptos S. Ambrosio in nova editione: (Moneo etiam, ut qui juxta ecclesiam est, & occurrere potest, quotidie audiat missam; & qui potest omni nocte ad matutinum officium veniat...... In quadragesima vero moneo, ut die omni, aut saltem, ut dixi, omni Dominica offeratis & communicetis.) Quotidianam etiam missam commendat Egbertus Eboracensis archiepiscopus in Excerptis cap. 28. ubi hæc habet: [Has ergo septem synaxes omni die debemus sollicite reddere Deo pro nobis & pro omni populo christiano .... & insuper missas non omittere, sicut fecerunt sancti Patres, quos confessores nuncupavimus, id est episcopi, presbyteri, qui in castitate servierunt Deo.] In monasterio quoque S. Euthymii abbatis, qui quinto sæculo florebat, missa quotidie celebrabatur, ut discimus ex Cyrillo Scitopolitano ejus vitæ scriptore. Insecutis post sæculis idem in præcipuis etiam ecclesiis usu venit: unde in Ordine Gelasiano, & in S. Gregorii Sacramentorum libro, missæ pro omnibus Dominicis assignantur, & omnibus quadragesimæ & paschalis hebdomadæ feriis: quæ Dominicarum missæ infra hebdomadam repetebantur, ubi propria non occurreret. Excipio tamen Dominicas post sabbatum quatuor temporum, & ferias quintas quadragesimæ, quę officio proprio vacare reperiuntur in antiquioribus sacramentorum libris. Qua de re hæc specialis occurrit satio, quo ad Dominicas post sabbatum quatuor temporum, quod cum sabbato sacri conferrentur ordines, missa post sabbati jejunium vespere incœpta ad lucem usque protelata nonnisi Dominica perficeretur: unde etiam nunc officium illarum Dominicarum repetitur ex præcedenti sabbato. Ad quintas vero ferias quadragesimæ quod spectat; ideo forte carebant officio, quod ex instituto Melchiadis papæ, si libro Pontificali Damaso perperam adscripto fides sit, his diebus non agebatur jejunium; sed Gregorius secundus, ut ait Anastasius in ejus Vita, [quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium atque missarum celebritas fieret in ecclesiis, quod non agebatur, instituit.] Auctor est tamen Valfridus etiam ante Gregorium II. missam in feriis quintis quadragesimæ celebratam fuisse, sed repetitam ex Dominica præcedenti, Gregorium vero his feriis propria adsignasse officia.

III. Præterea Amalarius lib. 1. cap. 9. de sabbato ante Palmas [Prætitulatur, inquit, in Sacramentario nostro & in Antiphonario *Sabbato vacat. Dominus papa eleemosynam dat.*] Verum in antiquo Indice collectarum & stationum sanctæ Romanæ ecclesiæ tomo 2. Musei Italici paulo aliter inscribitur hoc nimirum modo: *Sabbato collecta ad S. Xistum: Statio ad S. Joannem in Porta Latina.* In alio vero codice ita: *Sabbato ad S. Petrum quando eleemosyna datur: collecta ad S. Xistum; Statio ad S. Joannem in Porta Latina:* Ex quibus colligere licet arbitrarium fuisse Summo Pontifici, aut abstinendo a statione, eleemosynam ad S. Petrum distribuere, aut eleemosynarum distributione aliis commissa, stationem ac proinde missam ad S. Joannem in Porta Latina agere.

Missæ privatæ plures uno die celebratæ ab eodem sacerdote.

IV. Ex dictis patet quibus potissimum diebus olim missa celebraretur: quæ tamen de sollemni, &, ut ajunt, Majori volumus intelligi. Nam privatas missas, si feriam sextam & sabbatum Majoris hebdomadæ apud latinos excipias, quibus adde omnes ferias sextas quadragesimæ in ecclesia Mediolanensi; apud Græcos vero quadragesimale tempus præter sabbata, Dominicas & festum Annunciationis, omnibus diebus licitum fuisse celebrare existimamus; Extat hac de re concilii Ticinensis anno 885. celebrati cap. 2. hoc statutum: (Statuimus, ut non tantum diebus Dominicis, & præcipuis festivitatibus episcopi missas celebrent; sed cum possibile fuerit, quotidiana quoque sacrificia frequentent.) Eodem tempore Riculfus Svessionensis episcopus cap. 3. presbyteros ad missarum quotidianam celebrationem hortabatur. Non solum quotidie celebrare licebat; sed etiam pluries una die pro cujuscumque sacerdotis arbitrio. Hinc Regino in libro 1. de Ecclesiastice Disciplina inter alia quæ ab episcopo parochias visitante inquiri jubet cap. 33. recenset: [Si statuto tempore id est circa horam tertiam diei missam celebret: & post hæc usque ad medium diem jejunet, ut hospitibus atque peregre venientibus, si necesse fuerit possit missam cantare.] Ubi vides post cantatam hora

tertia

tertia missam licitum fuisse aliam in gratiam hospitum & peregrinorum sacerdoti iterum celebrare, atque adeo jejunum ad medium usque diem permansisse. Refert Walfridus Strabo libro de Rebus ecclesiasticis cap. 21. idque fidelium relatione virorum se accepisse tradit, (Leonem papam, sicut ipse fatebatur, una die vii. vel ix. missarum solemnia celebrasse. Bonifacium vero archiepiscopum & martyrem semel tantum per diem missam fecisse.) Narratque diversitatem ea de re inter sacerdotes non minimam obtinuisse. (Quia talis est, inquit, qui semel tantum in die celebrare velit.... Alius vero bis; ter, vel quoties libet eadem mysteria in die iterare congruum putat, credentes tanto amplius Deum ad misericordiam flecti, quanto crebrius passio Christi commemoratur.) Sed huicce sacerdotum devotioni aliquos limites præfixere canones sub Edgaro Anglorum rege dati. Nam trigesimus septimus ita habet: [Docemus etiam ut nullus sacerdos missam sæpius in uno die celebret quam ter ad summum.] Et Leges presbyterorum Northumbrensium cap. 18. [Si presbyter sæpius quam ter in die una missam celebraverit, duodecim oris mulctatur.] Concilium quoque Salegunstediense anno 1022. cap. 5. statuens, [ut unusquisque presbyter in die non amplius quam tres missas celebrare præsumat.] Atque ita S. Aldricus Cenomanensis episcopus statuit, ut in die ordinationis suæ unusquisque presbyter pro ipso [missas devotissime decantet tres,] ut legitur in ejus vita tom. 3. misc. Baluz. p. 51. & S. Udalricus Augustanus episcopus, qui paulo ante istud concilium florebat, [Missas tres, aut duas, aut unam, secundum spatium temporis cantare quotidie non desiit,] ut habent ejus Acta Sæculo V. Benedictino, & S. Elphegus Cantuariensis archiepiscopus qui anno 1012. martyrio coronatus est, [pro omnium salute binis per singulos dies vicibus salutarem hostiam offerre solebat.] Ut testatur Osbernus in ejus Vita apud Bollandum 19. Aprilis. His adde Ademarum Cabanensem in epistola ad Jordanum episcopum Lemovicensem, & Odolricum abbatem S. Martialis de seipso ita loquentem: [Duæ missæ, quas hodie mane sexta sabbati continuas in honore vivificæ crucis, unam sponte, alteram obediens necessario jubenti & roganti abbati Amalfrido super corpus S. Eparchii celebravi; si, inquam, hoc Deo displiceat, non sint mihi in adjutorium] Tom. 4. annal. Benedict. Postea vero Alexander papa II. decrevit ne plus quam una in die missa ab uno sacerdote cantaretur, edito hoc statuto, quod refertur a Gratiano de Consecratione dist. 1. (Sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam missam facere; & valde felix est, qui unam missam dignam celebrare potest.) Ad illud Alexandri papæ statutum alludere videtur Vita S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, in cujus capite 11. hæc lego: (Scripta vero canonica sicut nec jubent, nec inhibent, nec dissuadent, aut suadent, ut sacerdos quotidie offerat; sed hoc testantur, quod una die semel offerre sufficiat, quemadmodum & semel oblatus est Christus. Illum vero valde felicem prædicant, qui in die una digne celebret. Illos autem in præsentiarum nec memoratu dignos, non Christi sed mammonæ sacerdotes prætereo, qui propter oblationum quæstum unam Christi & semel oblatam hostiam quotidie non semel, sed libentius iterum non tam consecrant, quam dilaniant, Filium Dei quæstui habentes & ostentui.) Illius tamen decreti Alexander non tam auctor quam restaurator dicendus est, ut pote quod ipsissimis illius verbis expressum reperiatur in Excerptis Egberti cap. 54. qui illud confirmat non modo Christi exemplo qui semel tantum pro peccatis nostris mortuus est, sed etiam auctoritate scripturæ. Nam in Levitico quoque, inquit, scriptum est non debere Aaron ingredi assidue interius in sancta.] Addit nihilominus Alexander: (Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit.) Quos inter numerari potest S. Anselmus, qui factus prior Beccensis duas aliquando missas peregisse legitur apud Eadmerum in ejus Vitæ lib. 1. & S. Aybertus ex monacho Crispiniensi reclusus. Nam [factus presbyter duas in die celebrabat missas, unam pro vivis, alteram pro defunctis,] ex ejus Vita n. 14. apud Bollandum 7. Aprilis, quibus addo Gundulfum episcopum Roffensem, qui, ut scribit anonymus vitæ ipsius auctor, duas quotidie missas celebrabat, quarum una erat de S. Maria, vel de S. Andrea ecclesiæ suæ patrono, aliove sancto, altera de defunctis. Refert etiam Ditmarus in chronici lib. 2. Luisei Geronem comitem in prælio occubuisse, missam diluculo, ut solebat, devotissime celebrasse, [finitaque hac, aliam pro defunctis] cantavisse. Sanctus Norbertus duas etiam una die missas, unam de B. Maria, alteram de defunctis celebrasse dicitur in ejus vit. cap. 6. apud Boll. 6. Junii. Sed hæc de missis privatis sunt interpretanda.

Missæ solemnes plures uno die.

V. Ad missas solemnes quod spectat plures aliquando ab eodem sacerdote decantatas fuisse certissimis & evidentissimis testimoniis veterum demonstrari potest. Luculentum nobis subministrat S. Leonis epist. 11. novæ editionis ad Dioscorum Alexandrinæ urbis episcopum: [Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior quæque festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur.] Quem in locum eruditus vir Paschasius Quenellus observat hanc tempore S. Leonis fuisse ecclesiæ Romanæ consuetudinem, immo & Africanæ, eamque antiquæ institutionis, quæ *ex forma paternæ traditionis insederat*, non quidem aliqua lege ecclesiastica, sed solo usu & arbitrio pontificum invectam.

In Natali die Domini.

VI. In antiquis Sacramentorum libris plures adnotantur Domini solemnitates sanctorumque festivitates, in quibus plures missæ dicebantur. Has inter notissima toto orbi est Nativitas Domini nostri Jesu Christi, in qua tres, ut olim, etiam nunc missas cantamus. Sed in vetustissimo Gellonensis monasterii Sacramentorum libro ante annos 900. exarato quatuor describuntur, una *in nocte ad Sanctam Mariam in gallo canto*. Secunda *de mane prima ad S. Anastasiam*. Tertia *item ad S. Anastasiam mane prima*. Quarta *ad S. Petrum in die*. Certe olim in monasterio S. Petri supra Divam quatuor hac die missæ solemnes celebrabantur, uti observavimus in lib. 3. de Antiquis Monachorum Ritibus p. 289.

Calendis Januarii.

VII. In eodem Gellonensi codice tres quoque Calendis Januarii missas adsignatas reperio, quarum prima & secunda inscribitur in *octava Domini*. Tertia *missa prohibendo ab idolis*. Secunda tamen est de B. Maria, ut indicant orationes. Et sane in veteri Frontonis Calendario ante annos 900. conscripto duæ missæ notantur, una de Octava Nativitatis, altera de S. Maria, quæ quidem adhuc tempore Durandi hac die cantabantur, uti ipse scribit in Rationali lib. 6. cap. 5.

In Cœna Domini.

VIII. Præterea tempore S. Augustini in Cœna Domini, Corporis & Sanguinis Christi sacrificium offerebatur, semel mane a jejunis, & semel sero a refectis, quod nec ipse improbat, respondens ad Januarium epist. 54. novæ editionis, qui eum ea de re interrogaverat. At vero in veteri codice Remensi Sancti Remigii, & in Noviomensi S. Mariæ, ac in Gellonensi, atque in Ordine Gelasiano tres missæ habentur. 1. Pro reconciliatione pœnitentium. 2. *Chrismalis* dicta pro confectione sacri Chrismatis. 3. *ad Vesperum*. His quarta additur in veteri codice Bibliothecæ Regiæ annorum circiter 900.

In Paschate.

IX. Si Joanni Frontoni viro doctissimo credimus in prænotatis ad suum Calendarium §. 10. in die Paschatis tres etiam erant missæ, [prima sabbatina de nocte, secunda de die, tertia in concessione ordinum quæ non adnotatur, quia sumitur de communi.] Verum non concessos fuisse sacros ordines olim in festo Paschæ probat eruditus vir Paschasius Quenellus in sexta Dissertatione ad S. Leonem papam.

X. In veteri Missali Gallicano quod publici juris fecit Josephus Thomasius per totam Paschæ octavam duæ annotantur missæ, una matutinalis pro neophytis, altera de die.

In Rogationibus.

XI. In toties citato codice Gellonensi duæ habentur missæ in litania majori, id est in Rogationibus primo die, una secundo, duæ tertio præter eam quæ est de vigilia Ascensionis. Sed in optime notæ ms. libro Sacramentorum ecclesiæ Turonensis ante annos 800. exarato in vigilia Ascensionis tres describuntur missæ præter eam quæ est de litanie majore. In Ordine etiam Gelasiano duæ habentur *in Ascensa Domini*.

In jejuniis post Pentecosten.

XII. Scribit Micrologus cap. 58. quibusdam in locis duas quoque diebus jejuniorum hebdomadæ Pentecostes missas decantantes fecisse; unam de Spiritu-sancto post Tertiam, alteram de jejunio post Sextam. In præcitato codice Turonensi duæ missæ habentur feria vi. post Pentecosten. In alio etiam codice ejusdem ecclesiæ Turonensis annorum 800. Dominicis omnibus post Pentecosten duæ assignantur missæ.

In festo S. Benedicti.

XIII. Præter has Domini solemnitates, plures extiterunt Sanctorum festivitates, in quibus duæ tresve missæ cantarentur. In prædicto codice secundo ecclesiæ Turonensis tres assignantur xii calendas Aprilis de S. Benedicto, quæ cum in aliis etiam mss. codicibus desiderentur; hic eas apponere lectoribus pergratum fore existimavi.

EX ANTIQUO LIBRO SACRAMENTORUM INSIGNIS ECCLESIÆ S. GRATIANI TURONENSIS.

XII. CAL. MARTII VIGILIA S. BENEDICTI ABBATIS.

CONcede nobis, quæsumus Domine, alacribus animis beati confessoris tui Benedicti solemnia celebrare, cujus diversis decorata virtutibus tibi vita complacuit. Per.

Super oblata.

Oblata confessoris tui Benedicti honore sint tibi, Domine, nostra grata libamina, & nostrarum apud te supplicationum effectum obtineant. Per.

Ad complendum.

Quos cœlestibus, Domine, recreas alimentis, interveniente B. Benedicto confessore tuo, ab universis tuere periculis. Per.

IN NATALI S. BENEDICTI ABBATIS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hodierna luce carnis eductum ergastulo, &c. *ut in nostris Missalibus*.

Alia.

Omnipotens æterne Deus, qui radiantibus B. Benedicti confessoris tui exemplis arduum tuis imitabile famulis iter fecisti, da nobis inoffensis per ejus instituta gressibus pergere, ut ejusdem in regione viventium mereamur gaudiis admisceri. Per.

Super oblata.

Oblatis, Domine, ob honorem, &c. *ut in nostris Missalibus*.

Ad complendum.

Perceptis tui Corporis & Sanguinis, Domine, sacramentis, concede nobis, supplicante B. Benedicto confessore tuo, ita muniri, ut & temporalibus abundemus commodis, & fulciamur æternis. Per.

ITEM III. S. BENEDICTI MISSA.

OMnipotens æterne Deus, qui per gloriosa Beati Benedicti abbatis exempla humilitatis, triumphale nobis iter ostendisti, da, quæsumus, ut viam tibi placitam

Super oblata.

Paternis inventionibus magnifici Pastoris Benedicti, quæsumus, familiæ tuæ, omnipotens Deus, commendetur oblatio, cujus vitalibus decoretur exemplis. Per.

Ad complendum.

Perceptis, Domine Deus noster, salutaribus sacramentis, humiliter deprecamur, ut intercedente B. Benedicto abbate, quod pro veneranda illius agimus corporis depositione, nobis proficiat ad salutem. Per.

Super populum.

Omnipotens & misericors Dominus, qui in hoc die B. Benedictum abbatem ad cœlorum gloriam videntibus discipulis migrare jussisti, da nobis, ut sicut ille monachorum egregius extitit prædicator, ita nos quoque intercessionibus ejus adjuti exemplis ejus gradiamur & meritis. Per.

In festo S. Johannis Baptistæ & aliorum.

XIV. In eodem codice duæ reperiuntur missæ in natali S. Joannis Baptistæ, duæ item iv. Nonas Julii de S. Martino præter eam quæ habetur in vigilia, primæ titulus ita effertur *natale Sancti Martini confessoris*. Secundæ item *missæ de ordinatione episcopatus & translatione corporis*. Duæ item in festo S. Laurentii. Duæ in Dormitione B. Mariæ Virginis. Duæ in ejusdem Nativitate cum tertia de S. Adriano. Duæ in festo Exaltatæ Crucis cum tertia de SS. Cornelio & Cypriano. Quinque Calendis Novembris, quarum prima est de Omnibus sanctis, secunda de S. Cæsario, tertia & quarta in natalitiis Omnium sanctorum, quinta de solemnitate S. Hilarii episcopi & confessoris. In alio vero codice præcitato ejusdem ecclesiæ Turonensis in festo S. Marci duæ de eodem sancto missæ descriptæ leguntur, duæ item pridie Calendas Augusti de S. Germano Antissiodorensi episcopo, duæ quoque x. Calendas Decembris de S. Cecilia virgine & martyre.

XV. Quod spectat ad duas missas die natali S. Joannis Baptistæ cantari solitas, earum meminerunt Amalarius lib. 3. cap. 38. & lib. 4. cap. 40. Alcuinus seu quivis alius cap. 30. Hugo Victorinus lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis cap. 6. & alii, reperiunturque in omnibus antiquis Sacramentorum libris mss. Sed in quibusdam, ut in Gellonensi & Turonensi annorum 800. prima inscribitur *missa de nocte*, seu ut habet codex Regius & Noviomensis optimæ notæ *de media nocte*, secunda *in die* vel *primo mane*. In aliis vero primæ titulus est *in die ad missam*, vel *prima missa*; secundæ *ad majorem*, vel simpliciter *ad missam*. Et revera primam hancce missam olim decantatam fuisse ad auroram, seu ut loquitur Amalarius *diluculo, in exordio lucis*, certissima probant argumenta. Nam Helgaldus Floriacensis monachus in Vita Roberti regis Francorum ejusdem post *Te Deum laudamus*, in matutinis celebratæ mentionem facit, eamque institutionem Gregorio Magno tribuit. Primam tamen inscriptionem codicis Gellonensis & Regii conciliat Anonymus Turonensis in suo ms. Speculo ecclesiæ his verbis: (Duplex est officium hujus noctis; unum fit in crepusculo, scilicet in noctis & diei confinio: aliud faciunt episcopi in episcopio cum suis clericis in media nocte.) In Fossatensi S. Mauri ecclesia prope Parisios etiam hodie solemnis media nocte missa celebratur, sed de translatione S. Mauri, altera vero post Tertiam de S. Joanne.

XVI. Missas quoque duas in festo S. Laurentii dici solitas exhibent omnes antiqui missales mss. quidam etiam duas in festo S. Joannis evangelistæ, quarum meminit Amalarius lib. 4. cap. 40.

XVII. Præterieram pene sanctos apostolos Petrum & Paulum, quorum in die natali dues olim Romæ missas celebratas fuisse, auctor est Prudentius hymno 12. de Coronis. Antiquus codex Noviomensis, ut & Regius annorum circiter 900. tres repræsentat. Prima inscribitur *missa S. Petri proprie*, secunda *SS. Petri, & Pauli*, tertia *S. Pauli proprie*.

Plures uno die Missas celebrare tandem prohibitum.

XVIII. Denique plures dicebantur, quoties plures festivitates

dem, hanc plures in die missas celebrandi consuetudinem, quæ per plura annorum curricula viguit, sustulit Ecclesia, unicæ Domini Nativitati hac licentia rafervata. Sæculo XIII. nisi in Nativitate Domini, & Paschate, aut propet mortuorum axequias, ubi sacerdotum paucitas id exigebat, duas pluresva celebrandi jam illicitum erat. Non paaca axtant conciliorum episcoporumque decreta, quæ id prohibeant: Concilium Lambethense anno 1206. cap. 3. [Bis in die missam nullus celebrare præsumat, nisi in diebus Nativitatis, & Resurrectionis Dominicæ, & quando corpus in propria acclesia fuerit dumtaxat tumulandum, ... Qui contra fecerit ab officio se noverit suspensum, nisi forte canonica necessitate sit compulsus, quam sic dusimus declarandam & limitandam, si in festis ix. lectionum, val in quadragesima, vel in quatuor temporibus, val sponsalia fieri oportaat, vel subveniendo socio infirmo, vel pro ecclesiæ suæ negotio, vel propria necessitate manifesta ebsenta.] Eodem tendunt Constitutiones Richerdi episcopi Sarum in Aoglia anno 1217. editæ cap. 38. Concilium Oxoniense anni 1222. cap. 6. Concilium Wigorniense anni 1240. cap. 26. Concilium Coloniense anni 1280. cap. 5. Statuta Synodalia ecclesiæ Biterrensis cap. 41. Concilium incerti loci a nobis edit. tom. 4. Anecdotorum cap. 53. Concilium Rothomagense sub Mauritio archiepiscopo cap. 14. Statuta ecclesiæ Maidensis anno 1365. edita cap. 2. Statuta Johannis episcopi Leodiensis cap. 5. num. 46. Statuta ecclesiæ Constantiensis in Normennie, Statuta Johannis apiscopi Trecotensis anni 1372. eondite cap. 11. Starota ecclasiæ Caturcensis, Ruthanensis, & Tutalansis; idque sub pœna decam librarum Turonensium vetant; Statuta Eliæ apiscopi Æduensis anno 1350. edite cap. 7. sub pœna escommunicationis; Concilium etiam Tarraconensa anni 1329. cap. 13. tom. 4. Anecdotorum, cujus absolutionem episcopo reservant Statuta Synodalia ecclesiæ Catalaonensis cap. 6. In concilio tamen Nemaosensi anni 1284. capite de *Celebratione missarum* aliquoties in anno pluras missas celebrare permissum ast, scilicet tras in Natali Domini, duas (in Pascha, & Pentecoste, & in festo Ascensionis Domini, & S. Johannis Baptistæ, & omnium Sanctorum, & in fasto Apparitionis Domini,) & quando magna urgeret necessitas defectu alterius sacerdotis. Idem etiam permittunt Statuta ms. Eliæ episcopi Uricansis. Sed & Gulielmus Durandus, qui circa illa tempora florebat, his casibus pluras missas celebrari posse assérit in Rationali lib. 4. cap. 1. Primo in festo Natalis Domini. 2. ubi necassitas exigit, puta si quis morietur. 3. propter honestatem, ut si aliqua magne persone superveniens velit audire missam. 4. causa utilitatis, puta propter peregrinos, propter hospites, propter commeantas, propter infirmos, propter sponsos, propter raritatem sacerdotum. 5. cum duæ occurrunt festivitates, possunt etiam tres celebrari. 6. si in die jejunii occurrit aliquod solemne festum potest unam de festo, & eliam de jejunio celebrare, ubi quod ait si alique magna persona supervenient velit audira missam, interpretantur Statuta Johannis episcopi Argentinensis a Bertholdo episcopo renovata cap. 7. da principe ecclesiastico aut sæculari.

XIX. Ex hac Durandi auctoritata apparat quam longa a vero aberrent nonnulli recentiores scriptores, qui antiques ecclesiæ consuatudines ax hodierno usu dimetientas, incunctanter assaront, non plures olim ab eodem sacardota missas celebrates fuisse, cum plures eodem die occurrarent festivitates; sed e diversis, quemadmodum hodia, cum duæ missæ eodem dia cantandæ occurrunt, ut in festis quadragesimæ, quibus una post Tartiam da festo ab uno, altera ab altero post Nonam de jejunio cantatur. Verum longe alie regula da antiquis ritibus dijudicandum est, probatissimis scilicet vaterum testimoniis, quibus facili quidam negotio ravinci possunt illi neoterici scriptores. [Et ravera non asse absurdum crediderim, inquit Walfridus cap. 21. si dum plures une dia faciendæ sunt missæ, unus sacerdos duas, vel tres necessitate, vel voluntete persuadente calebret potius, quam quasdam dimittat.] Et Honorius da Gemma animæ lib. 1. cap. 114. (Semel in die debet missa ab uno sacerdote celebrari, sicut & Christus semel voluit immolari. Si autem nacassitas cogit, id ast si duæ festivitatas simul occurrunt, duæ vel tras celebrari poterunt.)

Perfusio in ultima missa sumenda.

XX. Porro cum duo vel plura ab eodem sacerdote concilia e nobis hoc capite laudata, hancque *in disciplinatis ecclesiis* consuetudinem vigere docat Petrus Damiani lib. 5. epist. 18. interroganti Uberto presbytero ita respondens. (Da celebrandis vero missarum solemniis nos hanc consuatudinis ragolam in disciplinatis ecclesiis & didicimus & tenemus, ut calicem differamus in missarum fine perfundere, si nosmetipsos eodem die sacrificium denuo speramus offerre.) In Constitutionibus varo Richardi episcopi Sarum cap. 38. dacarnitur, ut [post primam celebrationem diligenter absorbeantur stillæ da calice, & quod fuerit digitis in calice supersusum, reserverur in vasa mundo ad hoc specialiter deputato, & post secundæ missæ celebrationem sumatur a sacerdote, nisi forte in prime celebratione adsit diaconus, vel alius minister honestus, vel innocens aliquis, qui loturam illam sumere possit absque conscientiæ læsiona.]

Communio in omnibus missis facienda.

XXI. At quo nascio ducti scrupulo quidam olim in Hispanie sacerdotes complures una die missas celebrabant, communionem in ultimam differebant: quem quidam abusum merito raprobavit & corraxit concilium xii. Toletanum anno 681. celebratum, edito hoc canone 5. [Relatum nobis est quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur offerre; sed in uno die, si plurima per se Deo offerunt sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendunt, & in sola tantum extremi sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt quasi non sit reus illius vari & singularis sacrificii, quoties participator Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi essa distulerit. . . . . . Quicumque ergo sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturos accessarit, & se a communiona suspendarit, ab ipsa qua se indecenter privabit gratia communionis enno uno repulsum se noverit.]

Missæ plures in diversis altaribus.

XXII. Antequam varo huicce capitulo finem imponam, observatu dignum existimo, quod cum plures olim ab eodem sacerdote missæ uno die celebrarentur, has non in uno, sed in divarsis altaribus decantaret, quod sane canone 10. Concilii Autissiodorensis cautum legimus: [Non licet, inquit, super uno altari in une die duas missas dicere.] Cujus quidem praxim videre est apud Gregorium Turonensam lib. da Gloria Confessorum cap. 50. & in Historiæ Francorum lib. 5. cap. 49. ubi narrat quod cum ipse maledicentiæ in Fredegundem ab æmulis fuisset accusatus, apud Brennacum villam [rastitit ad hoc causa, ut dictis missis in tribus eltaribus, se de his verbis exuerat sacramento.] Non prætereundum est hoc loci Gregorii III. diploma a Mabillonio citatum in Commantario prævio ad Ordines Romanos, de oblationibus quotidianis per eum factis ad S. Paulum, nempe (in prima missa ad corpus oblatam unam, in secunda missa ad Sanctum Timmhaum oblatam unam, in tertia missa ad imaginem Salvatoris, quæ & Apostolorum, oblatam unam, in quarta missa ad Sanctum Gregorium ad janaas oblatam unam, deinde in missa quinta ad majore altare oblatas duas.) Sanctus Udalricus duas in Paschatis festo missas celebrabat, primam mana in ecclesia S. Ambrosii de Trinitata, secundam in Cathedrali basilica post Tertiam, ea ajus Vita num. 23. Sæculo V. Benedictino. Verum in Capitulis Selectis Theodori Cantuariensis archiepiscopi Spicilegii tomo 9. cap. 32. [In uno aitari duas facere missas conceditur.] Verum vereor ne legandum sit *non conceditur*. Certe in Centulensi monasterio, in quo sub S. Angilberto treceuri erant monachi, quotidia saltem triginta missæ e fratribus per diversa eltaria dicebantur, teste Hariulfo in Vita Sancti Angilberti.

ARTICULUS IV.

Quibus horis olim sacra peregeretur oblatio.

I. UT hunc articulum faciliori methodo pertractemus, distiugoaoda sunt tempore, distinguendi sunt dies, distinguendæ missæ: alia anim fuit ratio temporum persecutionis, alia plenæ & integræ libertatis: alia item dierum solamnium, alia jejuniorum: alia denique [illegible] missarum, alia privatarum.

Missa nocte celebrata.

II. Et certe cum post peractam legelem cœnam primum facrificium Christus se ipse obtulerit, satis vero simile est Apostolos primosque eorum discipulos sero post cibum etiam indifferentes celebrasse: idque per prime Ecclesiæ sæcula passim obtinuisse scribit Johannes Phurnes in epistola de Ritibus immutatis apud Allatium lib. 3. de Consensu ecclesiæ Occidentalis & Orientalis cap. 13. edita, ubi hæc lagnutus: (Psupterea Dei Ecclesia semper in meliue procedente, missam & divini panis communionem ad melius quoque transvectam fuisse ad hæc usque tempore observamus. Neque enim statutis temporibus eam perficiebant, qui nos præcesserunt, neque jejuni, ut apparet, illiue participes fiebant, quin etiam post mensam & cibum. Propter hanc consuetudinem, quæ Laodiceæ in Phrygia Synodus congregata est, studens ne hujus-consuetudinis prætextu quinta feria in qua Cœne Dominice facte est dissolveretur, si antea ederent & satiarentus, postee communicarent; scripsit in 50. capite hæc ad verbum: „ Non oportere in quadra„ gesima postrema septimana jejunium solvere, & to„ tam quadragesimam injutia afficere; sed oportere to„ tam quadragesimam jejunere, aridis vescentes. Cum enim Christus ad vesperam divinum mysterium sradidisset discipulis, & PROPRIÆ sanctæ carnis ac sanguinis fecisset participes sumto nempe antea cibo, & ipsi similiter faciebant singulis diebus, quibus Christus sacrificabatur, & antee vescantes facte Eucharistia communicabant. Et hunc ordinem non tantum aliis diebus, sed èpsa etiam magna ferie observabant, neque existimabant se male agere cum veterem consuetudinem conservarent, quam hæc sancta Synodus abrogasse videtur, & ait: [Sit hæc consuetudo, per totam aliud anni tempus permissa, & puri corporis communionem corporeus cibus præcedat, at id fieri omnino non debet magna feria quinta, cum quadragesime sit & jejuniam præscriptum.] Ex hoc prolixo Johannis Phuroæ testimonio, quod integrum hic referendum fuit, patet, non tribus solum primis Ecclesiæ sæculis post cœnam, et consequenter serotino tempore, sed etiam postea calebrare permissum fuisse, immo & communi usu receptum fuisse, saltem eliquibus in locis. Eadem est sententia Cæsaris Baronii ad ennum 34. hæc scribentis: [Ceterum quoniam diversa erat aliquarum ecclesiarum consaetudo, passimque post cœnam sacrificium offerebatur, eam sustulit in Africa concilium Carthaginense tertium, statuens, ut e jejunis semper excepte ipse die enniverfaria Cœnæ Domini offerretur.] Et sane cum ferveret sævissimatum persecutionum æstus, nec ullus christianis exercendæ religionis saæ locus selinqueretus, cum eliunde omni sollicitudine & industria paganis occultarent sacra mysteria; cos nocte post cęnam, aut saltem summo mane tenebris adhuc universam terræ faciem occupantibus celebrare necesse erat: alioquin si de die convenissent, facili negotio ab infidelibus & nominis christiani infensis hostibus deprehendi potuissent. Hinc & apostolus cum esset Troade nocte fregisse panem refertur. Hinc Plinius secundus lib. 10. epist. 97. ad Trajanum scribit [quod soliti essent stato die ante lucem convenire.] Hinc & epud Justinum martyrem in dialogo cum Triphone gentiles christianos accusant, quod [post epulum, extinctis lucernis, nefario concubitu promiscue involei] dicerentur. Hinc & apud Minatium Felicem christiana religio dicitur (natio latebrosa, & lucifugex.) Hinc *nocturna convocationes* apod Tertullianum lib. 2. ad Uxorem cap. 4. & *cœtus antelucani* epud eundem Apologetici cap. 2. & libro de Corona Militis cap. 3. Sed tandem reddite postmodum pes christianos principes Ecclesię pace, ceperont statutæ per diem horæ decerni ed Incruentam Deo sacrificium offerendum: quameis adhuc tempore Socratis [Ægyptii, uti ipse loquitar Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 22. & ii qui Thebaidem incolunt, sabbato quidem collectas celebrant, non tamen, sicut mos est christianorum, sacra mysteria percipiunt. Postquam enim epulati sunt, & omni ciburom genere saturati, sub vesperam oblatione facta communicant.] Quæ si vera sint, certe intelligi nequeunt de monachis, qui teste Cassiano lib. 3. cap. 2. sabbatis dominicisque diebus hore tertia sacræ communionis obtentu conveniebant. Et tamen Socrati concinit Sozomenus Historiæ Ecclesiasticæ lib. 7. ap. 19. his verbis: [In multis entem urbibus & vicis Ægypti, contra receptam omnium consuetudinem die sabbati sub vesperam convenientes, jam

Quibus diei horis missa celebranda. Missa diebus Dominicis ad tertiam.

III. Jam vero quia concesso christianis pleno & integro suæ religionis exercitio, cęperunt statæ horæ ad celebrandum in ecclesia constitui, quas præterire fas non esset: videndum nunc quænam horæ illæ essent: Has nobis potissimam indicat Amalarius, qui ex antiquis scriptoribus de ritibus ecclesiæ omnium optima disseruit, scilicet horam Tertiam, Sextam, & Nonam. Tertiam, quia ea hore Dominus crucifixus est linguis Judæorum. Sextam, qua manibus gentiliam crucifixus est. Nonam, qua spiritum emisit, uti ipse pluribus tractet lib. 3. cap. 42. Cujus mentem ita explicat Honorius in lib. 1. de Gemme animæ cap. 113. ut [in festis tertie, in privatis diebus sexta, in quadragesima vel in diebus jejunii nona hora, missa peragatur; cui concinit Guillelmus Durandus lib. 4. Rationalis cap. 1. At paulo aliter Valfridus, cujus non inferios hac in re auctoritas libro de Rebus ecclesiesticis cap. 23. [Tempus autem missæ faciendæ, inquit, secundum rationem solemnitatum diversum est. Interdum enim ente meridiem, interdum circa nonam, aliquando ad vesperam, interdum noctu celebratur.] Quod sic intelligendum est, ut Dominicis festisque diebus ente meridiem, diebus jejunii circa nonam, in quadragesime ad vesperam, nonnullis eutem diebus privilegiatis noctu. Certe Dominicis festisque diebus missam ante meridiem peragendam esse expressis verbis docet Epiphanius in Expositione fidei cap. 23. [Dominicas omnes festas hilaresque catholica esse sanxit Ecclesia, ac solemnes conventus matutinis horis indicit.] Verum quod indefinite *mane* Epiphanius, & *ante meridiem* Walfridus peragendum esse asserunt, ad horam diei tertiam reducendam esse certissima nos docent argumenta: [Da missarum celebritata (inquit concilium Aurelianense III. can. 14.) in præcipuis dumtaxat solemnitatibus id observari debet, ut hore tertia missarum celebratio inchoetur.] Hinc & Theodulfus ejusdem civitatis antistes in suo Capitulari cap. 4. missas per dies Dominicos hora tertie canonice fieri esserit. Et apud Reginonem Prumiensem abbatem lib. 1. de Ecclesiasticis Disciplinis inter ea quæ episcopus paręchias saæ diœcesos perlustrando inquirere debet, unum illud est, (Si missarum solemnia non ante horam tertiam celebrentur.) Hujus rei praxim videre est apud Gregorium Magnum Homilie 37. in Evangelium, ubi de Cassio Narniensi episcopo hæc habet: (Et qui oblaturus ad horam *tertiam* venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine ad horam nonam usque protelavit.) Et epud Turonensem libro de Vit. Pat. cap. 8. [Facte quoque hora tertia cum popelus ad missarum solemnie conveniret, hic mortuus ad ecclesiem delatus est.] Idem etiam videre est in Vitæ S. Bernardi Hildesheimensis episcopi num. 5. apud Surium 20. Novembris. Idem denique usus quoque obtinuit epud Græcos, ut docet nos Nicetas Pectoratus his verbis: [Sic ergo accipientes nos sabbato & Dominica die secus tertiam diei horam, in qua & Spiritus-sanctus descendit saper discipulos, immolantes in ipsis sanctificamus munera.] Hanc institutionem Thelesphoro papæ tribuit Ernulfus Roffensis episcopus in epistola ad Lambertum Spicilegii tom. x. eo quod hore tertie Dominus cruci affixus & Spiritus-sanctus super apostolos descendisse legatur: Verum hoc decretum cujascumque tandem fuerit *quam pauci servavere, quam multi abjecere*, ut ait idem Ernulfus, præsertim in missis privetis.

IV. Alia videtur fuisse consuetudo ecclesiæ Mediolanensis, in qae circa meridiem oblatum fuisse sacrificium colligimus ex Sancti Ambrosii Sermone 8. in psalmum cxviij. num. 48. ubi plebem suam adhortetus, ut diebus quibus indictum est jejunium ad vesperam usque jejuni cęlesti se convivio, hoc est sacræ communioni servent, ita eum consolatur: [Differ aliquantulum, non longe est finis diei: immo plerique sunt ejusmodi dies, ut statim meridianis horis adveniendum sit in ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio.] In epistola quoque Severi de Conversione Judæorum num. 15. in Appendice tom. 7. Operum S. Augustini novæ editionis hæc lego: (Hora circiter septima missam Dominicam solemniter cępimus celebrare.) Nisi forte quis hæc loca non de Dominicis festisque diebus, sed de privatis interpretanda esse existimet, aut etiam de jejunio consecratis, quibus circa horam nonem, ut diximus, divine peragebantur mysteria. Nec deerunt qui S. Ambrosii verba ita

eos quibus per reliquum anni circulum ex more jejunasur, non obscure significare dicendus est; quibus statim meridianis horis adveniendum sit in ecclesiam, ut cantatis hymnis, circa nonam celebretur oblatio.

Diebus jejunii ad Nonam.

V. Neque vero diutius immorendum est, ut diebus jejunii ad horem usque nonam sacrificium dilatum fuisse ostendamus, cum nullus vel mediocri aruditione imbutus id ignoret; sufficiat ad hoc probandum concilii Moguntini decretum ab Ivone p. 4. cap. 35. relatum, ubi de jejenio quatuor temporum: (Quarta, inquit, & sexta feria, & sabbato veniant omnes ad ecclesiam hora nona cum letaniis ad missarum solemnia.)

Diebes quadragesimalibus ad vesperam.

VI. Venio ad missas vespertinas, de quibus concilium Autissiodorense can. 29. [Sacrificia vero matutina missarum sive vespertina ne quis cum armis ad bellorum usum spectet.] Has tempore quadragasimali potissimum celebrari diximus, idque evidenter demonstrat locus ex Sancto Ambrosio mox citatus, [differ aliquantulum, non longa ast finis diei:] quæ verba habebat ad populum in quadragesimali synaxi. Idem atiam constat ex Honoreto Massiliensi in Vita S. Hilarii Arelatensis cap. 11. ubi refert quod in jejunio [ab hora diei sexta usque in ajue decimam epulis plebem spiritualibus saginabat; scilies prædicatione, quam sequebatur sacrificium. Hinc & Theodulphus Aurelianensis in Capitulari num. 39. nonnullos qui in quadsagesima ad nonam edebant redarguens, [solent plerique, inquit, qui se jejunare putant, mox ut signum audiunt ad nonam, manducare, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad missas, & auditis missarum solemniis, sive vespertinis officiis, largitis prius eleemosynis ad cibum accedendum est.] Et de vespertinis hisce horis intelligendus est concilii Matisconensis I. canon. 9. [Ut a feria S. Martini usque ad Nativitatem Domini, secunda, quarta, & sexta feria sabbati jejunetur, & sacrificia debeant quadragesimali ordine celebrari.]

VII. Jam vero si quis quærat cur olim jejunii diebus tantopere sacrificium offerre differrent; respondemus hac una potissimum ratione, quod sacræ liturgiæ celebratio quamdam secum solemnitatem importat, cujus gaudium & lætitiam cum jejunii mærore cohærere non posse aximabant. Unde & quidam communione & sacrificio jejunium violari credentes, ab eo abstinendum esse censebant: cujus rei testem luculentum habemus Tertullianum in libro de Oratione, ubi hæc scribit: (Stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto Corpore Domini.) Atque ea in sententia Græcos fuisse colligitur ex supra laudata Johannis Phurnes epistola de Ritibus immutatis.

Missa nocturna.

VIII. Restat ut de missis nocturnis breviter dicamus. Eas quatuor præsertim in anno diebus olim celebratas fuisse constat. 1. In Natali Domini, qui mos adhuc viget. 2. Sabbato sancto, cujus missa in antiquis mss. missalibus inscribitur *in nocte sancta*. 3. In festo S. Johannis Baptistæ, ut superiori capite ostendimus. 4. In collatione sacrorum Ordinum, quæ sabbatis quatuor temporum peragebatur, ut colligitur ex S. Leonis epist. 10. novæ editionis, ostendemusque postea cum de sacris ordinibus agemus.

Missa matutinalis.

IX. Non imus quoque inficias, aliis aliquando horis potuisse missas celebrari, maxime cum duæ aut plures uno die cantabantur, tunc enim una mane dicebatur. Hinc concilium Aurelianense III. can. 29. agit de missis matutinis, & Gregorius Turonensis in libro de Gloria Confessorum cap. 65. meminit missæ post matutinum celebratæ: Sed & Amalarius lib. 4. cap. 40. testatus vidisse se (Apostolicum Leonem, diluculo missam celebrare, seu cateros presbyteros in Romana ecclesia.) Et in antiquo Ordine ecclesiæ Cameracensis & Atrebatensis decernitur, (ut mane agatur missa in Dominicis diebus, quia Dominus valde mane surrexit; & ita, in[illegible] est in sancta Sede Romana.] Neque vero missa, quam in ipsa publica ecclesia in civitate: neque illorum signa pulsentur, ut omnis populus ad publicam procedat ecclesiam, nisi forte causa infirmorum, aut pro iter agentibus. In monasteriis vero quæ sunt juxta civitatem, non antea missarum solemnia agantur, quam in publica ecclesia civitatis inchoata fuerint missarum solemnia, nisi forte, ut diximus, pro iter agentibus, aut infirmorum causa.)

X. Ceterum quæ hactenus dicta sunt, de publicis solemnibusque missis præsertim intelligi volumus. Nam quo ad privates, eas omni hora, dummodo populum a publicis missis non revocarent, celebratas fuisse existimamus: unde Humbertus Sylvæ candidæ cardinalis, respondens ad objecta Græcorum, qui Latinos quod horas ad celebrandum statutas haudquaquam observarent, criminabantur, docet, latinos quotacumque hore diei, non autem solam tertia perfectam missam agere, idque auctoritate Domini apud Apostolum 1. Cor. 11. *Hoc facite quotiescumque sumitis in meam commemorationem*. Adjecit Paulus, *Quotiescumque manducabitis panem hunc*, &c. Nusquam enim dixit Dominus hoc facite hora tertia, sed horas omnes & tempore concludens, dicit *Quotiescumque*, sicut & Apostolus. In lib. 3. Miraculorum SS. Marcellini & Petri auctore Eginardo cap. 9. mentio fit missæ, quæ Dominico die post matutinas laudes *ex more* celebratur. In libro 2. de Gestis Sanctorum Rotonensium cap. 2. Riowenus presbyter circa medium diem sacrificium oblaturus agri opere reliquisse perhibetur. Theodulfus Aurelianensis in capitulari num. 46. permittit presbyteris ut [caute ante secundam horem celebrent, ut populus a publicis solemnitatibus non abstrahatur.] Inter capitula ab Hincmaro Remensi archipræsule presbyteris anno 852. data, nonum præscribit, ut [pensum servitutis suæ canendo primam, tertiam, sextam, nonamque persolvat. . . . . . . Deinde peractis missarum solemniis, & fessis infirmis visitatis, ad opus rurale quod sibi competat exeat jejunus.] Quod capitulum tamquam ex Concilio Nannetensi refert Ivo Carnotensis p. 6. cap. 181. In Actis etiam S. Theodori Siceotæ apud Bollandum 22. Aprilis hæc lego: [Cum autem vespera advenisset, facto divino sacrificio, accubuerunt] Antiochus & Theodorus. Denique Acta S. Geraldi ducis Auriliacensis auctore Odone abbate Cluniacensi testantur missam a sacerdote post completorium celebratam esse, quo posset ei morienti sacrum viaticum porrigi. Ex his patet, omni hora privatas missas cantare licitum fuisse, mane scilicet, hore secunda, meridie, post dictam nonam, vespera, & post completorium. Quin etiam hodie in percelebri S. Dionysii in Francia templo, cum solemnes regum celebrantur exequiæ, episcopus offerens sacrificium nonnisi vespere absolvit. In ecclesia quoque Rotomagensi die Ascensioni Domini sacro persæpe ad vesperem missa celebratus pro publica rei alicujus absolutione. Anno tamen 1191. Eremita quidam sanctissimus divinitus jussus missam celebrare nocte, respondisse dicitur: (Dies non est, missam celebrare non licet) apud Thomam Cantipratensem, libro 2. de Apibus cap. 3. num. 9.

XI. Vetant tamen statuta synodalia ecclesiæ Avenionensis anno 1449. edita, ne duæ simul eadem hora missæ privatæ celebrentur. Sic enim statuto 7. præscribunt, & præcipiunt, [tam regularibus, quam secularibus, quod missæ privatæ in ecclesiis cathedrali, collegiatis, & parochialibus hujus civitatis & diœcesis sigillatim, & non duæ simul, aut plures celebrentur; ita quod sacerdos ad confessionem ac missæ introitum accedere non audeat, nisi prius per alium, qui missam primo celebrare incepit, sanctissimum eucharistiæ sacramentum fuerit alevatum, unaque missa privata & non ultra, dum missa major dicetur, in eadem ecclesia celebrabitur.] Idque inhibet sub pœna excommunicationis & sex librarum ceræ. In concilio etiam Trevirensi anno 1310. celebrato cap. 86. prohibetur ne quisquam diebus Dominicis peculiares missas seu privatas dicere præsumat, per quas populus a publicis missarum solemniis, quæ hora debita fieri consueverunt, abstrahatur, quod quasi explicans Johannes Nannatensis episcopus in synodo anni 1385. cap. 8. (Inhibemus, inquit, sub pœna excommunicationis, ne ante magnas missas in parochialibus ecclesiis celebratas, dictis diebus Dominicis aliquis presbyter in capellis vel ecclesiis parochiarum missas aliquas celebrare præsumat: propter quarum celebrationes retroactis temporibus parochiani ad suas ecclesias dictis diebus pro missis & præceptis audiendis accedere non curabant.] &c.

ARTICULUS V.

Quibus olim in locis missa celebraretur.

Missa primum omni in loco celebrata.

I. Assignatis diebus & horis, quibus olim sacra perageretur liturgia, jam ipse sacrificii locus inquirendus: neque enim in ipsis Ecclesiæ cunis, sed neque primis tribus a Christo nato seculis superbæ statim erectæ sunt ædes & basilicæ, in quibus fideles orationis & oblationis causa convenirent, quales nunc passim ubique suspicimus: Sed quod tempore persecutionis Vandalicæ in Africa contigisse narrat Victor Vitensis lib. 1. cap. 5. quod scilicet Catholici (tristitia ac mœrore confecti, ceperunt qualiter poterant, & ubi poterant, ablatis ecclesiis divina celebrare mysteria,) id quoque in ipso Ecclesiæ nascentis ortu, fervente persecutionum gentilium æstu, usu evenisse dicendum est. Hinc Dionysius Alexandrinus apud Eusebium libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. (Quivis, inquit, locus, in quo varias ærumnas singillatim pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit.)

In privatis domibus.

II. Itaque Apostolos primosque eorum discipulos in privatis ædibus sacram celebrasse synaxim pro constanti & indubitato haberi debet. Id probat in primis Liber Actuum Apostolorum capite 20. ubi Paulus in tertio domus cœnaculo fidelibus panem fregisse narratur, ex quo adolescens ad fenestram sedens somno gravatus cecidit. Idem confirmant Acta S. Pontii Martyris cap. 3. apud Baluzium Miscellaneorum tomo 2. in quibus hæc lego. (Cumque ascendissent in cœnaculum, & vidissent eos (*Christianos*) sancta celebrare mysteria, declinaverunt in locum, quo ad usque Dominicum consummassent officium.) Hujusmodi domus postmodum in ecclesiasconsecrabant, ut videre est in Actis S. Ceciliæ virginis & martyris.

In cryptis subterraneis.

III. Urgente paganorum persecutione, cum nec in privatis ædibus ulla superesset celebrantibus securitas, in cryptis subterraneis sanctorumque martyrum sepulcris sacros peragebant conventus, cujus rei plurima nobis supperant veterum testimonia. Insigne est illud quod in Constitutionibus Apostolorum lib. 6. cap. 30. habetur: (Antitypum regalis Corporis Christi acceptabilemque Eucharistiam offerte in ecclesiis & cœmeteriis vestris.) Hoc testimonio nihil clarius proferri potest. Acta S. Stephani papæ & martyris apud Surium 2. Augusti non solum testantur eum (in cryptis martyrum assidue missas & concilia) celebrasse, sed etiam (ibi dum missarum sollemnia perficeret,) ei in sede sua caput abscissum fuisse. Id quod confirmat Martyrologium Romanum 2. Augusti his verbis: (Romæ in cœmeterio Callisti S. Stephani papæ & martyris, qui in persecutione Valeriani dum missæ sacrificium perageret, supervenientibus militibus, ante altare intrepidus & immobilis, cœpta mysteria perficiens, in sede sua decollatus est.) His adde quod scribit Prudentius in hymno de S. Hippolyto ubi de ejus sepulcra ita canit:

Talibus Hyppolyti corpus mandatur opertis
 Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
 Custos fida sui martyris apposita.

Hinc Paulus Aringhus in sua Roma subterranea lib. 1. cap. 31. (Porro, inquit, cum illuc frequentes jugiter convenirent, in cœmeteriis cubicula, aptatis utraque ex parte sedilibus, sacro item erecto altari, astruebantur, qua de causa pontificiæ ad hanc usque diem sedes extant, quæ in cœmeterio præsertim B. Agnetis eadem via Nomentana conspiciuntur, ubi Pontifex, dum natalitiis beatorum martyrum, nec non sacris synaxibus de more interesset, aminentiori præ ceteris conspicuus loco ac nobili locatus throno sedere consueverat.)

IV. Neque hoc in Urbe tantum, sed in toto passim orbe actitatum fuisse certissimum est, unde & Æmilianus Præfectus apud Eusebium lib. 7. cap. 11. ad Dionysium Alexandrinæ urbis antistitem, (nullatenus, ajebat, licebit vobis, nec uuihufcumo[illegible] conventus agere [illegible]

videt, christianos Alexandriæ atque in tota Ægypto sacros conventus in abditissimis locis cœmeteriisque habuisse. Idem & in Galliis avenisse docet nos Gregorius Turonensis lib. 10 Historiæ Francorum cap. 31. ubi de Gatiano Turonorum Apostolo (interdum, inquit, occulebat se ob impugnationem potentium, eo quod sæpius eum injuriis & contumeliis cum reparerant adfecissent, ac per cryptas & latibula cum paucis christianis, ut diximus, per eumdem conversis mysterium sollemnitatis diei Dominici clanculo celebrabat.) Alias urbis partes hic peragrare non vacat.

V. Ceterum cum loca illa subobscura quandam reverentiam inspirent; non solis persecutionis temporibus hic ritus offerendi in cœmeteriis obtinuit, sed multo etiam postea: Nam & liber Pontificalis in Johanne III. qui anno 559. sedem Apostolicam adeptus est, testatur, ipsum constituisse (ut oblationes & amolæ vel luminaria in eadem cœmeteria per omnes Dominicas ministrarentur.) Et de Sergio qui circa finem Seculi VII. florebat, (Hic, inquit, tempore presbyteratus sui impigre per cœmeteria diversa missarum solemnia celebrabat.)

In carceribus.

VI. Porro quia detenti in carceribus confessores divinis participare mysteriis una cum aliis Christi fidelibus nequibant; ne tanto munere ac gaudio, privarentur, pontificum erat sollicitudinis presbyteros & diaconos secreto eis immittere; qui in carceribus ipsis, immolata salutis nostræ hostia, cælesti convivio eos reficiebant. Id plane nonnullis forsan videbitur incredibile, tum ob difficilem ad confessores accessum, tum ob periculum. At suspicionem omnem removet S. Cypriani epistola 5. ad presbyteros & diaconos, qua eos ad id (caute & non glomeratim) agendum hortatur, sed (consulite, inquit, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius possit: ita ut presbyteri quoque, qui illuc, (scilicet in carceribus,) apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent: quia & mutatio personarum, & vicissitudo convenientium minuit invidiam.) Quando vero ipsi confessores erant presbyteri aut pontifices, ipsi sibi aliisque in vincula conjectis celebrabant. Acta S. Dionysii Parisiorum episcopi apud Surium IX. Octobris testantur, eum in carcere incruentum Deo sacrificium obtulisse. Idem de multis aliis demonstrare perfacile esset, at unum hic Luciani presbyteri Antiocheni & martyris exemplum profarre sat erit. Hunc enim, ait Philostorgius in Historia Ecclesiastica lib. 2. cap. 13. (cum jamjam moriturus esset, & tyrannica vis nec ecclesiæ, nec altaris copiam faceret: cumque vincula & plagæ ne quidem ut se commoveret ei permitterent, supinum jacentem, supra proprium pectus, tremendum sacrificium peregisse, & tum ipsum participasse; tum aliis, ut de immaculato sacrificio participarent, copiam fecisse. Parattum est autem hoc sacrificium in carcere, (addit Philostorgius) cum sacer Christianorum chorus, qui illum utpote morientem undique cingebat, ecclesiæ speciem referret, ac simul munimentum præstaret, ne ab impiis spectari possent ea quæ gerebantur.)

VII. Postquam vero feliciora illuxerunt tempora, reddita beneficio Christianorum imperatorum Ecclesiæ pace, magnificæ elegantesque cœperunt ædificari basilicæ, in quibus sacræ synaxes cogerentur, & incruenta Deo victima immolaretur. Non defuerunt tamen qui etiam post hæc privatis in domibus celebrarent, licet in concilio Laodiceno jam statutum esset, (quod non oporter in domibus fieri oblationes ab episcopis & presbyteris.) Nam Sanctus Ambrosius (trans Tyberim apud quamdam clarissimam invitatus sacrificium in domo) obtulisse dicitur apud Paulinum in ejus Vita n. 10. Alter Paulinus Nolanus episcopus, teste Uranio in ejus Vita, morti proximus Symmachum, Benedictum, & Hiacinthinum episcopus (quasi profecturus ad Dominum jussit sibi ante lectum suum sacra mysteria exhibere, scilicet ut una cum sanctis episcopis oblato sacrificio, animam suam Deo commendaret.) Simili prorsus modo Philippus Bituricensis archiepiscopus qui anno 1260. obiit (ingravascente morbo, cum non posset celebrare, vel sustinere quod ad sacellum veheretur, ut missam audiret, jussit fieri in camera sua altare, & ibidem singulis diebus divina peragi mysteria,) ut legimus in Patriarchio Bituricensi cap. 71. Cassius Narniensis episcopus aliquando etiam *in episcopii Oratorio missas fecit*, ut scribit S. Gregorius Homilia 37. in Evangelium. Sed & S. Joannes episcopus Alexandrinus [illegible]

missas in episcopio,] testante Leonio in ejus Vita cap. 41. His accedit quod refert Hermannus in lib. 2. de Miraculis S. Mariæ Laudunensis cap. 10. [Mane autem facto, dum more solito missam coram feretro in *eadem domo* solemniter cantaremus (altare siquidem portatile, & omnia missæ necessarie nobiscum ferebamus) ecce puella sanata.)

In privatis domibus postea celebrare vetitum.

VIII. Sed hujusmodi exempla, aut ex infirmorum sacro viatico reficiendorum causa, aut ex æquissima aliqua ratione, nec sacris canonibus contraria, profecta esse existimamus. Alioquin tam ecclesiasticis quam & civilibus legibus semper interdictum fuit in domibus privatis celebrare. Id præsertim videre est in canonibus Arabicis concilii Nicæni conciliorum tom. 2. pag. 352. (Non celebrent monachi sacrosanctum missæ sacrificium in sacellis, quæ sunt in domibus laicorum.) Concilium Epaonense citatum in Excerptis Egberti Eboracensis archiepiscopi c. 52. concilium Cabilonense II. can. 49. & Aquisgranense anni 816. cap. 84. renovant Laodiceni decretum supra citatum. Idem prællat & concilium Parisiense VI. ex quatuor provinciis anno 829. congregatum lib. 1. cap. 47. ubi improbat & damnat (quod plerique presbyteri, neglectis basilicis Deo dicatis, in domibus & hortis missarum celebrationes contra divinam auctoritatem, & canonicam institutionem facere præsumunt.) Id quod, ut ait postea, (ecclesiasticæ antiquæ traditioni videtur reniti,) jubens (ut unusquisque episcoporum hujuscemodi temerariam consuetudinem a parochia sua penitus amoveat :) quam *recenti tempore* emersisse asserit. Idque ita efficaciter, ut qui contrarium attentaverit, (gradus sui periculum incurrat.) Laicos vero monet (non esse sui officii, ut relictis basilicis Deo dicatis, & episcopali auctoritate contemta, ad libitum suum in hortis, & domibus, vel cetere ædiculis, quas juxta domos construunt, & palliis exornant, in quibus altaria erigi faciunt, missarum celebrationes facere compellant.) Et libro 3. cap. 6. iterum monet (ut posthabitis ædiculis, quas usus insolitus capellas appellat, basilicæ Deo dicatæ ad missarum celebrationem audiendam, & Corporis & Sanguinis Dominici perceptionem sumendam, assidue devoteque adeantur.) Et ejusdem libri capite 19. ad ipsum imperatorem : (De presbyteris, inquit, & capellis palatinis, contra canonicam auctoritatem & ecclesiasticam honestatem inconsulto habitis, vestram monemus solertiam, ut a vestra potestate inhibeantur : quoniam propter hæc & honor ecclesiasticus vilior efficitur, & vestri proceres & palatini ministri in diebus solemnibus, sicut decet, vobiscum ad missarum celebrationes non procedunt.) Eumdem abusum redarguit Jonas Aurelianensis episcopus in lib. 2. de Institutione Laicali cap. 12. (Non igitur, inquit, sicut se habet quorumdam reprehendenda & emendanda consuetudo, propter ædiculas quas sibi ad votum suum construunt, ibique Deo sacrificium offerri posse & debere contendunt, templa per sacerdotum mysteria nomini divino dicata penitus sunt negligenda & relinquenda.) Eodem tendunt Theodulfus Aurelianensis in Capitulari n. 11. Chrodegangus Metensis episcopus in Regula canonicorum cap. 72. Capitulare Ahitonis Basileensis episcopi n. 14. Spicilegii tom. 6. Capitulare Attonis Vercellensis cap. 8. ejusdem Spicilegii tom. 8. Capitulare episcoporum in concil. Gall. tom. 2. p. 259. Capitulare Herardi Turonensis archiepiscopi n. 34. Concilium Pontigonense can. 7. Ratherii Veronensis episcopi epistola synodica, & Fulberti 36.

IX. His accedant leges etiam civiles. Nam Justinianus imperator in sua novella Constitutione 57. sic habet : (Omnibus interdicimus magnæ hujus civitatis habitatoribus, magis autem totius nostræ ditionis, in domibus suis habere quasdam quasi oratoriorum domos, & in his sacra celebrare mysteria.) Sed & Carolus Magnus in suo Capitulari 3. anni 789. n. 9. decernit, ut Comites (in diebus festis vel Dominicis omnes ad ecclesiam veniant, & non invitent presbyteros ad domos suas ad missas faciendas.) Similia leguntur in Capitularium Regum Francorum libro 7. cap. 431.

Nisi propter urgentes necessitates.

X. Ab his tamen legibus eximuntur, qui tempore hostilitatis incensis ecclesiis propter frequentes armatorum incursus ad longe positas convenire nequeunt, aut in itinere constituti, nulla, in quibus celebrare valeant, templa offendunt. Hi enim propter instantes necessitates aut in capellis, aut in tentoriis, & aris ab episcopo benedictis missas facere permittuntur. Extat hac de re decretum concilii Meldensis anni 845. can. 49. ubi statuitur, cedimus etiam, ut sicubi (quod nostris exigentibus culpis perplurimum est factum a Northmannis, seu alio qualicumque modo) Ecclesiæ fuerint incensæ, in capellis missas interim liceat celebrare, donec ipsæ ecclesiæ restaurari queant. In itinere vero positis, si ecclesia defuerit, sub dio seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata, ceteraque ministeria sacra ad id officium pertinentia adsunt, missarum solemnia celebrari permittimus.) Et liber 7. Capitularium Regum Francorum c. 316. (Sciendum est omnibus quod.... missarum celebratio non nisi in locis ab episcopis Deo dicatis, excepto tempore hostilitatis, & hoc non nisi in altaribus & tabernaculis ab episcopis Deo dicatis, nullatenus rite fieri possit aut debeat.) Atque ita Richardus Virdunensis abbas S. Vitoni sæculo XI. profectus Jerosolymam, *ante muros urbis*, quam incolebant Saraceni, divinum obtulisse sacrificium perhibetur apud Hugonem Flaviniacensem in Bibliotheca Labbeana tom. 1. pag. 179. Sanctus etiam Wlframnus dum in Frisia Verbi divini semen diffunderet, aliquando in navi medio in mari missam celebrasse dicitur in ipsius vit. Sæc. 3. Bened. part. 1.

XI. Aliquando etiam in sollemnibus SS. reliquiarum translationibus propter affluentem populi multitudinem in patenti campo celebrare cogebat necessitas, utpote quam nullus ecclesiarum ambitus continere poterat ; sed nec liberum ad eas accessum relinquebat, cujusmodi exemplum nobis suppeditat Eginardus in lib. 1. de Translatione SS. Marcellini & Petri cap. 17. ubi sic loquitur : (Sacras illas beatissimorum martyrum exuvias ad Mulinheim superiorem cum magna omnium qui adesse poterant lætitia & exultatione detulimus ; sed præ nimia populi multitudine, quæ precedens cuncta compleverat, neque ecclesiam adire, neque feretrum in eam inferre valuimus. Idcirco in campo adjacente atque in loco editiore altare sub dio ereximus, ac feretro pone altare deposito, missarum sollemnia celebravimus.) Simile aliquid narrat Rodulfus in Vita Rabani n. 26. Seculo IV. Benedictino parte 2.

XII. Sed & propter infirmos privatis in domibus celebrare permissum haud inficiamur, idque & ecclesiasticis decretis probare, & sanctorum virorum factis, & exemplis confirmare in promtu esset. Paulinus Nolanus episcopus, ut supra vidimus, sacri Viatici percipiendi gratia in lecto decumbens coram se sacrificium offerri præcepit. Simili modo S. Dunstanus archiepiscopus Cantuariensis morti proximus (jussit Sanctæ communionis mysterium, id est missam ante se celebrari, protensisque manibus sacrosanctum Viaticum de cælesti mensa porrectum suscepit,) uti videre est tom. 4. annalium Benedictinorum p. 50. & inter Capitula Ahitonis Basileensis episcopi decimum quartum jubet, (ut in tuguriis, vel in ecclesiis non consecratis, vel in domibus nisi vitandi gratia in infirmitate detentos, missarum mysteria non celebrentur. Anno 1487. Turonense sancti Martini Capitulum facultatem celebrandi missam in domo cujusdam canonici infirmi concessit, uti legi in Regulis ejusdem capituli. Atque hic usus superiori adhuc sæculo vigebat in Hispaniis : tametsi prohibitus legatur in concilio Metensi anni 888. can. 8. his verbis : (In locis vero non consecratis id est in solariis sive in cubiculis propter infirmos vel longius iter, a quibusdam presbyteris sacrificium offerebatur : quod omnimodis interdictum est.) Ceterum extra hujusmodi casus insolitos, in domibus sacrum facere semper vetitum fuit. Ita in antiquis Statutis Synodalibus Bartholomæi episcopi Æduensis cap. 7. Bertholdi episcopi Argentinensis cap. 102. Gilberti episcopi Rushenensis cap. 2. Guillelmi Caturcensis cap. 16. Henrici & Guillelmi episcoporum Nannetensium, Petri episcopi Trecorensis cap. 1. Amelii archiepiscopi Turonensis cap. 23. Idque sub pœna privationis beneficiorum ex concilio Remensi sub Eugenio III. cap. 14. tom. 4. Anecd. sub pœna suspensionis & XL. solidorum ex Statutis Radulfi episcopi Trecorensis cap. 4., sub pœna excommunicationis ex Statutis Guillelmi Majoris episcopi Andegavensis Spicilegii tom. 11. pag. 270. Joannis Leodiensis episcopi cap. 61. Johannis episcopi Trecorensis cap. 5. tom. 4. Anecdot.

ARTICULUS VI.

De altaribus & vasis sacris ad missam celebrandam olim adhibitis.

I. UT nulla unquam sine sacrificio extitit religio, sic nullum sine altari sacrificium. Cum autem sacrificio novæ legis Deo acceptabilius nec fuerit unquam, nec esse aliquando possit ; merito hic a nobis investigan-

Altaria lignea.

II. Communis omnium virorum doctorum ac venerandæ antiquitatis studiosorum fert opinio, primis Ecclesiæ temporibus altaria fuisse lignea. Sane Christum Dominum in vulgari ac lignea mensa primum omnium se ipsum Patri in sacrificium peracta legali cœna, obtulisse, quasi pro certo haberi debet, saltem id vero omnino simile est; Christi exemplum imitatos fuisse Apostolos persuadet & nascentis Ecclesiæ simplicitas, & necessitas altarium propter instantes persecutiones transferendorum, idque ipsum probat altare in æde S. Praxedis Romæ asservatum, in quo Petrus Apostolus incruentam Deo victimam obtulisse perhibetur, de quo Aringhus in sua Roma Subterranea tomo 2. libro 4. cap. 43. sic scribit: (Extat in eadem ecclesia ad dexteram intrantibus altare ligneum ad modum arcę compactum, in quo B. Petrus dum apud Prudentem hospitio receptus moraretur, ut pia fert traditio, immortali Deo sacrificium offerebat. Lignea autem altaris tabula præ vetustate nimia consumpta cernitur, & sub altari lapideo locata est, in quo S. Petri statua cernitur; hoc autem titulo notatum est:

In hoc altari S. Petrus pro vivis & defunctis ad augendum fidelium multitudinem Corpus & Sanguinem Domini offerebat.)

III. Neque vero alia habuisse videntur altaria, qui in carceribus offerebant confessores. Excipio tamen sanctissimum martyrem Lucianum Antiochenum, qui ut superiori articulo narrabamus, omni ex parte vinculis constrictus, pectore usus est pro altari. Factum hoc insolitum aliud Theodoriti Cyrensis episcopi non minus stupendum in memoriam revocat, qui ut Maris reclusi monachi, mysticum sacrificium videre offerri ex multo tempore desiderantis, votis faceret satis; in ejusdem cella, sacris vasis ex proximo pago allatis, pro altari usus diaconorum manibus, mysticum, divinum & salutare obtulit sacrificium, ut ipse loquitur in Historia Religiosa cap. 20. Syri etiam Jacobitæ, ut explicat in suo Nomocanone Abulfaragius, defectu tabulæ dicunt [Sumendum esse folium ex evangelio, in eorum vicem, & supra collocandum discum & calicem. tum in loco deserto, necessitate urgente manibus diaconorum uti posse sacerdotem altaris vice.] Hæc obiter dicta sint.

IV. Redeo ad altaria lignea, quæ nec reddita Ecclesiæ pace omnino sublata sunt. Nam S. Silvester, qui basilicam Lateranensem dedicasse memoratur, altare ligneum in ea erexisse perhibetur in Breviario Romano die 9. Novembris. An vero sit illud, quod describit Johannes diaconus in libro de Ecclesia Lateranensi, altare scilicet (quod superius est ligneum de argumento coopertum,) sub quo inferius sunt septem candelabra, quæ fuerunt in priori tabernaculo, virga Aaron, aliæque reliquiæ pretiosissimæ non paucæ, non satis scio. Unum scio, quod quamvis idem Sanctus in dedicatione ecclesiæ principis apostolorum sanxisse dicatur, ne quis deinceps in alio quam lapideo altari missam faceret; illud tamen decretum nullibi comparet; sed nec in aliis orbis partibus lignea altaria esse destiterunt. Ligneum enim haud dubium erat Alexandriæ, quod Ariani igni tradere non formidarunt, teste id sancto Athanasio in epistola ad Solitarios tomo 1. antiquæ editionis pag. 847. his verbis: (Hoc enim illis studio erat, hoc comes & catholicus præcipiebant; subsellia, thronum, *mensam*, quippe quæ lignea esset, vela ecclesiæ, & cetera, quæ poterant, foras elata combusserunt ante vestibulum in magna platea.) Idem extitit furor Donatistarum in Africa, qui in Catholicorum odium, altaria, in quibus obtulerant, tamquam eorum tactu polluta, aut fregerunt aut raserunt, aut ex ecclesiis removerunt, id quod merito illis exprobrat Optatus Milevitanus lib. 6. (Quid, inquit, quid si sic conjurastis, ut quæ a nobis in nomine Dei in ipso mysterio tecta sunt, immunda viderentur; quis fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum,) &c. Quo ex loco nemo non videt, non solum Romæ & Alexandriæ altaria fuisse lignea, sed etiam in Africa, id quod amplius constat ex S. Augustini lib. 3. contra Cresconium cap. 43. ubi eosdem Donatistas redarguit, quod Maximianum Bagajensem episcopum ex lignis altaris, sub quo confugerat, quodque super ipsum fregerant, occidissent. In libro etiam 5. de Baptismo cap. 20. meminit altaris lignei.

V. Ligneorum quoque altarium usum in Galliis vigui[sse] ... [il]la, quæ chrismate non sacrarentur: sed certiora nobis hac de re suppetunt argumenta. Nam monachis insignis ecclesiæ S. Dionysii in castris Caroli Magni adversus Saxones bellum gerentis ministrantibus, (solemnis ara tunc lignea tabula erat, quæ linteo adoperta, modum altaris efferebat,) ut scribit Anonymus in libro 1. Miraculorum S. Dionysii cap. 20. Acta S. Ludgeri episcopi ab Anonymo Auctore scripta lib. 1. cap. 25. altaris lignei mentionem faciunt. In Compendiensi S. Cornelii monasterio ara principalis lignea fuit, eaque a summo Pontifice consecrata, per multa sæcula ad nostram usque ætatem perseveravit, quæ unus ex nostris, nescio qua religione ductus, pretiosum hoc antiquitatis monumentum removit ex ecclesia. Denique in archivis Majoris monasterii Turonensis extant litteræ Harduini de Malliaco, anno 1289. datæ, quibus testatur, facultatem sibi a religioso abbate ejusdem monasterii concessam [ut altare ligneum in manerio nostro de Ermentago, inquit, sito in parochia de Loratorio usque ad suum beneplacitum habeamus.)

VI. Quod diximus de Gallia, id & de Anglia asserendum videtur, extitisse scilicet olim in ea altaria lignea. Luculentum hac de re testimonium habemus Guillelmi Malmesburiensis in Vita S. Wlstani episcop. Wigorniensis lib. 3. num. 14. ubi hæc habet: (Erant tunc temporis altaria lignea jam inde a priscis diebus in Anglia; ea ille per diœcesim demolitus, ex lapidibus compaginavit alia.)

Altaria lapidea, argentea, aurea.

VII. Longe frequentiora tamen & communiora extiterunt altaria lapidea, quorum usum etiam persecutionum tempore viguisse non imus inficias. Fuerunt postea & argentea, & aurea, ut vitas summorum Pontificum legentibus perspicuum esse potest. Singulare est illud, quod scribit Guillelmus Durandus in Rationalis lib. 1. cap. 7. n. 28. (In comitatu Provinciæ in castro S. Mariæ de mari est altare terreum, quod ibi fecerunt Maria Magdalena, & Martha, & Maria Jacobi, & Maria Salome. (Scio quidem quosdam eruditos viros de veritate hujus altaris dubitasse, eo quod Maria Magdalena in Galliis numquam habitaverit, sed quamvis revera quasi pro certo habendum sit, Magdalenam numquam in Gallia appulisse, nihil tamen obstat, quominus altare terreum esse potuerit, quod a piissimis illis fœminis erectum fuisse aliquando creditum sit; nec video cur Durando, qui illud vidisse potuerat, id asserenti fides abrogetur. Orientales altaribus non consecrato sæpe promiscue uti videntur: saltem id non obscure innuit Orthodoxa Confessio Ecclesiæ Orientalis anno 1662. a Nectario patriarcha Jerosolymitano approbata, cujus in quæstione 107. hæc lego: (Providendum est sacerdoti, ut quo loco sacrificium facturus est, altare aut tapes saltem mensalis consecratus ad manum sit, absque quo nullo modo integrum est incruentum offerre sacrificium) Qua de re consule quæ scripsit eruditus vir Eusebius Renaudot in commentario ad Liturgiam Copticam S. Basilii pag. 181.

Altarium forma.

VIII. Ad formam altarium quod spectat, lignea arcæ similitudinem habuisse plura probant argumenta. Nam hujusmodi est illud, quod Romæ in æde S. Praxedis cernitur: Hujusmodi & illud, quod S. Silvester in ecclesia Lateranensi consecravit. Tabula tamen utebantur monachi Sandionysiani in castris Caroli magni. Lapidea vero fuere cava, in quibus sanctorum asservarentur reliquiæ: aut ex simplici lapide, uni aut pluribus columnis innixo constabant. In Turonensi Majori monasterio in æde sanctis septem Dormientibus sacra cernitur antiquissimum altare, quernor circiter pedum in quadrum, quod a B. Martino consecratum fert vetus monasterii traditio, ex quatuor lapidibus cæmento simul junctis, & in subjecta rupe consistentibus. Ante ostium monumenti Dominici olim extabat quadratum altare, orientali parte ejusdem ecclesiæ (quadrangulum aliud altare sub linteaminibus) ex lapide, qui ad ostium ejusdem a Judæis primitus positus fuerat, ut scribit Beda lib. 5. Historiæ gentis Anglorum c. 17. Aurea vero argenteave altaria aliquando fuisse solida vix crediderim, sed interius ex ligno auro vel argento exterius cooperto compacta facile in animum meum induco, contrarium demonstrantibus prompte & ex animo obsequuturus. Tale fuisse videtur altare principale in ecclesia S. Dionysii post mortem Caroli Calvi erectum, quodque describit Su-

quam quantitativa megnitudine, satis aptus, concavo ligno auro operto ipsa vetustate interpoleta admodum disrupto cingebatur. Cujus concevi faceta compositione in anteriori parte locatum brachium S. Jecobi apostoli, id ipsum literis attestantibus, pervia candidissimi cristalli apertione credebatur. Nec minus in dextra parte uniformiter litterarum apparitione brachium protomartyris Stephani recondi. In sinistra vero æque S. Vincentii levitæ & martyris brachium titulus interius perorabat.) Non ibo tamen inficias, aliqua fuisse altaria aurea aut argentea, columnis item aureis vel argenteis suffulta. Nam tale erat Constantinopolitanum S. Sophiæ, quod describit Paulus Silentiarius in descriptione S. Sophiæ his verbis: (Columnis porro aureis sacræ mensæ ex auro omnino conflatæ terga sustentantur, aureisque perinde fundamentis incumbit illa, & pretiosorum lapidum fulgore variebatur.) Plura hic de altaribus addere supersedemus, quandoquidem hoc ergumentum non minus copiose quam erudite pertractavit Johannes Baptista Thiersius in singulari opere, quod de Altaribus inscripsit. Pauca tantum eaque brevissime subjiciam.

Altaria super tumulos martyrum erecta. Et confessorum.

VIII. Primum est, altaria non solum super tumulos martyrum erecta fuisse, ut norunt omnes eruditi, petetque ex Actis S. Vincentii martyris n. 12. apud Ruinartium p. 397. ex S. Augustino serm. 5. de S. Stephano n. 1. & lib. 8. de Civitate Dei cap. 27. ex canone 83. Codicis Africani, ex Prudentio in Hymno de S. Hyppolito, ex S. Paulini Poemate 24. novæ editionis, ex Sozomeni Historia Ecclesiastica lib. 5. cap. 6. ex Gregorii Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 91. aut etiam eo ipso in loco ubi martyrio consummati sunt, ut videre est in Actis S. Cypriani apud Ruinartium p. 203. Sed etiam super sepulcra & reliquias confessorum. Insignem hac de re locum nobis suppeditat S. Paulini epistola 32. novæ editionis ad Severum, ubi de S. Claro B. Martini discipulo ita canit:

Sancta sub æternis altaribus ossa quiescunt.

Et infra S. Clarum alloquens in alio ejusdem Epitaphio:

Clare fide, præclare actu, clarissime fructu:
Qui meritis titulum nominis æquiparas.
Casta tuum digne velant altaria corpus,
Ut templum Christi contegat ara Dei.

Seculo IX. Angilbertus Mediolanensis episcopus super corpus S. Ambrosii aureum altare erexisse dicitur apud Ughellum in Italiæ sacræ tom. 4. Et Beggo Arvernensis item episcopus sub finem decimi super tumulum S. Majoli aliud consecravit ex libro 2. de Miraculis ejusdem sancti.

Quot in ecclesiis altaria erecta.

IX. Secundum est quod ex virorum eruditorum sententia primoribus Ecclesiæ temporibus unicum plerumque altare in templis erat, ut videre est in Notis ad S. Paulini epistolam 32. novæ editionis. Et certe id de Græcis probat V. C. Isaacius Habertus in suo Pontificali Græcorum pag. 661. In Bethleemitana etiam B. Mariæ ecclesia licet valde magna unicum fuisse altare docet nos Itinerarium Bernardi monachi n. 16. At in vetustissimo S. Sepulcri templo Jerosolymitano tria, & in ecclesia B. Mariæ de Valle Josaphat quatuor erant altaria, ut testatur Adamnanus abbas Hiensis in lib. 1. de Locis sanctis c. 2. & 13. In occidente vero multa ut plurimum fuisse in ecclesiis altaria plurimis demonstrare possemus exemplis. Unum dumtaxat hic subjicimus ex S. Gregorii epistola 50. lib. 5. in qua Palladium Santonensem episcopum sic alloquitur: (Veniens lator præsentium insinuavit nobis, fraternitatem vestram ecclesiam construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse.) Attamen in Capitulari 1. Caroli magni anno 805. edito n. 6. decernitur (de altaribus ut non sint superflua in ecclesiis.) Sed & Græci hactenus antiquum morem retinent; unicum enim altare in singulis ecclesiis habent, nec fas esse putant intra septa ejusdem templi sacrum eadem die iterare, cujus unitatis analogiam inde accipi ferunt, quia unus est Christus, una ecclesia, unum sacrificium: plura tamen ipsi ecclesiæ

Cardinalis Bonæ lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 14. n. 3. Idem de aliis Orientalis ecclesiis ut plurimum asserit eruditus Eusebius Renaudotus in Commentatio ad Liturgiam Copticam S. Basilii p. 182. Idem de Moscovitis narrat Sigismundus Liber in Commentario rerum Moscoviticarum.

Quæ in loco collocata.

X. Tertium est, antiqua altaria parieti, ut nunc vulgo cernuntur, non semper adhæsisse, sed in medio ecclesiæ plerumque collocata fuisse, ut sacerdos offerens omni ex parte facilius posset videri. Eusebius in Historiæ Ecclesiasticæ libro 10. cap. 4. celeberrimum Tyri templum a Paulino extructum describens, [Sanctum Sanctorum, inquit, altare videlicet in medio constituit, utque hæc sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus ligneis cancellis munivit.] In monte Oliveti eo ipso in loco, ex quo Christus cælos ascendit, (habetur ecclesia rotunda sine tecto, in cujus medio, hoc est in loco Ascensionis Domini, habetur altare sub dio patens, in quo celebrantur sollemnia missarum,) ut scribit Bernardus monachus in suo Itinerario cap. 14. In Selgenstadiense monasterio Ludovici Pii imperatoris impensis condito, altare S. Salvatoris (in media ecclesia positum) erat, testante Eginardo in lib. 4. de Translatione SS. Petri & Marcellini. Denique Romæ in Catacumbis (in medio extat altare, sub quo quadratus est scrobs instar putei, ubi corpora Apostolorum aliquanto tempore jacuerunt,) ut refert Mabillonius in suo Itinere Italico. Sed & plura hodie tam Romæ quam in aliis Italiæ civitatibus cernuntur altaria mediis in templis erecta.

An ad Orientem conversa.

XI. Quarto etsi primi Christiani ad orientem conversi orare solerent, atque adeo altaria eo versus construi antiquus usus obtinuerit; non tamen ea lex usquequaque prævaluit: nam, ut narrat Walafridus cap. 4. (in ecclesia quam apud Æliam Constantinus imperator cum matre Helena super sepulcrum Domini miræ magnitudinis in rotunditate constituit: Itemque Romæ in templo, quod ab antiquis Pantheon dictum, a B. Bonifacio papa, permittente Phoca imperatore, in honorem omnium sanctorum consecratum est: In ecclesia quoque B. Petri principis apostolorum, altaria non tantum ad orientem, sed etiam in alias partes esse distributa.) Et certe quod spectet ad sancti Sepulcri templum, ex tribus altaribus, quæ in illo extitisse scribit Adamnanus lib. 1. de Locis Sanctis cap. 2. (unum ad meridiem respiciens, alterum ad aquilonem, tertium ad occidentem versus) erat. In celebri quoque ecclesia S. Michaelis in monte Gargano, (ad meridiem est altare super quod geritur sacrificium,) inquit Bernardus monachus in suo Itinerario n. 2. Ubi observatu dignum est quod consequenter subdit: (Et præter id (scilicet sacrificium) nullum ibi munus ponitur; est autem ante ipsum altare vas quoddam suspensum, in quo mittuntur donaria.) Ea quippe erat veterum religio, ut exceptis iis, quæ ad sacram oblationem spectant, nihil omnino super altare deponi sinerent. Unde cum aliquando custos ecclesiæ monasterii Dervensis, S. Bercherii abbatis sacra reliquias honoris & devotionis gratia super altare composuisset; idem sanctus illi apparens, cum increpatione eas protinus jussit auferri, ut scribit Anonymus in lib. 2. de Miraculis ejusdem S. Bercharii cap. 26. Sed & Sancta Walpurgis ob simile factum a miraculis cessasse memoratur apud S. Odonem lib. 2. Collationum c. 28.

In quibus celebraverat episcopus eadem die nullus celebrabat.

XII. Quinto ex decreto concilii Antissiodorensis can. 10. (Non licet super uno altario in una die duas missas dicere, nec in altario ubi episcopus missas dixerit, ut presbiter in illa die missas dicat.) Ubi quod ait non licere in uno altari duas missas una die celebrare, intelligendum est ab eodem presbytero, nam a diversis, aliis post alios, nihil vetat. Alioquin non adderet, presbytero non licere facere missam in altari in quo episcopus eo die obtulerit, si quidem idem privilegium simplici presbytero convenisset. Quandiu perseveraverit hæc disciplina non satis constat. In Statutis S. Bonifacii Moguntini archiepiscopi Spicilegii tom. 9. caput 23. ita habet: [Non licet in illo altario, ubi episc[illegible] [illegible]sam dixerit, presbyter postea

quo episcopus aelebreverit, illa die nullus sacerdos audeat celebrare sine nostra licentia speciali.] Statuta ecclesiæ Caturcensis, Ruthenensis & Tutelensis; [Nullus sacerdos in altari, in quo episcopus missam cantaverit, celebret illa die.) Statuta ecclesiæ Nemausensis cap. 4. num. 7. (Nullus autem sacerdos in altari, in quo episcopus missam cantavit, eodem die missam celebrere præsumat.) In ms. etiam Pontificali ecclesiæ Mognutinæ ante annos trecentos exarato hæc lego: (Sciendum quod super altare ubi episcopus in privato vel solemniter missam dicit, illa die nullus presbyter simplex desuper missam celebrare debet, nec consoevit.) In paulo antiquiori Rituali ms. monasterii Beccensis præscribitur, ut episcopus *ubicumque cantaverit, qui post illum cantabit, licentiam ab illo accipiet*. Et in ms. Ceremoniali congregationis Casalis Benedicti c. 53. *Non præsumat sacerdos celebrare in aliquo altari, ubi ipsa die episcopus celebraverit*. De Maronitis quoque ita scribit Johannes Morinus in præfatione ad sacras eorum ordinationes: (Semel tantum singulis diebus missam in ecclesia celebrant, nec sine urgenti necessitate & episcopi licentia bis in die super uno & eodem altari sacrificant.) Jacobitæ atiam tantum semel in die eodem in altari offerunt, aut si quando plura eodem die eodemque in templo sacrificia ab eis celebrari contingat; omnes simul sacerdotes eodem temporis momento missam incipiunt, eodem simul & perficiunt. Sed neque eodem vasa aut ornamenta bis uno die ad celebrandum adhibent, quemadmodum docet Vanslebius in Historia Alexandrinæ Ecclesiæ ab eo gallice conscripta. Romæ quoque in Patriarchalium ecclesiarum principali altari non licebat olim missam celebrare absque summi Pontificis permissu, id quod abbati S. Pauli concessit Bonifacius VIII. ut auctor est Odoricus Raynaldus ad annum 1305. Præterire hic non debeo id quod legitur in antiquis Statutis ecclesiæ Lugdunensis cap. 19. (Canonici sacerdotes & duo custodes Sanctæ Crucis debent missas Dominicas & matutinales ad altaria Sancti Stephani & Sancti Johannis, & nullus admittitur ad celebrandum in dictis altaribus nisi canonicus ipsius ecclesiæ, vel archiepiscopus, sive episcopus cujuscumque loci vel ecclesiæ, vel abbas diœcesis Lugdunensis.) In percelebri quoque S. Dionysii templo nullus ad majus altare celabrat nisi monachus sit ejusdem monasterii aut episcopus.

Vasa sacra.

XIII. Du aris portatilibus alias erit opportunior dicendi locus. De sacris vasis ad sacrificium adhibendis multa hic disserere possem, nisi argumentum illud accuratius tractasset Cardinalis Bona, quam ut ab eo dicta hic a me regerantur. Unum hic adnotabo ex Adamnani abbatis libro 1. de Locis Sanctis cap. 8. ubi de calice Domini hæc habet: (Intat illam quoque Golgothanam basilicam & martyrium quædam inest exedra, in qua est calix Domini, quem a se benedictum propria manu in cœna pridie quam pateretur, ipse conviva apostolis tradidit convivantibus: Qui argenteus calix sextarii Gallici mensuram habens, duasque ansulas in se ex utraque parte altrinsecus continens compositas,) &c. His contraria minime sunt ea quæ scribit S. Johannes Chrysostomus homilia 51. in Matthæum his verbis: (Et certe non erat ex argento illa mensa, nec ex auro ille calix, quo Christus discipulis sanguinem suum præbuit.) Cum ergo calix Dominicus argenteus fuerit, mirum prorsus videri non debet, si ex auro argentoque, omnive pretiosa materia constari sacre vasa statuerit ecclesia: qualis fuerit hac de re Sugerii abbatis mens & opinio, ipse aperit in libro de Rebus in sua administratione gestis his verbis: (Abundet unusquisque in suo sensu, mihi fateor hoc potissimum placuisse, ut quæcumque cariora, quæcumque carissima, sacrosanctæ Eucharistiæ amministrationi super omnia deservire debeant. Si libatoria aurea; si fialæ aureæ, si mortariola aurea, ad collectam sanguinis hircorum aut vitulorum, aut vaccæ rufæ, ore Dei aut prophetæ jussu deserviebant; quanto magis ad susceptionem Sanguinis Jesu Christi vasa aurea, lapides pretiosi, quæque inter omnes creaturas carissima, continuo famulatu plena devotione exponi debent.) &c. Et certe non solum sub principibus christianis, sed etiam sævissimarum persecutionum temporibus aurum aliave pretiosiore metalla ad usum sacrorum vasorum conversa fuisse constat ex Prudentio: quamvis etiam postea non defuerint Sanctissimi ecclesiæ Pontifices, qui pro redimendis captivis, sublevandisque pauperum calamitatibus vasa sacra frangere non dubitarint, fixam animo sententiam illam S. Ambrosii lib. 2. Officiorum cap. 28. habentes: (Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed erogat & subveniat quærunt, neque auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum redemptio captivorum est.) Quam prompto atque hilari animo hanc Ambrosii sententiam amplexus fuerit Hilarius Arelatensis episcopus docet Honoratus Massiliensis in ejus Vita n. 11. apud Bollandum 5. Maji his verbis: (Tractavit secum, deliberevit, & fecit, ut sacra ministeria captivis solatia potius præstarent quam ecclesiis ornamenta. Quidquid argenti omnes basilicæ habuerunt, captivorum redemptioni protinus deputavit, cumque omnia cognovissat expensa .... usque eo credidit omnia distrahenda, quousque ad patenas, & calices vitreos veniretur.) Unum hic addam quod refert Walfredus Strabus in libro de Rebus ecclesiæ cap. 24. (Bonifacius, inquit, martyr & episcopus, interrogatus si liceret in vasis ligneis Sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contre lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus.)

ARTICULUS VII.

De mataria sacrificii.

Materia sacrificii duplex.

I. MAteria sacrificii Liturgici duplex est, una quæ in Corpus, altera quæ in Sanguinem Christi convertitur. Prima constat ex pane triticeo, cui oleum miscent Jacobitæ heretici, ut scribit Anonymus apud Combeficium tom. 2. Biblioth. cui adstipulatur eruditus Eusebius Renaudotus in commentario in Liturgiam Copticam S. Basilii pag. 195. ubi plura de hoc ritu. Horum errorem retulisse refutasse est, utpote contra omnem hac de re Ecclesiæ traditionem. Nec minor forte extitit ille quorumdam Hispanorum, de quibus Alcuinus in epistola 69. ad Fratres Lugdunenses: (Audivimus, inquit, aliquos in illis partibus affirmare, salem in sacrificium Corporis Christi mittendum, quam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas.) Et tamen hanc consuetudinem, quam nec universalis observat Ecclesia, adeo pertinaciter propugnaverunt Græci recentiores, ut quasi pro aris & focis eis decertandum fuisse diceres. Unde Isaac Catholicus in Invectiva 2. in Armenos, octavam eorum recenset hæresim, quod (panem absque sale habent.) Et Damascenus seu quivis auctor de Azymis adversus Armenios illi inscriptus: (Massam mortuam, inquit, manducantes gloriantur, ac nobis dicunt: non sicut vos sale & fermento ac aqua farinam subigimus, sicque oblationem fermentari facimus: sed aqua sola ac farina & igni azymum conficimus.) Nec minus dura Antiochenus Patriarcha ad Aquilejæ presbyterum scribit, asserens, eos qui azymis utuntur, accedere ad errorem Apollinaris, qui Verbum æternum corpus humanum anima & mente destitutum accepisse docebat: (Si quidem, ait, prajacens fermentum animæ loco efficitur, salque loco mentis: azymum iis carens, nonne revera inanima ast atqua mortuum, quodque mortuum decet?)

Panis an azymus, an fermentatus.

II. Hæc auctorum istorum Græcorum verba paulo austeriora satis sonannt, qualis sit gentis istius de pane in missa consecrando sententia, nimirum ita necessario fermentatum & sale conditum esse debere, ut alias hostia mortua sit, quæ in sacrificio offerri non possit. Horum figmentum refutare nec præsentis est otii, sed nec id exigit instituti mei ratio, maxime cum argumentum istud pertractarint viri eruditi bene multi quorum libri omnium teruntur manibus. Neque tamen intactam relinquere debeo celeberrimam quæstionem, quam hoc præsertim sæculo agitaverunt viri doctissimi, quorum & pietatem venerari debemus & eruditionem: Quam scilicet ecclesia latina ab initio usa sit pane azymo, an fermentato. Et quidem antiquiores Theologi Scholastici existimaverunt ecclesiam latinam ab initio azymum panem in sacrificio adhibuisse usque ad exortam hæresim Ebionæorum, qui legalia observari oportere docebant: in quorum odium rejectis azymis fermentum admissum fuerit, sed ea deficiente hæresi, ad azymos denuo rediisse. Ita nimirum docent Johannes Scotus in 4. dist. 11. q. 5. Alexander Alensis in 4. q. 32. membro 3. ad ultimum. S. Bonaventura. S. Thomas in 4. dist. 11. q. 2. a. 2. Durandus in 4. dist. 11. q. 4. & alii. Sed quo fundamento, nondum satis exploratum est.

III. Ante hos auctores Nichetes archiepiscopus Nicomediæ in dialogo 2. quem cum Anselmo Havelbergensi

mentum in ecclesia latina a Melchiade & Siricio Romanis pontificibus institutum fuisse, quo deleto, [usus azymorum ab aliis Apostolicis viris institutus & traditus sit.] Quid Nichetem ad adscribendam Melchiadi & Siricio fermenti in ecclesia latina institutionem movere potuerit, videbimus postea, interim observasse sufficiat, Anselmum Nicheris propositionem omnino pernegasse.

IV. At multo longius progressus est hoc seculo vir eximiæ eruditionis Jacobus Sirmondus in singulari de azymo disquisitione, ubi sic in ecclesia latina fermentum ab initio prævaluisse docet, ut ante sæculum X. azymi usus in ea prorsus fuerit inauditus. Eamdem sententiam amplexus est piæ memoriæ Johannes Bona Cardinalis Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 23. Nam licet in Præfatione ejusdem operis non se penitus usum azymorum negare dicat, tamen ejus dissertationem attente legenti, nihil aliud animo subit, quam ipsissimam Sirmondi doctrinam eum asseruisse.

V. Tantorum scriptorum auctoritas quam plurimos in suam pertraxit sententiam, donec contrarium docuerit noster Mabillonius, primum in Præfatione ad Sæculum III. Benedictinum, deinde in dissertatione de azymo & fermentato, quam Cardinali Bona nuncupavit; cujus quidem rationes si cum oppositæ sententiæ argumentis conferantur, tanto præponderare censebuntur, quanto levissimis conjecturis solidissimæ demonstrationes: cujus rei judices æquissimi lectores ut esse valeant, utrinsque partis momenta hic breviter subjiciemus.

Argumenta pro fermentato.

VI. Primum itaque & validius Sirmondi argumentum reperitur ex eo quod Eucharistia olim ex populi oblationibus consecrabatur; ex quibus quod supererat sacrorum ministrorum pauperum & viduarum usibus inserviebat: id quod nonnisi de pane fermentato intelligi posse videtur. Nam ministri pauperes & viduæ non azymo, sed fermentato vescebantur.

VII. Illud argumentum, quod prima fronte videtur Achilleum, antiquam ecclesiæ disciplinam consideranti nullius erit roboris. Nam duplex olim in ecclesia fiebat oblatio, una ante missam aut ante evangelium, altera post lectum evangelium. In prima offerebant fideles panem, vinum, ceram & aliud quodcumque in supplementum sacerdotum & egenorum. In altera panem & vinum ad consecrationem, cujus quod supererat ab archidiacono custodi tradebatur servandum, ut privatis diebus celebrantibus præsto essent. Nam Dominicis tantum diebus oblationes a viris & mulieribus exigit concilium Matisconense cap. 4. quod anno 585. celebratum est. Duplicis hujusce oblationis meminit Hincmarus in Capitularis primi articulo 16. [Qui candelam offerre voluerit, sive specialiter, sive generaliter, aut ante missam, aut inter missam, antequam evangelium legatur ad altare deferat. Ad oblationem autem unam tantum oblatam & offertorium pro se suisque omnibus conjunctis & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit; in buticula, vel canna, aut plures oblatas, aut ante missam, aut post missam presbytero, vel ministro illius tribuat, unde populus in eleemosyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel presbyter supplementum aliquod habeat.] Præterea panem communem a fidelibus offerri solitum, diserte etiam ab oblatis consecrandis distinguit concilium Nannetense can. 9. statuens [ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, ut post missarum sollemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die Dominico & in diebus festis exinde accipiant.] Nam in prima periodo hujus canonis agitur de pane consecrando, in consequentibus vero de communi, ut mirum sit, hunc locum a fermenti patronis prolatum fuisse in suæ sententiæ assertionem. Porro nihil vetat quominus panis consecrandus azymus a fidelibus fuerit oblatus. Nec est quod quis dicat panem consecrandum a populis oblatum plerumque ab ipsis fuisse formatum, ut patet de muliere illa, quæ, cum eam communicaret S. Gregorius papa, risisse dicitur, quod panem quem ipsa fecerat vocaret Corpus Christi, uti refert Johannes diaconus in ejus Vita lib. 2. cap. 41. Nihil enim obstat quominus fideles ex præscripto Ecclesiæ & consuetudine docente confecerint, atque obtulerint panes infermentatos, ut revera fecerunt & obtulerunt post schisma Photianum cum azymi ex omnium consensu in ecclesia latina consecrabantur.

VIII. Secundo locum ex Epiphanio hæresi ...

azymis mysteria celebrarent: [Mysteria vero, inquit, perficiunt ex imitatione Sanctorum qui sunt in Ecclesia quotannis in azymis: alteram autem mysterii partem in aqua sola.]

IX. Verum hic locus mirum in modum favet azymis, nam hoc in textu duo dicit Epiphanius: unum, in quo laudat Ebionæos, quod mysteria ad imitationem Sanctorum, qui sunt in ecclesia, perficerent in azymis; alterum, in quo eos reprehendit, nempe quod aliam mysterii partem in aqua sola celebrarent; opponens hoc secundum propositionis membrum his quæ præmiserat, ut denotat particula *autem*. Et certe Epiphanius, qui errores hæreticorum, quos recenset, impugnare solet, ne quidem unum verbum profert adversus azymum Ebionæorum.

X. Tertium pro fermentato argumentum desumitur ex libro 4. de Sacramentis sub nomine S. Ambrosii cap. 4. [Tu forte dicis meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.] Ex quo inferunt: [Nempe qui usitatum mensisque quotidianis usurpatum panem dicit, azymum haud dubie non significat.]

XI. Verum auctor ille librorum de Sacramentis hic non loquitur de pane mensis quotidianis usurpato, quem si *usitatum* appellat; non quatenus azymo, sed quatenus consecrato & Corpori Christi opponitur, sic enim vocat, uti ipsa lectio verborum persuadet. Similem loquendi modum usurpat Rupertus in lib. 3. de operibus Spiritus-sancti cap. 21. ubi de pane azymo, quem Christus in ultima cœna consecravit, sic habet: [Panem communem accepit, sed benedicendo longe aliud quam fuerat transmutavit.] Et certe panis azymus etiam apud antiquos panis usitatus & communis plerumque dicitur, ut apud Cornelium Celsum lib. 2. cap. 24. 25. 28. apud Plinium lib. 22. cap. ultimo, apud Galenum lib. 1. de Alimentorum Facult. cap. 22. & in Sermone 13. ex adscriptis S. Ambrosio in nova editione, qui in Romana erat 21.

XII. Quartum pro fermentato argumentum desumitur ex concilii Toletani XVI. canone 6. qui sic habet: [Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam sacerdotum non panes mundos, & studio præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant: sed de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur...... Unde id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod ecclesiastica consuetudo retentat.]

XIII. Quantum hic canon pro azymo faciat, nemo, ut arbitror, non videt: Et tamen ita ex eo infert Sirmondus: [Quid hoc tandem est quod concilii hujus antistites in his sacerdotibus reprehendunt? An quod azymum panem non consecrarent? Minime gentium. Atqui hoc ante omnia redargui oportuit, si azyma requirebantur: quia panes ipsorum usibus præparati, quos immolabant, azymi non erant, sed fermentati. Quo ergo nomine reprehenduntur? Quia panes hi quibus utebantur, nitidi non erant, nec studio in eam rem parati, quod consuetudo poscebat.] At longe probabilius, immo longe verius ex hoc canone inferre possent fermentati defensores. Quid est tandem quod concilii hujus antistites in his sacerdotibus reprehendunt? nisi quod azymis non uterentur. Nam quid aliud est panis nitidus, quid studio præparatus, quid integer, quid modica tantum oblata, nisi panis azymus? Quid ergo redarguunt? Id sane quod redarguendum erat, nempe quod præter consuetudinem panem *suis usibus* præparatum, sive, ut loquitur Sirmondus, explicans locum ex lib. 4. S. Ambrosii de Sacramentis *mensis quotidianis usurpatum* in sacrificio offerebant. [Quod factum, inquiunt Patres hujus concilii, nequaquam in sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur] Inauditus ergo erat in sacrificio panis fermentatus, qui nec nitidus aut mundus propter fermenti admixtionem, nec studio præparatus quia communi omnium esui destinatur, nec modica oblata, sed grande aliquid est, nec panis integer dici potest, quia qui illum in sacrificio adhibent, crustulam tantum ex eo in rotunditatem auferunt. Quæ omnia vetant Toletani Patres, utpote contraria his quæ *ecclesiastica consuetudo* retentabat.

XIV. Nec plus habet roboris canon 19. concilii Calchutensis sub finem sæculi octavi in Anglia convocati: [Oblationes etiam fidelium tales sint, ut panis sit, non ...

tati necessario innuunt. Quasi vero crusta esse non possit nisi in fermentato, & non etiam in azymo: non advertit haud dubie illud Exod. 29. *Tolles panes azymos, & crustulam absque fermento, &c.* Existimat tamen Mabillonius, Anglis nonnullis, ut & Hispanis, subrepsisse id quod Humbertus Cardinalis reprehendit in Græcis, qui coronulam panis communis in rem sacram ferro levare soliti erant.

XV. Quintum pro fermentato argumentum suppeditant Melchiadis, Sirici, & Innocentii Romanorum Pontificum decreta. Nam in Vita Melchiadis hæc legimus: (Hic fecit, ut oblationes consecratæ per ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.) Et de Siricio: (Hic constituit, ut nullus presbyter missas celebraret per hebdomadam nisi consecratum episcopi loci susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.) Similia habet Innocentius in epistola 1. ad Decentium. Quæ verba cum de Eucharistia sint interpretanda, existimat Cardinalis Bona, immo asserit (fermenti nomen a prædictis Pontificibus Eucharistiæ tributum, quia in pane fermentato conficiebatur.) Eodem respexisse videtur ante annos quingentos Nichetes archiepiscopus Nicomediensis cum in libro 3. Dialogorum cum Anselmo Havelbergensi docet, fermenti usum a Melchiade & Siricio institutum fuisse: id quod tamquam perfunctorie ab eo dictum negavit Anselmus. Et certe non ideo Eucharistia fermentum dicta est, quia ex fermentato confecta erat, sed ob mysticam rationem, scilicet, ut ait Sirmondus, ut ecclesiis ad quas mittebatur, fermenti vicem gereret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ cui commiscetur. Vel etiam, ut addit Mabillonius, fermentum dicebatur Eucharistia (ad tegendum profanis rei sacræ arcanum pro more illorum temporum.) Et quidem si bene perpendantur verba relata ex Vita Melchiadis & Siricii, statim intelligitur, fermenti nomen Eucharistiæ esse adscititium, non ex natura rei petitum, ut probant hæc verba, *quod declaratur, quod nominatur fermentum*. Et certe Christo non in Eucharistia solum, sed etiam extra hoc sacramentum fermenti nomen inditum fuisse patet ex literis episcoporum Phœnitiæ maritimæ ad Leonem imperatorem conciliorum tomo 4. in quibus suam de concilio Chalcedonensi mentem aperientes, hæc habent: (Eos qui prodigiose non ex Dei genitrice Virgine esse nostrum *Fermentum* credunt destruxit.)

XVI. Sextum argumentum repetitur ex silentio Photii, qui cum criminandi Latinos in omnibus, quibus a Græcorum moribus ac ritibus discrepant, occasiones omnes corrogaret, numquam tamen azymorum usum objecit.

Sed ex hoc argumento nihil potest concludi, cum nec objecerit Latinis quod alleluja non canerent in quadragesima, quod monachi infirmi carnibus vescerentur, quod femoralia in itinere constituti gestarent, quæ quidem postmodum temporibus Michaelis Cerularii Latinis exprobarunt Græci.

XVII. Septimum argumentum petitur ex eo quod ante Photii ætatem nulla de azymorum usu lex condita legitur. Sed neque post Photium, siquidem ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio latini azymis usi sunt.

Argumenta pro azyma.

XVIII. Quam levia sint omnia hæc argumenta nemo non videt: Et tamen ea sunt præcipua rationum momenta quibus contendunt, ante exortum schisma Photianum inaudita fuisse apud Latinos azyma in sacrificio, quorum usum, si credimus ipsis, decimo tantum sæculo invaluit. At longe alia erat mens Sanctissimi Pontificis Leonis papæ IX. cum ad Michaelem Cerularium epistola 6. hæc scriberet: (Illud autem quis non stupeat, quod post tot sanctos & ortodoxos Patres per mille & viginti a Passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans in eos, quicumque participarentur ex azymis.) Et in epistola 2. ad eumdem cap. 24. scribit, omnes quotquot extitere martyres apud Latinos *azymis saginatos* fuisse, ex quibus cap. 10. merito infert; (Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, & Latinos vere catholicos, atque maximi Petri familiares discipulos, institutionisque ejus devotiores sectatores cessate subsannando azymitas vocare.) Eadem est mens Humberti Cardinalis in Responsione ad Michaelem, & in Responsione ad Nicetam, Algeri lib. 2. cap. 3. Hugonis Eteriani lib. 2. de Hæresibus, & Ruperti lib. 2. de Divinis Officiis cap. 22. Ex quibus patet quam in... Sirmondos in petui moris præscriptione defenderint.) Quid ergo ait Leo, *per mille & viginti annos a Passione Salvatoris* azyma invaluisse?

XIX. Nec est quod quis dicat, scriptores istos esse recentiores, quam ut auctoritas eorum azymorum usum in Ecclesia latina stabilire possit. Scio quidem recentiores dici posse auctores, si cum temporibus apostolorum conferantur: at respectu sæculi X. quo potissimum azyma invaluisse asseruntur, non sunt recentiores. Certe Leo papa Seculo X. natus circa medium XI. scribens sui temporis consuetudines ignorare non potuit, nec si sæculo decimo cœpissent azyma frequentari diceret a mille jam & viginti a passione Domini annis usurpata.

XX. Neque tamen nobis desunt antiquiora discidio Photii testimonia quibus azymorum usus universalis in Occidente comprobetur. Insignis est ea de re locus Alcuini in epistola 69. ad Fratres Lugdunenses: (Panis, inquit, qui in Corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus.) Hoc testimonio nihil luculentius afferri potest: ita scribebat homo Anglus ad Gallicanos utriusque ecclesiæ consuetudinem demonstrans. Gallicanæ confirmat Paschasius Ratbertus in libro de Corpore & Sanguine Domini cap. 20. Nec minus clare loquitur Rabanus Moguntinus archiepiscopus in libro 1. de Institutione Clericorum cap. 31. ubi hæc habet: (Ergo panem infermentatum & vinum aqua mistum in sacramento Corporis & Sanguinis Christi sanctificari oportet.) Quæ verba non solum in editis, sed in manuscriptis insuper codicibus extant. Et ejusdem libri cap. 33. relatis omnibus rei sacræ ritibus, postquam de azymorum usu egerat, hæc subdit: (Istum ergo ordinem ab Apostolis & Apostolicis viris traditum Romana Ecclesia & per totum pœne occidentem omnes Ecclesiæ eamdem traditionem servant.) Hæc verba non sunt insuper habenda. Nam probant, azyma non solum aliquibus in locis fuisse recepta, puta in Germania, Gallia, Anglia, Italia, sed in omnibus per totum pœne Occidentem ecclesiis, idque tamquam *ab Apostolis apostolicisque viris* tradita. His adjungenda est Hispanicarum ecclesiarum consuetudo quam supra vidimus in concilii Toletani XVI. canone 6. confirmatque Eldephonsi Hispaniensis episcopi libellus editus a Mabillonio, cujus initium sic se habet: (Anno octogentesimo quadragesimo quinto Incarnationis Domini nostri Jesu Christi calculus iste, id est mensura trium digitorum anguli in rotundum panis azymi sic composita est.) Ita auctor ille figuram panis in sacrificio offerendi sibi in visione ostensam describens. Accedit Isidori Hispalensis episcopi auctoritas in lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis cap. 18. ubi compositionem panis Eucharistici describit in hæc verba: (Sic vero calix Domini nostri Jesu Christi non potest esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur: quomodo nec Corpus Domini potest esse simila sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum.) Igitur ex S. Isidoro, atque etiam ex S. Cypriano Carthaginensi episcopo, qui idem in epistola ad Cæcilium scribit, panis in missa offerendus ex sola aqua & simila constabat, non ex fermento. Non possum hic præterire locum ex Johanne Marone apud Naironum, qui ante sextam synodum scribens adversus Melchitas, eorum contra Maronitas sententiam profert his verbis: (Et qui in fermentato offerunt, arguunt nos simul cum Occidentalibus & Armenis dicentes, azymum non esse panem: quoniam quotiescumque liber dicit panem, de illo in quo est fermentum intelligit.) Quo ex loco patet, ante sextam synodum Maronitas, Occidentales, & Armenos usos fuisse azymo. Idem confirmat S. Nicon in libello de pessima religione Armenorum, ubi eorum recensens errores hæc habet: (In pane mystico utuntur azymis, & in sanctum calicem aquam non immittunt.) Hinc & Mosea Armenorum catholicus tempore Mauritii imperatoris in narratione de Rebus Armeniæ edita ab erudito viro Francisco Combefisio, (absit, inquit, ut furno coctum comedam aut calidum bibam,) alludens ad ritum Græcorum in pane fermentato & furno cocto consecrantium, & aquam calidam post consecrationem calici miscentium. Sed & Isaac & Johannes episcopi Armeniæ in epistola ms. ad concilium Basileense, in qua ritus suos a SS. Silvestro & Gregorio Magno Armeniæ episcopo accepisse se asserunt, (tunc temporis, inquiunt, edictum fuit per ecclesiam Romanam, quod nos celebraremus in pane azymo meroque vino, & in testimonium hujus ad perpetuam rei memoriam de vino ipso mero celebrationis posito in atramento dictum dogma scriptum fuit.)

video. Igitur prætereo conjecturas non leves quibus idem confirmari possat, qualis est ee quæ reperitur ab exemplo Christi. Nam cum ee constanti Patrum Latinorum & omnium fere Græcorum traditione certissimum sit, Christum pascha celebrasse, ac proinde Eucharistiam instituisse in pane azymo, atque aliunde doceant in confectiona illius Sacramenti Christi facto inhærendum esse, mirum videri non dabet, si Occidentales azyma retinuerint. Hanc conjecturam roborant verba Anselmi Havelbergensis lib. 3. Dialogorum ad Nichetem: (Ad hoc attendat caritas tua, quod nusquam in veteri testamento præcipitur, vel etiam conceditur fermentum offerri in sacrificio Domini: immo prorsus interdicitur, & sicut ingratum Deo ubique in lege offerri prohibetur. Ita namque legitur in Levitico, qui & Vaicra Habraice nuncupatur: Omnis oblatio quæ offartur Domino absque fermento fiet, nec quicquam fermenti ee mellis adolebitur in sacrificio Domini,] &c. Præterea, ut addit Anselmus cap. 18. [In omni divina scriptura fermentum unum nusquam invenitur in bona significatione acceptum, sicut nostrum azyma.) Adde quod nulla lex extat, nullus canon de mutando fermentato, & recipiendo azymo proferri potest. Immo si quis ex ignorantia eut negligentia alique fermentato usus est, statim reprehensioni subjacuit, qualis fuit ille presbyter, qui ut scribit Hildebertus epistola 44. (Dum sacris altaribus ministraturus, in hoc præparatum panam non inveneret, de communi pane obtulerat sacrificium.] Quem propterea *gravius puniendum*, censet.

XXII. Cæterum non Latini soli azymis in sacrificio utuntur, sed Maronitæ etiam & Armeni seu Jacobitæ. idqua ex antiqua ecclesiæ suæ traditione, ut docet Abraham Echallensis in Epistola ad Johannem Morinum. Et sane Gregorius papa VII. lib. 8. epist. 1. ad archiepiscopum Synnadensam Armenos laudat quod *azyma sacrificarent*, atque hanc ob causam *a Græcis imperitis quasi de heresi* reprehenderentur. His Ægyptios adjungit Leo Bulgariæ archiepiscopus apud Allatium lib. 3. de Consensu Occidentalis & Orientalis ecclesiæ cap. 14. Immo scribit Humbertus Cardinalis in Responsione ad Michaelem Cerularium, Jerosolymitanis olim eamdem fuissa consuetudinem. Sed & de Indis Carangenorem incolentibus, hæc scribuntur in Josephi Indi Navigatione in Novo orbe cap. 134. (Consecrant Corpus Christi & Sanguinem, si tamen id consequi possunt, in azymis, hoc ait in pane non fermentato more nostro: & quia ibi non habent vinum, quoniam ea regio vitium est impatiens, uvas passas immergunt aquæ, & demum succum exprimunt, eoque vini vice utuntur.) Quid, quod de Græcis aliquod superesse possit dubium utrum ab azymis semper abstinuerint. Nam apud Justinum in Dialogo cum Triphone oblatio similæ pro eis qui a lepra purgabantur, quæ infermentata erat, *figura panis Eucharistici* fuisse dicitur. Favet & Origenes in Matth. cap. 16. ubi de fermento Pharisæorum agens, ait, fermentum non solum sumi pro doctrina, sed etiam pro aliis rebus tam in veteri, quam in novo Testamento. Tum subdit: *Annon & aliquando fermentum affertur super altare?* Si aliquando, ergo non semper: ergo nonnunquam etiam azyma. Quin etiam patriarchas Alexandrinum & Jerosolymitanum azymis aliquando usos esse agnoscit Michael Cerularius azymorum primus impugnator in litteris ques rafert Baronius ad annum 1054. ubi postquam eos redarguit quod Romani pontificis nomen in sacris diptychis recitarent (nec hoc solum, inquit, verum etiam ad aures nostras pervanit, quod prædicti duo patriarchæ non solum alios azymis vescentes recipiunt, sed etiam ipsi aliquando in azymis sacrum conficiunt sacrificium.] Idem de ecclesia Jerosolymitana asserit Humbertus cardinalis.

Panis consecrandus a quo formatus.

XXIII. Hæc de prima sacrificii materia quanta potuimus brevitate dicta sufficiant; sed quia ee supra citato concilii Toletani decreto panis offerendus singulari studio præparatus esse debebat, superest ut a quibus, quo ritu, sub qua forma conficeretur inquiramus.

XXIV. Primum quod spectat, moris fuit ut unusquisque suam ipsius oblatam quam in missa offarre dabebat propria manu conficeret. Unde Valens imperator dona quæ ipsemet secaret, divinæ mensæ obtulisse perhibetur a Gregorio Nazianzeno in funebri oratione Basilii magni, & mulier quædam Romana communionem e S. Gregorio papa accipians risisse narratur, quod panem quam ipsa fecerat Corpus Christi nominaret. Nonnumquam tamen hanc ... provinciam suscipiebant nobilissimæ matronæ, qualis ciebat: qualis & sanctissima Francorum regina Radegundis, quæ testa Fortunato in ejus Vita, [sua manu commolebat (atqua exinde) oblationes suis manibus faciens, locis venerabilibus incessanter dispensabat.) Idem a Sanctimonialibus feminis præstitum fuisse docat nos liber miraculorum S. Wandregesili. Sed Theodulfus Aurelianensis episcopus id muneris commisit præsbyteris, quos in suo Capitulari art. 5. sic alloquitur: (Panes quos Deo in sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris coram vobis nitida & studiosa fiant.) Idam præscribitur in carmine cujusdam Anonymi, quod manuscriptum reperi in Bibliotheca S. Martini Turonensis. Nam de pane offerendo ita canit:

Pura sit oblata, numquam sine lumine cantes,
Hæc & triticea sit, presbyteri faciant hanc.


Ex litteris Bernardi abbatis Fontis-frigidi anno 1233. datis, & in tom. 1. Anecdotorum nostrorum editis, discimus olim in diœcesi Narbonensi hostias in sacrificio consecrandas a solis monachis Fontis frigidi confectas omnibus sacerdotibus distributas fuisse, idque (ad repellendam & confutandam quorumdam malignorum nequitiem, qui non solum latenter, sad etiam publice publicare non dubitant, panem illum, qui per manus immundas mulierum aut etiam clericorum tractantur, in Corpore Christi transmutari non posse.] Quem quidem errorem aut similem nec dum Sæculo XV. extirpatum fuisse docet nos ms. libellus Bernardi prioris Tegernsensis de materia Eucharistiæ sacramenti, in quo hæc lego, (Sunt non modice culpandi, quin & arctius arguendi, qui oblata manibus laicorum confactas pro sacrificio acceptant: de quibus tamen dubitatur an de debita materia existat. Gravissime autem reprehendi & puniendi veniunt, qui tales oblatas in sacrificio scientar assumunt, quia juxta majorum & potiorum sententiam doctorum in ejusmodi conficere non possunt. Vellem ego numquam potius missare, quam sic damnabiliter idololatrare, & populo, quantum in me esset, occasionem idololatrandi præstare.) Notanda sunt hanc in rem Honorii verba in lib. 1. de Gemma animæ cap. 66. (Fertur quod olim sacerdotes a singulis domibus & familiis farinam accipiebant, quod adhuc Græci servant, & inde Dominicum panem faciebant, quam pro populo offerebant & hunc consecratum eis distribuebant.) Apud Ruthenos vero viduæ sacerdotum relictæ panem sacrificii conficiunt, ut scribit Alexander Gwaguinus in Descriptione Moscoviæ. De Græcis vero hæc habet Gabriel Philadelphiensis in Apologia pro Ecclasia Orientali: (Itaque panis qui debet offerri, primum cum magna reverentia subigitur & fermentatur ab hominibus, qui cum aliis nihil habent commercii, Græcis quidem origine, gratia autem christianis orthodoxis.) Et Christophorus Angelus homo ritus Græcanici in libello quem scripsit de præsenti Ecclesiæ statu articulo 14. quem inscripsit de Pane sacro: (Sacerdos quæ ad Sacramenta conficienda pertinant præparet, panemque accipit quem vir aut mulier aliqua modo purus idem, mundaque eamdam suarit die antecedenti paravit: hoc est quilibet homo cui tantummodo die præcedenti cum uxore res non fuerit, aut mulier quæ a congressu maritali abstinuit. Hoc est quibus nac nocte quam dies Saturni insecuta est, nec alias a vespera diei Veneris usque ad tempus matutinum diei Saturni conjugens intercessit cohabitatio. Ille vel ista subacta farina panem illum, Saturni, aut alia quacumque die conficit. Qui enim panem illum parare vult, purus sit necesse est.]

Quo ritu.


XXV. Jam vero quo ritu id præstarent, explicat Humbertus Cardinalis in Responsiona ad Michaelem Cerularium his verbis: (Diaconi cum subdiaconis, seu ipsi sacerdotes sacris amicti vestibus, cum melodia psalmorum, azyma conspersum & in ferro paratum ee secretario proferebant.) Quibus concinere videntur ea quæ scribit Anselmus Havelbergensis lib. 3. Dialogorum cap. 18. (Apud religiosos latinos per manus diaconorum, & ee electis granis, & ex mundissima simile, in secretario ad futuram hostiam cum decantatione psalmodiæ reverenter præparantur.) Apud Armanos (Sacerdotas in agro separant granum, de quo conficere volunt hostias azymas, e communi annona seorsim triturant, seorsim molunt, & farinam conspersam eo die quo conficere volunt corpus Dominicum decantatione psalmorum ante altara in panem azymum in forma Latinorum præparant) ut scribit Olive-

GRÆCORVM






1.



2.



SYRORVM ALEXANDRINORVM





3.





monachorum ritibus cap. 8. Ut tamen amplius eluceat antiqua fidelium in præparanda sacrificii materia religio, observare juvat, nonnullos aliquando reditus assignatos fuisse, ex quibus oblatio consecranda comparari posset. Plura hujus rei exempla profert noster Mabillonius in Præfatione ad Sæculum III. Benedictinum. Insigne suppeditat S. Remigii Remensis archiepiscopi Testamentum, quo ecclesiæ Remensi vineam relinquit, (ut diebus festis & omnibus Dominicis sacris altaribus mea, inquit, offeratur oblatio.) At nihil illustrius hac in re afferri potest testamento Ermentrudis nobilis matronæ, quod in charta Ægyptiaca scriptum ex archivis celebris monasterii S. Dionysii edidit Mabillonius. Non enim tantum quædam legat Basilicæ S. Simphoriani, sed servos quasdam designat, (ut laborent, unde ad ipsa Basileca oblata quotidie ministretur,) & Valacharium (cum omni peculiare suo, & cum boves quos bajulat, ingenuum ea conditione esse) jubet, (ut ligna tantum ab oblata faciendum ministrare procuret.) Hic etiam venit in mentem singularia prorsus opera S. Wenceslai Bohemiæ ducis, qui, referente magno Belgii Chronico, spicas propria manu colligebat, excutiebat, & ex his panem sacrandum formabat.

In qua forma.

XXVI. De forma panis consecrandi, quod unum hic nobis inquirendum superest) audiendus est Joannes diaconus in Expositione Ordinis Romani, ab Onufrio citatus: (Oblationum forma atque mensura, cum videatur fuisse antiquitus, pro ut erat cujusque studium atque devotio in religione divina; possumus tamen ex scriptis Gregorii certiora quædam capere illius rei indicia, qui scribit in libro 4. Dialogorum cap. 55. quemdam præsbyterum detulisse duas oblationum coronas cuidam personæ, qualca coronas solebat tunc christiana religio offerre Deo pro se suisque omnibus.) Et paulo post: (Manifestum cujus mensuræ vel formæ deberant esse sacerdotum oblatæ, quæ ea pugillo similæ fieri jubentur, & ad speciem coronæ.) Hunc locum citat Georgius Cassander in Liturgicis cap. 27. tanquam ea anonymo, quem Bernoldum presbyterum Constantiensem fuisse suspicatur in epist. 114. ad Pemelium, atque, auctorem testari scripsisse se anno Domini 1089. quæ si consilent, auctor illius Expositionis esse nequit Joannes diaconus, qui circa annum 873. vitam S. Gregorii papæ quatuor libris conscripsit, nisi sit alter ejusdem nominis, qui ducentis & amplius post annis vixerit. Sed quidquid sit de auctore illo, saltem ex eo atque ea sancto Gregorio constat, hostias, ut vocamus, olim in modum coronæ compactas fuisse, id quod longe ante docuerant Epiphanius in Ancorato num. 57. & Cæsarius S. Gregorii Nazianzeni frater Dialogo 3. de Fide Cathol. interrog. 169. rotunditatem in eis agnoscentes: Unde Severus Alexandrinus in Ordine missæ hostiam *circulum* appellat, & Iso monachus in libro Miraculorum S. Otmari cap. 3. *Rotulas panis* vocat. Idem constat etiam ex libello Eldephonsi Hispaniensis episcopi, ubi describuntur *in rotundum panis azymi*.

XXVII. Quantæ porro essent quantitatis idem auctor describit his verbis: (Mensura trium digitorum anguli in rotundum panis azymi sic composita est) id est mensura trium digitorum a centro in circulum. Quæ proinde majores erant iis, quibus nunc utimur. Ubi observandum est, in Præfato Eldephonsi libello hostiam illam qua communicabat sacerdos in majori forma, eas vero quibus populis communio impertiebatur in minori repræsentari. At longe minores evaserant sæculo XII. quibus Ernulfus Roffensis episcopus epistola ad Lambertum Spicilegii tom. 2. formam nummi dumtaxat assignat. Nam postquam probavit aliquos ecclesiæ ritus alio modo cœpisse, & alio modo per ejus incrementa cucurrisse, ita habet: (Patet attestantibus scripturis, sacramenta altaris, quæ jejuni modo accipimus, discipulos Domini cœnatos accepisse: Patet etiam quod sumimus de mensa lapidea ac sacrata, illos sumpsisse de mensa lignea, non secundum morem ecclesiæ sacrata, aut fortasse nulla. Illi panes quotidianos comederunt; nos in formam nummi panem accipimus.) Quin & Honorius in libro 1. de Gemma animæ cap. 66. sui temporis haud dubium morem repræsentans, ait, statutum esse panem consecrandum (in modum denarii formari vel fieri.) Et antea capite 35. de eadem forma panis per modum denarii scribens ait: (Ideo imago Domini cum litteris in hoc pane exprimitur, quia in denario imago & nomen imperatoris scribitur.) Huc referri possunt versus:

Candida, triticea, tenuis, non magna, rotunda,
Expers fermenti, non salsa sit hostia Christi.

In antiquis vero statutis synodalibus ecclesiæ Cadurcensis, Ruthenensis & Tutelensis cap. 16. prohibetur (ne missa, nisi cum hostia rotunda & integra & recenti, nec nimis modica) celebretur.

XXVIII. Qualis & quantus sit panis quo utuntur Armeni docet Genebrardus in libro Gallico de Liturgia Apostolica cap. 12. his verbis: *Les Orientaux le marquent de même*, (c'est à dire d'une croix) *comme j'ay vû en un pain à chanter des Armeniens, que j'apportey de Rome m'ayant été donné de N. M. Prevost Chanoine pour lors de Notre-Dame de Paris, pour le jour d'hui venerable Pere de la Societé de Jesus, qui revenoit de Hierusalem. Il est beaucoup plus épois que les nostres, assevoir de le grosseur & grandeur d'une Portugaloise*. De usu & ritu Maronitarum audiendus est Abrahamo Echallensis & ipse Maronita ex monte Libano in epistola ad Joannem Morinum: (Animadvertendum tamen, formam seu figuram panis Eucharistici ab aliquibus annis commoditatis gratia immutatam fuisse, & figuram latinam introductam: unde falso arbitrati sunt nonnulli cum figura immutatam quoque fuisse qualitatem, nempe panis fermentati in Azymum: Quia antiqua panis usualis & fermentati speciem referebat.)

XXIX. De forma panis quo utuntur Græci ita Allatius lib. 3. de Consensu Occidentalis & Orientalis ecclesiæ cap. 15. n. 18. (Græci enim cum panem ad sacrificandum conficiunt ut plurimum non rotundant, sed in quatuor ramos ad modum crucis extendunt: postea sigillum jam dictum imprimunt in medio crucis, & in ramorum extremitatibus.) Signum scilicet crucis cum his litteris Græcis IC. XC. NIKA id est *Jesus Christus vincit*. Idem ante Allatium docuerat Gabriel Philadelphiensis in Apologia pro Ecclesia Orientali, ubi & mysticas hujus ritus rationes educit his verbis: (Is panis præ se fert sigillum figura circulari vel quadrangula cum hac inscriptione *Jesus Christus vincit*. Et figura quidem circularis Divinitatem significat, quam sacer panis ac vinum obtinent cum transubstantiata fuere. Quadrangula vero salutem quam mundus quatuor partibus constans, ex vivifica Domini nostri passione consecutus est, manifeste ostendit. Præterea remissionem peccatorum quam in Oriente & Occidente, nec non in Septentrione & Meridie christiani orthodoxi recipiunt, cum fide & caritate, divina mysteria quæ intemerata & omni honore superiora sunt, participant.) Utriusque auctoris mentem, ex adjecta figura, quæ formam panis Eucharistici Græcorum, Syrorum, & Alexandrinorum exhibet, facili negotio intelliges.

Hanc panis Eucharistici Græcorum formam in libri sui marginem retulit Gabriel Philadelphiensis. Idem præstitit Jacobus Goartius in Notis ad eorum Euchologium. His Sirmondus in sua Disquisitione de azymo formas crucium quæ in oblatis Syrorum & Alexandrinorum apparent adjungit. Quæ quidem signacula, ut scribit Richardus Simonius in Notis ad Philadelphiensis Apologiam, multum inter se discrepant, apud Chaldæos maxima & Nestorianos, (ut ex presbytero, inquit, Babiloniensi didici.) Habetur ratio dignitatis illius qui offert. Aliud siquidem est signaculum presbyteri, & episcopi & patriarchæ. Illud quod est presbyteri non tot distinguitur laterculis & crucibus, quot in episcoporum & patriarcharum sigilli exhibentur. Porro quod de crucis signo pani Eucharistico imprimendo hic dicitur, ex antiqua processit ecclesiastica traditione, quam innuit Chrisostomus homilia: Quod Christus sit Deus. (In mensa, inquit, sacra crux, in precibus crux, in purpuris crux, in armis crux, in mysticis cœnis cum Corpore Christi crux Christi resplendet.) Cum signo crucis ex libello Eldephonsi hæ duæ litteræ A ω ex una parte imprimebantur ut in figura sign. n. 1. ex alia vero nomen Christi, ut in secunda, aut JESUS, aut DEI, nullo alio addito vocabulo, non Rex, non Pax, non Vita.

His affine est quod scribit anonymus Turonensis in ms. Speculo ecclesiæ: (Hostia, inquit, quam offerimus ad altare, rotunda est, & de pura similagine conspersa & sine fermento, & habet signum crucis, & nomen Christi.) Sed ex Honorii libro 1. de Gemma animæ cap. 35. imago Domini his in panibus imprimebatur. In plerisque tamen latinorum ecclesiis & forte antiquorum rituum tenacioribus unica dumtaxat crux efformabatur, ut videre est in [illegible] figura n. 2.

scopis ad formam Arelatensis offerantur ecclesiæ.) Et quoniam de Nestorianis supra fecimus mentionem, haudquaquam erit abs re, si ea quæ de eorum in conficiendo pane Eucharistico religione tradit præfatus Simonius, hic apponamus. (Nestorianis quoque, inquit, ut ab Elia presbytero Babiloniensi tunc Parisiis degente accepi, parandarum oblatarum modus est peculiaris. Quippe sacerdos missam celebraturus surgit media nocte, & panes ex farina, quæ in ecclesiæ sacrario asservatur, hac ratione facit. Primo viginti & amplius psalmos recitat, deinde sumpto farinæ illius pugillo, paululum fermenti benedicti ei admiscet, & admoto thuribulo libum efficit quod foculo applicat, statimque eidem sigillum imprimit & recitat orationem *Rex regum*, &c. Postea libum alterum foculo applicatam ad latus illius dexterum collocat, dicitque: *Ad latus ejus dextrum fidelis crucifixus est*. Similiter libro tertio, ad sinistrum latus foculi reposito, dicit: *Infidelis ad latus sinistrum crucifixus est*. Et sic deinceps alios panes oblatitios conficit, & foculo applicatos suis notat sigillis.) Hæc ille ex relatu Eliæ Babiloniensis; sed certiora videntur ea quæ profert ex ms. Missali Nestorianorum ad cujus calcem describitur solemnis ritus consecrandi seu innovandi fermenti hoc fere modo:

Ritus ille inscribitur *Innovatio* seu *Consecratio* fermenti sancti. Ad hujus vero confectionem adhibent *similam puram & salem & oleum olivæ & tres guttas aquæ. Deinde commiscent ista super tabulæ & ad id ornata extremitatem; & ponunt crucem atque Evangelium super ornamentum & incipiunt dicere Sanctus, Sanctus & cetera. Pater noster qui es in cælis, orationem Tibi Rex regum & cetera.* Deinde eodem contextu variæ precationum formulæ subjiciuntur, quarum aliæ generales sunt, aliæ vero speciales. Eas solum quæ sunt præsentis instituti, ne latius quam par est publicabimus. Itaque sacerdos ita deprecatur divinam gratiam.

Domine Deus potens, adjuva imbecillitatem meam per misericordiam tuam, & per auxilium gratiæ tuæ, dignum me facias, qui offeram, & consignem, ministremque, ac sanctificem, hanc massam, ut sit in signaculum & perfectionem formationis Corporis Domini nostri Jesu Christi, nunc & omni tempore. Et consignat massam. Et respondent, Amen.

Mox idem sacerdos supplex iterum in hanc precationem se effundit.

Petimus & obsecramus te, ut sanctifices atque perficias hanc massam interventu minimi servi tui abjecti & contempti. Rogo te per misericordiam Unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi, ut illabatur gratia Spiritus-sancti, & benedicat, sanctificetque hanc massam, quæ sit in perfectionem & signaculum formationis Corporis Domini nostri Jesu Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus.

Denique eadem massa contingoata, evangelium S. Joannis recitat usque ad hæc verba: *Et tenebræ eum non comprehenderunt*. Et statim sumit *ex vetere fermento*, & ait:

Consignatur hæc massa fermento hoc sancto, quod traditione accipimus a Patribus nostris sanctis Domino Adeo, & Domino Maareo, & Domino Thoma apostolis beatis, doctoribus regionis hujusce Orientalis in confessione vera omnium apostolorum beatorum, Patrumque nostrum Sanctorum doctorum verorum Græcorum & Syrorum in nomine Patris & Filii & Spiritus. His adjicio quæ scribit eruditus vir Eusebius Renaudotus in commentario ad liturgiam Copticam S. Basilii, de religione Orientalium in præparando pane in missa consecrando pag. 189. (Debet panis Eucharisticus fieri ex simila pura, cujus etiam conficiendæ curam canones quidam anonymi sacerdotem habere volunt, adeo ut grana triticea seligat, tum coram se moli, surfuresque secerni curet. Sed hæc lex non ubique obtinet: verum quæ sequuntur observari accurate hucusque solent. Primo ut præcipiunt constitutiones Cyrilli filii Laklaki patriarchæ Alexandrini. *Oportet ut panis eucharisticus non alibi coquatur, quam in furno ecclesiæ, sed neque pinset eum aut coquet femina; qui contra fecerit, excommunicetur*..... Quoties autem liturgia celebranda est, ipso die oblata paratur; nam si præcedenti cocta fuisset, eam ad altare offerre religioni ducerent. Echimensis in collectione canonum cap. 14. *Offerri ad altare debet panis hornus, quemadmodum in postremo constitutionum capite statuerunt apostoli. Athanasius etiam cap. 14. ait: non inferatur ad altare panis hesternus aut fissus; atque ita pariter constituit Basilius*. Id confirmat canon eorum qui apostolis tribuuntur 30. in amplissima Coptitarum collectione, quam citat Abulbircat. tamquam 29. ejusque sententiam ita exprimit: *De pane Eucharistico, utque oblat... fiat ipsa hora qua coctus est*. Eorumdem Ebnassalus cap. 52. *Panis oblationum, qui affertur ad altare, ipsa die coctus sit, non in crastinum reservetur*. Ita observant omnes tam Coptitæ quam Syri, Jacobitæ Melchitæ, & Nestoriani, cujuscumque linguæ. Inter alia quæ Francis objicit Petrus Melichæ episcopus tamquam contra regulas ecclesiasticas, & illud reperitur *quod panem ante plures dies coctum ad altare offerant*.) Hactenus Renaudotus.

Vino an aqua necessario miscenda.

XXX. Circa alteram sacrificii materiam quæ in Sanguinem Christi convertitur, quanta sit Orientalium ecclesiarum religio docet nos idem Renaudotus citato commentario pag. 192. his verbis: (Vinum Eucharistiæ conficiendæ destinatum summa diligentia parari & explorari jubetur. In canonibus anonymis ex doctrina Patrum hæc constitutio legitur: *Non oportet omnino sacerdotem ad altare deferre vinum in eo vase quod quisque laicus vir aut femina attulerint, sed deferet illud in vase quod in ecclesia peculiariter ad hunc usum destinatum sit*. In canonibus Athanasio tributis numero 107. *Vinum quod ad Eucharistiam consecrandam offertur, nemo gustabit, nisi completo sacrificio. In singulis porro domibus, dum cados vini aperiunt, nemo ex eo gustabit, donec acceptæ fuerint ex eo primitiæ: cumque illæ benedictionis in modum acceptæ fuerint, indeque in calicem infusum fuerit, tunc aliud vinum proment in vase mundo, & effundent super illud hanc benedictionem*. In tractatu Arabico excerpta continente ex Dionysio Barsalibi de modo celebrandæ & suscipiendæ Eucharistiæ præscribitur, ut *uvæ mundæ seligantur ad vinum conficiendum, illæque manibus exprimantur, non pedibus conculcentur*. Quæ tamen regula non est, verum pia ad sacerdotem admonitio. Neque enim quicquam in orientalium monumentis occurrit, quod hanc disciplinam legis vim habuisse ostendat, ut quem ad modum panis Eucharistiæ, ita vinum a sacerdotibus parari intra ecclesiæ septa deberet,) &c. Quod spectat ad Occidentales audiendus est hanc in rem Anonymus Poeta ms. sic canens:

Quando paras calicem, vinum tunc purius illic
Infundas, & aquæ modicum, & illa recens sit.

Hanc vero vini & aquæ commixtionem tamquam a Christo aut saltem ab apostolis institutam ita necessariam existimavere sancti Patres, ut sine ea nec Sacramentum confici posse videantur pronunciasse. Insignis præ cæteris est locus ex S. Cypriani epistola 63. editionis Pamelianæ ad Cecilium: (Copulatio, inquit, & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit separari.) Et paulo post: (Sic autem in sanctificando calicem Domini offerri aqua sola non potest, quo modo nec vinum solum potest.) Et iterum. (Sic vero calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec Corpus Domini potest esse farina aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum.) Ad hunc forte Cypriani locum respexit concilium Bracarense IV. can. 2. ubi hæc lego: (Calix enim Dominicus juxta quod quidam doctor dixerit, vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi Sanguinem Christi. Ergo quando in calice vino aqua miscetur Christo populus adunatur, credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & jungitur: quæ copulatio & junctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut non possit separari.) &c. Similia legere est in concilio Wormatiensi anno 868. celebrato can. 4. Eadem est doctrina S. Isidori in lib. 1. de Divinis Officiis cap. 18. ubi illud Cypriani testimonium refert & approbat, eadem & Bedæ presbyteri in Luc. cap. 22. nec ab ea forsan abhorret Martinus Bracarensis episcopus, cujus capitulum 55. ita effertur: (Non oportet aliud in sanctuario offerri præter panem & vinum & aquam, quæ in typo Christi benedicuntur: quia dum in cruce penderet, de corpore ejus exivit sanguis & aqua: hæc tria unum sunt in Christo Jesu, hæc hostia & oblatio Dei in odorem suavitatis.) Et Alcuinus ad fratres Lugdunenses epistola 69. (Tria sunt, inquit, quæ in sacrificio hujus testimonii offerenda sunt; panis, aqua, & vinum.) Et in libro de Divinis Officiis, qui sub ejus nomine circumfertur: (In qua oblatione aqua miscetur vino. Per vinum significatur Christus, per aquam autem populus; & si vinum offertur sine aqua, videtur significare quod passio Christi nihil profuerit generi humano. Si autem aqua sine vino,

fine quibus missæ nequeunt celebreri, mundissime atque studiosissime tractentur.] Quæ pene totidem verbis leguntur in Capitulari Theodulfi cap. 5. In constitutione quoque Riculfi Suessionensis episcopi cap. 11. hæc habentur: [In retione vero facrorum, hoc omnibus modis observare debetis, ut in calice aquem vino misceetis, quia panis corpus, vinum sanguis intelligitur, aqua quæ in cruce de latere Domini manavit, certissime fidelem designas populum junctum capiti suo, quod est Christus. Quibus devotissime observatis verum Domini Corpus proculdubio in veritate conficitur.] His adde quod scribit S. Bernardus in epist. 69. ad Guidonem abbatem Trium Fontium: (Ajunt tamen nescio quem alium elud sensisse scriptorem, non posse videlicet absque tribus, id est pane vino, & eque, hoc sacrificium esse: ita ut si quodlibet deesse contigerit, relique non sanctificentur.) His concinis canon Sanctorum citatus eb Egberto Eboracensi erchiepiscopo in Excerptis eap. 98. [Sacerdotes Dei diligenter semper procurent, ut panis & vinum & aqua, fine quibus nequaquam missæ celebrantur, pure & munda fiant: quie si aliter egatur, cum his qui acerum cum felle mixtum Domino obtulerint, nisi vera pœnitentia subveneris, punientur.)

XXXI. Jam vero si quis rescire desiderat quantum aquę vino misceri in sacrificio debeat. Rex ita definitam olim accipe ex Triburiensis concilii anno 895. congregati eanone 19. (Ne ullus fine commixtione vini & aquæ mysteria sacra confieet: sed ut duæ partes sint vini, quie major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur infirmites humanę naturæ.) Hic locus eorum solvere debet scrupulum qui vix tantillum aquæ in calicem stillare præsumunt, cum olim tertie pars aquæ vino misceretur. In entiquis statutis synodalibus ecclesiæ Biterrensis cap. 31. tom. 4. Anecdot. præcipitur solum (quod in calice semper magis de vino ponatur quam de aqua.) In concilio vero incerti loci c. 18. ut (in Sacramento Sanguinis Dominici major pars vini & modicum aquæ ponatur.) Idque us ajunt statuta eccles. Cadurcensis, Ruthenensis & Tutelensis c. 16. (ne vini substantia alteretur.)

Errores circa materiam celicis.

XXXII. Ex hac Sanctorum Patrum doctrina duo sibi invicem oppositi refutantur errores: unus Aquariorum, qui sacrificium fine vino offerebant: alter Armenorum Jacobitarum, & Chatzitzariorum, qui aquam calici non infundunt: quos utroique redarguit concilium Quinisextum in Trullo can. 32. Aquariorum vero duo genera reperio; nam alii vinum a sacrificio tamquam rem malam removebant; quam hæresim Encratitis tribuit Epiphanius hær. 46. Alii vero ex ignorantie potius quam ex melitia; quales erant illi, quos refutat S. Cyprianus epistole 63. ad Cecilium, qui nimirum mane aquam solam, vespere *mixtum calicem* offerebant: in sole aqua mane celebrantes ne per saporem vini redolerent Sanguinem Christi, & sic e persecutoribus detegerentur. Ad hanc Aquariorum classem reducendi sunt illi, de quibus Acta S. Wolfgangi Ratisponensis episcopi cap. 24. (Sub ejusdem S. Præsulis temporibus accidit, ut vini penuria quadam cum aque, vel aliis potuum generibus missarum celebrarent secramente, quod vir Dei comperiens, tantum effudit lacrymarum imbrem, ut crederetur sui corporis amittere sospitatem.) Quibus ut omnem penuriæ excusetionem euferret, [præcepit ut per singulos menses duodecim presbyteri venirent, & de cellario suo vinum ecciperent, aliisque dividerent.) His accensendi videntur Indi apud Caranganoram agentes, quorum quoniam [regio virium est imperiens, uvas passas immergunt aqua, ac demum succum exprimunt, eoque vice vini utuntur,) ut scribitur in Navigatione Josephi Indi in Novo orbe cap. 134. Similem quorumdam Daniæ sacerdotum cœcitatem deplorat Alexander papa tertius, scribens ad Upsellensem archiepiscopum & suffrageneos ejus in hæc verba: (Non fine cordis emaritudine quosdem sacerdotes contra apostolices institutiones cum sicca fæce vini, vel cum micis panis vino intinctis missam celebrare audivimus.) Sed nescio an magis plangendi illi qui (contra divinos ordines, & apostolicas institutiones, lec pro divinis sacrificiis) dedicabant, aut qui (non expressum vinum in sacramento Dominici celicis) offerebaus; (sed oblatis uvis populos communicabant.) Quos merito redarguit concilium Bracarense IX. anno 675. celebratum can. 2. Hujusmodi forsan homines respicit hic canon, in codice ... Africanæ ... in concilio Carthaginensi III.

nis Domini nihil amplius offeratur, quem ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum.) Cui concinit canon 4. concilii IV. Aurelianensis, & canon 32. concilii Quini-sexti. At longe funestiora erant Catephrygum Sacremente. Hi enim, us scribit Senctus Augustinus lib. de Hæresibus cap. 26. (De infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorqueut, quasi eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes. Qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; si autem vixerit, pro magno sacerdote. Eumdem errorem Pepuzienis cap. 27. estribuit, quorum en major fuerit crudelitas, an dementie, non facile dixerim.

ARTICULUS VIII.

De sacris alteris ministris.

Presbytero fine episcopi permissu celebrare illicitum.

I. MInistri eltaris elii celebrant & consecrant, elii celebranti essistunt & serviunt. Ministri celebrantes sunt episcopi & presbyteri, sed presbyteri olim præsente episcopo absque ejus licentia sacrum non faciebant; nullus enim, ut scribit S. Ignatius ad Smirnæos, (sine episcopo aliquid operetur eorum quæ conveniunt in ecclesiam,) sive ut disertis verbis addit Ignatii interpolator: (Non licet fine episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neque missas celebrere; sed si ei visum fuerit, secundum beneplacitum Dei tunc demum tutum & firmum erit.) Unde etiam concilium Hispalense secundum anno 619. celebratum canone 7. declarat, presbyteris non licere (pœnitentes fine præcepto episcopi sui reconciliare, nec eo præsente sacramentum Corporis & Sanguinis Christi conficere.) Et Martinus Bracarensis episcopus cap. 56. [Forasticis presbyteris præsente episcopo vel presbytero civitatis offerre non liceat.) Verum presbyteris une cum episcopo concelebrare haud infrequens erat. Et certe cum unicum olim in ecclesiis passim esset altare, & alioquin presbyteris eo in altari, in quo episcopus sacrum fecerat, eodem die celebrare esset illicitum; eos aut omnino a sacrificio ebstinere, aut episcopo celebranti concelebrare protsus necesse erat. Hic ritus, qui hactenus apud Græcos servatur, epud Latinos vero in solis episcoporum & presbyterorum ordinationibus permansit; si nunc ad praxim revocaretur, insolens haud dubium plurimis videretur: & tamen in utraque & orientali & occidentali ecclesia per ennos circiter mille & trecentos plane communem extitisse plurima demonstrent argumente.

Presbyteri cum episcopo simul celebrent.

II. Et quidem quod spectat ad orientalem, illum in primis videre est in Constitutionibus Apostolorum, quæ toto fere libro 8. episcopum sacris operantem cum presbyteris simul offerentibus describunt, sed capite præsertim 56. unde & sanctus Athanasius Apologie 2. pro fuge sue Ischyræ calumniatori suo eeprobret, quod numquam cum eliis presbyteris synexim feceris; & Patres concilii Ephesini in Relatione sue ad Cælestinum papam inter alie ad propositum nostrum hæc scribunt: (Fratribus itaque nostris & comministris, Cyrillo & Memnoni, quos contumelia affecerunt (Nestoriani) communicamus omnes & post temerariam illorum sententiam una cum ipsis sacris opereti sumus & operamur. συνλειτουργήσαμεν καὶ συλλειτουργοῦμεν.) In concilio etiam Chalcedonensi Act. XI. Bassianus modum exponens quo expulsus fuerat ex ecclesia Ephesina ab episcopis, [crastina, inquit, die missas celebravimus *omnes simul*, & post missas manus injicientes incluserunt me,) &c. Et infra de Stephano in sedem suam intruso sermonem habens, dicit; (Stephanus presbyter meus fuit: quatuor annis *mecum missas celebrabat*, mecum communicabas, & communicabat mihi tamquam episcopo.) Egregium vero hujusce consuetudinis exemplum nobis suppeditat Evagrii Historia Ecclesiastica. Nam lib. 1. cap. 13. nerrat quod cum Domnus, qui Antiochenæ civitatis episcopatum administrabat, ad Simeonem Stylitem venisset, & ejus vivendi rationem admiratus esset: (embo simul convenerunt, & cum immaculatum Corpus sacrificassent, vivificam communionem sibi mutuo impertierunt.) Sic etiam imperante Basilio Porphyrogenito, [Agapius erchiepiscopus Seleuciæ in Syria ... Ierosolymorum patriar-

lebravit una cum patriarcha Constantinopolitano Nicolao, & cum sacra Synodo,) ut legitur in libro 4. juris Græco-Romani pag. 204. Denique Johannes VIII. in fine octavæ Synodi ad Photium scribens, suos apocrisarios excusat, quod cum ipso Photio minime consecrare voluerint. Hæc inter Johannis epistolas est 221. Qui locus non pro Orientali tantum ecclesia, sed insuper pro Occidentali probat. Sed ampliora pro ecclesia Occidentali proferenda sunt argumenta. Insigne nobis exhibet Uranius in Vita S. Paulini episcopi Nolani, ubi narrat quod (cum ante triduum quam de hoc mundo ad cæleste habitaculum vocaretur... dum ad eum episcopi visitandi studio convenissent, id est Symmachus, & Benedictus, & Hyacinthinus .... quasi profecturus ad Dominum, jussit sibi ante lectum suum sacra mysteria exhibere, scilicet ut *una cum sanctis episcopis oblato sacrificio* animam suam Deo commendaret.) Aliud habemus apud Gregorium Magnum lib. 6. epist. 31. ad Alexandrinum Antiochenumque patriarchas de legatis Constantinopolitanis ita scribentem: (Eosdem vero responsales, quia hoc omnino humiliter precabantur, missarum sollemnia mecum celebrare feci.) Idem habet epist. 30. ad Mauricium imperatorem. Signantius vero hunc ritum Ecclesiæ Romanæ attribuit Amalarius in libro 1. cap. 12. (Mos est, inquit, Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione immolationis Christi adsint presbyteri, & simul cum pontifice verbis & manu conficiant.) Quæ verba etiam extant in antiquo ms. Pontificali ecclesiæ Bellovacensis, & in alio ecclesiæ Rotomagensis, in Ordine observando in Cœna Domini edito a Menardo in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 81. Idemque præscribitur in ms. Pontificali insignis ecclesiæ Senonensis, cujus character trecentos non superat annos. In antiquo etiam Rituali a Morino edito in lib. de Sacris Ordinationibus parte 3. Exercit. 8. cap. 1. num. 4. extat hic titulus *de diversis sacerdotibus super unam oblatam celebrantibus*. Ejusdem ritus testis est Jacobus a Vitriaco in Historiæ Occidentalis cap. 38. (Consueverunt presbyteri cardinales Summo Pontifici in Sacramento altaris assistere, & cum eo pariter celebrare.) Idem docet Innocentius III. lib. 4. de Mysteriis missæ cap. 25. ubi ait, consuevisse presbyteros cardinales Romanum (circumstare pontificem, & cum eo pariter celebrare, cumque consummatum est sacrificium, de manu ejus communionem accipere.) Denique Durandus Mimatensis episcopus, qui Innocentio diu supervixit, in Rationalis libro 4. cap. 41. hæc habet: (Verum cum interdum uni pontifici multi sacerdotes concelebrant .. .. si forte non simul omnes consecratoria verba pronuncient; quæritur an ille solus conficiat, qui primus illa pronuntiat.) Et paulo post Innocentii verbis mox citatis in medium adductis, addit: (Significantes apostolos, qui cum Domino pariter discumbentes sacram de manu ejus Eucharistiam acceperunt, & in eo quod concelebrant ostendunt, apostolos tunc a Domino ritum hujus sacrificii didicisse.) Idemque asserit lib. 6. cap. 74. Eumdem morem adhuc hodie vigere apud Maronitas auctor est scriptor Gallicus Historiæ Criticæ cap. 13. quod est de fide & ritibus Maronitarum. Atque ex hac consuetudine profluxisse videtur ritus, qui legitur in antiquo Ordinario ms. ecclesiæ Viennensis in Gallia ut scilicet archiepiscopo missam tertiam in Natali Domini celebranti assistant sex presbyteri suburbani planetis sive casulis induti. In ecclesia etiam Lugdunensi præcipuis in festis sex sacerdotes pontifici celebranti adsistunt. His concinit illud Ordinarii ms. insignis ecclesiæ Cabilonensis: (In quinque festis annalibus septem suburbani vestimentis induti sacerdotalibus ferunt sanctuaria ad processionem, & ad missam serviunt episcopo, sicut consuetum est.) Nam satis vero simile est septem illos presbyteros suburbanos episcopo concelebrasse. Idem dicendum est de duodecim cardinalibus sive curatis urbis Suessionicæ, qui in antiquo Rituali ms. ejusdem ecclesiæ episcopo missam in Natali Domini facienti adstitisse referunt. Quæ consuetudo etiam vigebat in ecclesia Senonensi, ut discimus ex Statutis ejusdem ms. quibus decernitur, (ut quotiescumque archiepiscopus missam celebrat in festis annualibus in ecclesia Senonensi, debent sibi assistere duodecim presbyteri cardinales induti sacerdotalibus indumentis.) Singulare vero prorsus est illud quod in exequiis Philippi Augusti Francorum regis contigisse narrat Rigordus in ejus Vita, & Anonymus in Mabillonii Analectorum tomo 2. p. 606. nimirum (missam exsequialem celebrarunt simul Portuensis episcopus, & Remensis archiepiscopus una voce ad duo altaria propinqua, ceteris episcopis cum clericis & monachis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus, & eis respondentibus sicut uni.

Hebdomadarii in ecclesiis Cathedralibus

III. Nunc vero in insignioribus ecclesiis omnes presbyteri canonici hebdomadatim sollemnem, seu ut vocant majorem missam celebrant: episcopus vero in præcipuis tantum festivitatibus. Sed olim cum non adeo numerosum esset presbyterorum collegium, ut juvando episcopo par esset, in cathedralibus ecclesiis adsciti ex aliis titulis presbyteri missas faciebant ac divina officia persolvebant. Talis fuit usus ecclesiæ Virodunensis sæculo VII. antequam Paulus civitatis illius episcopatum adeptus esset, uti testantur ejus Acta Sæculo II. Benedictino. Talem in Autissiodorensi a Tetrico episcopo institutum fuisse narrant Acta episcoporum Autissiodorensium apud Labbæum in Bibliothecæ novæ tomo 2. ubi sua cuique ecclesiæ per anni circulum hebdomada assignata recensetur. Idem officium Romæ in basilica S. Petri præstabant olim ex quatuor monasteriis monachi Ordinis nostri, S. scilicet Martini, S. Stephani minoris, S. Stephani majoris, Sanctorum Johannis & Pauli. Sed Stephanus papa III. ut in Gestis ejus legitur, statuit (ut omni die Dominico a septem episcopis cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris (Lateranensi scilicet) observant missarum sollemnia, super altare S. Petri celebraretur, & *Gloria in excelsis Deo* diceretur.) Quo ex loco discimus, septem episcopos cardinales olim in ecclesia Lateranensi hebdomadatim missarum sollemnia persolvisse: quam ob hanc prærogativam laudat & extollit Petrus Damiani libro 2. epistola 1. ad sanctos episcopos Lateranensis ecclesiæ cardinales. De hac consuetudine ita scribit Johannes diaconus in libro de Ecclesia Lateranensi cap. 8. (Ad hoc igitur tam solemne sacrosanctum altare ...... nullus ad sacrificandum aut accedere præter Dominum Apostolicum, & septem cardinales episcopos ejusdem ecclesiæ hebdomadarios, qui missam in hac sacrosancta basilica celebrant per hebdomadas suas .... quorum septem civilia hic describenda sunt nomina. Episcopus Hostiensis, qui debet consecrare & benedicere Apostolicum, præ omnibus aliis, Episcopus S. Rufinæ secundus, Episcopus Portuensis tertius, Episcopus Albanensis quartus, Episcopus Tusculanensis quintus Episcopus Sabinensis sextus, Episcopus Prænestinensis septimus.) In aliis vero Patriarchalibus urbis basilicis septem presbyteri item cardinales hebdomadarii fungebantur officio, quos recenset idem auctor c. 16. Idem institutum in Galliis imitata est insignis ecclesia S. Martini Turonensis, in cujus antiquo Rituali ms. cap. 130. hæc lego: (Septem sunt hebdomadarii B. Martini in ecclesia, scilicet Decanus, qui cantat tantum in festis S. Martini Æstivalis, Hiemalis, Natalis, Paschæ, & Pentecostes, nisi necesse fuerit. Subdecanus autem cantat loco ejus in aliis septimanis. Item est hebdomadarius abbas Cormeriacensis, Cantor, Magister scholæ, & Subdecanus, & Eleemosynarius, & Granicarius.) His recens accessit Prior S. Cosmæ. In archimonasterio etiam Remensi S. Remigii, ab eo tempore quo Leo papa IX. sacram eidem Sancto ecclesiam dedicavit, Septem tantum per vices presbyteri monachi, quos cardinales vocant, celebrare consueverunt; de quibus in Actis concilii Remensis, quod tum celebratum est hæc lego: (Constituit etiam ut ad altare, quod ut præfatum est, in honore Apostolorum Petri & Pauli, Clementis, & Christophori martyrum, gloriosique confessoris Remigii consecraverat, non indiscrete a quibusque sicut hactenus, sacrosancta mysteria agerentur: sed secundum morem Romanæ ecclesiæ septem tantummodo sacerdotes, qui in illa congregatione digniores haberentur; ad hoc officium deputarentur.) Simile privilegium contulit idem Leo IX. ecclesiæ Coloniensi, in qua septem presbyteri majori in ara celebrantes cardinales appellantur, quod etiam hactenus observant nostri Remigiani Remenses.

IV. Circa hebdomadarios observare juvat antiquam & piam consuetudinem ecclesiæ Laudunensis, quam in antiquo ms. Ordinario ejusdem ecclesiæ legi hoc modo: Dominica post Primam omnibus in Capitulo existentibus lecto martyrologio, & dictis precibus consuetis, (sacerdos, diaconus, & subdiaconus, qui hebdomadarii fuerunt, reddunt hebdomadas suas in Capitulo stantes, & dicentes *Benedictus es*, &c. Deinde subregnarius denuntiat in tabula hebdomadarios canonicos, videlicet hebdomadarium missæ, evangelii, epistolæ, & chori, unumquemque in suo ordine. Postea sacerdos, diaconus, & subdiaconus hebdomadarii surgunt, & stantes in Capitulo dicunt bis: *Deus in adjutorium meum intende*,) &c. Quæ quidem institutio desumpta videtur ex Regula Sancti Benedicti, quæ idem

post Laudes nocturnas. Addit Laudunense Ordinarium: (Sciendum est, quod canonici hebdomadarii, qui recipiunt hebdomadas suas in Capitulo, debent eas recipere barbis & tonsuris rasis.)

Diaconi septem altari ministrabant totidemque subdiaconi & acolythi.

V. Quæ hactenus dicta sunt, consecrantes alteris ministros spectant, de assistentibus & aliis inservientibus nunc breviter. Hos inter potissimum locum obtinent diaconi, de quibus Sozomenus in Historiæ Ecclesiasticæ libro 7. cap. 19. (Apud Romanos, inquit, diaconi non plures sunt hactenus quam septem, instar eorum qui ab Apostolis primum ordinati sunt. Apud alios vero haudquaquam definitus est diaconorum numerus.) Quod de septenario diaconorum numero apud Romanos hic tradit Sozomenus id plane confirmat Prudentius in libro de Coronis, ubi de S. Laurentio hymno 2. ita canit:

Hic primus e septem viris
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu
Et ceteris præstantior.

Diaconorum numerum æquabant subdiaconi & acolythi. De subdiaconis res constat ex libello a Baronio laudato ad annum 1057. num. 19. (Subdiaconi sunt omnes numero viginti & unus. Septem regionarii, qui epistolas & lectiones cantant in stationibus; septem Palatini qui idem munus præstant in ecclesia Lateranensi: septem alii qui dicuntur schola cantorum, qui cantant tantummodo, quando summus Pontifex celebrare consuevit.) Igitur quamvis viginti & unus essent subdiaconi, non nisi septem altari ministrabant. Idem de acolythis dicendum esse ex antiquis Ordinibus Romanis manifestum est. At longe copiosior erat sacrorum ministrorum apparatus cum summus Pontifex in ecclesia Lateranensi celebraret. Saltem id colligitur ex Actis concilii Ravennatensis anno 967. celebrati, in quo Joannes papa XIII. Magdeburgensi archiepiscopo concessisse dicitur [xii. presbyteros, vii. diaconos, xxiv. subdiaconos cardinales ad morem sanctæ Romanæ ecclesiæ ordinare, qui ad principale altare ministrantes quotidie, excepto jejunio, dalmaticis; festis vero, sandaliis uterentur.) Sed longe etiam amplius sacrorum ministrorum numerus postmodum adauctus est. Audiendus hac in re Joannes diaconus in Libro de Basilica Lateranensi cap. 8. (Quando, inquit, celebrat Dominus papa, sancti Petri vicarius: debent etiam ei assistere vicarii & collaterales prædicti, videlicet septem episcopi cum viginti octo Cardinalibus, totidem in ecclesiis infra muros urbis Romæ præsidentibus, qui potestatem obtinent judicium faciendi super omnes episcopos totius Romani imperii in omnibus conciliis vel synodis quibuscumque legati vel præsentes affuerunt. Debet etiam ibi præsens esse archidiaconus cum sex diaconibus Palatinis, qui in Palatio legere debent evangelium, & in Basilica Lateranensi: & alii duodecim diaconi regionarii, qui solent evangelium legere in stationibus ecclesiarum Romæ constitutis. Isti decem & octo diaconi totidem ecclesias habent infra muros civitatis. Et tamen omnes sunt canonici patriarchalis Basilicæ Lateranensis. Debent etiam ibi esse septem subdiaconi Palatini & schola cantorum, scilicet alii septem subdiaconi, qui vocantur regionarii. Isti debent legere lectiones & epistolas in stationibus Romæ constitutis. Alii septem, scilicet schola cantorum, debent cantare officium, dum Dominus papa celebrat missam in Basilica Lateranensi, & in aliis. Alii vero septem Palatini epistolam debent legere in palatio ad missam Apostolici, & in eadem patriarchali Basilica Lateranensi, necnon etiam ad missas ipsius Apostolici. Sunt etiam ibi acolythi præsentes & cappellani, lectores, exorcistæ, quorum unusquisque studeat adimplere suum officium, sicut a sanctis Patribus inibi est constitutum.) Porro pro varietate solemnitatum variabat etiam sacrorum ministrorum numerus, unde in quinto Ordine Romano ex editis a Mabillonio Musei Italici tomo 2. qui primus est de missa episcopali, hæc lego: [In primis etenim vestietur episcopus cunctique presbyteri, qui præsentes fuerint reperti, & septem, aut quinque, vel tres diaconi, & tot numero subdiaconi, & acolythi, quot fuerint diaconi.] Neque vero singulare extitit Romanæ ecclesiæ ut celebranti episcopo in præcipuis sollemnitatibus septem diaconi totidemque subdiaconi & acolythi ad altare ministrarent. Nam idem usus in insignioribus Galliæ ecclesiis diu obtinuit, ut in Lugdunensi, Viennensi, Turonensibus S. Gatiani atque Martini, & in Andegavensi. Et de Lugdunensi quidem ita lego in antiquis ejusdem ecclesiæ Statutis Spicilegii tomo IX. [Singulis diebus Dominicis & festivis, sacerdoti canonico missam Dominicam celebranti debent assistere duo minores sacerdotes vicarii duorum canonicorum sacerdotum, unus a dextra parte altaris, & alius a sinistra. Similiter diaconus evangelium lecturus debet habere duos minores diaconos sibi hinc inde assistentes similibus dalmaticis revestitos. Similiter autem subdiaconus debet habere duos collaterales subdiaconos duorum canonicorum vicarios similibus tunicis revestitos .... Item in majoribus festivitatibus, scilicet Beatæ Mariæ & similibus, debent esse quinque sacerdotes, & quinque diaconi, & totidem subdiaconi. In præcipuis autem festivitatibus videlicet Natalis Domini, Pascha, & Pentecoste, & Natali S. Johannis Evangelistæ & die Cœnæ, si chrisma conficiatur, debent esse vii. sacerdotes, & vii. diaconi, & totidem subdiaconi, & totidem ceroferarii.) Immo & apud monachos Casinenses & Dionysianos similis ritus de septem diaconis totidemque subdiaconis & acolythis vigebat. Sane Dionysianis hoc privilegium concessisse videtur Stephanus papa II. qui in epistola 2. ad Fulradum abbatem S. Dionysii ita scribit: (Congruum prospeximus apostolica nostra auctoritate ad honorem sacri altaris dignos ordinis & testimonio bonos comprobatos sex constituere diaconos (cum eo scilicet qui evangelium ex officio decantare debet) qui stolam dalmaticæ decoris induantur, ut sic sacrum peragant omni tempore ministerium.) Et hæc quidem ex singulari privilegio, alias ex concilio Lemovicensi II. anno 1031. celebrato statuta reperio, ut (non plus quam tres diaconi abbatibus & reliquis sacerdotibus in sollemnitatibus adhibeantur. Episcopis autem aliquando tres, aliquoties quinque, nonnumquam septem diaconi pro opportunitate festivitatum & ad omnes publicas missas præsto sint.) Abbas autem S. Martialis præter tres diaconos unum etiam habebat capellanum. In antiquo Suessionensis Rituali tempore Nivelonis scripto ita describitur sacrorum ministrorum numerus cum episcopo in Natali Domini die ad altare procedentium: (Primum ceroferarii, thuribula, cruces, ypodiaconi tres ferentes evangelium, diaconi tres, post hos duodecim cardinales, bini & bini incedentes. Post hos capellanus, deinde episcopus, ad dexteram ejus decanus, ad sinistram autem sacerdos hebdomadarius cum cappis de pallio, & per majus ostium chori sic intrent.)

ARTICULUS IX.

De præcepto & modo missam audiendi.

Clerici missæ quotidie interesse debent.

I. PRæceptum audiendæ missæ quo ad clericos attendi potest, vel habito respectu ad laicos: neque enim utrorumque eadem debet esse ratio; sed cum clerici tum ex suo statu divino cultui sint mancipati; eos frequentius divinis vacare laudibus, & sacris interesse mysteriis par esse nemo non videt. Quapropter concilium Toletanum I. eos sub gravissimis pœnis ad quotidianum istud servitutis pensum obstringit, edito hoc canone 5. (Presbyter, vel diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet ecclesiæ deputatus clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco in quo ecclesia est aut castella, aut vici sunt, aut villæ; si ad ecclesiam aut ad sacrificium quotidianum non venerit clericus non habeatur, si castigatus per satisfactionem veniam ab episcopo noluit promereri.) Et sane mirum videri minime debet, clericos ad missam quotidie audiendam astringi, cum concilium Regioticinum can. 2. decernat, (ut non tantum diebus Dominicis & præcipuis festivitatibus episcopi missas celebrent; sed cum possibile fuerit, quotidiana quoque frequentent sacrificia.) In concilio etiam Compostellano quod anno 1056. habitum est, sancitum reperio, (ut sacerdotes omnes episcopi & presbyteri missam quotidie] celebrent. Sed ab hac observantia, quis crederet? quantum desciverunt sæculis insequentibus & episcopi & presbyteri? quibus in concilio Toletano anni 1471. cap. 12. præcipere fuerit necesse, ut episcopi ter, sacerdotes saltem quater in anno celebrarent; id quod longe antea in aliis conciliis decretum fuerat, unde Clemens papa IV. in sententia lata adversus archiepiscopum Trevirensem Anecdot. tom. 2. p. 552. merito redarguit ipsum, quod (cum per sex annos & amplius sacerdos fuerit, nec unam missam, prout habet ejus confessio, celebraverit: quod quam gravis sit culpæ satis indicat generale concilium, quod tam graviter illos arguit ac etiam puniendos ostendit, qui non celebrant t.

vel quater in anno.) Paulo minus in Galliis intepuerat sacerdotum devotio, quibus ex concilii Remensis anni 630. canone 9. injungitur, ut (ad sacrosanctam Eucharistiam sacerdos celebraturus se præparet, & ut bis in mense id faciat.) (An autem celebrare quotidie, vel aliquando ex reverentia abstinere sit melius sacerdoti, hoc relinquitur suæ intentioni, ut id faciat quod magis credit placere Deo, sicut dicitur de Zacchæo & Centurione, quorum unus placuit sacrificando, alius abstinendo. Ex negligentia autem non est aliquatenus abstinendum;) inquiunt Statuta Synodalia eccles. Caturcensis, Ruthenensis, & Tutelensis cap. 16. Anecdot. tom. 4. Ad concilii primi Tolerani disciplinam accedere videtur concilii Ravennatis anni 1317 hoc decretum cap. 12. (Cum missa in aliqua ecclesia nostræ provinciæ in nota celebratur, debent omnes, maxima sacerdotes & clerici in ecclesia ipsa, quantum possunt, assistere celebranti.) Nam cum insignioribus ecclesiis missa quotidie canitur in nota, necesse est clericos quotidie eidem interesse. Ne quis vero aliquo pietatis obtentu vim hujus canonis eluderet, addit concilium: (Statuimus cum missa celebratur in nota in aliqua ecclesia, nullus alius sacerdos missam celebret in eadem, donec missa præfata fuerit plene completa.)

Ad matricem ecclesiam in festis præcipuis venira.

II. Verum non solum clerici quotidie in propria ecclesia sacris mysteriis interesse, sed quicumque insuper alicui ecclesiæ non alligati a civitate haud longius distabant, in præcipuis sollemnitatibus ad matricem seu cathedralem ecclesiam convenire tenebantur. Sollemne est hanc in rem concilii Arvernensis anni 535. can. 15. statutum: (Si quis ex presbyteris aut diaconis, qui neque in civitate, neque in parochiis canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in oratoriis officio sancto deserviens celebrat divina mysteria; festivitates præcipuas, Domini Natale, Pascha, Pentecosten, & si quæ principales sunt reliquæ sollemnitates, nullatenus alibi nisi cum episcopo suo in civitate teneat. Quicumque etiam sunt cives natu majores, pari modo in urbibus ad Pontifices suos in prædictis festivitatibus veniant. Quod si qui improba temeritate contempserint, iisdem festivitatibus, quibus in civitatibus adesse despiciunt, communione pellantur.) Antiquæ hujusce disciplinæ vestigium restat in ecclesia Lugdunensi, in qua, sicut audivi, trium insigniorum ecclesiarum collegiatarum canonici certis festivis diebus ad cathedralem S. Joannis Basilicam ad missam conveniunt.

Laici omnibus dominicis missam audire tenentur.

III. Venio ad laicos, quibus ex antiqua Ecclesiæ traditione præcipiunt sacri canones, ut Dominicis saltem diebus sacris intersint mysteriis. Statuta Synodalia ecclesiæ Remensis Sonnatio archiepiscopo attributa cap. 7. (Curet, inquiunt, Pastor ovem suam, & non negligat: ei injungat interesse missæ sacrificio diebus solemnibus & Dominicis: agnoscat ejus faciem: & si bis absit in anno, prohibeatur eidem ecclesiæ ingressus, & careat pastorali sepultura & consolatione.) Et antea concilium Agathense can. 47. [Missas die Dominico a sæcularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus; ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab episcopo publice confundantur.] Eodem respicere videntur concilii primi Aurelianensis canon 26. & tertii canon 29. Hinc Sanctus Augustinus seu quivis alius auctor sermonis, qui in nova editione est 280. in Appendice: (In die (Dominico] nullus se a sacra missarum celebratione separet, neque otiosus quis domi remaneat, ceteris ad ecclesiam pergentibus.) Hinc tantus Sanctorum Patrum zelus adversus eos, qui nondum completa missa hisce diebus discedebant ab ecclesia, hic præsertim in Hilario & Cæsario Arelatensium episcopis enituit, quorum primus post evangelii lectionem egredientes hoc clamore revocasse memoratur in ejus Vita: (Exite, exite, quia vobis hoc de gehenna facere non licebit.) Quæ quidem non de simplici & privata missa, sed de sollemni maxime intelligenda sunt. Hinc illud Theodulphi Aurelianensis Capitularis articulo 45. (Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares a sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis missarum sollemnibus, quæ hore tertia canonice fiunt, abstrahantur.) Deinde quorumdam damnat abusum, qui utinam nostris temporibus haud ita frequens esset, [qui in diebus Dominicis sive in quibuslibet festivitatibus, mox ubi missam celebrari, etiamsi pro defunctis sit, audierint, abscedunt, ut per totum diem a primo mane ebrietati & commessationi potius quam Deo deserviant.) Et articulo sequenti: (Sacerdotes per oratoria nequaquam missas, nisi tam caute ante secundam horam celebrent, ut populus a publicis solemnitatibus non abstrahatur. Sed sive sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, sive populus, ut prædiximus in unum ad publicam missarum celebrationem conveniant.) Simili fere modo Johannes episcopus Nannetensis in ms. statutis Synodalibus anno 1383. editis n. 8. [Inhibemus sub pœna excommunicationis ne ante magnas missas prædictas, in dictis parrochialibus ecclesiis celebratas, dictis diebus Dominicis aliquis presbyter in capellis vel ecclesiis vestrarum parrochiarum missas aliquas celebrare præsumat, propter quarum celebrationes retroactis temporibus parrochiani ad suas ecclesias dictis diebus pro missis & præceptis prædictis audiendis accedere non curabant.)

Et quidem parrochialem.

IV. Ad parrochialem autem missam audiendam ita laici olim adstringebantur, ut alterius parrochiæ quemquam ad suam admittere presbyteris ecclesiarum Rectoribus esset prorsus illicitum. (Nullus alterius parrochianum nisi in itinere si sibi placitum fuerit, recipiat,) inquit Leo papa IV. in Homilia de Cura Pastorali, & post eum Ratherius Veronensis episcopus in Synodica ad presbyteros, atque etiam Herardus Turonensis episcopus in suo Capitulari n. 29. At singulari consideratione dignus est hac in re canon primus concilii Nannetensis: (Ut Dominicis & festis diebus presbyteri antequam missas celebrent, plebem interrogent: si alterius parrochianus in ecclesia sit, qui proprio contempto presbytero, ibi missam velit audire. Quem si invenerint; statim ab ecclesia ejiciant, & ad suam parrochiam ire compellant.] Idem statutum multis post annis renovavit, & illius rationem reddidit in præcitatis decretis synodalibus supra laudatus Johannes episcopus his verbis: (Nec alienos parrochianos sine licentia curatorum suorum, exceptis peregrinis, ad divina audienda in ecclesiis vestris admittatis; ne forte sint excommunicati vel interdicti, cum quilibet parrochianus dictis diebus Dominicis & festivis de jure debeat in sua parrochiali ecclesia ex causis prædictis comparere.) Clarius vero in statutis anno 1389. editis n. 11. (Universis & singulis rectoribus, vicariis, & cappellanis, curam ecclesiarum gerentibus, mandamus & præcipimus, ut ipsi qualibet die Dominica dum inchoare voluerint parrochialem missam, inhibeant alta voce publice, & generaliter inquirant & præcipiant, ut si sint ibi aliqui parrochiani alieni, exceptis peregrinis, famulis, & ancillis, ac viatoribus transitum illa hora facientibus, recedant & vadant ad proprias parrochiales ecclesias eorumdem, sub pœna excommunicationis.] Et concilium Avenionense anno 1509. celebratum cap. 24. tom. 5. Anecdotorum: (In sequendo juris dispositionem, statuimus, quod priores & curati ecclesiarum parrochialium solerti diligentia perquirant, si diebus Dominicis aut festivitatibus majoribus alieni parrochiani in eorum ecclesiis divina audire, spreta sua parrochia, soliti sunt, & si aliquos reperiri contingat, eos caritative moneant, ut ad propriam parrochiam ad divina & ecclesiæ mandata audienda accedant: id facere recusantes ab eorum ecclesiis rejiciant, illudque domino reverendissimo archiepiscopo aut ejus vicario denuntiare non postponant. Contrarium facientes pœnam excommunicationis & decem librarum incurrant.) Similem disciplinam viguisse in Trecorensi diœcesi discimus ex Statutis Synodalibus ecclesiæ Trecorensis a nobis editis tom. 4. Anecdotorum, & in Rhedonensi ex chartis prioratus SS. Trinitatis Filgeriensis a Majori monasterio dependentis. Antequam ultra progrediar, non debeo hic prætermittere antiquum statutum de missa Dominicali, quod extat in additione ad Theodulfi Capitulare apud Petrum *de la Lande:*) Simul & hoc statutum est, ut in civitate, in qua episcopus est constitutus, omnes presbyteri & populi tam civitatis quam & suburbani revestiti in ipsa missa usque ad benedictionem episcopi & communionem devota mente stare debeant: & postea si voluerint cum licentia ad suos titulos revertantur.)

Idque sub pœna excommunicationis.

V. Porro postrema Joannis episcopi Nannetensis verba pœnam indicant, & quidem severissimam, præcepti de missa parrochiali diebus Dominicis & festivis audienda, transgressoribus inflictam; excommunicationem videlicet; sed in hoc prædecessorum suorum vestigiis institit. Nam idem

Idem antea decreverat Simon episcopus in suis item Statutis Synodalibus, quorum articulus 6. talis est: (Item præcipimus eis quod singulis diebus Dominicis & festivis sollemnibus missas celebrent, & compleant infra horam Tertiæ, & moneant ex parte nostra parrochianos, ut ipsi vel saltem sufficientior persona de qualibet domo compareat personaliter in ecclesiis suis parrochialibus, missas & alia divina præcepta facienda audituri, sub pœna excommunicationis, & dimidiæ libræ ceræ, a quolibet deficiente solvendæ pro luminari ecclesiæ parrochialis.) Neque vero id singulare extitit diœcesi Nannetensi: nam & in Statutis Harduini episcopi Andegavensis tom. 4. Anecdotorum hæc lego: (Monemus etiam omnes utriusque sexus in annis discretionis constitutos, canonice, & præcise, in & sub pœnis juris & sententiæ excommunicationis, ut ipsi dies Dominicos atque festa per sanctam matrem ecclesiam festivari præcepta, cum debita veneratione & ecclesiæ frequentatione absque violatione custodiant.) Ubi debita veneratione & ecclesiæ frequentationis nomine supponit haud dubium missæ parrochialis audiendæ præceptum, in quo præcipua & primaria hujus diei veneratio consistit. Clarius concilium Trevirense anno 1310. celebratum cap. 23. tom. 4. Anecdotorum: (Ad parrochiales matrices ecclesias parrochiani de villis circumstantibus & capellis seu oratoriis attingentibus saltem quibuslibet Dominicis, in solemnibus festivitatibus sub pœna excommunicationis teneantur accedere, ut ibidem missarum solemnia audiant, prout in generali concilio est a sanctis patribus institutum.) &c. Idem statuit concilium Avenionense anni 1509. c. 5. & idem statuerat antea alia Synodus Avenionensis anni 1365. c. 6. sub pœna unius libræ ceræ pro qualibet vice. Certe multis ante sæculis concilium Illiberitanum cap. 21. statuerat, ut (si quis in civitate positus tres Dominicas ad ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstineat, ut correptus esse videatur.) Et Sardicense can. 11. (Recordamini autem, Patres nostros in tempore præterito judicavisse, ut si qui laicus in aliqua urbe agens tribus diebus Dominicis in tribus hebdomadalibus non conveniat; is communione moveatur.] Idem statuit concilium Ravennense anni 877. can. 12 Hanc pœnam paulo ampliavit concilium Vaurense anni 1368. can. 84. statuens, ut (si per duos Dominicos dies continuos missas in dictis ecclesiis, legitima causa cessante, non audiverint, ex tunc habeant parrochiales presbyteri commonere non venientes se revelaturos in ecclesiis nominatos, postea excommunicandos.] Rituale quoque Senonensis diœcesis jussu Cardinalis Borbonii editum vetat ne quis ad paschalem communionem admittatur, nisi tres intra hebdomadas saltem semel parrochialem missam die Dominica audierit. Eamdem quoque disciplinam apud Græcos viguisse docet nos concilii Quini sexti canon 80. (Si quis episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel eorum qui in clero enumerantur, vel laicus nullam graviorem habet necessitatem vel negotium difficile, ut a sua ecclesia absit diutissime: sed in civitate agens, tribus diebus Dominicis in tribus septimanis una non conveniat: si quidem sit clericus, deponatur; si vero laicus, segregetur.) Concilium Tolosanum anno 1228. celebratum cap. 7. aliam pœnam instituit in eos qui Dominicis festisque diebus officium & missam ex integro audire negligunt, scilicet pecuniariam, qua duodecim denarios Turonenses solvere tenerentur: quæ pœna excommunicationi longe prævalens censetur in eos qui nullo Dei timore coercentur. Et hæc de præcepto missæ audiendæ, quo certe se non artari patiuntur ii, qui quotidie sacris intersunt mysteriis; id quod de Ludovico VII. Francorum rege maxime commemorant, qui profectus in Orientem, (in tota via nulla die missam vel horas perdidit, nec inundatione imbrium, nec oppressione hostium,) ut testatur Odo de Diogilo lib. 7. de profectione Lud. VII. regis in Orientem. Ex dictis hactenus apparet, quam recte Basileense concilium damnaverit assertionem quorumdam religiosorum mendicantium, qui ut scribit Augustinus Patricius in Hist. concilii Basil. c. 137. dicebant: (Parrochianos non teneri de jure Dominicis diebus & solemnibus missas in propriis parrochialibus ecclesiis audire, sed ubi pro eorum devotione maluerint, prætermissis suis parrochiis, & hanc libertatem non posse eis adimi a Synodalibus constitutionibus: quodque parrochiani suis curatis illis diebus non tenentur ad oblationem faciendam, sed in voluntate dantis sit, cui velit eam dare.)

VI. Venio ad modum dicendæ missæ, in quo observandum in primis venit id quod decernit Theodulphus Aurelianensis antistes in suo Capitulari articulo 46. ut scilicet populus diebus Dominicis (ante publicum peractum officium ad cibum non accedat:) (licet missam auditam habeat,) ut addit codex Bigotianus apud Petrum *de la Lande*, scilicet privatam; quibus ea verbis evidenter colligimus non sacerdotes solum jejunos missas celebrasse, sed nec laicos antequam iis reverenter interfuissent, cibi quidquam prægustasse: cujus rei praxim videre est in Vita S. Walarici ab auctore antiquo & gravi conscripta cap 15. (Duo, inquit, germani erant, qui ad Deum in festivitate S. Martini advenerant, quibus increpando ait: admiror curante missarum solemnia bibere præsumsistis. Qui confitentes commissum suum, veniam postulant.) Et paulo post alium increpat qui die Dominico *incautus ante missam* bibere præsumserat. Et hæc quidem disciplina multis post S. Walaricum & Theodulphum annis in Ecclesia viguit: saltem in editis anno 1422. Harduini episcopi Andegavensis Statutis inhibitum tabernariis reperio (ne Dominicis diebus & aliis magnis sollemnibus ante horam Primæ tabernas aperire, & vinum vendere, ne gulosis a missarum auditione, quæ his diebus *jejuno stomacho* debent audiri, retrahantur, præsumant.)

Viris a feminis separatis.

VII. Secundo observandum, non omnes promiscue, ut nunc passim observatur, olim in templis assedisse; sed suis cuique designatis locis, habita ordinis & conditionis singulorum ratione; nam alia erat clericorum, alia laicorum sedes; alius virorum, alius feminarum locus, alia fidelium, alia pœnitentium, aut catechumenorum statio. Hæc omnia distincte enarrat Constitutionum Apostolorum liber 2. cap. 61. formam ecclesiæ antiquæ describens his verbis: [Sit longa domus ad orientem conversa, ex utraque parte pastophoria habens ad orientem, quæ navis habeat similitudinem. In ejus medio sit episcopi sedes, ad cujus utrumque latus considean presbyteri, & diaconi assistant succincti & expediti. Hi enim sunt ad nautarum & muralium præfectorum similitudinem. Horum cura laici in altera parte sedeant cum omni quiete & ordine, mulieres quoque separatim sedeant silentium servantes.... juniores seorsum sedeant, si locus fuerit, alioquin maneant recti, grandiores natu ordine sedeant, pueros stantes recipiant eorum patres & matres. Adolescentulæ rursum, si sit locus, seorsum maneant: virgines & viduæ & anus primæ omnium stent vel sedeant.] Et post pauca meminit pœnitentium & catechumenorum.

Chorus olim laicis inaccessus.

VIII. Ex hoc loco manifeste demonstratur, sanctuarii & chori, quem totum occupabant clerici, aditum olim laicis penitus fuisse interclusum. Quam cum optime institutam disciplinam primi omnium violare cœpissent imperatores, Ambrosius ecclesiæ Mediolanensis antistes, vir zelo vere apostolico plenus, gliscenti consuetudini restitit: (Moris quippe erat, inquit Sozomenus lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25. ut imperatores intra consepta altaris in ecclesia consisterent, honoris causa a populi multitudine separati. Quod ex assentatione vel ex disciplinæ corruptione profectum esse animadvertens Ambrosius, locum imperatori in ecclesia assignavit ante cancellos altaris, ita ut imperator quidem plebem, ipsum vero imperatorem sacerdotes in ecclesia præcederent.) Addit Sozomenus: (Hanc egregiam ordinationem imperator Theodosius comprobavit, & successores ejus postea confirmarunt: atque ex eo tempore in hunc usque diem observari eam videmus.) Quid huic constitutioni ansam præbuerit enarrat Theodoritus Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 18. quod scilicet cum aliquando post factam in altari oblationem Theodosius Augustus intra cancellos altaris ex consuetudine Constantinopolitanæ ecclesiæ substitisset; Ambrosius (per archidiaconum hæc ei significavit: Interiora loca, Imperator, solis sacerdotibus patent, reliquis omnibus inaccessa sunt & intacta. Abscede igitur, & una cum aliis consiste. Nam purpura imperatores facit, non sacerdotes.) Cujus jussis cum omni animi demissione paruit religiosus imperator. Quod autem dixit Sozomenus, hanc a Theodosii successoribus institutionem religiose observatam fuisse, constat ex Theodosii Junioris, & Valentiniani edicto, in quo hæc verba leguntur: (Ad sacra quoque altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus, & cum circumseptum sacrorum aditum ingressi sumus, statim egredimur.) Hoc tamen postea privilegium imperatoribus concessum est in concilio Quini sexto, cujus canon 69. ita effertur: Nulli omnium liceat, qui quidem sit in laicorum numero, intra septa sacri altaris ingredi: nequaquam tamen ab eo prohibita potestate & auctoritate imperiali, quando quidem volue-

voluerit, creatori dona offerre ex antiquissima traditione.) Hinc illa Tarasii piissimi Patriarchæ ad Constantinum imperatorem ob adulterinas, quas cogitabat inire nuptias, comminatio, quam refert Ignatius monachus in ejus Vita apud Surium 25. Februarii. (Quin etiam hæc quoque notum facimus coram Deo in primis honorandæ tuæ purpuræ, quod intra cancellos incruentæ mensæ, in qua sacrificium magnæ hostiæ Christi venerabiliter peragitur, non sinemus amplius nobiscum vestram ingredi potentiam.) Nunc vero adeo excrevit in ecclesiis hominum licentia, ut non imperatores modo & principes, sed de plebecula quique choros ita repleant, ut divina celebrantibus plerumque vix supersit assidendi locus. Immo, quod referre pudor est, ipsæ sæpius mulierculæ, omni exuta verecundia, ad gradus altaris sedere non verentur. Longe religiosiores plane sunt Æthiopes, apud quos, si Johanni Botero in epistola ad Antonium Carafam cardinalem fides sit, [ante templa transituri ex equis reverentiæ causa desiliunt; templa ingressuri calceos deponunt; non ingrediuntur, nisi qui sunt sacris ordinibus initiati.] Immo apud Armenos olim solus celebrans sacerdos ecclesiam intrabat, ut scribit Theorianus a Manuele Comneno anno 1170. ad eos missus, id quod ex antiqua ecclesiæ suæ traditione observare se interrogati responderant.

Mulieribus ad altare prohibitus accessus.

IX. Quod si hæc exempla laicos ab impio & temerario ausu non retrahunt; sacri saltem canones eos revocare deberent. Audiant ergo Laodiceni concilii canonem 44. (Non oportere mulieres ad altare ingredi.) Audiant concilii Turonensis II. canonem 4. (Ut laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos tam ad vigilias quam ad missas stare penitus non præsumant. Sed pars illa, quæ a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum.) Audiant Martinum Bracarensem episcopum cap. 42. (Non liceat mulieres in sacrario ingredi.) Quod statutum renovat concilium Augustodunense anni 672. can. 14. apud Petrum *de la Lande*. Audiant Capitulare anni 744. articulo 9. in editione Baluzii. (Laici secus altare intra cancellos tam ad vigilias quam ad missas stare penitus non præsumant.) Audiant Ahitonis episcopi, qui initio sæculi noni Basileensem regebat ecclesiam, Capitulare art. 16. (Mulieres ad altare non accedant, nec ipsæ Deo dicatæ in ullo ministerio altaris intermisceantur. Quod si pallæ altaris lavandæ sunt, a clericis abstrahantur, & ad cancellos feminis tradantur, & ibidem repetantur. Similiter * & presbyteri, cum oblata ab eisdem mulieribus offeruntur, ibidem accipiantur, & ad altare deferantur.) Audiant concilium Romanum sub Eugenio II. can. 33. (Ut nulli laicorum liceat in eo loco ubi sacerdotes reliquive clerici consistunt, quod presbyterium nuncupatur, quando missa celebratur, consistere; ut libere & honorifice possint sacra officia exercere.) Quem canonem renovavit Leo papa IV. in alio concilio Romæ habito anno 853. can. 33. Audiant Herardi Turonensis archiepiscopi Capitulare art. 82. (Ut laici infra cancellos non stent, & ut oblatio populi foris septa recipiatur.) Audiant concilium Nannetense can. 3. (Modis omnibus prohibendum, ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare aut sedere.) Audiant concilium Romanum anno 964. sub Joanne XII. Summo Pontifice celebratum: (Ut in circuitu altaris, aut in presbyterio, nullus laicorum stare præsumat quoties missarum solemnia celebrantur: quod si fecerit quis, communione privatus maneat usque ad emendationem.) Audiant Edgari Regis Angliæ canonem 45. (Ut altari mulier non appropinquet dum missa celebratur.) Audiant & concilium Copriniacense anno 1255. celebratum cap. 23. (Inhibemus sub pœna excommunicationis omnibus laicis, ne morentur in choro inter clericos, dum ibidem divinum officium celebratur.) Audiant ecclesiæ Nemausensis decreta synodalia cap. 5. num. 4. (Prohibemus ne laici, qui nesciunt cantare vel legere intra cancellos in choro cum clericis stent aut sedeant, dum divina celebrantur officia; maxime ubi sine impedimento clericorum non possunt in choro laici commorari, nec aliqua monialis, seu alia femina sæcularis præsumat presbytero dum celebrat ministrare, vel juxta altare, aut infra cancellos sedere dum divina officia celebrantur.) Audiant & edita anno 1328. statuta synodalia ecclesiæ Tutelensis c. 12. (Statuimus, quod omnes rectores moneant in ecclesiis suis omnes & singulos parochianos suos laicos, ne intra cancellos ecclesiarum suarum præsertim ad latus altaris sedeant, cum divinum officium celebrabitur, cum propter occupationem locorum per dictos laicos factam intra dictos cancellos existentium divinus cultus minus solemniter quam honorificabiliter Deo impendatur. Alioquin canonica monitione præmissa, dictos laicos contrarium facientes ex tunc in his scriptis interdicimus, & post alios duos dies in his scriptis excommunicamus, præterquam clericos qui cum unica & virgine contraxerunt, dum tamen juvent ad divinum officium faciendum.) Audiant denique Hardoini episcopi Andegavensis Statuta: (Prohibemus insuper in & sub eidem pœnis (*excommunicationis*,) universis & singulis, potissime laicis maribus & feminis, ne dum divina in eisdem ecclesiis celebrantur officia, intra cancellum ecclesiæ residere, sedere, seu se diu tenere, ac etiam dum missæ celebrantur ad altare in quo missa celebrabitur se jungere, seu ad latus, aut in superiori ejusdem se tenere, & inter psallentes & ipsum altare se ponere præsumant; sed cum debita veneratione atque humiliter locis aliis ecclesiæ secundum juris formam contententur.) Hæc & hujusmodi statuta renovarunt, similiave ediderunt, quotquot fere ab uno aut altero sæculo purioris disciplinæ studiosi floruerunt episcopi. Sed irrito pene conatu. Et tamen non solum altaris accessus laicis semper prohibitus fuit, sed etiam ipsius presbyterii aditus, de quo liber Pontificalis in Leonis IV. Vita ita scribit: (Secundum *antiquam consuetudinem* canonica auctoritate decrevit, ut dum sacra missarum solemnia in ecclesia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio stare, vel sedere, aut ingredi præsumat, nisi tantum sacra plebs, quæ in administratione sacri officii constituta videtur.)

X. Tertio denique ad modum audiendæ missæ spectat canon 29. concilii tertii Aurelianensis: (Sacrificia matutina missarum sive vespertina ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum usum spectet.) Huic decreto locum præbere potuit edictum Theodosii & Valentiniani imperatorum, quod refertur in conciliorum tomo 3. pag. 1237. ubi piissimi imperatores ita loquuntur: (Nos qui semper jure imperii armis circumdamur, quosque sine armatis stipatoribus esse non convenit, Dei templum ingressuri, foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema deponimus: Et quo submissioris imperii speciem præferimus, eo magis imperii nobis majestas promittitur.) Cujus rei vestigium aliquod in laicis privatis missis ministrantibus hactenus perseverare videmus. Hic enim nescio qua suadet religio, ut ad altare accessuri, enses continuo deponant. At longe major & Deo dignior esset religio, si non laici, sed religiosi clerici tanto sacrificio ministri assumerentur. Pudet enim conjugatos viros rebus sæcularibus implicatos, rusticos sordidos, puerosque nulla mysteriorum nostrorum aut saltem levissima cognitione imbutos, quorum incompositis motibus non offerentes tantum, sed etiam assistentes a debita sacrificii attentione & devotione avocantur, ad tremendum & angelis ipsis formidandum officium deputari. Certe longe alia erat mens S. Ottonis Babergensis episcopi, qui licet esset pontifex, ipse nihilominus (presbyteris ad altare ministrabat, modo stolam offerens, modo cingulum porrigens, præparandis aquam etiam manibus fundens,) &c. quæ videre est in ejus Vitæ lib. 1. cap. 48. apud Surium 2. Julii.

* l. a presbyteris.

CA-

CAPUT IV.

De singularibus sacræ Liturgiæ ritibus.

ARTICULUS I.

De præparatione ad missam.

Præparatio duplex, remota & proxima.

I. QUÆ hactenus a nobis de sacrosancto Eucharistiæ sacramento dicta sunt, ea generales dumtaxat usus in sacrificio ab antiquis observari solitos attingunt, quos quanta potuimus brevitate pertractavimus. Jam vero singulares & speciales divinæ liturgiæ ritus minutatim, prætermissis tamen minutiis, investigandi sunt. Atque ut a præparatione ad missam exordium ducamus, præparatio duplex considerari potest; alia remota, alia proxima. Ad remotam spectat in primis summa tum animæ, tum corporis integritas, ut non modo sacerdos omnis sit peccati mortalis expers, sed etiam levissimis culpis, quantum per humanæ fragilitatis infirmitatem licet, immunis prorsus existat, indutusque veste nuptiali ad cæleste convivium ingrediatur. Nam si ad mensam cujuscumque potentis hominis veste conscissa aut inquinata accedere nemo præsumit: quanto minus ad æterni regis convivium alicujus peccati sordibus maculata conscientia.

Remota cordis & corporis munditiæ.

II. Quanta vero debeat esse sacerdotis offerentis munditiæ hic exprimere non est animus, cum id passim prosequantur, qui de rebus piis scripserunt auctores; at quod præmonere exigit officii mei ratio, non minorem olim corporis, quam animæ puritatem exigebat ecclesia: adeo ut nocturna illusione pollutos sacrificio penitus interdiceret: qua de praxi nonnulla retulimus testimonia in lib. 5. de Antiquis Monachorum ritibus capite ultimo. Ad acquirendam autem utriusque, tum corporis, tum animæ puritatem, plurimum in offerante conferre credebant carnis macerationem. Hinc S. Odo Cluniacensis abbas in libro 2. Collationum cap. 28. (Qui ad altare, inquit, sacrificare Deo volunt, ipsi prius per mortificationem Dei sacrificium esse debent: alioquin magis temerarii, quam cultores ejusdem mysterii deputantur.)

Jejunium.

III. Unde & inter remotas ad celebrandum dispositiones recensere secundo loco possumus jejunium, quod ab ipso nascentis ecclesiæ principio ab offerentibus semper observatum fuit. Nam etsi post cœnam incruentum Christus sacrificium obtulerit; idque ab apostolis eorumve discipulis aliquando actitatum fuerit; ex communi tamen Ecclesiæ consuetudine tam offerentes ac sacrificantes quam communicantes debebant esse jejuni; qua de re vide si lubet concilium Carthaginense III. can. 29. & Codicem ecclesiæ Africanæ can. 41. ad quem respiciens Alexius Aristenus in eum scribens: (Licet, inquit, Dominus post cœnam discipulis pascha tradidit; at non opus est nos secundum Theologi vocem, exempla quæ supra nos sunt sequi, sed ritui Ecclesiæ insistendum est, & non nisi jejunos sacerdotes in altari sacra offerre, & eos etiam qui communicant similiter esse jejunos.) Hinc Patres concilii II. Bracarensis can. 10. nonnullos redarguunt, qui (per stultitiam præsumti nuper erroris, aut certe ex veteris Priscillianæ adhuc hæresis fœtore corrupti ...... missas mortuorum etiam post acceptum merum vel oblationem ausi sunt consecrare.) id quod deinceps sub depositionis pœna fieri prohibent. Hinc concilium Toletanum VII. can. 2. statuit, ut nullus post cibi potusve quamtumlibet minimum sumptum missas facere præsumat. Verum non modo sacerdos offerens, sed assistentes et sacri altaris ministri, diaconi nimirum & subdiaconi olim debebant esse jejuni. Id certe probat canon 19. concilii Autissiodorensis: (Non licet presbytero, aut diacono, aut subdiacono, post acceptum cibum vel poculum missas tractare, aut in ecclesia, dum missæ dicuntur, stare.) Quæ consuetudo adhuc in nonnullis, licet paucis ecclesiis, illibata perseverat.

Missæ ante nocturnas vigilias non dicendæ.

IV. Tertio antiquus usus in ecclesia semper obtinuit, ut missæ sollemnes non ante dicerentur, quam decantatis solemni ritu vigiliis; nec ante privatæ, quam saltem privatim nocturnæ vigiliæ, matutinum solent appellare, recitarentur. Extat hujusce praxeos locus insignis apud Socratem lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. ubi referens Athanasii fugam ait, [vespera quidem erat, populus autem per totam noctem vigilabat, quia synaxis futura erat.) Et apud Pachymerem lib. 1. Historiæ Michaelis Palæologi cap. 11. [A vespera, inquit, nocturnæ decantatæ sunt preces, postera quippe die sacrum facere præsul decreverat.) Ita etiam S. Goar (mane facto, postquam cursum suum finivit, missarum solemnia celebravit,) teste anonymo in ejus vita n. 5. Ad privatas vero missas spectat Innocentii papæ IV. statutum in epistola X. ad Ottonem cardinalem Tusculanum: Sacerdotes (missam celebrare priusquam officium matutinale compleverint, non præsumant.] Idem videre est in concilio Nemausensi anni 1284. capite de celebratione missarum, & in mss. Statutis Synodalibus Eliæ episcopi Uticensis. At in Statutis Synodalibus ecclesiæ Nannetensis cap. 11. præscribitur ut [nullus antequam matutinas canonicas & Primam dixerit, missam celebrare præsumat.) Idem decernunt Constitutiones Odonis episcopi Parisiensis c. 5. & Constitutiones Synodales Petri de Gollemedio archiepiscopi Rotomagensis. Idem & Synodus Excestrensis anno 1287. celebrata cap. 21. Concilium incerti loci c. 13. tom. 4. Anecdotorum, statuta synodalia Henrici episcopi Sistaricensia c. 13. statuta ecclesiæ Æduensis cap. 27. statuta ecclesiæ Constantiensis in Normannia cap. 24. statuta Johannis episcopi Leodiensis c. 4. n. 34. statuta ecclesiæ Meldensis c. 10. statuta ecclesiæ Trecorensis c. 11. Quibus addo statuta Synodalia ecclesiæ Biterrensis c. 42. in quibus hæc lego: (Præcipimus, quod nullus missam celebrare præsumat, nisi prius matutinas illius diei compleverit atque primam (*recentiori manu* cum officio B. Mariæ Virginis) quæ surgendo & calciando, vel aliis negotiis occupando dici non debeat, sed in ecclesia cum devotione.) Et statuta Synodalia eccles. Caturcensis, Ruthenensis & Tutelensis c. 16. (prohibemus sub pœna excommunicationis vel suspensionis, ne quis sacerdos missam cantare præsumat, nisi prius expleverit officium matutinarum, & etiam horam primæ.) Inter capitula vero Hincmari Remensis archiepiscopi anno 852. presbyteris data, nonum ita habet: (Mane matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ canendo, Primam, Tertiam, Sextam, Nonamque persolvat. Deinde peractis missarum solemniis, & fessis infirmis visitatis, ad opus rurale quod sibi competit exeat jejunus.) Quibus ex verbis patet, olim presbyteros sacrificium non nisi post nonam obtulisse.

V. Illicitum olim erat sacerdoti, qui insomnem transegisset noctem, celebrare. Hinc Alexander papa III. in epistola ad episcopum Ambianensem & abbatem S. Remigii, inter alias causas amovendi Danielis presbyteri ab ecclesia sua adductas ab episcopo Tornacensi, haec affert, quod (omissa dormitione missam celebrasset) quod improbat ipse Alexander. Extat hæc epistola apud Sirmondum ad calcem epistolarum Petri Cellensis epist. 24.

De orientalium ad missam præparatione.

VI. De præparatione sacerdotis apud orientales ad sacram celebrandam Liturgiam audiendus est præsertim eruditus Renaudotus in commentario ad Liturgiam Copticam S. Basilii pag. 176. (In casto fuisse illum nocte præcedenti, aut triduo secundum canones oportet, si conjugatus fuerit. Si per insomnia ludibrium passus est, celebrare prohibetur. Ea propter solent plerumque sacerdotes noctem quæ Liturgiam antecedit in Ecclesia transigere, magnamque ejus partem orationibus impendere. Sacerdos pedes & manus lavare debet, jejunasse etiam die præcedenti, & ad vesperam abstinuisse a vino & potu omni, quo caput tentari potest, atque hæc præcipua præcepta sunt quantum ad exteriorem munditiam. Postea debet examen instituere intra selpsum, num alicujus peccati sit reus, quo non solum a celebratione Eucharistiæ,

sed etiam ab ejus communione arceretur: num alicui injuriam aut damnum fecerit, ut statim proximo satisfaciat, juxta illud Christi præceptum: *Si offers munus tuum ad altare, vade prius reconciliari fratri tuo.*) Hactenus Renaudotus, ubi quod ait, orientales pedes ante Liturgiam lavare, in memoriam revocat id quod legi in Vita sancti Gerardi Tullensis episcopi cap. 5. tom. 3. Anecdotorum, illum scilicet dum Romæ ad S. Petronillæ arcam missam celebraturus se pararet, exhibita lympha pedes sibi lavasse.

Præparatio proxima.

VII. Proximæ ad celebrandum dispositiones tres quatuorve recenseri possunt: mentis scilicet recollectio, psalmorum precumque recitatio, vestium sacerdotalium assumtio, sacrorum denique vasorum præparatio.

Ante omnia quippe celebrare volentem decet, sacra, quæ tractaturus est, mysteria mente revolvere, Incarnationis Dominicæ, Passionis, & Resurrectionis memoriam refricare. Potest etiam tunc intentionem dirigere, ac eos pro quibus offerre proponit Deo commendare, ubi circa intentionis directionem notanda sunt verba Walfridi libro de Rebus ecclesiasticis cap. 22. (in hoc error non modicus videtur, quod quidam se non posse aliter plenam commemorationem coram facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant, vel pro vivis & defunctis non simul æstimant immolandum, cum vere sciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse & sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. Quod si cui placet, pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine, & orationum augendarum delectatione id faciat, non autem pro stulta opinione, qua putet unum Dei sacramentum non esse generale medicamentum. Quodammodo enim in fide imperfectus est, qui putat Dominum non discernere, quando una petitione pro multis rogatur, quid cui sit necesse: vel fallidue eum æstimat, cum eadem oblatio nunc pro uno, nunc pro alio exhibetur.)

Psalmi ante missam recitandi.

VIII. Præter hasce pias considerationes antiquus Ecclesiæ usus obtinuit, ut psalmorum quorumdam recitatione sese ad missam celebrandam præpararet sacerdos. Missa a Matthia Flacco Illirico vulgata præscribit, ut antequam se sacris vestibus induat, si tempus ferat, vii. pœnitentiales psalmos cum precibus recitet, quibus alios septem psalmos subjicit, scilicet: *Quam dilecta tabernacula. Benedixisti. Inclina Domine. Fundamenta. Domine Deus salutis meæ. Credidi propter quod locutus sum. Memento Domine.* Missale Hispalense editum anno 1534. jubet dici vii. psalmos pœnitentiales vel *Quam dilecta* cum reliquis, qui hodie notantur in missali Romano. Micrologus quatuor dumtaxat habet; idque juxta Romanam consuetudinem, *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine. Credidi.* Pontificale ms. Halinardi Lugdunensis episcopi, & missa edita a Menardo ex codice Tilliano tres tantum exhibent *Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine.* Pontificale ms. Prudentii Trecensis episcopi, & missale Ambrosianum unicum psalmum *Miserere.* In plerisque etiam missalibus omnino desideratur, ex quo apparet, hosce psalmos ex devotione potius celebrantium, quam ex obligatione fuisse recitatos.

Vestes sacræ.

IX. Psalmis decantatis lotisque manibus, sacerdos sacris adjutus ministris, vestibus induebatur sacerdotalibus, scilicet caligis, amictu, alba, cingulo, præcinctorio, stola, baltheo, subtili tunica, dalmatica, casula, manipulo, chyrothecis, annulo & rationali, si esset pontifex: aut si simplex presbyter, amictu, alba, cingulo, stola, manipululo, casula. Has enim præsertim vestes recenset Ratherius Veronensis episcopus in epistola synodica ad presbyteros Spicilegii tom. 2. (Nullus, inquit, cantet, sine amictu, alba, stola, fanone, & planeta. Et hæc vestimenta nitida, & ad nullos usus alios sint;) Additque (nullus cum alba, qua in suos usus utitur, præsumat missam cantare, neque cum cultellis foris pendentibus, nullus cum calcaribus.) Memoratur præterea apud monachum Sanctigallensem in libro de Rebus bellicis Caroli magni cap. 27. (Roccus ille S. Martini, quo pectus ambitus nudis brachiis Deo sacrificium obtulisse adstipulatione divina comprobatur.)

X. De his vestibus multi multa scripserunt, quæ videri possunt apud ipsos auctores, quos inter consulendi sunt præsertim Andræas Sausæus in Panoplia episcopali & cardinalis Bona de rebus Liturgicis lib. 1. cap. 24. Duo hic dumtaxat adnotabo.

Amictus super albam.

XI. Primum quod in ecclesia Mediolanensi, uti & in Lugdunensi, amictus super albam, non alba super amictum vestiri solet, id quod etiam in ecclesia Romana olim in usu fuisse colligitur ex Ordine Romano V. ex vulgatis a Mabillonio Musei Italici tom. 2. nam §. 1. de Vestimentis Pontificalibus sic scribit: (In primis camisia, & cingitur supra, deinde linea cum cottis, serica & cingulum: post hæc mittitur anagolai,) qui ex primo & secundo Ordine Romano dicitur amictus. Et §. 2. (Presbyter Romanus similiter ..... in primis camisia, & supra cingulum, postea tunica, alba, & cingulum, deinde anagolagi.) Hactenus etiam Maronitæ amictum super albam induunt.

Stola in modum crucis composita.

XII. Alterum est de stola seu orario, quod ex antiqua Ecclesiæ consuetudine in modum crucis ante pectus aptari solet. Hujus ritus meminit concilium Bracarense IV. canone 4. (Cum sacerdos ad sollemnia missarum accedit, aut pro se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat quam orario utroque humero circumseptus, ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens signum in suo pectore præferat crucis.) Ex antiquum missale ms. ecclesiæ Parisiensis, quod olim Ludovico cardinali Borborio usui fuit, extatque in Regia Bibliotheca num. 4226. (Postea ponat stolam super collum suum, & super pectus in modum crucis.) Idem habet Guillelmus Durandus in ms. Pontificali, quo utebatur Johannes *Saierbruche* episcopus Catalaunensis. Idem denique advertimus in quibusdam antiquis picturis. Hæc observatio nonnullius videbitur momenti ad revincendos nonnullos hac ætate rituum studiosos, qui hanc Ecclesiæ praxim tamquam recentiorem temere damnant, eamque immutare privata auctoritate non verentur. Antequam vero ultra progrediar, obiter hic notabo quod legi in vita S. Meinwerci Paderbornensis episcopi cap. 110. apud Surium 5. Junii, ubi recensetur supra suppellex monasterii ab eo ædificati, & inter alia (stolæ auro textæ vii. ex quibus una habuit xxvii. tintinnabula, alia xxi.)

XIII. Porro dum vestes sacras pontifex seu sacerdos indueret; nonnullas preces recitare solebat, quas in diversis missalibus seu sacramentariis diversas offendimus, ex quibus hic nonnullas subjungere non erit fortassis lectoribus ingratum.

EX ANTIQUO LIBRO SACRAMENTORUM ECCLESIÆ TURONENSIS ANTE ANNOS 800. EXARATO.

Ad amictum.

JUgum tuum Domine Jesu Christe pone in collum meum, quia suave est; & onus tuum, quia leve.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento justitiæ & spiritali intellectu.

Ad zonam.

Præcinge, Domine, lumbos mentis meæ, & circumcide vitia cordis & corporis mei.

Ad stolam.

Stola justitiæ circumdet Dominus cervicam meam, & ab omni corruptione peccati purificet mentem meam.

Ad casulam.

Indue me, Domine, loricam fidei, & galeam spem salutis.

EX ANTIQUO MISSALI ECCLESIÆ BELLOVACENSIS.

Ad amictum.

COnscinde, Domine, saccum meum, & circumda me lætitia.

Ad albam.

Circumda me, Domine, lætitia, & fidei armis, ut ab omnibus iniquitatum sagittis erutus, valeam æquitatem & justitiam custodire. Per Dominum.

Ad cingulum.

Præcinge me, Domine, virtute, & pone immaculatam viam meam.

Ad

Ad stolem.

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam, & ab omni corruptione emundes cor meum.

Ad casulam.

Indue me, Domine, sacerdotali justitia, ut induci merear in tabernacula sempiterna.

Ad manipulum.

Sit splendor Domini nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.

EX ANTIQUO MISSALI ECCLESIÆ NARBONENSIS.

QUendo sacerdos abluit manus sues ad celebrendum missem dicet:

Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine. Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccatu meo munda me.

Ad galeam.

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas diabolicas fraudes, & omnium inimicorum meorum persequentium sævitiam superandam, Per Dominum.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, tunica justitiæ, & indumento lætitiæ circumda me semper. Per Dominum.

Ad cingulum.

Præcinge me, Domine, cingulo fidei, & virtute castitatis lumbos mei corporis, & extingue in eis humorem libidinis, ut jugiter maneat in eis tenor totius castitatis. Per Dominum.

Ad stolem.

Redde mihi, Domine, obsecro, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis, & quia cum hoc ornamento accedere cupio, quamvis indignus, ad tuum sanctum mysterium, præsta ut cum eo lætari merear in perpetuum, præstante tue misericordie Deus noster, qui vivis & regnas.

Ad manipulum.

Mereat, deprecor Domine, manipulum portare mente flebili cum patientia, ut cum justis portionem accipiam. Per Dominum.

Ad casulam.

Domine Jesu Christe, qui dixisti jugum meum suave est & onus meum leve, præsta sic illud portare in perpetuum valeam, quatenus gratiam consequi merear, per te Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu-sancto, &c.

EX ANTIQUO MISSALI ECCLESIÆ AUTISSIODORENSIS.

INCIPIT ORDO MISSÆ.

SAcerdos prime se reconciliet, si indigeat: & peractis hie qua sibi a confessore injuncte sunt dicet: Actiones nostras, &c.

Postea lavet manus dicens: Amplius lava me, &c. *usque in finem psalmi. Postea discoperto altari & præparato, administret panem super patenam, & vinum & aquam in calicem, si velit: saltem ante evangelium hoc faciat, & tunc dicet:*

De latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis & aqua baptismatis in remissionem peccatorum.

Ponendo aquam:

Commixtio vini & aquæ pariter fiat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

Postea induat se amictu dicens:

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas diabolicas fraudes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Postea induet se alba dicens:

Indue me, Domine, vestimento salutis, & tunica justitiæ circumda me semper.

Postea cingat se, & dicat:

Præcinge, Domine, cingulo fidei, & virtute castitatis lumbos cordis & corporis mei.

Postea ponat manipulum in manu sinistra dicens:

Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Postea ponat stolam suam super collum suum, & super pectus in modum crucis dicens:

Stola jucunditatis & exultationis induat me Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis: Jugum meum suave est, & onus meum leve.

Item ad infulam.

Indue me, Domine, lorica justitiæ, & galea salutis æternæ.

EX ANTIQUO MISSALI ECCLESIÆ CATALAUNENSIS.

MODUS CELEBRANDI MISSAM.

SAcerdos lavet manus suas dicendo:

Largire, quæsumus, Domine, sensibus nostris quod sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te interius emundentur pollutiones mentium. Per.

Postea altari parato tribus mappis lineis, ministret panem super patenam, & vinum & aquam in calice ponet, & dum ponit vinum dicet:

De latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis & aqua in remissionem peccatorum nostrorum.

Ponendo aquam in calice dicat:

Commixtio vini & aquæ pariter fiat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

Postea genibus flexis ante altare dicat hanc orationem:

Domine Jesu Christe, propitius esto mihi peccatori, quia tu es sanctus, qui sanctificas omnia, tu es benedictus, qui benedicis omnia. Indulge mihi omnia peccata mea, qui præsumo ante sanctum altare tuum invocare te, confirma ecclesiam tuam in fide catholica, & doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus, Qui cum Patre, & Spiritu-sancto, &c.

Postea erectus sacerdos facto signo crucis capiendo amictum dicat:

Obumbra, Domine, caput meum obumbraculo sanctæ fidei, & expelle a me nubila ignorantiæ. Per.

Postea dicat ponendo albam:

Indue me, Domine, vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis.

Ad cingulum vel zonam:

Præcinge, Domine, cingulo fidei, & virtute castitatis lumbos cordis & corporis mei, & extingue in eis flammam libidinis, ut jugiter in ipsis maneat tenor totius castitatis. Per.

Ad manipulum.

Da mihi, Domine, sensum rectum, & vocem puram, ut adimplere possim omnem laudem tuam. Per.

Ad stolem.

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam, & ab omni contagione peccati purifica mentem meam. Per.

Deinde dicat sacerdos psalmum, Judica me, &c. *Antiphona.* Introibo, &c. Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Deinde induet casulam.

Indue me, Domine, ornamento humilitatis, caritatis & pacis, ut undique munitus virtutibus, possim resistere vitiis, hostibus mentis & corporis. Per.

Deinde veniendo ad medium altaris dicat: Et ne nos inducas. Sed libera, &c.

EX MS. PONTIFICALI ECCLESIÆ CAMERACENSIS.

ORDO QUANDO PONTIFEX INDUITUR AD MISSAM.

Dum abluit manus dicit:

LArgire, clementissime Pater, ut sicut hic abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur pollutiones mentium, & crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum. Per Christum.

Postea cantentur psalmi, Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine. Credidi. Domine exaudi orationem meam auribus. Kyrie eleison. Pater noster. *Preces.* Domine non secundum peccata nostra facias nobis. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum. Protector noster aspice Deus. Dominus vobiscum.

Oremus.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia Sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere merear. Per Christum.

Ad sendalia dicit:

Calcea, Domine, pedes meos in præparationem evangelii pacis, & protege me in velamento alarum tuarum. Per Christum.

Ad amictum dicit:

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo, ad expugnandas & superandas diabolicas catervas. Per Christum.

Ad

Ad albam.

Dealba me, Domine, & a delicto meo munda me, ut cum his qui stolas suas dealbaverunt in sanguine Agni gaudiis perfruar cæli. Per Christum.

Ad cingulum.

Præcinge, Domine, cingulo fidei & virtute castitatis lumbos corporis mei, & extingue in eis humorem libidinis, ut maneat in eis tenor totius castitatis. Per Christum.

Ad baltheum.

Rogo te. Altissime sabaoth, Pater sancte, ut lumbos meos baltheo tui amoris digneris ambire, ac renes cordis mei tuæ caritatis igne urere, ut pro peccatis meis possim intercedere & populi peccatorum veniam promereri, & pacificas hostias immolare; me quoque, Domine, ad te audacter accedentem non sinas perire, sed dignare lavare, ornare, & leniter suscipere. Per Christum.

Ad stolam.

Redde mihi obsecro, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis, & quia cum hoc ornamento accessi, quamvis indignus, ad tuum sanctum ministerium; præsta ut cum eo lætari merear in perpetuum. Per Christum.

Ad tunicam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, & tunica justitiæ, & indumento lætitiæ circumda me. Per Christum.

Ad dalmaticam.

Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Per Christum.

Ad planetam.

Deus æternorum bonorum fidelissime promissor, & certissime persolutor, qui vestimentum salutare, & indumentum jocunditatis fidelibus tuis promisisti, clementiam tuam supplex exoro, ut me his sacris vestibus indutum digne tibi servire concedas. Per

Ad manipulum.

Investione hujus manipuli subnixus, te, Domine, deprecor, ut sic operer in temporali conversatione, quatenus exemplo Patrum indutus, in futuro merear perenniter gaudere. Per.

Ad annulum.

Deus, qui me sacris altaribus adstare voluisti, & annulo fidei subarrasti, & populo tuo præfecisti; munda me, quæso, interius & exterius, ut cum grege mihi commisso in cælesti merear adscribi libro. Per Christum.

Post celebrationem missæ cantet canticum sacerdos: Nunc dimittis. Gloria Patri. Benedicite omnia opera. Laudate Dominum in sanctis ejus. Gloria Patri. Kyrie eleison, III. Pater noster. Non nobis, Domine, non nobis. Sacerdotes tui induantur justitia. Non intres in judicium.

Oratio.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, per intercessionem eorum, & meritu omnium sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

De mitræ usu. Ejus antiquitas.

XIV. In hocce Pontificali ecclesiæ Cameracensis antiquo, ubi omnia pontificum ornamenta accurate recensentur, nullam mitræ mentionem fieri legimus, sed neque in aliis antiquioribus pontificalibus libris mss. neque apud Amalarium, Rabanum, vulgatum Alcuinum, aliosque veteres scriptores, qui in ritus ecclesiasticos operam contulerunt. Hinc forte nata est opinio Onuphrii Panvini in Explicatione vocum obscurarum ad calcem Vitarum Romanorum Pontificum asserentis, (mitrarum usum in Romana ecclesia non ante sexcentos annos esse.) Eadem est sententia Hugonis Menardi viri eruditissimi in Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ pag. 362. (Existimo, inquit, vix ante annum post Christum natum millesimum mitræ usum in ecclesiis fuisse.) Respondetque ad argumenta quæ ad probandam mitrarum antiquitatem repetuntur ex Ennodii Epigrammate 77. de vita & moribus S. Ambrosii, ex Oratione Apologetica S. Gregorii Nazianzeni, ubi de consecratione sua agens, (ideirco, inquit, me Pontificem ungis, & podere cingis, capitique cidarim imponis,) ex Ammiani Marcellini lib. 29. ex Eusebii lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. atque ab exemplo apostolorum Jacobi & Joannis, quorum primo *bracteam in capite gestare licuisse*, narrat Epiphanius Hæresi 29. fretus auctoritate Eusebii & Clementis: alterum vero laminam in fronte habuisse, scribit Polycrates apud Eusebium libro 3. Historiæ cap. 31. atque, hoc in ipsis singulare incœpisse simul desiisse. At mitræ usum in Jacobi successoribus, episcopis scilicet Jerosolymitanis perseverasse constat ex epistola Theodosii patriarchæ Jerosolymitani ad Sanctum Ignatium Constantinopolitanum patriarcham, quæ refertur in concilii VIII. generalis actione 1. (Poderem, inquit, & superhumerale cum *mitra*, & pontificalem ornatum S. Jacobi fratris Domini, & primi archiepiscoporum, quo antecessores mei patriarchæ circumamicti, semper in sancta sanctorum ingrediebantur, sacerdotio fungentes, videlicet sanctam memoriam vitæ & sanctum calciare, quo & ipse indutus sum, eadem gerens tuo desiderabili & honorando capiti ex amore & dilectionis copia transmisi.) Sed in occidentali Ecclesia longe ante annum millesimum mitras obtinuisse certissimum est, tum ex antiqua effigie lapidea S. Petri ante annos mille erecta ad portam Basilicæ Corbejensis monasterii, tum ex tabellis & imaginibus summorum Pontificum, quas ex antiquis Romanæ urbis monumentis æri incisas repræsentant Bollandiani in Propilæo Maji, quorum post S. Silvestrum maxima pars cum mitra oblonga & rotunda, ut in lapidea S. Petri Corbejensis effigie, cernitur, tum ex Theodulfi Aurelianensis episcopi carmine 3. lib. 5. ubi de Ornamentis pontificis ita canit:

Illius ergo caput resplendens mitra tegebat.

Mitræ usus omnibus episcopis non licitus sine papæ permissu.

XV. Ut Menardum cum his aliisque de mitræ antiquitate auctoritatibus conciliet Cardinalis Bona lib. 1. de Rebus Liturgicis cap. 24. ait (mitram quidem, qualis est hodie, nuperum ornatum esse, qui ante millesimum Christi annum via fuerit in ecclesia, negari tamen non posse, quin a temporibus Apostolorum aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter, si non omnes, aliqui saltem episcopi usi sunt.) Alia forte ratione eum conciliare possemus, asserendo mitrarum quidem usum omni tempore in Ecclesia viguisse; sed omnibus & singulis episcopis absque speciali sedis Apostolicæ permissu non fuisse licitum, uti observat noster Mabillonius in Præfatione ad Sæculi quarti Benedictini partem secundam, id quod probat ex privilegio Leonis papæ IV. Anschario Hammaburgensi pontifici concesso, in quo ipsi ejusque successoribus præter usum pallii tribuit (ornari caput ejus mitra, portari ante ipsum crucem,) & ex litteris Alexandri papæ III. ad Godevvaldum Trajectensem episcopum in Chronici Belgici libro 16. c. 10. relatis, ad quem Summus Pontifex ita scribit: (Episcopalem mitram tibi tuisque successoribus deferendam concedimus.) Quod certo argumento est, id non cuivis episcopo citra privilegium licuisse, alioquin inutiles fuissent illæ pontificiæ concessiones. Huc forte referendum est id quod narrat S. Bernardus in Vita S. Malachiæ, ubi describens quali cum benevolentia ab Innocentio II. acceptus fuerit, (tollens, inquit, scilicet Innocentius, mitram de capite suo, imposuit capiti ejus,) qua forte ante hoc tempus nondum fuerat ornatus. Adde quod in Cartis Majoris-monasterii plura tractaverim episcoporum, qui Sæculo XII. floruerunt, sigilla, in quibus pontificalibus ornamentis induti, sed sine mitra repræsentantur; quod argumento est, illos ea non usos fuisse.

Orientales episcopi mitras non gestant, præter patriarchas.

XVI. De orientalibus etiam ita legitur in epitome bellorum sacrorum apud Canisium tom. 6. antiquarum lectionum: (Omnes orientales prælati annulis & mitris pontificalibus non utuntur, sed baculos pastorales portant in manibus.) Idem habet Jacobus a Vitriaco in Historia Orientali cap. 78. Idem de Græcis hodiernis tradunt Jacobus Goar in notis ad Euchologium Græcorum pag. 431. & Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 24. Quibus suffragatur Gretserus in Commentario in Codini lib. 1. de Officiis cap. 16. n. 11. ubi hæc scribit: (Mitra seu infula non utuntur episcopi Græci in sacrificio, sed aperto capite totam liturgiam perficiunt.) His accedit Simeon Thessalonicensis lib. de Templo mox citandus. Ab hac tamen consuetudine eximendi videntur Patriarchæ, quos mitra usos esse constat: saltem de Alexandrino, Constantinopolitano, & Jerosolymitano id demonstrari potest. De Alexandrino ita scribit Theodorus Balsamon in Medit. de Patriarch. privil. lib. 7. Juris Orientalis: (Cum omnes alii pontifices capitibus apertis res sacras peragant, solus Alexandrinus patriarcha rem divinam facit mitra caput obvolutus.) Et Simeon Thessalonicensis: (Aperto capite episcopi & sacerdotes orientis omnes, excepto Alexandrino patriarcha, sacris funguntur.) Quod privilegium Cyrillo Alexandrino episcopo Romani pontificis per-

sonam

sonam in concilio Ephesino repræsentantis Cœlestino papa concessum volunt, ut post Balsamonem scripsit Nicephorus lib. 14. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 34. Quamvis etiam ante Cyrillum Alexandrini episcopi mitra uti potuerint. Id saltem de S. Marco legitur in ms. ejus passione: (Quem quidem (B. Marcum) juxta ritum carnalis sacrificii pontificalis apicis petalum in populo gestasse Judæorum, illustrium virorum syngraphæ declarant.) Patriarchas etiam Constantinopolitanos mitra usos fuisse, sed linea alba, discimus ex Cantacozeno lib. 3. cap. 36. ubi narrat, quod cum Johannes patriarcha Constantinopolitanus Johannem Andronici filium imperatorio diademate cinxisset, (ipsi sibi flammeum seu tegmen capitis quod antea patriarchis, si de monachis non essent, album ferre mos erat, auro illustravit, Servatoris nostri, & Deiparæ & Johannis Baptistæ depictis in eo iconibus.) De Jerosolymitano supra retulimus locum ex epistola Theodosii ad S. Ignatium, quo manifestum fit, patriarchas Jerosolymitanos pontificalibus S. Jacobi ornamentis, in quibus mitra recensetur, usos fuisse. Postea etiam Alexander papa IV. patriarchæ Jerosolymitano, apostolicæ Sedis legato (propter honorem locorum Dominicorum) indulsit ut insignibus papæ convenientibus (in Cypri & Armeniæ regnis, principatu Antiochiæ, partibus Syriæ, & insulis seu provinciis adjacentibus, & in omni parte orientali,) ubi legationis officium exercebat, quod nullus alius sibi tribuet, nisi fuerit Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, ut legitur in Registro epistolarum papalium. Verum non solum Jerosolymitanus antistes, sed etiam (abbates, & priores patriarchæ Jerosolymitano subjecti, mitras, annullos, & sandalia in usu) habebant, ut testatur Jacobus a Vitriaco Historiæ Orientalis cap. 78. Nunc vero nonnulli Græcorum pontifices mitram in celebrandis sacris mysteriis adhibent, ut perhibet Leo Allatius in quadam epistola ad Jacobum Goar. Vidi ipse episcopum Græcum celebrantem cum mitra, sed a nostro omnino diversa: Est enim rotunda, non acuminata, aut oblonga, sed obtusa, qualis fere est illa, cum qua repræsentatur Callixti papæ II. effigies in Bollandiano Maji Propilæo.

Mitræ usus abbatibus indultus.

XVII. Redeo ad latinos seu occidentales, apud quos licet usus mitræ episcopis ipsis non esset communis: postmodum tamen non solum episcopis & cardinalibus, sed ipsis etiam abbatibus concessus est. Nam Alexander papa II. hoc privilegium abbati S. Augustini Cantuariensis, & Cavensi; Urbanus II. abbati Casinensi & Cluniacensi, aliique aliis pontifices indulserunt, frustra reclamantibus S. Bernardo abbate in epistola 42. & Petro Blesensi epistola 90. qui hac de causa abbates ambitionis notant. Ambitionis notandus non videtur Hermanus abbas Reinartbotnensis, cui Lucius papa III. non ad ejus, sed ad Ludovici Thuringiæ Landgravii petitionem mitræ concessit usum his verbis: (Mitram quam de capite nostro assumsimus præfato Ludevvico Landgravio tradidimus, per ipsum tibi in argumentum nostri beneficii præsentandam.)

Canonicis.

XVIII. Non modo ab episcopis ad abbates, sed ipsos etiam canonicos mitrarum usus transiit. Nam memini me alicubi legisse, Leonem papam IX. Bisontinis canonicis permisisse, ut diaconus & subdiaconus ad altare ministrantes mitris uterentur. Idem quoque summus pontifex Canonicis Bambergensibus (mitras gestare (concedit) licentiam, ea scilicet ratione, ut ab episcopo provideantur digniores & honestiores presbyteri & diaconi, qui bonis moribus vel maturis ætatibus, vel etiam prælationibus ipsius loci emineant, his videlicet diebus, in Natali Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, & in Cœna Domini, & in Sabbato sancto, & in die gloriosæ Resurrectionis ejusdem, & sancta Pentecoste, & in die S. Georgii, & in die SS. Petri & Pauli, & Assumptionis beatissimæ Mariæ, & S. Dionysii ..... & in anniversario die Domini Henrici imperatoris ejusdem loci venerabilis constructoris,) ut ait in litteris ad Hartuvicum episcopum anno 1052. datis, & in Vita S. Henrici apud Surium die 14. Julii relatis, additque: (His vero concedimus, hanc dignitatem, qui tantum specialiter excubant vel deserviunt apud prædicti prædecessoris nostri sepulchrum.) nec ultra a quoquam temere usurpari, ne honor proprius apostolicæ sedis vilescat.) Quæ verba confirmant id quod supra asseruimus, mitram commune episcoporum, nisi ex singulari privilegio, ornamentum non fuisse, alioqui non diceretur *honor proprius Apostolicæ sedis*. Præter Bisuntinos & Bambergenses canonicos, archidiaconus Pictaviensis apud Matthæum Paris in Vitis abbatum S. Albani p. 52. aliquando dixisse fertur: (Meus vicarius in ecclesia B. Hilarii incedit mitratus in omnibus præcipuis anni festivitatibus, nec derogat mitra episcopali dignitati.) Nunc vero non solus vicarius, sed alii canonici Pictavienses S. Hilarii mitram gestant. Idem de Lugdunensibus, Aniciensibus, Matisconensibus ecclesiæ S. Petri, & Brivatensibus S. Juliani asserendum est. Pragenses etiam canonici Regulares ab Uratislao duce instituti hoc privilegio gaudent, sibi ab Alexandro II. indulto, ut præpositus, decanus, presbyter celebrans cum diacono & subdiacono ministrantibus altari mitram & alia pontificalia ornamenta deferrent, ut refert Molanus lib. 3. de Canonicis cap. 9. Immo *usum mitræ laicis hactenus inconcessum, Uratislao* ipsi concessisse idem Alexander papa legitur in ejus Vita: cujus concessionem confirmavit postea Gregorius papa VII. lib. 1. epist. 38.

XIX. Porro ad formam mitræ quod attinet, Summi pontificis rotunda & oblonga in acumen desinens erat, ut in pluribus eorum tabellis advertimus. Singularis est ergo effigies Callixti papæ II. in Propilæo Maji Bollandiano pag. 208. ubi repræsentatur cum mitra obtusa. Episcoporum vero erat bicornis seu bifidia, sed ab hodierna paulo humilior, quam olim ab ea parte qua aperitur fronte gestabant, ut videre est in antiquis episcoporum statuis, idque deprehendimus in pluribus eorum sigillis, chartis Majoris monasterii appensis.

ARTICULUS II.

De accessu celebrantis ad altare & de confessione.

I. PRæparato autem & ornato sacris vestibus celebrante ejusque ministris, antiquus in ecclesia Romana mos fuit, ut præcentor stans ante faciem pontificis nutum ejus ad psallendum expectaret; cumque ille annuisset, præcentor ante fores secretarii egressus, ministris proclamabat *accendite*; accensisque luminaribus, cantores antiphonam ad introitum incipiebant. Qui quidem ritus olim in ecclesia Turonensi ante annos sexaginta observatus, hactenus illibatus permansit in ecclesia Andegavensi, cum hoc discrimine, quod versus *accendite*, qui a præcentore imponebatur apud Romanos, Andegavis cani solet a psaltis & pueris symphoniacis in aditu chori, ut scribit Jacobus *Eveillon* in libro de Processionibus ecclesiasticis cap. 5. Sed in ecclesiis olim Gallicanis archidiaconus alba indutus episcopum invitans ad altare præcedebat, teste Gregorio Turon. in Hist. lib. 4. cap. 38.

Eucharistia ad altare ante pontificem delata.

II. Tunc Pontifex cum magno apparatu a sacrario, quod olim in inferiori ecclesiæ parte esse solebat, per navim mediumque chorum procedebat, qui mos adhuc viget in celebri S. Dionysii prope Parisios basilica, aliisque insignioribus ecclesiis, ut in Viennensi & in Turonensi. Varios hujus processionis ordines referre & ritus, qui pro diversis locis diversi sunt, parum juvat. Parisiis (celebrans ad altare procedendo defert cum velo sacram crucem in ecclesia metropolitana, aliisque ecclesiis collegiatis, & magnis parrochiis: in aliis vero minoribus ecclesiis loco hujus sanctæ crucis defertur ab Acolytho seu antiquiore puerorum chori cappa induto magna crux processionalis inter duos ceroferarios,) inquit Ceremoniale Parisiense anno 1656. impressum. Idem ritus in multis locis observatur: Sed longe præstantior in antiquis Romanis Ordinibus præscribitur, quo non solum crux, sed qui pro nobis cruci affixus speciebus Eucharisticis obvolutus, ex præcedenti sacrificio ab acolythis in sacculo deferebatur ad altare. [Tunc duo acolythi tenentes capsas cum *Sanctis* apertas, & subdiaconus sequens cum ipsis tenens manum in ore capsæ, ostendit *Sancta* pontifici, & contemplatur, ut si fuerit superabundans, præcipiat ut ponatur in conditorio.) Ita primus Ordo Romanus n. 8. Musei Italici tom. 2. Qui quidem ritus non in solis stationum c[illegible], in quibus Summus Pontifex cele-

sibi ab acolythis delatam accepissent, id quod a Melchiade & Siricio institutum fuisse docet liber Pontificalis. De hoc ritu ita scribit Innocentius papa I. in epistola ad Decentium Eugubinum episcopum: [De fermento quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti; cum omnes ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ: quarum presbyteri quia die ipsa propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die non judicent separatos. Nam fermentum hic loci de Eucharistia intelligendum esse norunt viri eruditi. Verum non solum diebus Dominicis id actitatum fuisse, sed in præcipuis insuper festis, discimus ex antiquis ms. Glossis in decretales quas citat Mabillonius in Itinere Germanico Analectorum tomo 4. p. 60. (De fermento, inquiunt, quod dicis, mos est Romanis ut de missa quæ cantatur in Cœna Domini, & in Sabbato sancto, & in die sancto Paschæ, & in Pentecosten, & in Natali Domini die sancto per totum annum servetur, & ubicumque per stationes, si ipse papa ad missam præsens non fuerit, de ipsa missa mittitur in calicem cum dicit *Pax Domini sit semper vobiscum*. Tamen sabbato sancto paschæ nullus presbyter per ecclesias baptismales neminem communicat antequam mittatur ei de ipsa Sancta, quam obtulit Dominus papa.) Neque vero solis Romanis mos iste fuit, sed in ipsis etiam Galliis obtinuisse colligimus ex Gregorii Turonensis libro 1. de Gloria Martyrum cap. 85. ubi refert miraculum quod occasione cujusdam polluti adulteriis diaconi accidit in festo S. Polycarpi hoc modo: (Tempus, inquit, ad sacrificium offerendum advenit, acceptaque turre diaconus in qua ministerium Dominici Corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingressusque templum, ut eam altari superponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in ara, & sic ad ipsam aram accedens numquam eam manus diaconi potuit assequi.) Scio quidem aliquos doctos scriptores per ministerium Corporis Dominici, intelligere vasa sacra ad sacrificium offerendum destinata. Verum huic interpretationi refragatur antiqua editio Gregorii Turonensis anni 1511. quæ cum vetustissimo codice ms. ecclesiæ S. Martini Turonensis annorum circiter 800. non *ministerium* sed *mysterium* profert, & S. Odo abbas Cluniacensis qui in libris Collationum hunc Gregorii locum de Eucharistia intellexit. Eumdem etiam locum similiter interpretatur auctor antiquus anonymus, qui nonnulla de Sacramento altaris collegit ex veteribus scriptoribus miracula, cujus opus ms. habetur in Pratellensi monasterio. Adde quod Eucharistia olim servabatur in Turri, id quod hactenus retinet ecclesia Majoris monasterii Turonensis. Et certe si vasa sacra hoc loco essent intelligenda, non simpliciter diceret *ministerium Corporis Christi*, sed addidisset *& sanguinis*: quam vocem ideo prætermisisse videtur, quia Eucharistia sub hac specie conservari non solet. Sane in Ordinationibus episcoporum & presbyterorum ex consecratis oblatis una a singulis ordinatis reservabatur, ex qua per singulos quadraginta dies dum offerrent communicabant, ut discimus ex Fulberto Carnotensi & ex antiquo Pontificali ecclesiæ Suessionensis, quod ms. servatur in nostro S. Cornelii Compendiensis asceterio. Atque hunc forte ritum spectat locus ex Arabica versione canonum concilii Nicæni cap. 19. tom. 2. conc. (Quoties fiunt commemorationes in ecclesiis, & monasteriis, & martyrum ædibus, & aliquid Eucharistiæ residuum fuerit, eo honorentur sacerdotes in sequenti die mane antequam communicent. Si autem residuum multum fuerit, partiantur illud inter se, & unusquisque suam sumat portionem unica tantum vice per modum unius boli.

III. Pontifex perveniens ad altare adorabat Sancta, tum facta confessione, osculabatur textum S. Evangelii, id quod nihilominus in plerisque ecclesiis ante confessionem præstabat. In Remensi subdiaconus porrigens evangelium sacerdoti osculandum in ingressu altaris dicebat: *Hæc est lex sancta, pater*. Sacerdos respondebat *Credo & Confiteor*.

Confessionis formula.

IV. De confessionis formula habemus concilii III. Ravennatis hoc statutum cap. 15. (Quoniam in confessionibus quæ fiunt publice in introitu missæ & alias, varii per functione & diversimode confitentur, statuimus & de cetero observari præcipimus, per totam provinciam Ra-

& Paule & omnibus Sanctis.) In vetustissimo libro Sacramentorum ecclesiæ Turonensis ab annis circiter 800. exarato ista continentur: (Conscientia quidem trepida omnipotens Deus ad altare tuum accedimus, sed fiduciam de tuæ pietatis misericordia retinemus, & licet ad celebranda sacrificia tua semper inveniamur indigni; tamen si recedimus, veremur de inobedientia condemnari, pro qua re nos pietate paterna atque placabili vultu respicere, & cordis nostri interiora digneris precamur: licet etiam culpabiles existamus, nostra tamen tibi placita sint in omnibus mysteria consecrata. Amen.) Hujusmodi confessiones seu orationes, quas & Apologias appellabant, apud veteres longe usitatiores erant, easque non stans; sed *pronus ante altare* recitabat, uti videre est in antiquo ms. codice ecclesiæ Bellovacensis, sed recentiores ad præscriptam in concilio Ravennate formulam omnino accedunt. Ex his nonnullas accipe. Missale insignis ecclesiæ Lemovicensis anno 1483. typis mandatum sic inducit presbyterum ad altare accedentem: *Sacerdos volens accedere ad altare dicat*: Confitemini Domino quoniam bonus. ℟. Quoniam in sæculum misericordia ejus. *Item sacerdos*: Ego reus & indignus sacerdos confiteor Deo, & B. Mariæ, & omnibus Sanctis, & vobis fratres, quia ego peccator peccavi nimis per superbiam, cogitatione, delectatione, locutione, pollutione mentis & corporis, visu, verbo, auditu, loquendo, & participando cum excommunicatis, in ordine meo, & de cunctis vitiis meis malis, mea culpa: ideo precor gloriosam Virginem, & omnes sanctos, & sanctas Dei, & vos fratres, ut oretis pro me ad Dominum Jesum Christum, ut ipse per suam omnipotentem misericordiam misereatur mei.

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, salvet & confirmet in omnibus, & perducat vos Jesus Christus ad vitam æternam. Amen.

Item sacerdos. Indulgentiam, absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Et gratia Spiritus sancti emundet vos a delictis omnibus. ℟. Amen.

Adjutorium in nomine Domini, &c. Sit nomen Domini benedictum, &c. Ab occultis meis munda me, Domine, &c. Domine exaudi orationem. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

Deus qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos, munda cor meum & corpus meum ab omni contagione & sorde peccati, & fac me dignum ac strenuum sanctis altaribus tuis ministrum, & concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles atque placabiles offeram pietati tuæ, pro peccatis, & offensionibus meis, & pro innumeris quotidianisque excessibus meis, & pro salute vivorum, vel requie defunctorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Oratio. Aufer a nobis, &c.

Deinde elevat se & vadit ad altare.

Brevius in missali Majoris-monasterii anno 1608. impresso: (Confitemini Domino quoniam bonus. Quoniam in sæculum, &c. Ego reus & indignus sacerdos confiteor Deo omnipotenti, & B. Mariæ Virgini, & omnibus sanctis ejus, & vobis fratres, quia ego miser peccator peccavi nimis corde, ore, opere, & omissione, mea culpa, mea gravissima culpa. Ideo precor vos orare pro me. Amen. Fratres; misereatur vestri omnipotens, &c. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum, gratiam & consolationem Sancti Spiritus, cor contritum & vere pœnitens tribuat vobis Pater pius & misericors Dominus. Amen.)

Denique ut his tandem finem imponam in missali ecclesiæ Turonensis anni 1533. hoc missæ initium lego: (*Sacerdos dicat immediate ante altare, aut se revestiendo, quod communius fit*. Et introibo ad altare Dei. Ad Deum qui lætificat juventutem meam. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Sed libera. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus. ℟. Quoniam in sæculum misericordia ejus. Et ego reus & indignus sacerdos confiteor Deo omnipotenti, &c. *Et post confiteor assistentium dicat sacerdos*. Amen.

Fratres & Sorores, per misericordiam Domini nostri Jesu Christi, per auxilium & signum sanctæ † crucis, per intercessionem beatæ & gloriosæ semperque Virginis Mariæ, & per merita B. apostolorum Petri & Pauli. B. Michaelis archangeli, B. Martini & omnium Sanctorum

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens Pater, pius & misericors Dominus. Amen.

Et gratia Sancti Spiritus Paracliti illuminet sensus, corda & corpora vestra, emundet vos a vitiis & delictis omnibus. Amen.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, &c. Sit nomen Domini benedictum, &c. Ora pro nobis beatissima Dei genitrix, &c. Domine exaudi orationem, &c. Dominus vobiscum.)

Ceterum confessioni plures versiculos præmittebant nonnulli, cujus rei exemplo esse possunt antiquæ Consuetudines mss. Gellonensis monasterii, ex quibus sequentem accipe missæ introitum:

(In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
M. Qui fecit cælum & terram.
S. Sit nomen Domini benedictum.
M. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
S. Introibo ad altare Dei, &c. *usque ad* salutare tuum da nobis.
S. Sacerdotes tui induantur justitiam.
M. Et sancti tui exultent.
S. Ab occultis meis munda me.
M. Et ab alienis parce servo tuo.
S. Post partum virgo inviolata permansisti.
M. Dei genitrix intercede pro nobis.
S. Nos autem gloriari oportet.
M. In cruce Domini nostri Jesu Christi.
S. Intercede pro nobis B. Guillelme.
M. Ad Deum, qui te elegit.
S. Fuit vir vitæ venerabilis.
M. Gratia Benedictus & nomine.
S. Orate pro nobis omnes sancti Dei.
M. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
S. Domine exaudi orationem, meam, &c. Dominus vobiscum, &c.

Oremus. Aufer a nobis, &c.

Domine sancte, Pater omnipotens æterne Deus, fac me dignum in conspectu tuo, ut liceat mihi digne ministrare tuum sanctum sacrificium ante sanctum altare tuum pro me & pro omnibus fidelibus Christianis, qui tuum nomen sanctum invocare volunt. Per Christum, &c.

Conscientias nostras quæsumus, Domine, visitando purifica, ut veniens Jesus Christus Filius tuus cum omnibus sanctis paratam sibi in nobis inveniat mansionem, qui tecum vivit, &c. *M.* Amen.

S. Adjutorium nostrum, &c.
M. Qui fecit cælum & terram.
S. Confitemini Domino quoniam bonus.
M. Quoniam in sæculum misericordia ejus.
S. Et ego reus & fragilis peccator, & indignus sacerdos Confiteor Deo, & Gloriosæ Virgini Mariæ, & B. apostolis tuis Petro & Paulo, & B. Guillelmo, & B. Benedicto, & omnibus Sanctis Dei, & vobis, frater, me gravitar peccasse per superbiam, cogitatione, omissione, consensu, verbo, & opere. Maxima mea culpa Deo.
M. Deo gratias. Misereatur vestri, &c. Indulgentiam, &c.
S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
M. Qui fecit cælum & terram.
S. Sit nomen Domini benedictum.
M. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
S. Benedicamus Domino.
M. Deo gratias.
S. Judicium & pœnitentiam pro peccatis meis. Pater noster qui es in cælis, &c.
M. Et nobis pariter.

V. Sed hæc minutiora sunt quam ut eis diutius immoramur. Confessionis locus in omnibus passim insignioribus ecclesiis in inferiori altaris gradu designatus habetur. Sed in Viennensi archiepiscopus celebrans confessionem facit in linea medio in presbyterio constituta, quam solus cum capellano & duobus diaconis honorariis occupat, ministris ejus in collaterali ejusdem lineæ consistentibus, ut videre est in tabella quam sequenti capita expressam exhibemus. Si vero alter ab archiepiscopo missam decantet; ipse nihilominus, assistentibus præcipuis chori dignitatibus duabus, confessionem una cum celebrante ibidem recitat: eaque absoluta, subdiaconus evangelii textum eidem celebranti, & diacono osculandum præbet. Alius viget usus in insigni Basilica S. Martini Turonensis, in qua nempe ad altare ... in presbyterio ... ad introitum intrantibus, sonat classicum campanarum cori. Post sacerdos, & diaconus, & magister subdiaconus altare B. Petri osculantes, vadunt ante sepulcrum dicentes ibi *confiteor*, & missæ introitum decantantes, & *Kyrie eleison*: aliis subdiaconis altare parantibus, clericulis ante altare cum candelis, & cereis hinc inde stantibus. Hoc dicto, redeunt ad altare, dicentes psalmum *Deus misereatur*.) In ecclesia Bajocensi facta confessione celebrans cum ministris conversus ad populum dicit *absolutionem*, &c. In Parisiensi vero (Subdiaconus offert sanctam crucem deosculandam celebranti, & aliis omnibus ministris altaris, etiam thuriferario, & ceroferariis,) ex Ceremoniali ejusdem ecclesiæ.

ARTICULUS III.

De missæ introitu, &c. usque ad Epistolam.

Antiphona ad introitum.

I. DUm confessionem ad altare facit sacerdos, chorus antiphonam ad *Introitum* dictam, *ingressam* vocant Ambrosiani, decantat, cujus auctorem Gregorium magnum facit Honorius in libro 1. de Gemma animæ cap. 87. cum Cælestinus antea psalmos antiphonatim, id est alternis choris modulandos præscripsisset, ut habet liber Pontificalis, (de quibus Gregorius papa, inquit Honorius, postea antiphonas ad introitum missæ modulando composuit.) Ab antiphona etiam incipiebat Liturgia antiqua Gallicana, ut constat ex vetustissima ipsius expositione, quam edidimus in tom. 5. Anecdotorum. Illæ autem antiphonæ a quibus missa incipiebat (*Introitus* ideo vocantur, quia introeunte populo in basilicam, decantetur, & eousque cantio ejus protendatur, quo usque imperturbato ordine tam pontifex, quam & cæteri ecclesiastici ordines secundum suum quisque dignitatem ingrediantur ecclesiam, & coneruam suscipiant stationem.) Ut dicit Aurelianus monachus Remensis in ms. tractatu de musica tempore Caroli Calvi conscripto.

Ascensus ad altare.

II. In privatis autem missis sacerdos, facta confessione, ascendebat ad altare, & quidem hanc recitando orationem ex antiquo missali ecclesiæ Antissiodorensis: (Dadne me, Domine, in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum: voluntarie sacrificabo tibi, & cofitabor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.) Deinde osculabatur altare pedesque crucifixi, si esset in altari, aut saltem imaginem initio missalis olim depingi solitam, dicens hanc aut similem orationem: (Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum. Te invocamus, te laudamus, te adoramus, o beata Trinitas) Qui ritus in omnibus passim vigebat ecclesiis, ut probant antiqua earum missalia. In Turonensi vero præscribitur, ut (osculando patenam dicat sacerdos: Adoramus te Christe, &c. Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Qui tecum. Adjutorium nostrum in nomine Domini, &c. Sit nomen Domini benedictum, &c. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Deinde legat antiphonam ad Introitum.) In ms. autem missali Majoris monasterii, quod olim videtur usui fuisse celebri ecclesiæ S. Martini Turonensis hæc lego: Sacerdos (ascendat ad altare, & deosculetur eum, & textum dicendo sic: Pax Christi, quam nobis per evangelium suum tradidit, conservet & confirmet corda & corpora nostra in vitam æternam. Amen.)

Episcopi sedes.

III. At vero in missa solemni, facta confessione, & thurificato altari, celebrans, si esset episcopus anteo superior, ad paratam sibi sedem deducebatur. Hæc ex libro 2. Constitutionum Apostolorum cap. 61. medio in templo erat constituta, sive in abside ecclesiæ, ut patet ex libro Miraculorum S. Stephani, qui extat in Appendice tomi 7. operum S. Augustini novæ editionis cap. 3. & quidem linteo obvoluta, uti videre est in eodem loco, in epistola S. Augustini ad Maximum, quæ in nova editione est 23. in epistola 2. S. Paciani ad Sempronianum, & in epistola Synodica episcoporum Ægypti, quam ...

in humilioribus subselliis, & adstantibus diaconis in veste candida, quemadmodum scribit Gregorius Nazianzenus in Somnio de ecclesia Anastasiæ, idque confirmant Constitutiones Apostolorum loco citato his verbis: [In medio sit sedes episcopi, ad cujus utrumque latus consideant presbyteri, & diaconi assistant succincti & expediti.] ubi quod de statione diaconorum dicit, confirmatur ex epistola 9. Gelasii papæ ad episcopos Lucanę cap. 8. cujus titulus est, *Quod diaconi in presbyteria residere non possint*, &c. idque antea docuerat S. Hieronymus in epistola 85. ad Evagrium. (Ceterum etiam in ecclesia Romæ presbyteri sedent, & stant diaconi; licet paulatim increbrescentibus vitiis, inter presbyteros, absente episcopo, sedere diaconum viderim.) Longe ab istius diaconi mente dissidebat S. Martinus, quem licet episcopum (in ecclesia nemo sedere conspexit,) teste Sulpicio Severo Dialogo 2. cap. 1. [In secretario autem sedens numquam cathedra usus est:) sed (sedebat in sellula rusticana, ut est in usibus servulorum.) Nunc vero pro sede episcopi utuntur faldistorio ad gradus altaris, aut a latere ejusdem collocato. Sed Lugdunensis ecclesia antiquam retinuit consuetudinem, uti & Viennensis in Gallia, in qua thronus archiepiscopalis marmoreus pone majus altare in abside situs, eique assident in humilioribus scamnis lapideis hinc inde sacri ministri ordine qui in subsequenti tabella perspici potest. Hujusmodi sedes lapidea in abside ecclesiæ S. Nazarii Augustodunensis hactenus cernitur, in eaque collocatur episcopus cum ecclesiæ suæ possessionem init, uti observavimus in Itinere nostro Litterario.

Littera A in superiori parte designat archiepiscopum residentem in throno; in inferiori, confessionem facientem; in medio, ad altare celebrantem.

B. Designat archiepiscopi capellanum cappa indutum.

C. Septem diaconos hinc inde archiepiscopo assidentes in scamnis lapideis.

D. Septem subdiaconos, quorum primus epistolam cantaturus a sinistris archiepiscopi residet in scamno superiori, habens ad dextram tres diaconos; sex reliqui in scamno humiliori.

E. Diaconos honorarios, ut vocant, duos infra thronum archiepiscopi in scabellis assidentes.

F. Subdiaconos crucis & baculi bajulos semper stantes.

G. Thronum archiepiscopi ad matutinas & vesperas, & ad concionandum.

H. Gradus quibus a presbyterio descenditur in chorum.

I. Stalla chori superiora.

L. Stalla inferiora, in quibus collocantur canonici nondum sacris initiati.

M. Pulpitum cantorum, in quo cantantur, epistola, graduale, & alleluja.

N. Sedes cantorum in primariis anni sollemnitatibus.

O. Odeum ad cantandum evangelium in prædictis festis.

P. Januam chori sub odeo.

Q. Sedem archiepiscopi non celebrantis.

R. Sedem decani, quam in ejus absentia occupat subdiaconus major ab initio hymni angelici *Gloria in excelsis* usque ad verba *qui sedes*, diebus dumtaxat festis primæ classis. Præsente autem decano, secundam sedem obtinet.

S. Concionatoris cathedram.

IV. Residens igitur in throno pontifex permanet usque ad offertorium, atque ibi recitat aut cantat quæcumque recitanda interim, aut cantanda sunt. Eodem fere privilegio gaudent in ecclesia Remensi celebrantes omnes, etsi non episcopi. Nihil enim recitant aut cantant ad altare ante offertorium, sed in pulpito ad altaris latus collocato. Idem etiam usus in aliis ejusdem metropolis ecclesiis forte vigebat: saltem de Laudunensi id constat ex ms. Ordinario ejusdem ecclesiæ, in quo præscribitur ut *finita Gloria, sacerdos veniat ad lectrecolum ad dicendas orationes.*

Kyrie eleison.


V. Interim cantato & repetito semel & iterum pro sollemnitatum varietate introitu, chorus subjungit *Kyrie eleison. Christe eleison*, quod tandiu olim repetebat donec subsistendum celebrans innuisset. De hac voce notanda sunt maxime S. Gregorii lib. 7. epist. 67. verba: [Kyria eleison autem nos neque diximus, neque dicimus, sicut a Græcis dicitur: quia in Græcis simul omnes dicunt: apud nos autem a clericis dicitur, a populo respondetur, & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur.) Quod spectat ad Græcos, scribis Alcuinus seu quivis auctor libri de Divinis Officiis cap. *de celebratione missarum & earum significatione*, ev[illegible] ævo forte vigebat; sed nunc omnino obsolevit. Nam Kyrie eleison græce passim in suis Liturgiis pronunciant. Eamdem vocem ter usurpant Ambrosiani, scilicet post *Gloria in excelsis*, post evangelium, & in fine missæ. Eadem & in liturgia Gallicana ex decreto concilii secundi Vasensis can. 3. decantabatur. Johannes Belethus qui sæculo XII. florebat in Explicatione divinorum Officiorum cap. 36. asserit, in quibusdam ecclesiis addi ἰωᾶε. Quod ex Durandi Rationali lib. 4. cap. 2. post ultimum dumtaxat Kyrie eleison subjici intelligendum est.

Hymnus angelicus.

VI. Finito in choro cantu, pontifex celebrans incipit hymnum *Gloria in excelsis Deo*, quem in ecclesia Parisiensi, dum cantatur ultimum *Kyrie*, ipsi prænunciat primus Chorista flexis genibus. De hoc hymno hæc habet liber Pontificalis in Symmacho, qui anno 498. ad summum Pontificatum evectus est: (Hic constituit ut omni die Dominico, vel natalitiis martyrum hymnus Gloria in excelsis diceretur.) Quod decretum si ad omnes presbyteros extendatur illud postea ad solos episcopos restrinxisse S. Gregorius dicendus est, Nam missæ ordinem initio libri Sacramentorum describens hæc ponit: (Item dicitur *Gloria in excelsis Deo*, si episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus festis. A presbyteris aut minime dicitur, nisi in solo pascha. Quando vero letania agitur, nequa *Gloria in excelsis Deo*, neque *alleluya* canitur.) Cujus statuti meminit Walfridus cap. 22. (Statutum est, inquit, ut ipse hymnus in summis festivitatibus a solis episcopis usurparetur, quod etiam in capite libri Sacramentorum designatum videtur.) Idem statutum renovasse videtur Stephanus papa III. saltem pro ecclesia Lateranensi. Sed Calixtus papa II. abbati & fratribus monasterii Trenorchiensis concessit ut in Annunciationis Dominicę festo hunc hymnum in missa recitarent. Extat summi Pontificis ea de re Privilegium ad Franconem abbatem inter Calixti epistolas n. 17. in quo hæc lego: (Pro reverentia B. Mariæ semper Virginis, cujus nomine locus vester insignis est, in Annunciatione Domini Salvatoris nostri hymnum angelicum inter missarum solemnia abbati & fratribus pronunciare concedimus.) Eumdem hymnum in Hispania ritu mozarabo olim decantari consuevisse diebus Dominicis & festis quibusdam tradunt Etherius episcopus & Beatus presbyter lib. 1. adversus Elipandum. At vero in ecclesia Gallicana celebratum in missa olim fuisse nulla, docent veterum testimonia. Equidem in publicis gratiarum actionibus decantatum fuisse, probant Gregorii Turonensis loca duo ex libro 1. de Gloria Martyrum cap. 63. & ex libro 2. de Miraculis S. Martini cap. 15. Usurpatum etiam fuisse ad laudes matutinas ostendimus in Commentario in Regulam S. Benedicti cap. 12. In vulgata etiam a Mabillonio Musei Italici tom. 1. Liturgia reperitur inter gratiarum actiones post missam. At in missa ipsa adhibitum fuisse nusquam legi apud antiquos scriptores. Gratis ergo & ex suo scripsisse videtur Johannes Belethus: (Sequitur hymnus de evangelio sive evangelicus *Gloria in excelsis Deo*, quod antea solum ad missam dicebatur. Reliqua vero B. Hilarius Pictaviensis episcopus apposuit, scilicet *Laudamus te*, & cetera quæ sequuntur, quæ etiam ad missam cantari instituit.] Neque enim certum est, Hilarium hujus hymni esse auctorem. Licet enim post vulgatum Alcuinum a magna auctorum caterva illi adscribatur, extat tamen integer in libro 7. Constitutionum Apostolorum. Quod autem in publicis gratiarum actionibus hymnus ille fuerit adhibitus, non uni fuit ecclesiæ Gallicanę singulare. Nam Patres concilii sexti œcumenici in Sermone acclamatorio ad Constantinum imperatorem de felici ejusdem concilii conclusione. (Soli sapienti, inquiunt, & potenti Deo, gratiarum laudes enixius offeramus *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax* decantantes.) Et Patres concilii VIII. Toletani: (Accepto deinde oblato nobis tomo, agentes Domino gratias exclamavimus *Gloria in excelsis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*,) &c. Pippino etiam Caroli magni filio occurrenti summo Pontifici Leoni, idem Pontifex *Gloria in excelsis Deo* inchoasse perhibetur apud Anastasium in Vita Leonis papæ III.

Salutatio populi.

VII. Finito hymno, celebrans salutet populum dicens: *Dominus vobiscum*. De qua salutatione extat hoc concilii secundi Bracarensis decretum can. 21. [Placuit ut non aliter episcopi, & alter presbyteri populum, sed uno modo salutent dicentes, *Dominus sit vobiscum*, sicut in libro Ruth legitur, & ut respondeatur a populo: *Et cum spiritu tuo*, sicut & ab ipsis apostolis traditum omnis retinet occi-


Tom. I.
Pag. 132.
A
CCCCB
DDD
DCCC
DDD
E E
F F
FDDDDCCC
CCCCDDDF
E A B E
DDDCCC
CCCCDDD
E A B E
S
G
H
I L
L I
M
N N
Q
R
O
P



ad Gallos & Germanos: [Consultum est etiam, inquit, utrum episcopi *Pax vobis*, an *Dominus vobiscum* pronunciare debeant. Sed non aliter per omnem vestram provinciam tenendum est, quam in sancta Romana ecclesia. In Dominicis enim diebus, & in præcipuis festivitatibus, atque sanctorum natalitiis *Gloria in excelsis Deo*, & *Pax vobis* pronunciamus: In diebus vero quadragesimæ, & in quatuor temporibus, sive in vigiliis sanctorum, & in reliquis jejuniorum diebus *Dominus vobiscum* tantummodo dicimus.) Nunc vero omni tempore episcopi in hac prima salutatione dicunt *Pax vobis*. Græci salutant populum his verbis: *Pax omnibus*. In antiqua liturgia Gallicana sacerdos populum salutabat dicendo *Dominus sit semper vobiscum*, plebe respondente *Et cum spiritu tuo*, uti videre est in illius expositione a nobis edita tom. 5. Anecdotorum. In celebri ecclesia S. Martini Turonensis, uti & in Carnotensi chorus non respondet, *Et cum spiritu tuo*, sed unus dumtaxat puerulus.

VIII. Hæc autem verba dicturus sacerdos convertit se ad populum: si tamen ecclesia versus orientem directa sit. Nam si versus occidentem, ut in basilicis Lateranensi, Vaticana, Ariminensi, Narniensi, aliisque similibus, in quibus pontifex sacra faciens vultum habet conversum ad populum, immutus permanet, nec se vertit ad clerum cui obversus est.

Ad orationem genuflectendum.

IX. Salutationi sacerdos subjungit collectam seu orationem, ad quam populus olim flectebat genua, præmonente diacono, *flectamus genua*. Saltem hunc morem non obscure monuit S. Cæsarius initio Sermonis 85. qui in Appendice tom. 5. novæ editionis operum S. Augustini est 286. quem sic inchoat, (Rogo & admoneo vos, fratres carissimi, ut quotiescumque juxta altare a clericis oratur, aut oratio diacono clamante indicitur, non solum corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum fraquenter sicut oportet, & diligenter attendo, diacono clamante *flectamus genua*, maximam partem velut columnas erectas stare conspicio.) Et præcedenti sermone: (Supplico, fratres carissimi, & paterna pietate commoneo, ut quotiescumque oratio indicitur, qui forte pro aliqua infirmitate non potest genua flectere, & dorsum incurvare, vel cervicem humiliare non differat.) Neque vero surgebat populus, donec integra completa oratione diaconus stare juberet, dicens *levate*, uti videre est in quibusdam antiquis Sacramentariis.

X. Porro dum celebrans collectam pronunciabat antiquitus, (proferebant litterati eadem verba quæ sacerdos: sed ille quidem voce celsa, illi vero depressa. Laici orabant lingua materna, prout quisque sciebat,) ut scribit Anonymus Turonensis in suo ms. Speculo ecclesiæ.

Collectarum numerus.

XI. De numero orationum nihil reperio apud antiquiores scriptores: unicam ad singulas missas dumtaxat præscribunt vetustissimi Sacramentorum libri Gelasii & Gregorii magni. In eo vero, quem ex utroque compegit Alcuinus, solent esse duæ. In ms. Rituali ecclesiæ Suessionensis tempore Nivelonis episcopi exarato hac de re sic lego: (Nec prætereundum est, quod ad magnam missam numquam consuevimus post primam collectam ullam aliam dicere, sicut multis in locis plures consueverunt, nisi fecerimus memoriam de festo alicujus sancti, vel octovæ, vel necessitate cogente clamaverimus ad Deum, pro pace videlicet aut aeris serenitate, pro pluviæ postulatione, pro infirmis, pro iter agentibus, & aliis hujusmodi, pro quibus sancta mater Ecclesia orare consuevit.] At longe alia erat mens S. Columbani, quem [a ceterorum ecclesiasticorum more desciscere, & sacra missarum solemnia multiplicatione orationum vel collectarum celebrare) insimulavit Agrestinus in concilio Matisconensi. Cui respondit Eustasius Columbani in cœnobio Luxoviensi successor: (Multiplicationem orationum in sacris officiis credo omnibus proficere ecclesiis: quia dum plus Dominus quæritur, plus invenitur; & cum uberius oratione pulsatur, eo citius exaudire probatur . . . . Nihilque tam utile, tamque salutare, quam Creatorem multiplicatione precum, & assiduitate orationum pulsare,) uti refert in Vita S. Eustasii Jonas ejus discipulus. Huic collectarum multiplicationi ad septenarium numerum metas fixit Johannes abbas S. Albani, teste Matthæo Paris in ejus Vita, quem numquam excedendum esse, docent Anonymus Turonensis in suo Speculo necnon ms. Ordinarium ecclesiæ Lateranensis ab annis circiter 400. manu exarato de numero orationum in missa dicendarum hæc scripta reperio: (A traditione autem majorum nostrorum accipimus, in omni missa, unam aut tres, aut quinque, aut septem orationes dici debere: unam juxta Romani ordinis distinctionem: tres, quia Dominus ante passionem suam ter orasse legitur: quinque, propter quinquepartitam ejus passionem, in cujus commemorationem eadem celebramus officia: septem, quia apostoli septem petitiones Dominicæ orationis, & consecrationem eorumdem mysteriorum frequentasse leguntur. Rarissime siquidem diligentiores officii divini observatores alium in orationibus ad missam numerum admittunt, nisi quem nos competenti mysterio insignitum hic notavimus.) Quæ verba desumpta videntur ex Micrologi Observationibus ecclesiasticis cap. 4. Idem usus viget etiam nunc apud Cartusianos. At vero (in ecclesia Lateranensi numqeam dicitur oratio, sed in missa & in omnibus horis loco orationis alta voce pronunciatur oratio Dominica, quæ in novo testamento prima oratio fuit. Nam & in primitiva ecclesia sic fiebat,) inquit Durandus loco citato.

XII. Hic observare licet abusum qui nonnullis in ecclesiis obrepserat, ubi episcopus sive presbyter dicta collecta ab altari recedebat, quod supererat missæ alteri peragendum dimittens. Tanto malo mederi tentavit concilium I. Romanum sub Zacharia papa anno 743. celebratum edito hoc canone 14. (Ut episcopus aut presbyter dum ingressus fuerit ad missarum sollemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio episcopo aut presbytero suppleantur missarum sollemnia: sed qui initium ponit, suppleat usque ad finem; quia scriptum est: qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Si quis vero præsumpserit præter quod posuimus agere, a sacro Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi sit suspensus.

XIII. (Post orationem (inquit ms. ecclesiæ Viennensis Ordinarium) duo milites, seu in eorum absentia duo de majoribus capellanis laudes pronuncient *Christus vincit*.) Idem præstant in ecclesia Lugdunensi sex, quos etiam equitas vocant, seu advocatos, aut capituli consiliarios. Ad hunc ritum referri posse videtur quod scribit Anastasius in Vita Adriani papæ I. (Alio vero die secunda feria simili modo in ecclesia B. Petri more solito ipse conspicuus pater & egregius pontifex missarum sollemnia celebrans, Deo omnipotenti, & præfato Carolo excellentissimo regi Francorum & Patricio Romanorum laudes reddere fecit.) Et concilium Triburiense in præfatione asserens ter quaterve acclamatum fuisse a clero: *Exaudi Christe. Arnulfo magno regi vita.* Ejusdem consuetudinis meminit Cencius in X. Ordine Romano cap. 5. apud Mabillonium Musei Italici tomo 2. viguitque in insignioribus Galliæ ecclesiis, ut in Turonensi, Rotomagensi, Lemmovicensi, Remensi, Laudunensi, Suessionensi, Silvanectensi, Bellovacensi, &c. ut passim testantur earum ms. Ordinaria. Ut autem quid Laudum nomine sit intelligendum, minus antiquorum rituum peritis pateat, eas hic ex ms. codice ecclesiæ Suessionensis repræsentamus.

Duos Sacerdotes.	Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Chorus iterum.	Christus vincit. *Et sic repetitur ter.*
Presbyteri.	Christus.
Chorus.	Christus.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Summo Pontifici & universali papæ vita.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Summo Pontifici & universali papæ vita.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Summo Pontifici & universali papæ vita.
Presbyteri.	Redemptor mundi.
Chorus.	Tu illum adjuva.
Presbyteri.	S. Petre.
Chorus.	Tu illum adjuva.
Presbyteri.	S. Paule.
Chorus.	Tu illum adjuva.
Presbyteri.	S. Andrea.
Chorus.	Tu illum adjuva.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Philippo excellentissimo &

Domino coronato magno & pacifico regi vita & victoria.

Presbyteri. Salvator mundi.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Michael.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Gabriel.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Raphael.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. Exaudi Christe,
Chorus. Elisabeth reginæ salus & vita.

Presbyteri. Redemptor mundi
Chorus. Tu illam adjuva.
Presbyteri. S. Dei genetrix.
Chorus. Tu illam adjuva.
Presbyteri. S. Agnes.
Chorus. Tu illam adjuva.
Presbyteri. S. Agathes.
Chorus. Tu illam adjuva.
Presbyteri. Exaudi Christe. *Hic surgant omnes, si pontifex * præsens fuerit & ter repetatur:* Exaudi Christe, &c. Domno Niveloni Pontifici nostro salus & vita.

Presbyteri. Redemptor mundi.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Gregori.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Principi
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Ansarice.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. Exaudi Christe.
Chorus. Omnibus judicibus & cuncto exercitui Francorum vita & victoria.

Presbyteri. Redemptor mundi.
Chorus. Tu illos adjuva.
Presbyteri. S. Stephane.
Chorus. Tu illos adjuva.
Presbyteri. S. Gervasi.
Chorus. Tu illos adjuva.
Presbyteri. S. Prothasi.
Chorus. Tu illos adjuva.
Presbyteri. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Item repetitur a Choro: Christus vincit.
Presbyteri. Lux, via, & vita nostra.
Chorus. Christus vincit.
Presbyteri. Arma nostra invictissima.
Chorus. Christus vincit.
Presbyteri. Fortitudo & justitia nostra.
Chorus. Christus vincit.
Presbyteri. Ipsi soli imperium, gloria, & potestas per immortalia sæcula sæculorum. Amen.
Chorus. Ipsi soli, &c.
Presbyteri. Ipsi soli virtus, fortitudo, & victoria per omnia sæcula sæculorum. Amen.
Chorus. Ipsi soli.
Presbyteri. Ipsi soli honor, laus & jubilatio per infinita sæcula sæculorum. Amen.
Item Chorus. Ipsi soli.
Presbyteri. Exaudi nos.
Chorus idipsum.
Presbyteri. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Similes fere laudes legere est in antiquo ms. codice S. Martialis Lemovicensis tempore Rodulfi regis, Turpionis episcopi, & Stephani abbatis scripto, & in Fiscannensi ante annos 600. exarato.

XIV. Has igitur aut hujusmodi acclamationes, laudum nomine nuncupabant, easque ex ms. Ordinario B. Mariæ Remensis (in sinistra parte altaris) duo presbyteri canonici pronunciabant, non quidem omni die, sed (in Resurrectione Domini, in Ascensione, in die Pentecostes, in Assumptione B. Mariæ, in Nativitate ejusdem, in Dedicatione ecclesiæ Remensis, & in Nativitate Domini.) Nec prætereundum est quod in eodem Ordinario legitur: (In fine laudum quando dictori sunt, *Te pastorem Deus elegit*, ascendunt gradus usque ante ipsum archiepiscopum, ibi finitis laudibus, accedunt, & osculantur manum ejus. Ipse autem benedicit eis, & de benedictione sua dat utrique duos solidos & continuo legitur epistola.) His consonat ms. Ordinarium ecclesiæ Laudunensis: (Finitis laudibus vadunt ad episcopum, & ipse dat utrique duodecim nummos bonæ monetæ.) Nunc antiqua isthæc consuetudo, ondes præcinendi omnino obsoleta est præterquam in ecclesia Lugdunensi & in Viennensi, quæ in retinendis priscis ritibus aliis religiosiores fuere. Quibus, si bene memini, accedere debet Remensis in qua etiamnum vigere existimo uti & in Rotomagensi. Hactenus etiam in ecclesia Trecensi laudes episcopo decantant in festis Paschæ, Pentecostes, & S. Petri, canonici regulares S. Martini de Areis cum succentore, & duobus pueris symphoniacis.

XV. Denique neque hic prætereundum est id quod observat Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. ultimo, Mozarabes Dominicis festisque diebus hymnum trium puerorum ante epistolam iisdem fere verbis, quibus ritu Romano canitur sabbatis quatuor temporum, præcinere. Quam praxim commendare videtur concilium Toletanum IV. can. 14. redarguens quorumdam sacerdotum desidiam, qui prædictum hymnum in Dominicorum dierum missa & sollemnitatibus martyrum cantare negligebant. Idem ritus observabatur etiam in Liturgia Gallicana non ante, sed post apostoli electionem.

ARTICULUS IV.

De epistola, graduali, alleluja.

Lectiones ex prophetis & ex apostolo.

I. IN omnibus antiquis sacramentorum libris post collectam *sequitur Apostolus* in ordine missæ. Sic vocant lectionem, quæ post collectam dicitur, quæ etiam epistola nuncupatur, eo quod frequentius ex epistolis S. Pauli aliisque canonicis desumi soleat, licet ex aliis etiam Scripturæ libris aliquando legatur. In Ambrosiano & Mozarebo missalibus duæ præscribuntur lectiones dicendæ ante evangelium in diebus solemnibus, una ex veteri, altera ex novo testamento. Eumdem usum olim in Gallicana Liturgia viguisse discimus ex Gregorii Turonensis lib. 1. de Miraculis S. Martini c. 5. (Factum est, inquit, ut illa Dominica, prophetica lectione jam lecta, ante altarium staret, qui lectionem B. Pauli proferret.) Et libro 4. Historiæ Francorum cap. 16. narrat, tres libros super altarium ad legendum in missa collocatos fuisse, idest *prophetiæ*, *apostoli*, & *evangeliorum*. Idem constat ex antiquo Lectionario Luxoviensi, quod edidit noster Mabillonius in Liturgiæ Gallicanæ libro 2. & ex Sacramentario Bobiensi, quod in Musei Italici tom. 1. publici juris fecit, in quibus lectiones per totum anni circulum singulis missis legendæ ex utroque testamento distribuuntur. Quamvis hanc lectionum distributionem non ita rigide semper observarent, ut patet ex supra citato Historiæ Gregorii Turonensis loco, ex quo (unusquisque in libro quod primum aperiebat, hoc ad missas etiam legeret:) id quod tunc præsertim agebant, cum sortes ex Scripturæ libris consulere vellent. Quod in Galliis, Hispaniis, & Mediolani usui fuit, hoc etiam in Africa obtinuisse, ut scilicet cum evangelio legerentur duæ lectiones ex veteri & novo testamento, non obscure docet Tertullianus in libro de Præscriptionibus cap. 36. (Legem, inquit, & prophetas cum evangelicis & apostolicis litteris miscet, & inde potat fidem, eam aqua signat, Sancto Spiritu vestit, & Eucharistia pascit. Et S. Augustinus Sermone 45. novæ editionis, quem sic auspicatur: (In omnibus lectionibus, quas audivimus, si animadvertit caritas vestra primam lectionem Isaiæ prophetæ ..... Deinde ascendit lectio apostolica) &c. Sermone etiam 82. postquam egit de lectione evangelica n. 8. hæc habet: (Quid est quod ait Salomon, quod hodie ex alia lectione primitus audivimus: *Annuens oculis cum dolo, congerit hominibus mæstitiam.*) Et infra n. 15. addit: (Audistis, fratres mei, cum epistola ad Hebræos legeretur: *Obedite præpositis vestris*] &c. Neque vero ab ea praxi abhorruit ecclesia Orientalis: Testem adhibeo Pachimerem, qui exponens caput 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ S. Dionysii hæc habet: (Deinde per lectores divinarum scripturarum prophetarum, apostoli, & divini evangelii lectio fit.) Huic addo quem præmittere debueram Justinum martyrem Apologia 2. sacrum Christianorum describentem hoc modo: (Et commentaria Apostolorum, & scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur.) Et Chrysostomum qui Homilia de David & Saule invehens in spectacula, redarguit eos, qui iisdem oculis obscœna spectacula quibus sacram mensam oblataque in ea tremenda mysteria intuebantur, & iisdem auribus, quibus Prophetam, & Apostolum, scortum audiunt. In antiquis etiam Romanæ ecclesiæ missalibus certis diebus epistolæ præmittitur prophetia, puta in vigilia & natali Domini. Ut manifestum sit, hunc olim morem ubique usu receptum fuisse, atque ab apostolica, uti videtur, traditione d[illegible]

Scripta episcoporum maxime summorum Pontificum, & Acta Sanctorum lecta in missa.

II. Primis Ecclesiæ temporibus non solum Prophetarum & Apostolorum scripta, sed episcoporum, & maxime Summorum Pontificum epistolæ publice legebantur in ecclesia: Hujusmodi erat Clementis papæ epistola ad Corinthios, quam (in plerisque ecclesiis, & nostra, & superiori memoria palam recitari consuevisse comperimus,) inquit Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ lib. 3. cap. 16. Sed postmodum in concilio Laodiceno can. 59. & Carthaginensi III. can. 47. prohibitum fuit ne libri præter canonicos novi ac veteris testamenti publice legerentur. Atque hinc forte ortum est id quod tradit Gelasius papa in concilio Romano, in quo cum episcopis LXX. libros canonicos ab apocryphis discernent, de gestis sanctorum Martyrum hæc habet: (Secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in ecclesia Romana non leguntur.) Tanta certe non fuit Hispanorum cautela, apud quos Braulio Cæsaraugustanus episcopus libellum de gestis S. Æmiliani conscripsit, (ut posset in missæ ejus celebratione quantocius legi,) uti ipse loquitur in sua Præfatione. In Africana quoque ecclesia miracula S. Stephani recitata fuisse discimus ex Actis Translationis ejusdem præfatione libri 1. & libro 2. cap. 1. Eamdem praxim in ecclesia Gallicana obtinuisse videtur innuere Gregorius Turonensis lib. 2. de Miraculis Martini cap. 49. & lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 76. Denique pro ecclesia Mediolanensi egregium habemus testimonium Pauli sacerdotis & Gebehardi religiosorum virorum ecclesiæ Ratisponensis in epistola 3. ad Martinum thesaurarium S. Ambrosii Custodem Musei Italici tom. 1. quem sic alloquuntur: (Gestis sanctorum, quæ missarum celebrationibus apud vos interponi solent, non indigemus, quoniam his abundamus.) In ecclesiis Orientalium Cophtis, in Liturgia fiebat lectio librorum quinque, scilicet epistolarum apostoli, epistolarum catholicarum, actuum apostolorum, libri psalmorum, & S. Evangelii: quæ primum lingua Coptica antiqua, deinde vulgari Arabica proferebatur, ut pluribus demonstrat nunquam sine laude nominandus Eusebius Renaudotus in Commentario ad Copticam S. Basilii Liturgiam pag. 203. & seqq.

Ambones.

III. In Romana S. Clementis ecclesia, quæ omnium Urbis est antiquissima, tres habentur ambones. Duo in cancellis dextris, unus scilicet pro epistola versus altare, alter pro legendis prophetiis versus populum. Tertius in sinistris paulo altior & ornatior pro evangelio. Et sane si Anonymo Turonensi in suo ms. Speculo ecclesiæ credimus, (epistola debet legi in inferiori loco, evangelium vero in superiori pulpito.) Hanc praxim retinent hactenus insignes ecclesiæ Lugdunensis & Viennensis in Gallia, in quibus epistola in chori parte inferiori legitur, evangelium in odeo. In præcipuis tamen, Galliæ præsertim ecclesiis epistola perinde ac evangelium in odeo seu superiori pulpito cantatur. Ut in Remensi, Cameracensi, Turonensi, Rotomagensi, Senonensi, Catalaunensi, Laudunensi, Suessionensi, Noviomensi, Ambianensi, Silvanectensi, Bellovacensi, Trecensi, Aurelianensi, Carnotensi, Meldensi, Tornacensi, Bajocensi, Dionysiana, & aliis quas commemorare longum foret. Et sane hanc praxim non obscure indicat Benedictus papa III. in epistola ad episcopos in regno Caroli constitutos, ubi narrat quomodo Humbertus Bosonis filius (sacrorum fuit conjunctus numero clericorum: adeo ut in divinis celebrandis mysteriis more subdiaconorum sacras lectiones conscendens ambonem populo nunciaret.) In quibusdam ecclesiis duo erecta sunt odea, ut in Senonensi, unum pro epistola, alterum pro evangelio. In Patriarchali quoque S. Laurentii Basilica in agro Verano duo in navi visuntur ambones pro epistola & evangelio; sed isti ambones longe dissimiles sunt a nostris odeis, quæ etiam in antiquis ms. ritualibus nuncupantur ambones.

IV. Sed ubicumque tandem epistola cantetur, circa finem collectæ aut citius eo procedit subdiaconus, & quidem deferens *librum & cochlear argenteum*, ex Ordinario Laudunensi. In celebri S. Dionysii templo sceptrum defert una cum textu. Modus legendæ epistolæ in ecclesia Lugdunensi omnino singularis & observandus est. Neque enim cantando, ut in omnibus aliis ecclesiis, sed alta, clara, distincte & intelligibili voce simpliciter pronunciando eam legit subdiaconus. sitor ad altare, celebrantis benedictionem recepturus, cujus ritus antiquitatem deprehendere licet in libro Miraculorum S. Dunstani n. 19. Sæculo V. Benedictino, in quo Sancti Lanfranci quidam capellanus sic loquitur: (Cumque perlecta a me fuisset epistola, ad pedes illius ex more deosculandos accessi, benedictionem petii, & ita cum benedictione ejus recedens convalui.)

Epistola a quibus cantanda.

VI. (Summopere autem cavendum est, inquit Belethus cap. 38. ne quis epistolam legere præsumat, nisi sit hypodiaconus, aut diaconus, aut etiam sacerdos. Melius est enim, ut sacerdos legat, etiam si cantet missam, quam acolythus.) Hanc Belethus doctrinam accipere potuerat e concilio Quini-sexto, in cujus canone 33. præscribitur, ut (nulli ex omnibus permittant, juxta ordinem eorum qui sunt in clericorum ordinem relati, populo in suggestu divinas scripturas recitare, nisi is sacerdotali tonsura usus fuerit, & benedictionem a suo pastore canonice susceperit.) Hoc munus obibant olim etiam ipsi episcopi, ut patet ex Gregorii Turonensis libro 8. Historiæ cap. 7. ubi Palladius episcopus Sanctonensis prophetiam pronunciasse memoratur: In missa vero solemni pro Nicolai V. papæ coronatione, (crucem ante pontificem Æneas Picolomeus portavit, in diaconorum ordinem receptus; epistolam unus e comitibus latine, alter græce decantavit, Cardinalis S. Angeli evangelium latine & abbas quidem græce,) uti videre est apud Baluzium Miscell. tom. 7. pag. 554. Licet hoc olim proprium esset officium Lectorum, quibus ab antiquo liber in ordinatione porrigitur, non subdiaconis, qui sæculo tantum octavo epistolam in missa legere videntur incœpisse, ut bene probat Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 2. c. 6.

Graduale seu psalmus post epistolam.

VII. Post epistolam sequitur Responsorium seu Graduale, a gradibus pulpiti seu ambonis, in quo cantabatur, sic nuncupatum. Illud olim post versum repetebatur, id quod sæculo adhuc IX. vigebat ubicumque Romano more celebrabatur, ut constat ex Amalario lib. 3. c. 11. immo sæculo etiam XIII. idem usus obtinebat, teste Sychardo Cremonensi episcopo in suo Mitrali ms. Præmonstratenses canonici id etiam nunc servant cum post Responsorium Graduale non sequitur alleluja vel Tractus. At Durandi ævo exsoleverat omnino ejusmodi Responsorii repetitio ut patet ex ejusdem lib. 4. Rationalis cap. 19. In ecclesia Africana psalmus dicebatur, id quod disertissimis verbis innuit S. Augustinus serm. 32. (Ad hoc, inquit, pertinet quod etiam apostolica lectio ante psalmi canticum præsignavit.) Et Sermone 165. (Apostolum audivimus, psalmum audivimus, evangelium audivimus.) Sermone quoque 176. (Primam lectionem audivimus Apostoli. Deinde cantavimus psalmum .... post hæc evangelica lectio decem leprosos mundatos ostendit.) Ad eamdem praxim alludere videtur Gregorius Turonensis Historiæ Francorum lib. 8. cap. 3. (Interea jam medio prandii peracto, jubet rex ut diaconum nostrum, qui ante diem ad missas psalmum responsorium dixerat, cantare juberem.] In missali Mozarabum epistolæ immediate subjicitur evangelium, id quod præscribit concilium Toletanum IV. can. 12.

Alleluja & Prosa.

VIII. Graduale excipit alleluja cum versu, de quo S. Gregorius in epistola ad Johannem Syracusanum episcopum lib. 7. epist. 64. indictionis 2. [Nam ut *alleluja* hic diceretur de Hierosolymorum ecclesia ex Beati Hieronymi traditione, tempore B. memoriæ Damasi papæ traditur tractum.) Ita sanctus pontifex respondet temerario quorumdam zelo, qui eum accusaverant, (quia alleluja dici ad missas extra Pentecostes tempora) fecisset. Inter Capitula selecta Theodori Cantuariensis archiepiscopi Spicilegii tomo 9. vigesimum septimum de lectione, & alleluja, hæc habet: (Laicus in ecclesia non debet recitare lectionem, nec alleluja dicere, sed psalmos tantum & responsoria sine alleluja.) Certis diebus post alleluja dicitur prosa seu sequentia, post quam olim in præcipuis festis ab aliquo bene cantante præcinebatur antiphona ante evangelium.

IX. Hic prætereundam non puto piam S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi consuetudinem, quæ refertur in ejus Vita illius epistolis præmissa cap. 11. his verbis: (Ob vanas & vagas cordis cogitationes reprimendas inter celebran-

dicitur, ſpiritualibus intenderent canticis, ſemper aliquem Ethicam in manu tenere conſueverat, & frequentius ea hora habebat in manibus quemdam orationum libellum, quem unus prædeceſſorum ſuorum, vas catholicum, hæreticorum baculus, malleus tyrannorum, ſcripturarum armarium, evangelii tuba, & columna juſtitiæ B. Anſelmus ſtylo ſalubriter pungitivo, vel pungitive ſalubri, & eleganti, ex intimis ſanctæ ſuæ devotionis medullis exceperat. Hunc, inquam, habebat ab oratione ad lectionem ſe excipiens.) In miſſa edita ab Illyrico plures etiam habentur orationes a ſacerdote epiſtolam inter & evangelium, dum chorus Graduale, alleluja, aut ſequentiam concinit, recitandæ.

Vinum cum aqua interim calici olim infuſum.

X. In eccleſia Ambianenſi dum ſacerdos in miſſa ſollemni legit epiſtolam, quotidie diaconus ſtans ad miniſterium ſive parvam menſam, quæ aſt a latere epiſtolæ, vinum & aquam miſcet in calice, illumque benedicit dicens orationem, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ, &c.* quam orationem ſacerdos omittit ad offertorium. Qui quidem ritus communis fuiſſe videtur pluribus Gallicanis eccleſiis. Nam in ms. Rituali eccleſiæ Sueſſionenſis hæc lego: (Poſt epiſtolam duo clericuli Reſponſorium in Ambone, dum ſubdiaconi ſimiliter cum cappis de pallio *alleluja*. Quæ dum cantantur, ſuper quoddam altare retro magnum miniſtret ſubdiaconus diacono panem & vinum & aquam.... In commixtione autem vini & aquæ dicitur a diacono hæc oratio *Deus qui humanæ ſubſtantiæ*, &c. Poſt hæc ponat diaconus patenam cum hoſtia ſuper calicem, totumque poſtea * paula mundiſſima tegat.] Ubi illud maxime notandum quod materia ſacrificii in alio præpararetur altari, quod *propoſitionis* appellant, ex quo poſt ſymbolum ſollemni ritu ad præcipuum altare deferretur: id quod paulo poſt ita explicat: poſt ſymbolum diaconus (ſurgat, & abluat manus ſuas, eatque ad menſam propoſitionis, ubi propoſuit ea quæ ad opus ſacrificii præparavit. Tunc cum ſummo honore afferat ea, cereo præferente, uſque ad ſacroſanctum altare.) Ab his parum diſcrepat id quod præſcribitur in ms. Ordinario inſignis eccleſiæ Cabilonenſis. (Dum hæc dicuntur, (ſcilicet graduale & alleluja) ſubdiaconus reſumpta infula, quam depoſuit ante epiſtolam, miniſtrat ſuper altare B. Petri panem, vinum & aquam.... ſacerdote interim incipiente *Credo in unum Deum*, chorus ſeincipit *Patrem omnipotentem*, ſubdiaconus venit ad altare ubi ante miniſtravit, & depoſito thuribulo induit infulam, accipiens intra manus cum devotione calicem, & panem, vino & aqua involuto etiam ſindone munda & honeſta. Et cum dicitur *cujus regni* cum ceroferariis aſtantibus hinc inde venit ante altare, primo ſupplicans altari, ſecundo choro, tertio altari. Finito ſymbolo, accedit ad altare, & dum dicitur offertorium, offert diacono oſculando manus ejus primo patenam cum pane, poſtea calicem cum vino & aqua.) In eccleſia etiam Turonenſi eodem tempore ſollemni omnino pompa vaſa ſacra cum pane, vino & aqua deferuntur ad altare. Ad hunc ritum alludere videtur id quod poſt lectam epiſtolam dicit ſacerdos in Liturgia Maronitarum: (Gloria Domino Pauli, & Prophetarum, & Apoſtolorum. Miſericordia Dei ſit ſuper lectores, & ſuper auditores, & ſuper civitatem hanc, atque omnes habitatores ejus in ſæcula Amen. Alleluja, alleluja. *Ferte oblationes*, & introite in atria Domini, & adorate eum in templo ſanctitatis ejus, & confitemini ei ac benedicite nomini ejus, a quo vita datur. Alleluja.)

ARTICULUS V.

De evangelio, prædicatione, & ſymbolo.

Evangelium a quibus pronunciatum.

I. INterim ſacrum lecturus evangelium, accepta e pontifice benedictione, ad deſtinatum locum procedebat. Is ex prima ſui inſtitutione erat lector, ut patet tum ex Cypriano epiſt. 33. & 34. tum ex concilio Toletano 1. c. 2. Poſtea vero propter honorem evangelio debitum hoc munus diaconis commiſſum eſt: unde Hieronymus in epiſtola ad Sabinianum: (Evangelium Chriſti quaſi diaconus lectitabas.) Et concilium Vaſenſe anno 529. celebratum can. 2. (Si enim digni ſunt diaconi, quæ Chriſtus in evangelio locutus eſt legere, quare indigni jure.) Et S. Bonifacius Moguntinus epiſcopus in epiſtola ad Zachariam papam queritur de diaconis quibuſdam qui cum plures haberent concubinas evangelium tamen legere non formidarent. Sed Alexandriæ (ſolus archidiaconus [inquit Sozomenus lib. 7. cap. 19.] ſacrum illum codicem legit, alibi vero diaconi. In multis autem eccleſiis ſoli dumtaxat presbyteri. Alicubi in præcipuis feſtivitatibus epiſcopi legunt, ut Conſtantinopoli primo die paſchalis feſtivitatis.) Nec mirum eſt, epiſcopos legiſſe evangelium, cum epiſtolam & prophetias aliquando pronunciaſſe reperiuntur. Græci vero hodierni antiquum morem retinent, lectoribus evangelium publice pronunciantibus, ut docet Smithius in epiſtola de Græcæ eccleſiæ hodierno Statu pag. 145.

Quo in loco.

II. Locus legendo evangelio deſtinatus erat Ambo ſeu pulpitum; ſed eo in quo legebatur epiſtola paulo altius & ornatius, ad quod plerumque duo graduum ordines erigebantur, unus quo aſcendebat lector, alter quo deſcendebat. Apud Moſcovitas [epiſtola & evangelium pro tempore, quo magis a populo percipiantur, extra chorum populo aſtanti clara voce recitantur,] ut ſcribit Sigiſmundus Liber in Commentario rerum Moſcovitarum. Sed & Deſiderius abbas Caſinenſis, teſte Leone Marſicano in Chronici Caſinenſis libro 3. cap. 20. (Gradum ligneum extra chorum in ambonis modum ſatis pulcrum conſtituit, in quo videlicet tam lectiones in nocte, quam etiam & epiſtolæ & evangelia ad miſſas præcipuarum feſtivitatum legerentur.

Tripodium.

III. Modus eo procedendi fuſe deſcribitur in Ordine Romano, quem quiſque conſulere poteſt. Hic tantum referam id quod ea de re præſcribit antiquum Rituale ms. S. Martini Turonenſis: (Quando vadunt ad evangelium, primo vadunt duo clericuli portantes candelabra, & in medio major eorum portans crucem, relicto candelabro ante ſepulcrum, & alii quatuor veſtimenta deponunt, & candelabra in camera portent. Poſt clericulos vadunt duo acolythi cum incenſo: poſt ille qui portat tripodium: poſt magiſter ſubdiaconus portans pulvinar: poſt diaconus portans textum tradens illum ſubdiacono ad exitum chori. Poſt legitur evangelium.) Quid per tripodium hoc loco intelligatur non ſatis capio, ſed neque a canonicis S. Martini ea de re a me interrogatis, poſt longam rituum antiquorum abrogationem ſeſcire potui. Tripodem argenteum deauratum inter ſuppellectilem ſacram ſacri Caſinenſis monaſterii recenſet Leo Marſicanus in Chronici Caſinenſis libro 2. cap. 102. Severus Sulpitius in Dialogo 2. de Virtutibus S. Martini cap. 1. ſcribit S. Martinum in ſecretario ſedere conſueviſſe (in ſellula ruſticana, ut eſt in uſibus ſervulorum, quas nos ruſtici Galli, inquit, tripetias, vos ſcholaſtici, aut certe tu qui de Græcia venis, tripodas nuncupatis.] In vita etiam S. Romualdi n. 19. ſæculo VI. Bened. reperitur ſedes tripedica. In vita quoque S. Guidonis abbatis Pompoſiani n. 13. ibid. hæc lego: (Frater nomine Sergius cuſtos eccleſiæ aſcenderat tripodam, ut lampades luminibus accendendis aptaret.) Verum quid hæc tripodii acceptione cum evangelio? Aliis peritioribus hanc difficultatem, quam propoſuiſſe ſatis ſit, diſſolvendam relinquo. Erit forte qui tripodium hic interpretabitur de pulpito portatili tribus innixum pedibus. Quod ſpectat ad candelabra quæ ad evangelium deferuntur: hic ritus ex vetuſtiſſima procedit conſuetudine, cujus meminit S. Hieronymus in epiſtola adverſus Vigilantium his verbis: (Nam & abſque martyrum reliquiis per totas Orientis eccleſias, quando legendum eſt evangelium, accenduntur luminaria, jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.)

Evangelium græce & latine pronunciatum.

IV. Obſervavimus ſuperiori capite, Evangelium olim Romæ Græce & Latine pronunciatum fuiſſe in præcipuis anni feſtivitatibus, cujus conſuetudinis cauſam docet nos Anſelmus Havelbergenſis epiſcopus Dialogorum lib. 3. cap. 16. his verbis: [Italia quoque antiquitus magna Græcia appellabatur, ſicut antiquarum hiſtoriarum ſcriptores dicunt, & in urbe Roma utriuſque linguæ ſermo uſitatus vigebat, & viciſſim Latini Græca, & Græci Latina lingua utebantur, & neutra fuit aliena Romam habitanti-

...ntinos episcopos in exhib...
... de diaconis quibusdam qui
...bus evangelium tamen leg...
...xandria (solus archidiacono
... 19.] sacrum illum mi-
... . In multis autem eccle...
...ecula, et praecipuis festivi...
...Constantinopoli primo die pa...
...unc est, episcopos legisse ev...
...reciprocus aliquando prom...
... hodierni antiquum mor...
...m partim pronunciantibus,
... de Graeca ecclesia habetur

... loco.

...o destinatus erat Ambo in
...cebatur epistola pass...
...ae duo graduum ordines
...ur lector, alter qui dein...
...pistola & evangelium pro...
... percipiantur, extra chori
...rantur,) ut scribit Sigism...
...erum Monasteriorum. Sed &
... teste Leone Marsicano
... cap. 20. (Gradum ligneum
...eodem sita pulcrum ...
...ectionesque ea esse, quam etiam
...multis praecipuarum ...

...dum.

...lese describitur in Ordine Ro...
... patet. Hic tantum ...
...ur antiquum Rituale ms. &
...o vadunt ad evangelium,
...rantes candelabra, & ...
...ccem, relicto candelabro
...or vestimenta deponunt,
... . Post clericulos vadunt
... illa qui portat tripodam
...eas pulvinar : post clerum
...um lucidonono ad eorum
...um.) Quid per tripodem
... capio, sed neque ...
...me interrogatus, post ...
...ratiocinia reficere possit. Tr...
... inter suppellectilem ...
...recenset Leo Marsicanus ...
...cap. 102. Severus Sulpit...
...S. Martini cap. 6. scribit S.
...e consuevisse (ut ...
...illarum, quas nos rustici Ga...
...vatibus, aut certe ea qua ...
...ostis.] In vita etiam S.
...Bened. reperitur ...
...Gaudonis abbatis Pomposa...
...er nomine Sergius ...
... ut lampades luminibus ...
... quid hae tripodes ...
...rebus hanc difficultatem, ...
...dam relinquo. Erat ...
...r de paleato portatili ...
...pectat ad candelabra qu...
... ticas ex vetustissima ...
...mant S. Hieronymus ...
... verbis : (Nam & ...
... Orientis ecclesias, quae
...accenduntur luminaria, ...
... fugandas tenebras, ...
...s.)

... latine pronunciatum.
... capite, Exarpeson ...
...nunciatum suale ...
...ectoribus eadem ...
...iscopus Dialogorum lib. ...
...quoque antiquitus magna Gr...
...narum historiarum scriptor...
...mque lingua sermo ...
... Graeca, & Graeci Latina ...
...ue etiam Romam ...
..., ut quidam Latini, quam...
...tur

etiam Græcis nominibus nuncupentur in ecclesia, & inde institutum est quoque in Ordine Romano, quod in summis festivitatibus ad missarum solemnia lectiones & evangelia Latine & Græce recitentur propter præsentiam utriusque populi in utraque lingua eruditi.) Hodie etiam Romæ cum Summus pontifex celebret, evangelium Græce & Latine decantatur, id quod observant in quinque præcipuis anni festis nostri Dionysiani. In Constantinopolitana olim ecclesia evangelium uti & epistole primum Latine, deinde Græce pronunciabatur. In coronatione Alexandri papæ V. facta in concilio Pisano, epistola & evangelium Latine, Græce, & Hebraice lecta fuere, uti videre est in actis ejusdem concilii Sessione 18. Spicilegi tom. 6. p. 336. Apud Sclavos vero Latine & Sclavonice, ut alibi ostendimus. In Viennensi Galliarum ecclesia evangelium præcipuis festis diebus singulari modulatione legitur, in Libro ad eum finem variis notulis distincto.

Lectio evangelii a plebe ut audienda.

V. Evangelium populi solent audire erecto corpore. (Sed & baculi omnium deponuntur de manibus, inquit antiquus Ordo Romanus, & in ipsa hora neque corona, nec aliud operimentum super capita eorum habetur.) Quæ unico brevique versiculo exprimit Hildebertus Cenomanensis episcopus, postea Turonensis archipræsul
(Plebs baculos ponit, stat, retegitque caput.)

Cujus ratione mysticas has subjungit:

(Ut sis attentus, patiens, erectus in hostem,
Et caput, & baculus, & status ipse docet.
Quippe caput retegens, attente audire moneris,
Parcere, cum baculum rejicis, instrueris.
Stans discis quoniam stantes pugnare solemus,
Quod te culpa gravis sub vigili hoste manet.]

De statione ad lectionem evangelii vide quæ diximus in Commentario in Regulam S. Benedicti in cap. 11. Huc respicit vox cælitus facta ad contractam mulierem sedentem ad S. Guillelmi abbatis Roschildensis sepulcrum, diacono evangelium pronunciante: (Mulier surge, non decet christianos ad evangelium sedere, sed cum reventia stare, & auscultare quod legitur.) Apud Bollandum 6. Aprilis. Narrat tamen Sozomenus lib. 7. cap. 19. sed tamquam novum & insolens, apud Alexandrinos episcopum non essurgere dum leguntur evangelia: (Quod tamen, inquit, alibi unsquam fieri neque vidi, neque audivi.) Quamquam olim Indi (lectiones evangelii audiebant sedentes.) Verum id emendavit Theophilus teste Philostratio lib. 3. Hist. c. 5. Apud Armenos dum presbyter legit evangelium (assistentes invicem se dextra sinistraque deosculantur,) ut scribit Petrus Bellonius Observat. lib. 3. cap. 12.

Liber evangelii osculandus præbetur.

VI. Finito evangelio, inquit anonymus Turonensis in suo ms. Speculo, (respondetur *Deo gratias*, sicut & in fine capituli vel lectionis. Vel secundum quosdam *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Vel *amen*.) Nunc vero dicimus *Laus tibi Christe*, maxime in missis privatis: nam in solemnibus finito evangelio, celebranti primo, deinde episcopo, aliisque in choro residentibus sacer textus ex antiqua ecclesiæ consuetudine deosculandus præbetur. Cujus consuetudinis meminit Jonas Aurelianensis in Præfatione lib. 2. de Cultu imaginum adversus Claudium Taurinensem: [Sacræ, inquit, religionis usus in sancta ecclesia adhuc servatur, si tamen apud te, ut perlecta S. Evangelii lectione, ab episcopo vel presbytero ceterisque sacri Ordinis religiosis codex, in quo evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis reveretur.) Hic prætereunda non sunt verba Hildeberti Turonensis archiepiscopi in epistola 15. ad Honorium papam Spicilegii tom. 4. (Ex eo quoque traxit hanc Ecclesia consuetudinem, ut textus quidem pontifici apertus, ceteris autem clausus ad osculandum offeratur.) Quem ritum etiam nunc religiose observant Turonensis aliæque passim Gallicanæ ecclesiæ. Sed in Martiniana ejusdem urbis, ut & in Viennensi omnibus apertus offertur osculandus; dicente eo qui textum præbet: *Hæc est lex divina*. Ex ordinario vero Bajocensi sacerdotibus apertus, ceteris vero clausus porrigitur osculandus. Anonymus Turonensis in ms. Speculo hæc habet: Symbolum (dum canimus, vel librum evangelii, vel pe*do*, uti constituit antiquum Ordinarium ecclesiæ Bajocensis. Hæc sunt præcipua quæ lectionem evangelii spectant in ecclesia Latina. Ritus Græcorum hic lubens subjicerem, nisi ea quisquis in Libro de Sacris Processionibus Jacobi *Eveillon* cap. 6. & apud Cardinalem Bona obvia legere posset. De lectione S. Evangelii in sacra Liturgia apud Coptitas, audiendus est præsertim Abulebarus cap. 68. apud eruditum Eusebium Renaudotum in commentario ad Copticam S. Basilii Liturgiam pag. 150. Præmissis quibusdam precibus (sacerdos circuit altare, & diaconus simul progreditur cum evangelio glorioso, & ex iis clericis, qui ad altare ministrant, aliqui cereos accensos præferentes. Diaconus librum gestat, & cum descenderint de sanctuario, populus canit: *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi*. Diaconus secreto apud se dicit: *Notam fac mihi viam in qua ambulem*. Tum evangelium gestans, defert illud, transiens per medium populum. Circuitus autem ille unicus, qui fit circa altare intra sanctuarium, similitudo est circuitus evangelii per universum orbem: circuitus illius peregrinatorii, qui universam terram implevit. Paulo post sacerdos evangelii librum aperit, atque illum apertum altari imponit, in signum quod hæc scriptura promanavit ea verbis Christi, qui super hoc ipsum altare ponitur.) Et capite 69. (Sacerdos advocat sacerdotes alios circumstantes, ut inspiciant verbum eo libro exaratum, deque eo certiores fiant, testesque fiant, hunc librum apertum esse vere evangelium. Post ejus inspectionem, certamque agnitionem, osculabuntur librum apertum, ut osculo illius aperti, juxta sacerdotalem dignitatem suam a laicis distinguantur. Postea si vult sacerdos legere evangelium, officium illud ad ipsius ordinem pertinet, omnibus aliis exceptis. Est enim e successoribus apostolorum, qui evangelium prædicaverunt. Si Sacerdos nolit ipse legere, potest diacono permittere, ut illud legat, qui ita ab aliis diaconis distinguetur, manebitque cum singulari quadam prærogativa, appellabiturque diaconus evangelii. Tandem evangelii lectio ex ambone fiet, qui est sublimis, juxta illud quod ait Dominus: *quæ in aure audistis prædicate super tecta*. Tectum enim est ambon, quem ita Salvator designavit, cum sit sublimis instar tecti. Deinde postquam descenderit is qui evangelium legit & ejus interpres, (*is scilicet qui illius versionem vulgarem legit*.) Perfecta scripturæ lectione & interpretatione, accedent omnes sacerdotes adstantes, & osculabuntur illud, & fidei & certitudinis, quem de eo habent testimonium, sicut in osculo primo factum est.) Tandem cap. 70. (Deferet subdiaconus librum evangelii ad populum, involvetque illud velo sericeo, circumferetque per mediam multitudinem, ut omnes librum clausum osculentur, sequentes sacerdotum exemplum in ejus veritate & certitudine approbanda.) Eosdem ritus aliis auctoritatibus probat & discutit erudite suo more idem Renaudotus.

Prædicatio.

VII. Post evangelii lectionem homilia seu exhortatorius Sermo ad populum haberi solebat, ut videre est apud Justinum martyrem Apologia 2. in Constitutionibus Apostolorum lib. 8. cap. 4. apud S. Audoenum in Vita S. Eligii lib. 2. cap. 12. Ne quis vero ante Sermonem de templo exiret S. Cæsarius Arelatensis *sæpissime ostia post evangelia claudi fecit*, teste Cypriano in ejus Vita cap. 14. Sermonem excipiebant monitiones, de quibus concilium Aurelianense apud Ivonem Decreti parte 2. c. 120. decrevit, (ut in diebus Dominicis vel festis post sermonem intra missarum solemnia habitum, plebem sacerdos admoneat, ut juxta Apostolicam institutionem omnes in commune pro diversis necessitatibus preces fundant ad Dominum, pro rege, & episcopis, & rectoribus ecclesiarum, pro pace, pro peste, pro infirmis, qui in ipsa parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis: in quibus singulatim precibus plebs orationem Dominicam sub silentio dicat: Sacerdos vero orationes ad hoc pertinentes per singulas admonitiones solemniter expleat. Post hæc sacra celebretur oblatio.) Eodem tempore si quid populo significandum haberet, annunciabat, ut colligi posse videtur ex S. Augustini Sermone 3. ad cujus calcem ista leguntur: (*Et post concionem* quod novis caritas vestra suggerimus. Dies anniversarius ordinationis Domni Senis Aurelii crastinus illucescit. Rogat & admonet per humilitatem meam caritatem vestram, ut ad basilicam Fausti devotissime convenire dignemini. Deo gratias.)

Indulgentiæ post prædicationem datæ.

VIII. In ms. Pontificali Guillelmi Durandi Mimatensis episcopi, quod olim usui fuit ecclesiæ Catalaunensi hæc lego: (Predicatione finita, fit confessio generalis vel per diaconum, vel per sacerdotem ministrum, populo devote genua flectente, & eadem tacite dicente. Confessione facta, concedit indulgentiam: & demum mitra sibi per diaconum deposita, facit absolutionem dicendo clara voce, elevatis & super populum extensis manibus: *Precibus & meritis*, &c. *Indulgentiam*, &c. Et si velit mox benedicit populo simpliciter dicens: *Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super vos & maneat semper.* ℟. *Amen.*) Hujus ritus meminit Pontificale Romanum sub Leone papa X. editum, præscribens, ut concionator antequam ascendat pulpitum a pontifice petat, (quantum indulgentiarum debeat populo annuntiare,) tum addit: (Finita prædicatione, expectat in pulpito prædicator, & pontifex cum mitra, ac omnes alii surgunt. Diaconus vero stans inclinato capite ante pontificem cum mitra stantem dicit: *Confiteor Deo omnipotenti*, &c. *Et tibi pater*, quod dum dicit, genuflectit coram pontifice; tum surgit, & continuat: *Quia peccavi nimis*, &c. *Et te, pater*, quod dum dicit, genuflectit iterum coram pontifice; tum surgit, & continuat: *Orate pro me ad Dominum Deum nostrum*. Tum prædicator stans in pulpito prædicto annunciat indulgentias populo dicens:

Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus N. dat & concedit omnibus hic præsentibus xl. dies de vera indulgentia in forma ecclesiæ consueta. Orate Deum pro felici statu sanctæ matris ecclesiæ. Deinde redit ad locum suum. Et si pontifex archiepiscopus, vel alias cruce uti possit; capellanus, cujus est officium, portat crucem, & spatio congruenti ante & versus pontificem genuflexus crucem ipsam tenet, & pontifex deposita sibi mitra, etiamsi cruce non utatur, stans versus ad populum dicit in tono orationis: *Precibus & meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, & Michaelis archangeli, & Johannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.* ℟. *Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus.* ℟. *Amen.* Deinde benedicens populo, more consueto dicit: *Et benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, descendat super vos & maneat semper.* ℟. *Amen.* Et capellanus crucem ad suum locum reportat, & pontifex conversus ad altare dicit: *Credo.*) In ms. Ordinario ecclesiæ Laudunensis nulla sermonis aut indulgentiarum facta mentione, solum præscribitur benedictio solemnis super populum ab episcopo impertienda. Hæc sollemnis indulgentiarum concessio, sive benedictio suffecta fuisse videtur sollemni catechumenorum, energumenorum, pœnitentiumque ejectioni, precibusque olim cum impositione manuum super eos post sermonem fieri solitis, ut videre est in Constitutionibus Apostolorum.

Symbolum.

IX. Symbolum post evangelium certis diebus decantare solemus, cujus originem Timotheo Constantinopolitano episcopo referendam existimamus. Ipse enim, ut scribit Theodorus Lector Historiæ Ecclesiasticæ p. 563. editionis Valesianæ, [symbolum fidei trecentorum & octodecim patrum in singulis collectis recitari præcepit in odium Macedonii, quasi ille non susciperet id symbolum, quod antea semel recitabatur quot annis die magnæ Parasceves, sive Dominicæ Passionis, dum episcopus baptizandos catechizaret.] Scribit tamen postea idem Theodorus (Petrum Fullonem instituisse etiam ...... ut in omni precatione nomen Deiparæ proferretur, denique ut in singulis collectis symbolum recitaretur.) Sed hæc invicem non pugnant; cum Petrus Antiochiæ, cujus erat patriarcha, id instituere potuerit, quod Timotheus Constantinopoli. Idem in Hispanias invexerunt Patres concilii III. Toletani anni 589. can. 2. statuentes, (ut per omnes ecclesias Hispaniæ & Gallicanæ (forte Galliæ, Narbonensis scilicet) secundum formam orientalium ecclesiarum, concilii Constantinopolitani, hoc est CL. episcoporum, symbolum fidei recitetur, & priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara e populo decantetur.] Hujus definitionis praxim videre est in Toletanis conciliis XII. & XIII. ubi congre-

X. Paulo serius in Galliis hic ritus recipi cœpit, nempe ineunte sæculo IX. hanc eis licentiam concedente Leone III., ut testantur Acta collationis habitæ de additione *Filioque* facta symbolo inter Bernerium Vormatiensem Episcopum, Jesse Ambianensem, & Adalardum abbatem Corbejensem cum præfato Leone apud Baronium anno 809. num. 60. Unde Walfridus Strabo libro de Rebus Ecclesiasticis cap. 22. (Apud Gallos, inquit, & Germanos post dejectionem Felicis hæretici, sub gloriosissimo Carolo Francorum rectore damnati, idem symbolum latius & crebrius in missarum cœpit officiis iterari.) Quæ verba tamen indicare videntur, jam antea symbolum in missis recitatum fuisse, sed non ita *latius & crebrius*, ac post damnatum Felicem, ut quod aliquando & aliquibus in locis dumtaxat erat in usu, postmodum ab omnibus ubique frequentaretur. Meminit hujus ritus Eginardus in lib. 4. Miraculorum SS. Marcellini & Petri c. 21. apud Surium 2. Junii (Cumque, inquit, post recitatam evangelii lectionem christianæ credulitatis symbolum recitaretur,) &c. Neque tamen in omnibus adhuc Galliarum ecclesiis frequentabatur post medium sæculum IX. quo Walterius Aurelianensis antistes in sui Capitularis articulo primo statuit, (ut Gloria Patri, & Filio, & Spiritui-sancto, & Credo in unum Deum apud omnes in missæ decantetur.)

Quo tempore in Romana ecclesia cantari cœptum.

XI. De tempore quo Romana ecclesia symbolum intra missarum sollemnia recitandum admiserit, major est difficultas. Berno abbas Augiensis libro de Rebus ad missam pertinentibus cap. 2. scribit, Romanos usque ad tempora Henrici imperatoris symbolum post evangelium non decantasse [sed ab eo interrogati, inquit, cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet quod Romana ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fece infecta, sed secundum S. Petri doctrinam in soliditate catholicæ fidei permaneret inconcussa. Et ideo magis his necessarium esse illud symbolum sæpius decantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At Domnus imperator non antea desiit, quam omnium consensu id Domno Benedicto apostolico persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent.) Illud Bernonis testis oculati testimonium eruditos viros Cardinales Baronium & Bonam, Hugonem Menardum, aliosque veterum rituum scrutatores sagacissimos adduxit, ut crederent ante sæculum undecimum nullum fuisse in missa apud Romanos symboli usum. Nos vero & Bernonis admittimus auctoritatem; & nihilominus asserimus, symboli in missa recitationem longe antiquiorem in Ecclesia Romana existere, quam existiment illi auctores. Nam primo illorum præjudiciis obstant antiqui Ordines Romani II. V. & VI. ex vulgatis a Mabillonio Musei Italici tomo 2. Et ne quis aliquam in his interpellationem irrepsisse suspicetur, omnem suspicionem removet Amalarii abbatis Egloga in Ordinem Romanum edita a Baluzio in Appendice ad Capitularia Regum Francorum, in qua agit de Symbolo. Deinde Walfridus libro de Rebus Ecclesiasticis cap. 22. postquam rationes protulit cur Græci Symbolum Constantinopolitanum potius quam Nicænum in missa decantarent, addit, (ab ipsis ergo ad Romanos ille usus creditur pervenisse.) His accedit omni exceptione majus Leonis papæ III. testimonium in præcitata Collatione cum legatis concilii Aquisgranensis. Nam cum Summum Pontificem urgerent legati, ut Gallicanis ecclesiis permitteret symbolum decantare cum ea additione, quæ mentionem facit processionis Spiritus sancti *a Filio* perinde ac a Patre, respondit pontifex, satis eis esse illud decantare (quomodo in hujusmodi decantando & celebrando sacrosanctis mysteriis sancta Romana tenet ecclesia.) His addo Johannis papæ VIII. auctoritatem in epist. 247. ad Sfentopulcrum comitem Moraviæ, ubi hæc habet: (Igitur hunc Methodium venerabilem archiepiscopum vestrum interrogavimus, coram positis fratribus nostris episcopis, si orthodoxæ fidei symbolum ita crederet, & inter sacra missarum sollemnia caneret *sicuti sanctam Romanam ecclesiam tenere*, & in sanctis sex universalibus synodis a sanctis Patribus secundum evangelicam Christi Dei nostri auctoritatem promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est, se juxta evangelicam & apostolicam doctrinam, sicut *sancta Romana ecclesia docet*, & a Patribus traditum est, tenere & psallere.] Ex his omnibus conficitur, toto sæculo IX. symbolum in missa apud Romanos dictum fuisse. Immo si Alberico credimus, certe longe an-

Constantinopoli celebratur.] Quid ergo dicemus ad Bernonis testimonium? Sæculo X. intermissam Romæ hanc consuetudinem? Hæc responsio tolerari utcumque posset, si solidiorem aliunde non haberemus hujus difficultatis solutionem. Nam si Bernonis verba attenta mentis consideratione perscrutemur, non negat absolute apud Romanos symbolum in missa dictum fuisse, sed *decantatum*, quia revera sollemni modulatione, ut in aliis ecclesiis, non cantabatur, sed solum recitabatur, ad eum fere modum quo in ecclesia Lugdunensi epistola, quæ alibi præcinitur, a subdiacono alta, clare, & distincta voce absque ulla cantus inflectione legitur. Hujus responsionis testem profero Leonem III. in præcitata Collatione cum Legatis concilii Aquisgranensis: [Quod vero, inquit, asseritis; iden vos ita cantare symbolum, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse. Quid ad nos? Nos enim idipsum *non cantamus*, *sed legimus*, & legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere quippiam eidem symbolo inserendo præsumimus. Idem legitur in Chronico Turonensi; si quis vero objiciat Damasum præcepisse *cantari*, respondemus, vocem *cantari* apud plerosque auctores pro *recitari* usurpari. Hic præterire non debeo consuetudinem ecclesiæ Senonensis, in qua Symbolum non alternis choris, ut in aliis ecclesiis, sed ab ambobus simul integrum, decantatur: idque, ut ajunt, in signum unitatis fidei. Sed neque quod scribit Gaufridus de Bello loco de S. Ludovico Francorum rege in ipsius Vita cap. 36. [Item apud quosdam vidit ex consuetudine observari, quod quando ad missam *Credo in unum Deum*, dum diceretur *& Homo factus est*; chorus profunde & humiliter inclinabat, quæ consuetudo placuit ei multum. Unde deinceps fecit institui & servari tam in capella sua coram ipso, quam in ecclesiis aliis pluribus, ut ad verbum prædictum non solum inclinaretur, sed etiam devote genua flecteretur.]

XII. Dum vero symbolum in choro recitatur præscribit Ordinarium Laudunense, ut (interim diaconus, cantor, & succentor, & alii ministrales nummos ab episcopo recipiant.] De hac etiam pecuniæ distributione hæc lego in ms Ordinario B. Mariæ Remensis: Lecta epistola, [accedit subdiaconus ad manum archiepiscopi, similiter accipit duos solidos. Similiter & duo subdiaconi, qui graduale cantant, & duo diaconi qui cantant alleluja, diaconus qui legit evangelium, & capellanus archiepiscopi, & cantor, & succentor, qui cantum servant, hi omnes singuli accipiunt duos solidos de manu archiepiscopi.]

ARTICULUS VI.

De Oblatione.

I. QUæ hactenus a nobis tractata sunt, ea catechumenorum missam potissimum spectant, quæ cum sermone finem accipiebat, unde S. Augustinus Sermone 49. novæ editionis, (Ecce, inquit, post sermonem fit missa catechumenis: manebunt fideles,) &c. Quæ ergo deinceps dicturi sumus, ea missæ fidelium sunt propria, quæ ab oblatione incipiebat. Nam symbolum quod præmittitur, olim non dicebatur, nec postquam dici incœpit, quotidie cantabatur.

Oblatio duplex.

II. Oblatio autem in missa duplex erat: alia quæ a sacerdote, alia quæ a circumstantibus fiebat; & hæc iterum bipartita. Nam alia in usum sacrificii, alia in sacrorum ministrorum commodum offerebantur: quibus cum primis Ecclesiæ temporibus nulli essent fixi redditus, fideles omnia ad victum necessaria abunde suppeditabant. Ea porro in ecclesia perinde ac materia sacrificii offerebatur: immo posteris sæculis quæcumque ecclesiis earumque ministris aut monasteriis donabantur, eorum donationes per chartam ad altare deferebantur, cujus rei infinita exempla nobis exhibent chartæ Majoris-monasterii, ut alias interim omittam.

III. Sed quia nulli, vel sanctissimi usus omnem abusibus aditum præcludere possunt, cum his in rebus nonnulli subrepsissent, canon 3. Apostolorum decrevit, ut (si quis episcopus, aut presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in sacrificio offerat super altare, idest, mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra [illegible] Domini faciens, congruo tempore denona- altare præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, idest, incensum tempore, quo sancta celebratur oblatio.] Reliqua omnia ad domum episcopi deferri præcipiunt. Expressius concilium Carthaginense III. can. 24. [Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam ipse tradidit: Hoc est panis & vinum aquæ mixtum. Nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de uvis & frumentis.] Postmodum vero statutum est, ut ea quæ in clericorum commodum cedunt, aut ante missam, aut saltem ante evangelium: quæ vero ad opus sacrificii assumuntur, ad offertorium offerantur: Unde Regino abbas Prumiensis in libro 1. de Ecclesiasticis Disciplinis, inter ea quæ ab episcopo parochias visitante inquiri præscribit de rectore, recenset n. 72. [Si offerentes instruat, ut candelam, vel quicquid aliud ad altare deferre placuerit, ante missam vel antequam evangelium legatur, offerant.) Et num. 73. subjungit: [Oblationem autem unam tantummodo oblatam ad offertorium pro se suisque omnibus unusquisque offerat.] Quæ quidem desumta videntur ex Hincmari Remensis archiepiscopi Capitulari 1. art. 16.

Oblationis ordo.

IV. Jam vero quis ordo servandus esset in oblatione, discimus ex antiquis Romanis Ordinibus, in quorum primo ita describitur: [Pontifex descendit in Senatorium, tenente manum ejus dextram primicerio notariorum, & primicerio defensorum sinistram: & suscipit oblationes principum per ordinem archium. Archidiaconus post eum suscipit amulas, & refundit in calicem majorem, tenente eum subdiacono regionario: quem sequitur cum scypho super planetam acolythus, in quo calix impletus refunditur. Oblationes a pontifice suscipit subdiaconus regionarius, & porrigit subdiacono sequenti, & subdiaconus sequens ponit in sindonem, quem tenent duo acolythi. Reliquas oblationes post pontificem suscipit episcopus hebdomadarius, ut ipse manu sua mittat in sindonem, quæ eum sequitur. Post quem diaconus, qui sequitur post archidiaconum suscipit amulas, & manu sua refundit in scyphum. Pontifex vero antequam transeat in partem mulierum, descendit ante confessionem, & suscipit oblatas primicerii, & secundicerii, & primicerii defensorum. Nam diebus festis post diaconos ad altare offerunt. Similiter ascendens pontifex in partem feminarum ordine quo supra omnia explet. Similiter & presbyteri, si necesse fuerit, post eum vel in presbyterio faciunt. Post hæc pontifex, tenente ei manum primicerio & secundicerio, redit ad sedem suam.] Brevius & paulo aliter secundus Ordo Romanus: [Interim cantores cantant offertorium cum versibus, & populus dat oblationes suas, idest panem & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis, primo masculi, deinde feminæ, novissime sacerdotes & diaconi offerunt, sed solum panem, & hoc ante altare. Subdiaconus vero cum calice vacuo sequitur archidiaconum, & pontifice oblationes populorum suscipiente, archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in calicem majorem, tenente eum subdiacono, quem sequitur cum scypho super planetam acolythus, in quem calix impletus refunditur. Oblationes autem a pontifice suscipit subdiaconus, & ponit in sindonem; quæ eum sequitur, quam tenent duo acolythi. Tunc tenentibus duobus presbyteris manus ejus, episcopus redit in sedem.)

V. Quibus in verbis plurima observare licet. Et primo quidem. Omnes olim in missa obtulisse, clericos & laicos, viros & mulieres, principes & populos: Si tamen jus communionis obtinerent. Nam excommunicatis, catechumenis, energumenis, pœnitentibus, & aliis, quibus communio sacra denegabatur, haudquaquam fas erat offerre. His adjungendæ mulieres menstruo tempore, & sanctimoniales, de quibus concilium Moguntinum can. 6. apud Burchardum lib. 19. cap. 40. [Mulieres menstruo tempore non offerent, nec sanctimoniales, nec laicæ (idest sorores conversæ), si præsumserint, tres hebdomadas pœniteant.] Ad sanctimoniales tamen quod spectat, eas in monasterio Gandeshemensi etiam jubente episcopo, oblationes in missa fecisse reperio in Vita S. Bernuardi episcopi Hildesheimensis cap. 14. ad Surium 20. Novembris.

VI. Secundo nihil aliud præter sacrificii materiam, hoc est panem & vinum, oblatum fuisse juxta citatos canones: ita tamen, ut clerici solum panem præsentarent, laici panem & vinum cum *candidis fanonibus*, idest mundis

adhuc sæculo XIII. in insigni S. Martini Turonensis basilica, in qua etiam eo tempore canonici singuli per ordinem suas obletas offerebant: quamvis jam passim oblatio panis in pecuniariam conversa esset, & in quibusdam utraque obtineret: unde Anonymus Turonensis in suo ms. Speculo, quod sub finem sæculi XII. composuisse videtur, (sciendum itaque, inquit, quia quatuor sunt quæ ad missem offerre consuevimus, panis, vinum, denarius, & candela.) Et paulo post addit: (Monachi etiam offerunt hostias, singuli singules, more Græcorum, qui omnes ad missam panem offerunt, unde Corpus Christi conficitur: & inde communicant omnes communitae.)

Oblatio quo in loco facta.

VII. Tertio clericos ad altare, laicos extra chorum obtulisse. Principes quidem in senetorio, qui locus ipsis erat assignetus ad eustralem partem, reliqui vero in locis sibi in ecclesia constitutis; ad quæ pergebat pontifex, seu presbyter celebrans. A qua tamen lege immunes erant imperatores, qui ad altare suas deferebant oblationes: unde Theodosius Augustus Mediolani post actam pœnitentiam sacrosancto missæ sacrificio assistens, (cum tempus advenisset, quo dona sacræ mensæ erant offerenda, surgens cum lacrymis non minoribus, quam antea ad altare progressus est.) Nec ideo eb Ambrosio celebrente objergatus est; sed quod (cum obtulisset, intus ad cancellos substitit,) ut scribit Theodoretus lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 18. Hoc imperetoribus privilegium confirmavit concilium in Trullo celebratum edito hoc canone 69. [Nulli omnium liceet, qui quidem sit in laicorum numero, intra sepre sacri altaris ingredi, nequaquam temen ab eo prohibite potestete & auctoritate imperiali, quando quidem voluerit Creaturis dona offetre ex antiqua traditione.) Eodem privilegio gaudebant & monachi; unde Sanctus Hieronymus inter eos insignis, scribens ad Heliodorum. [Securis, inquit, ponitur ad radicem, si munus ad altere non defero.] Eodem & sacratæ Deo virgines, ut patet ex Sancti Augustini epist. 111. novæ editionis id Victorianum presbyterum, quem consolatur, & hortatur ad toleranter accipiende male, quæ barberi in Iteliem & Hispaniem incursionem facientes, inferebat secris virginibus, ubi qoitquam exemple sanctorum veteris testamenti proposuit, ita infert: (Sic sunt illæ in terra captivitetis suæ, quomodo erant illi in ee terra, ubi nec sacrificare more suo poterent Domino, sicut nec istæ possunt, *vel ferre oblationem ad altare Dei*, vel invenire ibi sacerdotem, per quem offerent Deo.) In Galliis autem entique ecclesiæ disciplina saltem quo ad mulieres diu perseveravit, & quidem ed usque sæculum IX. ad minus. Nam Theodultus Aurelienorum antistes in Capituleri num. 6. (Feminæ, inquit, missam sacerdote celebrante, nequaquem altare accedant, sed locis suis stent, & ibi sacerdos earum oblationes Deo obleturus accipiat,) quæ totidem verbis leguntur in Cepitulari Attonis episcopi Vercellensis num. 11. Spicilegii tom. 8. Et Capitularia Regum Francorum lib. 5. num. 371. (Hoc populo nuntietur, quod per omnes dies Dominicos oblationes Deo offerent, & ut ipsa obletio foris septe altaris recipietur.) Immo sæculo X. S. Bernuardus episcopus Hildesheimensis sanctimonialium cœnobii Grandesheimensis accepturus oblationes, ex alteri ad ipsarum locum progressus, memorater in ejus Vita supra citata. Hic prætermittere non debeo id quod præscribit Grimlaicus in Regula Solitariorum cep. 16. ut nimirum Recluso (oratoriem ite sit domui ecclesiæ contiguum, quetenus idem solitarius per fenestram ejusdem oratorii possit ad missas per manus sacerdotum oblationes offerre.)

Quibus diebus.

VIII. Ceterum hujusmodi oblationes olim quotidie in missa fiebant: sed refrigescente fidelium devotione cum eas laici præsertim negligerent, concilium Matisconense II. anno 585. celebratum postquam eos ea de re redarguit, cap. 4. decernit, ut seltem (omnibus Dominicis diebus altaris obletio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis quam vini.) Et Capitularia Regum Francorum lib. 6. num. 170. (Placuit, ut fideles obletiones sacerdotibus quotidie, si fieri potest, in ecclesia offerant. Et si quotidie non potest, seltem Dominice die absque ulla excusatione fiat.] Ab antiqua tamen devotione non refrigerat Mathildis regina uxor Henrici [illegible] de sacerdoti ad missem præsentare oblationem panis & vini, pro selute & utilitate totius sanctæ ecclesiæ.)

IX. Postmodum vero eo res venit, ut solæ mulieres pro viris offerrent: unde Regino abbas Prumiensis lib. 2. de Eccles. disciplinis inter alia, quæ ab episcopo parochias visitante de laicis inquiri jubet, recenset. (Si oblationem, idest panem & vinum, viri & feminæ ad missas offerunt. Et si non viri, conjuges pro illis offerent pro se suisque omnibus, ut in canone continetur.) Huic morbo mederi voluisse videtur Gregorius VII. in concilio Lateranensi can. 12. statuens, (ut omnis Christianus ad missarum sollemnia aliquid Deo offerat.) Longe ante Gregorium Cæsarius Areletensis episcopus languentem hac in re fidelium devotionem excitare tentaverat, Sermone 265. Appendicis operum S. Augustini, ubi sic loquitur: (Oblationes quæ in altario consecrentur offerte. Erubescere debet homo idoneus si de aliena oblatione communicaverit.) Et concilium Moguntinum anni 813. can. 44. [Oblationem quoque & pacem in ecclesiis facere jugiter admoneatur populus Christianus; quia ipsa oblatio sibi, & suis megnum remedium est animarum: & in ipsa pace vere unanimitas demonstratur.) Nunc vero excepta pecuniarie, quæ in parœciis & magis adhuc viget, oblationes in omnibus passim ecclesiis antiquatæ sunt: in Parisiensi tamen B. Mariæ ecclesia etiam nunc (in tribus missis Nativitatis Domini, & in die commemorationis defunctorum, omnes de clero offerunt, propterea vocatur oblatio generalis; in aliis vero festis annualibus communicandi tantum offerunt, & vocatur oblatio communicantium.) In Rotomagensi oblatio quoque fit in prima missa Natalis Domini, in Epiphania, in festis Purificationis & Corporis Christi, & in die Commemorationis omnium defunctorum. Fit etiam ab his qui communicaturi sunt in festis Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Omnium Sanctorum, Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, Assumtionis, & Nativitatis Beatæ Mariæ. In Viennensi vero omnibus festis 1. classis totus chorus offert. In Metropolitane Mediolanensi adhuc in usu est, ut senes duo mares, & duæ feminæ, quos Veglones & Veglonissas appellent, offerant obletiones panis, & vini. Sed de fidelium oblationibus satis. Venio ad oblationem sacerdotis.

Hostiæ quot offerendæ.

X. Reversus ad altare tot ex obletis offerebat hostias, quot communicando populo sufficere possent. (Archidiaconus accipiens obletas (inquit Ordo Romanus) ponit tantes super altare, quantæ possunt populo sufficere.) Hic juvet ecclesiarum Hispaniæ ritus sæculo nono observatos referre, quos describit Eldefonsus episcopus Hispaniensis in libello hac de re ab ipso edito, ex cujus præscripto hebite dierum & festivitetum ratione, in Natali Domini *in prima missa & secunda & tertia, offerendi sunt panes æquali numero & figura, semper duodecim per gyrum, hoc est in rotundum ad significandum angelicum chorum, & in medio quinque in crucis modum ad significandos evangelistas & unicum Filium Dei*, hoc modo: *fig.* 1.

In pascha scilicet Dominica resurrectionis, de qua fit sermonis ratio, centum triginta & quinque panes sunt offerendi in crucis modum per trium missarum officia, videlicet quadraginta & quinque in unaquaque missa, ita fig. 2.


In Domini Jesu Christi Ascensione & ipsius manifesta quibusdam discipulis in monte excelso Transfiguratione, quæ fuit sexta calendas Augustas, quinto in mense, ita sunt uno eodemque numero & figura panes offerendi similiter omnino ut in Natali Domini, scilicet septemdecim ad singules misses.

In Pentecoste etiam sub quadrata, cum cruce tamen in medio, civitatis figura cælestis Jerusalem tot panes offerendi sunt per omnia, subaudis missarum officia, quot in Resurrectione Dominica, prout videtur in sequenti fig. 3.

In diebus autem Dominicis & Dei sanctorum festis amplius non sunt offerendi panes, nec minus maxime quam quinque in crucis forma hoc modo: *fig.* 4.

Additque: *Ille enim panis medius sæpe debet esse potius major & honestior aliis omnibus, de quo legitur in quodam loco Agnus in medio significatus. Quotidianis autem diebus nec amplius, nec minus, nisi unus tantum. fig.* 5.

Quæ omnia [sicut supra figurando denotavimus, inquit, iterum ob memoriam cordis replicamus. In Natali Domini, sicut audistis, decem & septem per tres vices. In Resurrectione Domini [illegible]





supra scripto tempore, decem & septem panes tribus vicibus, similiter ut in Natale Domini. In Dominicis autem diebus & sanctorum festivitatibus semel tantum, hoc est vice una, quinque panes.) Ubi obiter notabis, antiquam consuetudinem tres missas in Pascha, Pentecoste, & Transfiguratione Domini celebrandi. Cluniacenses tres quotidie ad missam offerebant hostias, diebus Dominicis & festis quinque, quæ omni congregationi communicandæ sufficiebant. In mss. etiam Consuetudinibus S. Benigni Divionensis cap. 67. de festis præcipuis hæc lego: (Ad majorem missam quinque hostiæ offeruntur, multo etiam plures adjiciuntur, quia in his quinque sollemnitatibus omnes ad pacem accedere, omnesque debent communicare, etiam infantes.) Typicum Irenes Augustæ cap. 34. quod publici juris fecit noster Bernardus *de Montfaucon* in Analectorum Græcorum tomo 1. ita præscribit: (Singulis diebus in divina Liturgia septem panes offerentur; unus Dominicus, alter gratiæ plenæ Dominæ nostræ, alius Sancti illius diei, alius pro redemtione & remissione peccatorum præstantissimi mei imperatoris, necnon meorum, alius pro monialibus, quæ dormierint; alius pro parentibus & ceteris cognatis nostris qui dormiarint; & alius pro vivis filiis, generis, & reliquis affinibus nostris.

XI. quod de pane dicimus, idem de vino affirmandum, tantum scilicet ex fidelium oblationibus secretum fuisse, quantum communicandæ plebi universæ sufficeret: habita hac in re dierum & festivitatum ratione, id quod intelligere utcumque possumus ex libello Samuelis & aliorum presbyterorum Edessæ ad Photium & alios episcopos contra Ibam Edessenæ civitatis antistitem, in qua inter alia accusationum capita, decimum est (Quia dum memoria fieret sanctorum martyrum non est datum vinum ad sacrificium altaris ad sanctificationem & populi distributionem, nisi admodum exiguum, & vitiosum, & lutosum, & quasi eo tempore vindemiatum: ut ex hoc cogerentur, qui deputati fuerant ministrare, de tabernis omnino vitiosi comparari sex sextarios, qui nec sufficerent: ita ut his, qui sanctum Corpus distribuebant, innuerent, ut ingrederentur quia Sanguis non inveniretur.] Ad tantam vini quantitatem capiendam necesse erat plures ad altare calices deferre, qui *ministeriales* dicebantur, eo quod ministrandæ sacræ communioni inserviebant. Cassinenses septem ad altare deferebant tempore Oderisii abbatis, quamvis jam calicum in missa pluralitatem improbasset Gregorius papa II. ad S. Bonifacium scribens. Armeni duobus hactenus calicibus in sacra liturgia utuntur, uno, in quo hostiam; altero, in quo vinum reponunt, de quibus videsis Leonis Allatii dissertationem de Communione Orientalium.

Colum.

XII. Igitur ex vino oblato transfundebat diaconus in calicem quantum assistentium communioni sufficeret; idque per colum seu colatorium, quod erat cochlearis genus tenuissimis & subtilissimis foraminibus in imo fundo perforati, per quod vinum ex amulis seu ampullis in subjectum calicem effundebatur: cujus usus erat in ecclesia Romana jam inde a sæculo quinto. Nam charta Cornutiana memorat *hamulam oblatoriam, colum, thymiamaterium*. Viguit & in Gallis a sæculo VI. Nam inter alia quæ suæ ecclesiæ fecit donaria Desiderius episcopus Antissiodorensis recensetur *colatorium pensans uncias duas* in Historia Episcoporum Antissiodorensium apud Labbeum tom. 1. Bibliothecæ novæ. Vidit hujusmodi cola duo seu colatoria Cardinalis Bona in Museo Barberino unum parvum (instar cochlearis cum oblongo manubrio. Aliud item argenteum instar scutellæ cujus minutissima foramina pulcherrimum opus reticulatum efformant,) uti ipse testatur in lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 25. additque: (mansit colatorii memoria in antiquis quorumdam monasteriorum ritualibus, an vero usus adhuc perseveret, incompertum mihi est.) At quod ei incompertum erat, vidi ego persæpe observari, ipseque observavi in altari ministrans in percelebri S. Dionysii in Francia templo. Antiquum Rituale S. Martini Turonensis præscribit, ut [vinum per Sion in calicem mittatur.) Quid sit Sion necdum rescire potui a canonicis ejusdem ecclesiæ hac de re a me interrogatis. An idem quod cochlear? Idem plana, aut certe vas aliquod consimile, ut discimus ex actis episcoporum Cenomanensium apud Mabilonii Analecta tom. 3. nam cap. 37. recensendo dona ecclesiæ Cenomanensi ab Hugone episcopo collata, (dedit, inquiunt, vasculum gemmulis undique septum nitentibus, acerræ exprimens similitudinem, si non ab inferiori capite modice falcato unci speciem retineret. Per hoc foratum subtilissime vinum [illegible]

& a subdiacono festive geritur pro manipulo.) Certe ex eodem Rituali subdiaconus epistolam lecturus in ambonem pergens Sion deferre debet, & ex antiquo Ordinario ms. ecclesiæ Laudunensis, (subdiaconus ascendit pulpitum deferens librum & cochlear argenteum in sinistra.) Sed aliis peritioribus hujusce difficultatis judicium relinquo: ceterum de colatoriis intelligendum existimo quod in Chronico Casinensi inter sacram supellectilem cochlearia argentea nonnumquam referuntur.

XIII. Transfuso in calicem vino, novissime Cantor aquam in calice miscendam offerebat: & quidem Romę proprio consistens in loco: sed in Gallis ad altare: saltem id præscribunt antiquum rituale S. Martini Turonensis & ms. consuetudines S. Dionysii in Francia Diaconus accepta a subdiacono aquæ modicum refundebat in calicem, dicens *Deus qui humanæ substantiæ*, quam non dicebat celebrans, uti videre est in missa Illirici & in Rituali ms. ecclesiæ Suessionensis, utque etiam nunc Ambianensis habet in usu. Deinde sacerdoti offerendum exhibebat. Antequam vero ultra progrediar operæ pretium existimo hic referre antiquam Romanæ ecclesiæ consuetudinem, ut in cæmeteriis non celebrarent nisi ex allatis ex Patriarchali ecclesia oblationibus, Johanne papa III. statuente, (ut oblationes, & amulæ, vel luminaria in cæmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur.] Et Gregorio III. (ut in cæmeteriis circumquaque positis Romæ in die Natalitiorum eorum luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas missas, per quem providerit pontifex, qui pro tempore fuerit, sacerdotem.)

XIV. Hæc sunt præcipua quæ antiquos oblationis ritus spectant; postquam vero a fidelibus in missa offerre desitum est, quinam observati fuerint ex Pontificali Romano tempore Leonis papæ X. edito hic describere juvat. Quippe lecto a pontifice offertorio, lotisque manibus, (subdiaconus dum pontifex abstergit manus vadit ad credentiam... tum ponit super patenam duas hostias mundas & pulchras, & accepto calice cum patena.... proficiscitur ad altare, & post eum unus acolythus ampullas vini & aquæ portans pro sacramento, ex quibus antequam acolythus illas ad manus accipit, dat credentiariis ad prægustandum.) ... Interim diaconus accepto calice de manu subdiaconi, (statuit illum super altare: deinde accipiens unam ex hostiis cum ea tangit aliam, & patenam, atque calicem intus & extra: eamque dat prægustandam subdiacono vel sacristæ, si adsit: tum patenam cum hostia offert pontifici: & pontifex illam suscipiens ambabus manibus, tenensque eam elevatam ante pectus, dicit: *Suscipe sancte Pater*, &c. Deinde fusis in calicem vino & aqua, diaconus illum exhibet pontifici, qui eumdem elevatum offert dicens *offerimus*, &c. Hæc omnia fiebant, ad vitandum veneni periculum, quod sic in sacristæ caput recidisset. Eumdem prope ritum vidi observari in monasterio S. Dionysii in Francia, cum in solemnibus Regum christianissimorum anniversariis episcopus celebrat.

Antiphona ad offertorium.

XV. Hactenus nihil diximus de precibus, quæ in choro a cantoribus, aut in altari a sacerdote oblationis tempore dicebantur. Chorus antiphonam ab oblatione vulgo *offertorium* dictam præcinebat: cui plures nonnumquam versiculos subjungebat, quales videre est in S. Gregorii papæ antiphonario, quales & ipse vidi in quibusdam missalibus antiquis. In ecclesia Turonensi & in Martiniana Basilica aliquando duæ decantantur antiphonæ: id quod præsertim observatur in festis SS. Mauritii & sociorum ejus atque subventionis S. Martini, quibus una cum canonicis missam concinunt Majoris monasterii monachi Benedictini, canonicis unam antiphonam, monachis alteram modulantibus. In ecclesia Africana tempore oblationis psalmos decantabat chorus, ut docet S. Augustinus lib. 2. Retractationum cap. 11.

Oblationis preces.

XVI. De precibus interim a sacerdote dicendis præscriptum nihil reperimus in antiquioribus Romanis Ordinibus, sed neque in Gelasii aut Gregorii-magni sacramentariis, totamque illam actionem sub silentio pertractabant, sufficere existimantes, ut revera sufficiunt, preces in canone contentæ. Micrologus hanc orationem tum dicendam refert (juxta Gallicanum ordinem.] *Veni sanctificator omnipotens eterne Deus, benedic hoc sacrificium tuo nomini* [illegible]

clesiastica consuetudine.) *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis, Ascensionis.* [Quæ oratio, inquit, a diligentioribus ordinis & comprobatæ consuetudinis observatoribus tam pro defunctis, quam pro vivis sola frequentatur.] In antiquo ms. missali ecclesiæ Bellovacensis ista legitur: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honorem omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festa celebrantur, & quorum hic nomina, & reliquiæ habentur, ut illis omnibus proficiat ad honorem, nobis autem & omnibus fidelibus vivis & defunctis ad salutem, ut isti omnes intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem.* Eadem reperitur in antiquo missali Carnotensi paucis verbis exceptis. Eadem in Mediolanensi, & in Turonensi annorum circiter 300. in quo additur & ista ad missam pro defunctis. *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro animabus famulorum famularumque tuarum, & omnium fidelium defunctorum, ut requiem eis dones inter sanctos & electos tuos, & ut in ipsorum consortio vitæ perfruantur sempiterna. Per Christum. In nomine Patris.* In alio vero antiquiori ejusdem ecclesiæ Turonensis ante annos 800. exarato. *Suscipe, clementissime Pater, hanc oblationem quam tibi offero ego indignus famulus tuus pro me misero peccatore, & pro cuncto populo christiano, pro fratribus quoque & sororibus nostris, & pro his qui nostri memoriam in suis continuis habent orationibus, ut in præsenti hoc sæculo remissionem peccatorum recipiamus, & in futuro præmia consequamur æterna. Per.* Denique in missali Majoris-monasterii anno 1508. edito præscribitur, ut junctis manibus dicat sacerdos: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et tenendo calicem dicat: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Tunc duabus manibus elevatis, calicem cum patena & hostia desuper dicat: *Suscipe, clementissime Pater, hanc oblationem quam tibi indignus offero pro peccatis atque offensionibus meis, pro omni populo christiano, pro salute vivorum, requie defunctorum, ut in præsenti sæculo remissionem omnium peccatorum accipiant, & in futuro sæculo requiem consequi mereantur æternam. Amen. Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostræ devotionis oblatio, per merita & orationem sanctæ Mariæ semper virginis & omnium sanctorum, quorum nomina vel reliquiæ in hac & ubique venerantur ecclesia.* Faciat crucem super corporalia dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Deponendo calicem accipiat patenam dicens: *Descendat hic angelus Domini, & omnes Sancti ejus cum eo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.* Ab hac parum discrepat alia quæ habetur in alio missali Turonensi anno 1533. impresso, sed omnino differt oblationis ritus qui extat in Missali ecclesiæ Lemovicensis anno 1483. typis Parisinis mandato, qui est hoc modo: (Sacerdos accipiat calicem dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Deinde accipiat calicem cum utraque manu, & elevet illum aliquantulum dicens: *Hanc igitur oblationem quæsumus omnipotens Deus, ut placatus accipias, & omnium offerentium, & eorum, pro quibus offertur, peccata indulgeas. Per Dominum.* Et deponat calicem supra corporale faciendo crucem cum ipso calice: quo deposito, accipiat patenam cum hostia, & reverenter deponat cum ipsa patena ad pedem calicis aliquantulum versus sinistram partem ipsam hostiam recte. Quo facto, signet se cum ipsa patena, & ponat inversam in dextra parte aliquantulum sub palla, & statim cooperiat calicem cum corporali, faciendo desuper crucem cum dextra manu dicens: *Veni sanctificator Omnipotens Deus, bene † dic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.*) Plures alias hujusmodi oblationis formulas hic adjicere possemus, quæ in singulis pene libris antiquis sive scriptis sive editis variant, omninoque diversæ sunt, sed lectorum patientiæ & tædio parcendum. Unum est quod hic observare debemus, calicem scilicet una cum pane simul unica oratione oblatum: id quod non solum in citatis missalibus, sed insuper in Antissiodorensi, Catalaunensi, Lugdunensi, aliisque quamplurimus advertimus. Unum est Narbonense, quod utriusque speciei oblationem expresse distinguit: quæ quod singularis sit, hic eam subjicere non gravabor: (Quando aqua ponitur in calice. *Ex latere Christi sanguis & aqua exisse perhibetur, & ideo pariter commiscemus vinum & aquam, ut omnipotens & misericors Deus utrumque ad medelam animarum nostrarum sanctificare* [illegible]

Amen. Ad hostiam. *Acceptabilis sit majestati tuæ omnipotens Deus hæc oblatio, quam tibi offerimus pro reatibus & facinoribus nostris, & pro stabilitate sanctæ Dei ecclesiæ catholicæ. Amen.* Ad calicem. *Offerimus tibi, Domine, Christi Filii tui calicem; humiliter implorantes clementiam tuam, ut ante conspectum divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Per eumdem.* Post oblationem: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro me misero peccatore, & pro famulis & famulabus tuis, & pro omni populo christiano, vivis ac defunctis, ut mihi & illis proficiat in vitam æternam. Amen.* Super utramque: *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene † dicere & sancti † ficare digneris sanctam oblationem istam.*] Pene similia habentur in missali Toloniensi.

ARTICULUS VII.

De oblatorum thurificatione, lotione manuum, secreta oratione, præfatione, & hymno angelico.

Thurificatio oblatorum.

I. DE oblatorum thurificatione audiendus in primis Micrologus in observationibus ecclesiasticis cap. 9. (Romanus Ordo, inquit, præcipit, ut incensum semper præcedat evangelium, cum ad altare sive in ambonem portatur: non autem concedit, ut oblatio in altari thurificetur: quod & Amalarius in prologo libri sui de officiis Romanos devitare fatetur: quamvis modo a pluribus, immo pene ab omnibus usurpetur.) Quanam vero ratione id fieret, explicat missale ecclesiæ Autissiodorensis: benedicto incenso, sacerdos [accipiens thuribulum, & elevans illud in altum, dicat: *Stetit angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu angeli.* Tunc cum thuribulo faciat crucem super calicem, & incenset illud circumquaque, postea altare a dextris & a sinistris, & in anteriori parte. Deinde tradat thuribulum diacono.) In antiquo autem missali ecclesiæ Catalaunensis præscribitur, ut sacerdos incenset altare & sacrificium dicens: *Domine Deus noster, qui suscepisti munera Abel, Noe, Aaron, & Samuel, & omnium sanctorum tuorum, suscipere dignare incensum istud in conspectu tuo in odorem suavitatis, in remissionem peccatorum. Amen.* Vel sic, *incensum istud a te benedictum*, &c. Et in in majoris-monasterii: [Accipiat incensum a diacono, & offerat super sacrificium dicendo: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Postea reddat diacono dicendo: *Suscipiat Dominus vota tua, & dimittat tibi omnia peccata tua. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.*)

Lotio manuum.

II. Deinde lavat manus dicens: *Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Lavabo inter innocentes*, &c. usque in finem psalmi ex eodem missali. In aliis communiter incipit tantum ab his verbis: *Lavabo inter innocentes, &c.* In quibusdam omissis his verbis, dicit orationem: *Largire, &c.* quæ ab eodem recitanda præscribitur ante missam dum manus abluit. Hujus ritus meminit S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi 5. Mystagogica. (Vidisti, inquit, diaconum aquam lavandis manibus porrigentem sacerdoti, & illis qui circum altare stabant presbyteris.) Quibus in verbis duo advertere licet; unum, non celebrantem solum, sed alios insuper presbyteros manus abluisse; id quod confirmat Dionysius in lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. alterum diaconos lavantibus aquam ministrasse. In ecclesia Parisiensi ante lotionem manuum & *Lavabo*, in cornu epistolæ celebrans dicit *De profundis*, cum versu & oratione *absolve* pro episcopo, & aspergit, respondentibus alternatim ministris, ex Cæremoniali Parisiensi.

III. In antiquo missali ecclesiæ Turonensis ante annos 800. manu exarato post lotionem ante Secretam isthæc oratio a celebrante dicenda notatur: *Ante conspectum divinæ majestatis tuæ, Domine Jesu Christe, reus adsisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo. Miserere, Domine, homini peccatori. Ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe præ ceteris capitalium polluto: & ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Scilicet vitiis & voluptatibus carnis aggravatus sum; recordare, Domine, quia caro sum. In tuo conspectu etiam cæ-* [illegible]

ut sim vivens; sed tu, qui non vis mortem peccatoris, da mihi veniam in turne constitute, ut per pœnitentiæ labores vitæ æternæ perfrui merear in cælis, salvator mundi. Qui vivis. In alio vero missali annorum circiter 300. ejusdem ecclesiæ. *Veni sancte Spiritus, reple tuorum*, &c. *In spiritu humilitatis*, &c. *Domine Deus, Pater omnipotens, benedic & sanctifica hoc sacrificium laudis quod tibi oblatum est ad gloriam & honorem nominis tui, & parce peccatis populi tui, & aufer a me iniquitates meas, & exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Per Christum Dominum.* In missali Narbonensi. (*In Spiritu humilitatis*, &c. Deinde super hostiam & calicem cum signo crucis: *Descendat, Domine, cælestis gratia bene † dictionis & consecrationis super hoc altare & munus tibi oblatum.*) Quæ oratio ita exprimitur in missali Lemovicensi: *In nomine sanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis, descendat hic angelus benedictionis †, & consecrationis, & pacis super hoc munus.* Extant & aliæ hujusmodi orationes in aliis quibusdam missalibus, quibus recensendis supersedemus.

IV. His tandem peractis sacerdos propriæ memor infirmitatis conversus ad populum rogat pro se orari dicens: *Orate, fratres, pro me ut meum pariter ac vestrum sacrificium acceptum sit Deo.* Cui respondet populus: *Sit Dominus in corde tuo & ore tuo, suscipiat sibi sacrificium placabile de ore tuo & manibus tuis pro nostra omniumque salute.* Ita ex missali Lemovicensi. Ex Narbonensi vero: *Obsecro vos, fratres, ut oretis pro statu sanctæ Dei ecclesiæ, & pro me misero peccatore, ut omnipotens & misericors Deus placide & benigne sacrificium nostrum humiliter dignetur suscipere. Amen.* Responsio populi: *Oratio tua accepta sit in conspectu Altissimi, ut & nos tecum pariter salvari mereamur in perpetuum. Amen.* In Bellovacensi: *Orate pro me fratres, & ego pro vobis, ut meum ac vestrum sacrificium in conspectu Domini sit acceptum.* Respondeat chorus: *Spiritus-sanctus superveniat in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* In ms. missali Ecclesiæ Tholosanæ: *Obsecro vos, fratres, orate pro me, & ego pro vobis.* Populus respondet: *Dominus sit in corde tuo, & in ore tuo, ut digne ei possis offerre sacrificium pro nostra omniumque salute. Amen.* Denique in missali Majoris-monasterii, in Turonensi ms. annorum circiter 300. & in edito anno 1533. *Orate pro me, fratres & sorores, & ego pro vobis, ut meum pariter & vestrum sit acceptum in conspectu Dei sacrificium. Amen.* Absque ulla populi responsione. Sed ex toties citato ms. Speculo ecclesiæ. (Tunc & nos (scilicet populus) debemus orare pro ipso dicendo quatuor versus de principio psalmi Exaudiat te Dominus.) Additque: (Quando dicit sacerdos, *Orate fratres*, prius debet secundum quosdam dicere *Dominus vobiscum*, versus ad populum.) Cartusienses monachi ad verba, *Orate, fratres*, nihil respondent.

Secreta.

V. Postea sacerdos orationes seu collectas, *Secretas* dictas, eo quod secreto & sub silentio dicuntur, recitat. Scio nonnullos sacrorum rituum studiosos, *Secretas* a verbo secerno appellatas velle, eo quod super materiam ex fidelium oblationibus separatam & secretam recitantur. Sed hi conjecturis suis plus æquo indulgentes, nullo veterum testimonio nituntur: eisque refragantur antiqui libri Sacramentorum mss. plures, sed præsertim ecclesiæ Turonensis, in quibus orationes prædictæ non *Secretæ* sed *Arcana* nuncupantur: cui adjicere possumus omnes antiquos sacrorum rituum expositores, qui secretas e secreto & silentio derivant, cum antiquo ordine Romano ad usum monasteriorum ante annos mille accomodatum, in quo hæc leguntur: (Tum vero sacerdos dextra lævaque aliis sacerdotibus postulat pro se orare, & inclinans vultum ad terram dicat orationem, & secrete, nullo alio audiente.)

VI. In veteri missali ecclesiæ Narbonensi Secretis additur isthæc *Super oblata antequam incipiat præfationem* Oratio: *Descendat, quæsumus, Domine, Spiritus-sanctus tuus super hoc altare, quo has munera tua majestati oblata bene † dicendo bene † dicat, & sancti † ficando sanctificet, & sumentium corda dignanter emundet. Per Dominum.*

Præfatio.

VII. Hanc orationem excipit præfatio, seu prævia ad sacram actionem exhortatio ad gratias Deo referendas mentesque ad eum elevandas. Hæc in missali Mozarabum *inlatio*; in Gellonensi, antiquisque liturgiis Gallicanis, *immolatio* dicitur. Cujus originem ab ipsis Ecclesiæ incunabulis repetere licet, ut pote cujus meminere omnes fere antiqui utriusque ecclesiæ orientalis & occidentalis scriptores ecclesiastici, quorum maximam catervam profert Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. 10. Ambrosiani & Mozarabes propriam in singulis missis præfationem habent. Idem in ordine Gelasiano & in Sacramentario S. Gregorii advertere licet atque in multis antiquis missalibus mss. Sed tandem concilium Westmonasteriense anno 1575. statuit ut præfationes non nisi decem postmodum canerentur: cujus decretum confirmavit concilium Codriniacense can. 22. In pervetusto ordine Romano ad usum monasteriorum ante annos mille accommodato tom. 5. Anecdot. præscribitur ut dum celebrans in præfatione (venerit, ut dicat: *Adorant dominationes*, omnes sacerdotes & levitæ inclinent vultum in terram. Cum autem pervenerit ut dicat: *Supplici confessione dicentes SANCTUS*, inclinent iterum diaconi, clerus cum omni populo.)

Trisagion.

VIII. Finita præfatione, chorus trisagion sive angelicum hymnum decantat, de quo concilium Vasense anno 529. can. 3. (Ut in omnibus, inquit, missis sive matutinis, sive quadragesimalibus, vel quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, semper *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, eo ordine, quo ad missas publicas dici debeat: quia tam dulcis & desiderabilis vox, etiamsi diu noctuque posset dici, fastidium non potest generare.) Hunc hymnum dum præcinit chorus, modo celebrans incipit canonem, sed contra quem statuit Herardus Turonensis archiepiscopus in Capitularis articulo 16. (Ut secrete presbyteri non inchoent antequam *Sanctus* finiatur, sed cum populo *Sanctus* cantent.) Quibus in verbis duo possumus observare, primum olim angelicum hymnum non solum a choro, sed ab omni populo decantatum fuisse: id quod confirmat Gregorius Turonensis in lib. 2. de Miraculis S. Martini cap. 14. Alterum, sacerdotem ipsum populi cantibus vocem suam admiscuisse. Utrumque etiam diserte docet liber 5. Capitularium Regum Francorum c. 66. (Et ipse sacerdos cum sanctis angelis & populo Dei communi voce, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* decantet.) Id quod reperitur in lib. 5. capit. 86. extatque pene totidem verbis in Capitulari Walterii Aurelianensis episcopi cap. 1. Sed in libro 6. Capitularium cap. 173. simpliciter decernitur, ut (*Te igitur* non inchoent sacerdotes, nisi post angelicum hymnum finitum.) Prætermiseram pene ritum ecclesiæ Viennensis, in quo subdiaconus initio præfationis humeris & brachio dextro velo tectis acceptam ab altari patenam ad oculos elevatam gestat detectam donec *Sanctus* incipiatur. Tunc enim eam ad altare deponit, resumturus ad orationem Dominicam ac mox depositurus ad verba *Sicut in cælo & in terra*. In ecclesia Parisiensi non subdiaconus, sed antiquior puerorum chori cum Sanctus incipitur patenam usque ad orationem Dominicam tenet. Idem usus obtinet in Catalaunensi & aliis quibusdam.

IX. Finito trisagio, mox incipit Canon missæ, sed in antiquo libro Sacramentorum ecclesiæ Turonensis ante annos 800. descripto (post hymnum angelicum, id est Sanctus) sequens annotatur oratio. *Deus qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, me miserum fragilem & peccatorum variis criminibus involutum a tua non repellas pietate, neque aspicias ad peccata, & scelera, & immundas turpesque cogitationes meas, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate, sed ad misericordias tuas multas, & ad fidem devotionemque eorum, qui per me miserum & peccatorem tuam expetunt misericordiam. Et quia me indignum medium inter te & populum tuum fieri voluisti, fac me talem, ut digne tuam possim exorare clementiam pro me sceleratissimo, & pro omni populo tuo, & adjunge voces nostras vocibus sanctorum angelorum tuorum, ut sicut illi te laudant incessabiliter & infatigabiliter in cælis, ita nos quoque eorum interventu te mereamur laudare inculpabiliter in hac peregrinatione. Per Christum.* In alio vero missali ejusdem ecclesiæ Turonensis annorum circiter 400. *Aperi os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum. Munda quoque cor meum ab omnibus vanis & nequissimis cogitationibus, ut exaudiri merear a te deprecans pro populo tuo, quem elegisti. Amen.* Eadem legitur & in antiquo missali Moissacensis cœnobii annorum circiter 800. quod ms. extat in bibliotheca Colbertina, & in vetusto Gellonensi atque in Narbonensi. Has profecto orationes recitasse videtur olim celebrans, dum chorus trisagium decantaret. In pervetusto vero missali Cor-

nominis tui & honore omnium Sanctorum tuorum hanc oblationem, quam tibi indignus offero pro peccatis meis innumerabilibus, ut veniam adipisci merear, & pro elemosynariis nostris, & pro his quoque qui mihi consanguinitate vel familiaritate juncti habentur, & pro cunctis Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, seu etiam fidelibus defunctis, qui in libello memorialis mei scripti memorantur, & pro omnibus in Christo quiescentibus, quæsumus Domine, ut omnibus nobis prosit ad indulgentiam. Per. In pervetusto etiam codice Sublacensi anno 1075. jubente Joanne abbate exarato, *dum canitur Sanctus*, sequens oratio recitanda a Sacerdote præscribitur: *Facturus memoriam salutaris hostiæ totius mundi, cum illius dignitatem & meam intueor fœditatem, conscientia torqueor peccatorum. Verum quia tu Deus multum misericors es, imploro ut digneris mihi dare spiritum contribulatum, quo tibi gratum Sacrificium revelasti, per quod mihi primum dari a tua pietate clementer postulo humilitatis spiritum, & cor contritum, ut eo purificatus vitali hostiæ pias manus admoveam, qua omnia peccata mea aboleas, & ea deinceps in perpetuum vitandi mihi cautelam infundas, omnibusque pro quibus tibi offeruntur, præsentis & futuræ salutis commercia largiantur. Per eumdem.* Eamdem orationem reperit Mabillonius in pervetusto codice Romanæ S. Petri Bibliothecæ cum hoc titulo: *Oratio B. Ambrosii ante secreta*.

ARTICULUS VIII.

De Canone missæ.

Canon missæ singulari diligentia descriptus.

I. PErvenimus tandem ad sacrum Liturgiæ Canonem, quem Vigilius papa epistola 2. ad Euthesium, & S. Gregorius lib. 7. epist. 64. *precem*, *canonicam precem*, nonnulli *secretam*, *secretum*, alii *actionem* appellant. Qui quia regulam seu ordinem conficiendi Corporis & Sanguinis Domini continet, singulari semper diligentia in ecclesia scriptus est perinde ac sacræ Scripturæ textus. Hinc Caroli magni Capitulare anni 789. c. 7. (Si opus est evangelium, vel psalterium, & missale scribere; perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia.) Quæ verba repetuntur in lib. 1. Capitularium cap. 68. & lib. 6. cap. 377. Nam etsi de integro missali intelligi posse videantur, de canone præsertim capienda esse existimo. De canone vero singulatim extat concilii Eboracensis tempore Cælestini papæ III. decretum: (Quia *secretum* missæ frequenter invenitur aut scriptoris falsitate, aut librorum vetustate corruptum, ita ut distincte legi non possit; archidiaconorum sollicitudo provideat, ut singulis ecclesiis ad verum & probatum exemplar canon missæ cum omni diligentia corrigatur.) Et concilium incerti loci can. 22. tom. 4. Anecdotorum nostrorum pag. 152. (Præcipimus quod omnes habeant canonem missæ secundum consuetudinem ecclesiæ correctum.) Similiter & concilium Oxoniense sub Honorio III. cap. 23. (Ut archidiaconi .... in sua visitatione provideant, ut canon missæ emendetur, si sint in eo defectus.) Quibus concinunt Constitutiones Ricardi episcopi Sarum cap. 36. (Præcipimus quod omnes sacerdotes habeant canonem missæ, secundum consuetudinem Sarum ecclesiæ emendatum.) Quantus fuerit hac in re zelus Sancti Meinvverci discimus ex ejus Vita cap. 28. apud Surium 5. Junii. Nam libros *incomptos & neglectos* cum quibus B. Heimeradus sacrificium incruentum celebrabat *in ignem projici fecit*, & Heimeradum ipsum *verberibus cædi*. Hic non possum non laudare reverentiam simul & diligentiam Fratrum Minorum in scribendis libris divinæ Liturgiæ usui destinatis, quam præsertim deprehendi in antiquo Graduali ms. conventus Turonensis, cujus in capite hæc legitur rubrica in prima pagina omnium Gradualium ponenda: (Nec faciant hujus opera scribi vel notari a sæcularibus aliqua, si habere valeant Fratres Ordinis qui hæc scribere & notare noverint competenter. Quod si nesciunt, addiscant, & cogantur ad hoc per suos superiores: quia sæculares omnia fere, quæ scribunt vel notant, corrumpunt.)

II. Verum non omnem solum diligentiam in scribendo canone, sed singularem etiam characterem illustrioremque adhibebant veteres, auro aut argento singulas illius litteras efformantes, id quod probant inter alios codex antiquus ecclesiæ Turonensis ante annos 800. scriptus, & alter bibliothecæ S. Germani a Pratis, Missale S. Eligii vulgo dictus, quorum Canon in carta purpurea aureo charactere est exaratus. His si bene memini adjungendus est liber Sacramentorum S. Gregorii papæ, quem Johannes episcopus Aretinus circa medium sæculum IX. monasterio

III. De auctore Canonis frustra inquirunt scriptores. Vigilius papa epistola 2. ad Eutherium cap. 5. *ex apostolica traditione* susceptum tradit. Constat tamen, multa post apostolos eidem addita fuisse. Mihi vero certior videtur doctrina concilii Tridentini sessione 22. cap. 4. asserentis, constare canonem ex ipsis Domini verbis, ex apostolorum traditionibus, ac sanctorum pontificum institutionibus.

Canon unicus aut varius pro ecclesiarum diversarum more.

IV. Unicum fuisse omnibus missis in ecclesia Romana testatur Vigilius papa loco citato his verbis: (Ordinem quoque precum in celebritate missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere diversum: sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare.) Unicus etiam habetur in missali Ambrosiano, præter quam in solemnitatibus Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, & Pentecostes. At in antiquis ecclesiæ Gallicanæ liturgiis proprius ad singulas missas assignatur: sed brevissimus. Exempla proferimus ex missali Gothico a Thomasio Romæ vulgato, cujus Canon in vigilia Natalis Domini est hujusmodi: COLLECTIO POST SANCTUS. *Vere sanctus, vere benedictus, Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, manens in cælis, manifestatus in terris. Ipse enim pridie quam pateretur, &c.* In Natalis Domini. POST SANCTUS: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia adpropinquavit redemptio nostra, venit antiqua expectatio gentium, adest promissa resurrectio mortuorum: jamque præfulget æterna expectatio beatorum per Christum Dominum nostrum, qui pridie quam pro nostra omniumque salute.* In festo S. Stephani. COLLECTIO POST SANCTUS: *Vere sanctus, vere benedictus Dominus noster Jesus Christus, Unigenitus tuus, qui martyrem suum Stephanum cælestis aulæ collegio numeravit: qui corporis nostri infirmitatem suscepit: priusquam pium sanguinem pro humana salute funderet, mysterium sacræ sollemnitatis instituit. Ipse enim pridie quam pateretur.* Et sic in aliis missis. Postmodum tamen Galli Romanæ ecclesiæ canonem receperunt, etiam antequam prisco celebrandi modo Romanum Ordinem substituerent, ut patet ex missali Francorum a Thomasio & Sacramentario Gallicano a Mabillonio edito Musei Ital. tom. 1.

Quomodo pronunciandus.

V. Quod canonem *secreta*, seu *secretum* nonnunquam appellari diximus, ut in Capitulari Herardi Turonensis archiepiscopi cap. 16. in Missali Gallicano edito a Thomasio, & in concilio Eboracensi tempore Cælestini papæ III. manifeste ostendit canonem submissa voce olim recitatum fuisse. Id certe demonstrat antiquissimus ordo Romanus secundo loco relatus a Mabillonio Musei Italici tom. 2. pag. 48. in quo hæc leguntur: (Surgit solus pontifex, & *tacite* intrat in canonem) ad quem locum Mabillonius (non ergo alta voce, inquit, ut apud Græcos, canon recitabatur.) Idem constat ex alio ordine Romano ad usum monasteriorum ante annos mille accommodato & a nobis edito tom. 5. Anecdotorum. Sic enim ibidem (Proclamantibus vero cum magna reverentia & tremore *Sanctus* incipit sacerdos canonem *dissimili voce leniter*.] Quid sit autem *leniter*, explicat superius ubi de oratione secreta ante præfationem dicenda hæc habet: (Inclinans vultum ad terram dicat orationem, *& secrete nullo alio audiente*.) Idem disertissimis verbis docet Remigius Autissiodorensis monachus in Explicatione super canonem missæ: (Idcirco, inquit, venit consuetudo in ecclesia, ut *tacite* ipsa obsecratio, atque consecratio a sacerdote cantetur, ne verba tam sacra vilescerent.) Idem longe ante Remigium asseruerat Anonymus scriptor Expositionis missæ Romanæ, hactenus ineditæ, quam ex ms. codice monasterii Sancti Albini Andegavensis ante annos 700. exarato sub finem hujus capitis dabimus: cujus interim hæc verba accipe: (Consecrationem Corporis & Sanguinis Dominici ideo *semper in silentio* arbitror celebrari, quia Sanctus in eis manens Spiritus eumdem sacramentorum latenter operatur effectum.) Et paulo antea: (Peractis omnibus quæ supra memoravimus, magno circumquaque silentio, incipit jam sacerdos fixa in Deum mente salutarem Corporis & Sanguinis Dominici hostiam consecrare.) Idem videre est in alia missæ Expositione, quam post Johannem Cocleum *ex venerandæ vetustatis codicibus* edidit Melchior Hittorpius, in qua auctor quærit: (Cur *Te igitur* secreto *canitur?*) Respondetque id fieri (ut Christo obediatur dicenti: Tu

ctorum Patrum, ut cum vellent specialiter orare, primum Deo laudem agerent, & postmodum orationem *secretam* perficerent. Ipse enim Christus venturus ad consecrationem Corporis sui, solus secreto orabat, & ob id nos quoque in consecratione Corporis ejus *secretam* facimus orationem.) Ex hoc auctoris istius testimonio nemo non videt quam antiqua sit in Ecclesia consuetudo *secreta* recitandi canonem, cum ipsam auctor ipse antiquissimus ex more *sanctorum Patrum* se etiam longe antiquiorum accepisse fateatur. Similia videre est apud Amalarium lib. 3. de Ecclesiasticis Officiis cap. 23. & in Egloga num. 12. Ad tantas tamque perspicuas auctoritates, quid respondent novitatum amatores? Hic nimirum silentium opponi plano ac figurato cantui, non vero altæ voci. Vanum plane ac futile subterfugium, quod prorsus convellit ordo Romanus a nobis editus, præscribens secretas orationes atque adeo canonem recitari *secrete nullo alio audiente*. Et certe cum antiqui illi scriptores a nobis citati præscribunt, canonem sub silentio recitari, alia plane vocis inflexione recitandum volunt, quam reliquæ sacræ Liturgiæ partes, quæ cantu plano aut figurato non præcinuntur; manifestum est, canonem non alta, sed submissa voce pronuntiatum fuisse. De S. Gerardo Tullensium episcopo narrat Widricus abbas in ipsius Vita cap. xi. tom. 3. Anecdot. tamquam aliquid singulare, eum aliquando missam celebrantem clausulam sanctæ consecrationis alta voce protulisse, quod signum est eum canonis reliquas partes tacite recitasse. In Orientis tamen saltem quibusdam ecclesiis alta pronunciabatur voce, cujus rei testis locuples est Johannes Moschus in Prato Spirituali cap. 196. (Consuetudo fuit in ecclesia, ut pueri in missis ante sacrarium assisterent, primique post clericos communicarent sanctis Christi Dei nostri venerandisque mysteriis. Quoniam vero consueverunt quibusdam in locis alta voce presbyteri sancti sacrificii orationes pronunciare, pueri ut propius astantes sæpius ea audiendo didicerunt.] Deinde narret miraculum quod Apameæ pueris missam joco celebrantibus contigit. Nonnullas tamen sacræ Liturgiæ partes sub silentio recitant orientales, ut editas ab erudito viro Eusebio Renaudoto percurrenti perspicuum erit. Merito autem concilium Oxoniense anni 1222. cap. 23. monet archidiaconos, ut provideant (quod sacerdotes rite proferre noverint saltem verba canonis.) Sive ut loquuntur Constitutiones Richardi episcopi Sarum cap. 36. (ut verba canonis in missa rotunde & distincte dicantur.) Verba tamen rustice prolata in missa, si cum simplicitate proferuntur, Deo non displicere discimus ex Gregorii Turonensis lib. 2. de Miraculis S. Martini cap. 1. Sed & Sanctus Thomas Cantuariensis antistes omnes missæ orationes (festinanter semper consummare consueverat:) idque [propter immissiones per angelos malos, perniciosum scilicet vanarum cogitationum superventum,] ut habent ejus Acta cap. 11. Sed in his certa nulla regula præfigi potest, quæ pendent ex variis & diversis animorum dispositionibus. Sunt enim qui omnem devotionis sensum amittunt, nisi cuncta orationum verba morose & attente proferant. Alii e contra mirum distrahuntur in modum, nisi festinanter omnia perficiant. Quisque semetipsum consulat, ut sibi ipsi consulat, ita tamen ut qui festinanter omnia percurrunt, integra verba pronuncient, viteturque in primis adsistentium scandalum. Canonem autem missæ *memoriter* a presbyteris teneri jubet Riculfus Suessionensis episcopus in sua Constitutione cap. 5.

Flabellum ad abigendas muscas.

VI. Toto canonis tempore sacri ministri altare circumstantes manebant inclinati, hac corporis inclinatione sacram actionem adorantes. Interim unus ex ipsis flabello muscas abigebat: qui quidem situs in utraque vigebat ecclesia. Et de Orientali quidem fidem facit Auctor Constitutionum Apostolorum lib. 8. cap. 12. Cyrillus Scytopolitanus in Vita S. Euthymii Analectorum Græcorum tom. 1. Johannes Moschus in Prato Spirituali cap. 196. De Occidentali, Vita Sancti Fulgentii episcopi Ruspensis, qui abbas in Monasterio Junceensi ex palmarum foliis flabellos contexebat ad ministerium altaris. Udalricus in lib. 2. Consuetudinum Cluniacensium cap. 30. ms. Consuetudines S. Benigni Divionensis cap. 12. Hildebertus Turonensis archiepiscopus epistola 8. Sed apud Græcos hoc munus obibat diaconus, apud Latinos quivis alius minister. Perseveravitque ad sæculum usque XIV. in ecclesia Romana, ut probat Jacobi Gaetani Ordinarium cap. 53. in quo mentio fit duplicis flabelli, quorum unum gestabat is qui mitram servabat, alterum capellanus, aut quivis alius de ministris. Hujusmodi flabellum vidimus unum in cœnobio Trenorchiensi olim ordinis S. Benedicti, nunc canonicorum sæcularium in diœcesi Cabilonensi, & alterum in Pruliano virginum ordinis S. Dominici, de quibus vide Iter nostrum litterarium pag. 231. Videbaturque olim in Massiliensi S. Victoris monasterio cum manubrio argenteo.

Nomen papæ in primis memoratum in canone.

VII. His de Canone quasi generatim enarratis, singulas illius partes discutiamus. Prima quæ occurrit oratio incipit ab his verbis: *Te igitur clementissime Pater*, in qua sacerdos primo offert pro ecclesia, deinde pro papa. Hæc enim unitatis ecclesiæ tessera est, juxta illud Isidori dictum, quod refert Hugo Flaviniacensis in Chronico pag. 228 (Noverit se a communione totius orbis separari, quicumque nomen apostolici pro qualicumque dissentione in canone non recitaverit.) Cui concinit vulgatus Alcuinus libro de Divinis Officiis cap. 40. his verbis: (Constat ab universi orbis communione separatos esse, sicut B. Pelagius docet, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant.) Hinc & Patres Concilii Vasensis anno 529. celebrati can. 4. (Et hoc, inquiunt, justum visum est, ut nomen Domini papæ quicumque sedi apostolicæ præfuerit in nostris ecclesiis recitetur.) An vero statim ab initio per universas ecclesias Romani pontificis nomen ex sacris diptychis recitari cœperit non satis constat. Aliquando autem reverentiæ causa solus enunciabatur: id quod in Scampina civitate contigisse, cum Trojus episcopus ecclesiæ Romanæ reconciliatus est, testantur Legati Apostolici in Suggestione 2. ad Hormisdam pontificem: (Confitemur, inquiunt, beatitudini vestræ, tantam devotionem, tantas Deo laudes, tantas lacrymas, tanta gaudia difficile in alio populo vidimus. Prope omnes cum cleris, viri cum mulieribus, milites cum crucibus in civitate nos susceperunt. Celebratæ sunt missæ. Nullius nomen obnoxium religioni est recitatum, nisi tantum beatitudinis vestræ.) Atque hinc forte ortum est, ut nomen episcopi & regis, quod post papam recitare solemus, in aliquibus antiquis sacramentariis desiderari videamus. Nam quod ait Cardinalis Bona, summo pontifici proprium uniuscujusque ecclesiæ antistitem subjectum esse in omnibus mss. Sacramentorum libris Græcorumque Liturgiis, prætermittitur in antiquo codice Johannis episcopi Aretini a nobis jam laudato, & in antiquo missali Romaricensi ante annos 600 exarato. In vetusto etiam missali Casinensi apud Angelum de Nuce in Notis ad Chronicum Casinense pag. 106. post *papa nostro N.* additur *& abbate nostro N.* omisso episcopo. Idem in missali S. Germani a Pratis ante annos 700. exarato deprehendi.

Patriarcharum. Episcoporum.

VIII. Præter Romanum & proprium pontificem solemnis omnium patriarcharum memoria agebatur; atque adeo eorum nomina sacris diptychis inseri solebant, statim ut synodicam post suam ordinationem epistolam ad alios episcopos misissent, qua quatuor prima concilia œcumenica recipere se testarentur, ut docet nos Apologeticus pro concilio Romano a Gregorio papa VII. celebrato cap. 2. Immo recitabantur etiam vicinarum sedium maxime sanctitate præstantes episcopi, quibus adjiciebantur etiam inferiores clerici, sacrive ministri. Inter canones vero Arabicos concilii Nicæni sexagesimus quartus statuit, ut (sabbato & in diebus festis, quando sunt Sancta super altare posita, diaconus memoriam faciat, nominatim primum patriarchæ, deinde archiepiscopi, chorepiscopi, archipresbyteri, archidiaconi; quia isti sunt gubernatores ecclesiæ.)

Imperatorum & Regum.

IX. Sequebatur imperatoris aut regis expressa commemoratio: de qua S. Maximus in Collatione Constantinopoli in secretario palatii habita coram principibus: (Inter sacras oblationes, inquit, supra sanctam mensam post pontifices & sacerdotes & diaconos, omnemque sacratum ordinem, cum laicis imperatores memorantur, dicente diacono. Et eorum qui in fide dormierunt laicorum Constantini, Constantis & ceterorum. Sic autem & vivorum memoriam facit imperatorum post sacratos omnes.] Ergo quamvis in aliquibus Sacramentorum libris antiquis, ut in Gellonensi annorum 900. Colbertino 1348. ejusdem circiter ætatis, duobus aliis Colbertinis num. 1927. 2525. annorum circiter 800. Turonensi altero ejusdem ævi, Romaricensi *, & aliis post episcopum regis nomen desideretur cum sequentibus canonis verbis, *& omnibus orthodoxis* atque

* In missali etiam Arelatensi annorum circiter 400. Thosonensi annorum circiter 300. nomen regis desideratur.

atque catholicæ & apostolicæ fidei cultoribus, quæ atiam superflua poni observat Micrologus; [nam ordo, inquit, statim in sequenti versu, abi dicitur Memento Domine, nobis concedit, ut omnium vivorum commemoremus quoscumque voluerimus.) Ex constanti tamen ecclesiæ traditione ab apostolis accepta certissimum est pro regibus & principibus inter sacre mysteria semper oratum fuisse. Id testarar in primis Nicolaus papa I. epistola 8. ad Michaelem impetatorem, ubi asserit, Constantini & Constantis, Theodosii quoque majoris & Valentiniani, & ceterorum imperatorum nomen *inter sacra mysteria impræternisse* commemorari. Certe gloriabatur eo nomine Basilius imperator orientis, scribens ad Ludovicum augustam, quam ægre ferebat imperatoris nomine decorari, (quod quatuor patriarchales sedes, unum imperium inter sacra mysteria memorari, a Deiferis apostolis usqae nunc traditum habeant:) id quod apud Chesnium Historiæ Francorum tom. 3. videri potest. Hinc est quod cum Philippicus imperator in hæresim incidisset, [nec ejus effigies in ecelesia introducta est, nec nomen ejus ad missarum solemnia prolatum,) ut scribit Chronicon Moissacense apud Chesn. tom. 3. In pervatusto codice bibliothecæ regiæ ab annis circirer 900. scripto post hæc canonis verba: *Antistite nostra ill.* regis memoria ita exprimitur: *Memento Domine, famulo tuo rege nostro ill.*

Benefactorum.

X. Regibus ac principibus accensebantur ecclesiarum fundatores, ac præcipui benefactores, de quibus concilium Emeritense can. 19. [Salubri, inquit, deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque ecclesiis, in quibus presbyter jussus fuerit per sui episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina, a quibus eas ecclesias constat asse constructas, vel qui aliquid his sanctis ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tampore missæ, quod si ab hac discesserunt vel discesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo ordine.) Huc forte respicit quod in ms. missali Turonensis ecclesiæ ad primum *Memento* legitur in margine: *Et Gaufredi Demolins & Florentiæ uxoris ejus*, a quibus haud dubium beneficium aliquod acceperant Turonenses canonici.

Offerentium.

XI. Tandem omnium offerentium recitabantur nomina, ut patet ex S. Hieronymo Commentario in Ezechielem cap. 18. Innocentio I. epist. 1. ad Decentium Eugubinum episcopum, Capitulari Aquisgranensi anni 789. cap. 53. & Francofordiensi anni 794. c. 49. & aliis. Prærer episcoporum, imperatorum, ac regum, atque benefactorum aliorumque nomina in sacris diptychis intexta araut & sacra œcumenica concilia, ut discimus ea concilio Constantinopolitano sub Menna pag. 86. & 166. & 186. ex concilio V. œcumenico collatione 1. pag. 431. collatione 5. pag. 478. & 495. ex collatione Constantinopoli habita anno 533. conciliorum tom. 4. pag. 1774.

XII. In antiquo ordine Gallicano, missali Mozarabum, & in orientali ecclesia, non infra sacrum canonem, sed statim post factam oblationem commamoratio agebatur viventium: sed hanc praxim reprehendit Innocentius papa scribens ad Decentium in hæc verba: [Da nominibus recitandis antequam *preces* sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues: quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tum eorum nomina quorum sunt oblationes edicenda, ut intar *sacra mysteria* nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, ut ipsius mystarii viam futuris precibus aperiamus.] Istud Innocentii decratum confirmare videtur concilium Francofordiense anno 794. celebratum, cujus canon 51. est (de non recitandis nominibus antequam oblatio offeratur.)

Quo ritu fierent commemorationes vivorum in canone.

XIII. De ritu & modo quo istære vivorum commemoratio fieret, observandum, triplici potissimum ratione peractam fuisse. Nam primo cum sacerdos ad eum canonis locum, quo facienda arat, pervenisset; diaconus acceptis sacris diptychis sive tabellis in quibus commemorandorum nomina descripta erant, ea publice recitabat. Hujus ritus testis est S. Hieronymus in Ezechielis cap. 18. (Publica, inquit, diaconus in ecclesia recitat offerentium nomina.) Et S. Chrysostomus in Liturgia: (Diaconus in circuitu sacram mensam thurificat, & defunctorum ac vivorum diptycha, ut illi lubet, percurrit.) Quibus accedit S. Maximus in Colletione cum principibus in secretario. Id autem quibusdam in locis faciabas ad altare, quibusdam in ambone. Sed in ecclesia latina, non a diacono, neque in ambone, neque alta voce; sed [quotidie in aurem presbyteri recitante silanter subdiacono,) ut loquitur Fulcuinus de Gestis abbatum Laubiensium cap. 7. Spicilegii tom. 6. totus hic ritus absolvebatur: idque confirmat antiquum pontificale ecclesiæ Pictavensis annorum circiter 800. Aliquando tamen nominum recitatio retro altari fiebat. Nam in libro sacramentorum edito a Menardo p. 264. hæc lego: (Subdiaconi a retro altari, ubi memoriam vel nomina vivorum & mortuorum nominaverunt & recitaverunt, procedunt post diaconum.)

XIV. Secundo nomina recensebat ipse sacerdos, maxima in missis privatis, in quibas non ministrabat diaconus aut subdiaconus.

XV. Tertio descripta super altare ponebantur nomina, quorum sacerdos generalem dumtasat faciebat mentionem. Neque enim semper explicitam vivorum faciebat mentionam, ut patet ex ms. pontificali Salisburgensi, in quo habetur (Ordo qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur* agendæ sunt,] in quo post Memento legitur: (Hic nomina vivorum memoreotur si volueris, sed non Dominica die, nisi ceteris diebus.) Utrumque hunc ritum innuit antiquum sacramentarium ante annos 800. scriptum, quem mihi utendum aliqaando concessit illustrissimus abbas *de Nouailles* nunc dignus Catalaunensium episcopus, in quo hæc vivorum commemoratio ita exprimitur: (Memanto, Domine, famulorum famulatumqua tuarum ill. eorum quoqua qui nostri memoriam habent in conspectu Divinæ Majestatis tuæ, *quorum etiam speciem & nomina contemplamur vel voce depromimus*, atque cunctorum quorum petitiones beneficiaque deprecandi te Deum immensum quocumque affectu suscepimus.) Et in tomo 2. Liturgiarum Pamelii pag. 180. (Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, & eorum quorum nomina ad memorandum conscripsimus, ac super sanctum altare tuum conscripta adesse videntur,) atqae etiam in vetustissimo libro sacramentorum Corbejensis monasterii annorum 800. [memanto Domine famulorum famularumque tuarum, omnis congregationis S. Petri apostoli tui, omniumque propinquorum meorum, & quorum eleemosynas suscepimus, seu qui mihi confess. sunt, nec non & quorum nomina super sanctum altare tuum scripta habentur & omnium circumstantium) &c. Huc respicit usas antiquus Uticensis monasterii, quem refert Ordericus Vitalis in lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ his verbis: (In rotulo quidem longissimo omnium fratrum, dum vocanta Deo ad ordinem veniunt, nomina scribuntur: deinde patrum & matrum eorum, fratrumqua ac sororum vocabula subscribuntur. Qui rotulus penes aram toto anno sarvatur, & sedula commemoratio inscriptorum in conspectu Domini agitur, dum ei a sacerdote in calebratione dicitur: Animas famulorum famularumque tuarum, quorum nomina ante sanctum altara tuum scripta adessa videntur, electorum tuorum jongere digneris consortio.) Hic prætermittere non debeo lectionem antiqui missalis Carcassonensis sæculo IX. exarati. [*Memento pro seipso*. Memento mei, quæsumus Domine, & miserere, & licet ad celebranda sacrificis invenior indignus; si recedo tamen, vereor de inobedientia condemnari. Quare ergo pietate paterna atque placabili vultu ut cordis mei interiora purgare digneris, precor. Licet enim culpabilis existam, mea tamen in omnibus tibi sint placita mysteria consecrata. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum, familiarium, consanguinaorum, benefactorum nostrorum & pro eis pro quibus orare decrevi & debitor sum, & omnium circumstantium, &c.) In Metensi vero S. Symphoriani missali antiquo solito *memento* hæc præmittitur oratio (memento mai, quæso Domine, & miserere, & licet hæc sancta meis manibus offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum ac venerabila nomen tuum dignus sum: sed qaoniam in honore, laude, & memoria gloriosissimi & dilecti filii tui Domini nostri offeruntur, sicut incensum in conspectu divinæ majestatis tuæ eum odore suavitatis accendantur per eumdem Christum Dominum nostrum. Memento etiam famulorum) &c. In fragmento vero vetaris missalis, quo codex quidam Longi-pontis monasterii operitur hæc lago: (Memento Domine, famulorum famularumque tuarum ... propter pietatem

tatem tuam, Deus meus, in bonum, ut deleas peccata mea gravia, & efficias me tibi toto orbe devotum & vitæ æternæ participem, & fratrum hujus congregationis, & patris mei & matris, & fratrum ac sororum, & cognatorum, & familiarium & benefactorum, & eorum qui mihi consanguinitate & amicitia conjuncti sunt, & omnium circum adstantium.)

Memoria sanctorum.

XVI. Post vivorum commemorationem agitur memoria sanctorum cælesti beatitudine donatorum, de qua S. Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 10. (Nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo, & martyrum & nostro: ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur.) Cum Beata Virgine Dei genitrice Maria, & duodecim apostolis, duodecim solent connumerari martyres, quibus in antiquo Sacramentario Gallicano nuper vulgato in Musei Italici tom. 1. adduntur nomina SS (Hilarii, Martini, Ambrosii, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti) In Colbertino n. 1348. & in antiquissimo Gellonensis monasterii Sacramentorum libro (Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti.) In Carcassonensi sæculo IX. exarato (B. Benedicti.) In Turonensi ante annos 800. scripto (Mauricii cum sociis suis, Dionysii, Rustici, & Eleuterii, Cor . . . . . . Vincentii, Hilarii, Martini, Gregorii, Hieronimi, Augustini, Benedicti.) Quibus recentiori manu præponuntur nomina (Laurentii, Juliani.) In altero ejusdem ecclesiæ litteris aureis depicto, (Mauricii cum sociis suis, Dionysii, Rustici, Eleutherii, Hilarii, Martini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, Aniani.) In vetustissimo bibliothecæ regiæ annorum 900. (Dionysii, Rustici, & Eleutherii, Hilarii, Martini, Agustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti.) In pervetusto codice S. Benigni Divionensis qui scriptus videtur ad usum monasterii Fuldensis (Gregorii, Martini, Benedicti, Bonifacii.) In Floriacensi (Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, Florentii.) In Metensi S. Symphoriani (Martini, Maximini, Benedicti, Galli, Columbani.) Denique in alio pervetusto libro sacramentorum cujus folium vidimus in operculo cujusdam libri in monasterio Longi-pontis (Quintini, Victorici, Cassiani, Remigii, Benedicti, Martini, Medardi, atque Eligii.) In quibusdam libris post sanctorum nomina additur: (Nec non & illorum quorum hodie in conspectu gloriæ tuæ gloriosus celebratur triumphus.) sive ut habet codex Colbertinus num. 2585. qui fuit olim monasterii S. Dionysii in Francia: (Nec non & illorum martyrum, quorum hodie solemnis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus.) Quæ verba videntur addita esse ex institutione Gregorii papæ III. de quo liber Pontificalis: (In canone missæ, inquit, hoc adjecit ita ut sacerdote dicendum, quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur Domine Deus noster in toto orbe terrarum.) In antiquo Sacramentario Gallicano hæc adduntur: (Et omnium sanctorum tuorum, qui per universum mundum passi sunt propter nomen tuum, Domine, seu confessoribus tuis, quorum meritis præcibusque concedas,) &c. In veteri codice Corbejensi additio illa est hujusmodi post nomina Cosmæ & Damiani (Hilarii, Martini, Benedicti, Gregorii, Amandi, & omnium Sanctorum tuorum, sed & diem natalitium celebrantes Sanctorum tuorum martyrum & confessorum, perfectorum, justorum, quorum hodie solemnitas in conspectu gloriæ tuæ celebratur, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus) &c. Ceterum has additiones interrogatus ea de re a Guillelmo abbate S. Albani haudquaquam improbavit Innocentius III. ut scribit Matthæus Paris in Vitis abbatum S. Albani.

XVII. Quæ sequitur oratio *Hanc igitur*, ita exprimitur in præcitato codice Carcassonensi: (Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias, actionesque meas dignanter intendas, tribulationes cordis mei misericorditer auferas, placabiliter vota suscipias, libens desideria compleas, clemens peccata dimittas; crimina benignus abstergas, flagella propitiatus removeas, languores miseratus excludas, serenissimo vultu petitionibus meis aures tuæ pietatis accommodes, gratiam tuam multipliciter augeas, & misericordiam incessanter largiaris, & descendat super hunc panem & super hunc calicem tuæ divinitatis plenitudo, descendat etiam super me peccatorem Sancti Spiritus septiformis gratia, incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in patrum hostias visibiliter descendebat; diesque nostros in tua pace disponas,) &c. In codice Regio post solitam orationem additur & ista. *Item infra actionem.* (Hanc igitur oblationem quam tibi ac si indignus pro emendatione vitiorum & remissione peccatorum meorum offero, & pro gloria martyrum & confessorum, & pro salute vivorum, vel requie defunctorum, propitiatus aspiciendo sanctifices, sanctificandoque benedicas, per quem te suppliciter deprecamur, diesque nostros,) &c. Certis diebus ut in Paschate & Pentecoste, in hac & precedenti oratione nonnulla sollemnitati congruentia solet addere ecclesia, cujus additionis meminit Vigilius papa in epistola 2. ad Eutherium.

XVIII. Hæc oratio cum præcedenti vulgo inscribitur *infra actionem*. Verum monuit me noster Nicolaus *Quittebœuf*, vir religiosus & antiquorum rituum studiosus indagator, in antiquis pontificalibus duobus Anglicanis & sex mss. missalibus monasterii Gemmetensis inscribi in *fractione*; id quod in aliquibus aliis codicibus etiam deprehendi; in Carnotensi vero Sancti Petri Sacramentario *in fractione panis*. Quo nomine designari videtur ipsa sacrificii actio seu consecratio, quæ has orationes proxime sequitur, quæque in Scriptura fractionis vocabulo indigitatur, ut Actuum 2. (Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum in communicatione & fractione panis.) Et paulo post: (Perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem.) Et cap. 20. (Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem.) Et 1. Cor. 10. (Panis quem frangimus nonne participatio Corporis Christi est?) Porro hujus orationis conclusionem canoni additam fuisse a Gregorio Magno testatur Beda in libro 2. Historiæ Anglicanæ cap. 1. ubi hæc de Gregorio scribit: (Sed in ipsa missarum celebratione tria verba maximæ perfectionis plena superadjecit: Diesque nostros in tua pace disponas atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.)

Consecratio.

XIX. Proxime post hanc orationem fit consecratio per Verba Christi, quæ in Liturgia S. Jacobi ita exprimuntur: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur, & datur in remissionem peccatorum. Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum.* Eadem est in liturgia S. Marci, addita tantum particula *enim* post pronomen *Hoc* vel *Hic*. In Constitutionibus Apostolorum sub nomine Clementis lib. 8. cap. 17. *Hoc est Corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorum. Hic est Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Eadem in liturgia SS. Basilii & Chrysostomi, sed post *sanguis meus*, additur *novi testamenti, qui pro vobis & multis, &c.* In missa Æthiopum: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum. Amen. Hic est calix Sanguinis mei qui pro vobis effundetur, & pro redemtione multorum. Amen.* In liturgia S. Cyrilli. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis & pro multis tradetur in remissionem peccatorum. Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui effundetur pro vobis & pro multis tradetur in remissionem peccatorum.* In missa christianorum apud Indos & in Romana: *Hoc est enim Corpus meum. Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In missa Mozarabum: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic est Calix novi testamenti in meo Sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In missali Ambrosiano eadem est cum Romana, a qua particula *enim* in consecratione panis in codice Carcassonensi, *pro vobis &* in consecratione Calicis in codice Colbertino desiderantur. In libris tamen Sacramentorum qui Ambrosio tribuuntur lib. 4. cap. 5. ista forma consecrationis legitur: *Hoc est enim corpus meum quod pro multis confringetur. Hic est enim Sanguis meus.*

Per verba Christi.

XX. Equidem scio Græcos schismaticos existimare non Christi verbis, sed precibus panem & vinum in Corpus & Sanguinem Domini transmutari. Immo ex Latinis nonnulli censent benedictione consecrationem peragi. Legi & ego aliquando Dissertationem Gallicam cujusdam doctoris, qua id demonstrare contendebat: sed levissimis adeo, uti mihi visum est, rationum momentis, ut antiquæ utriusque ecclesiæ Traditioni præponderare non debeant. Et quamvis hæc quæstio theologos præsertim spectare videatur, tamen quia alicujus est momenti, nec satis accurate a scho-

a scholasticorum vulgo tractatur ; hic aliqua sanctorum patrum subjiciam testimonia, quibus quid in contrarium opponi possit cum aliqua rationis umbra sane non video. Igitur Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem cap. 4. Christus, inquit, (acceptum panem & distributum discipulis Corpus suum fecit dicens: *Hoc est Corpus meum.*) S. Ambrosius lib. de Mysteriis cap. 9. [Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur. Nam sacramentum istud quod accipis *Christi sermone conficitur*,] Et paulo post: (Ipse clamat Dominus JESUS: *Hoc est Corpus meum*; ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur.) Et libro 4. Sacramentorum cap. 5. Panis (antequam consecretur, panis est. Ubi autem *verba Christi* accesserint, Corpus est Christi. Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes, *Hoc est enim Corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus, ubi *verba Christi operata fuerint*, ibi Sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit.) S. Augustinus Sermone 227. novæ editionis: (Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus *per verbum Christi* Corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet calix sanctificatum *per verbum Dei* Sanguis est Christi.) Et in libro de verbis Domini: (Memini sermonis mei, quia cum de Sacramentis tractarem, dixi vobis quod ante verba Christi, quod offertur panis dicitur; ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis sed corpus appellatur.) Auctor Sermonis de Corpore & Sanguine Domini sub nomine Eusebii Emiseni qui in duobus pervetustis codicibus manuscriptis, uno monasterii Rotomagensis Sancti Audoeni, altero cœnobii Pratellensis sub nomine Sancti Isidori Hispalensis episcopi habetur, qui etiam apud Trithemium librum de Corpora & Sanguine Domini composuisse dicitur: (Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris ipse etiam testis est veritatis. Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam Corporis & Sanguinis sui *verbo sua* secreta potestate convertit ita dicens: Accipite & edite Hoc est enim meum Corpus, & sanctificatione repetita: Accipite & bibite Hic est sanguis meus.) Et sub finem ejusdem Sermonis: (Sicut autem quicumque ad fidem veniens ante verba baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti: his autem commemoratis mox exuitur omni fece peccati, ita quando benedicendæ *verbis cælestibus* creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur; substantia illic est panis & vini. *Post verba autem Christi* Corpus & Sanguis est Christi. Quid autem mirum, si ea quæ potuit verbo creare, *verbo* possit creata convertere.) Paschasius Radbertus libro de Corpora Domini cap. 12. Virtute (Spiritus sancti *per verbum Christi*, fit Sanguis Christi.) Florus Magister in Expositione Missæ ad hæc verba *Qui pridie*, &c. (In his verbis sine quibus nulla lingua, nulla regio, nulla civitas, id est nulla pars Ecclesiæ catholicæ, conficere potest idest consecrare Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini, ipse Dominus tradidit apostolis, unde universa Ecclesia jugem memoriam sui redemptoris celebret, & apostoli generaliter omni Ecclesiæ. Christi ergo virtute & verbis iste panis & calix ab initio consecratus est. Christi virtute & verbis semper consecratur & *consecrabitur.*) Et paulo post addit: (Unde & ecclesia *ex traditione* his *verbis consecrans mysterium sacri corporis Christi, designanter dicit, Dominum dixisse apostolis: accipite & manducate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum.*] Florum iisdem pene verbis exprimit Remigius Autissiodorensis in missæ expositione. Qui eodem sæculo vivebat Hincmarus Remensis archiepiscopus eamdem tradit doctrinam. In Ferculo Salomonis quod extat in calce tomi 2. operum ejus ita canit:

(Hic Deus omnipotens, per quem Pater omnia fecit,
  Naturas rerum mutat ut ipse volet.
Huic cruce nostra creat *propriis* & munera *verbis*,
  Fitque caro & Sanguis pane liquore suus.)

Et in Epicolumnia: (Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi Domini de pane & vino aqua mixto, ineffabili sanctificatione cruce & *verbis ipsius* consecratur; & verum ac proprium corpus ipsius Domini nostri JESU CHRISTI, & sanguis ejus verus & proprius efficiuntur, sicut ipse protestatus est: hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.] Eusebius episcopus Andegavensis in epistola ad Berengarium, postquam Christi verba retulit: [Hujus verbi, inquit, per quod omnia facta sunt virtute & effectu per consecrantis *in hac verba* sacerdotis sacrationem verum Corpus Christi & vinum eodem modo verum Sanguinem credimus & confitemur.] Ipse Berengarius hæresim abjurans catholicum dogma his verbis ita profitetur: (Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum quæ in altari ponuntur, per mysterium sacræ orationis & *verba nostri Redemptoris* substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & sanguinem Domini nostri JESU CHRISTI.] Durandus abbas Troarnensis libro de Corpore & Sanguine Christi part. 3. (Visibilem panis substantiam idem Salvator morti, quam prælegerat jam loco & tempore propinquus, sanctificavit dicens: *accipite & comedite. Hoc est corpus meum.* Et infra: *Hoc facite*, quid est *hoc facite?* Id est corpus meum, hunc sanguinem *meis verbis*, mea invocatione conficite.) Et part. 4. relatis Christi verbis *accipite & comedite hoc est corpus meum.* (Hæc vox, inquit, ut credimus & confitemur, est, ad quam consecrationem Dominici mysterii quotidie fieri liquet.) Guibertus abbas in epistola de veritate Dominici corporis cap. 3. [Et o vecordia, elemento baptismatis per Trinitatis invocationem tantum defertur, ut simplices aquæ ad peccata eluenda fœcundentur, ac vivificentur, & huic sacramento, *quod propria Dei verbo conficitur*, sola stolida figura tribuitur !) Et infra cap. 4. [Panis ac vini in divinam carnem substantialiter *per verba Dominica* immutati, minoritas æque ac majoritas salubriter transit ad animum.) Et libro 2. de Pignoribus Sanctorum cap. 2. §. 2. [Nihil enim ibi fit, nisi in eo quod fides expostulantis attingit, nec quippiam quod sacrum fiat aliunde contrahitur, nisi id solum est verbum Dominicum, *quod solummodo sacramentum conficit*, coaptatur.) Stephanus Eduensis episcopus in Tractatu de Sacramento altaris cap. 5. (Itaque fides nostra est & vere credendum est, quod sacerdote proferante hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, jam non est panis terrenus, sed ille panis qui de cælo descendit, mediator Dei & hominum Jesus Christus. Item virtute verborum illorum: *Hic est calix Sanguinis mei*, & cetera, vinum convertitur in Sanguinem suum.) Algerus in libro de misericordia & justitia a nobis edito tom. 5. Anecdotorum part. 1. c. 56. postquam hæc retulit S. Augustini verba: (Intra catholicam ecclesiam in ministerio Corporis & Sanguinis Domini, nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur, sacerdote, quia non in merito consecrantis est, sed *in verba efficitur creatoris*, & in virtute Spiritus-sancti.) Sic concludit: (Credendum est enim quod *in verbis Christi* Sacramenta conficiantur. Cujus enim potentia creantur prius, ejus utrique *verbo* ad melius recreantur.) Denique idem probat Gerochus præpositus Richerspergensis in Tractatu adversus Simoniacos n. 18. ubi postquam retulit ipsissima Christi verba, ita infert: [Illa verba super panem & vinum fusa, quibus accedentibus ad panis & vini aqua mixti elementum fit Sacramentum, similitudinem repræsentant illius tunicæ desuper contextæ, quam neque ipsis Christi crucifixoribus licuit scindere. Hoc est enim verbum brevians & consummans totam integritatem, quæ est in panis & vini Sacramento.) &c. His alios auctores cum omni caterva scholasticorum addere possem, sed istos sufficere credimus ad demonstrandam de verbis consecrationis in Latina ecclesia traditionem. Venio ad Græcos.

XX. S. Gregorius Nazianzenus in 2. Oratione de Paschate: (Ne sermonibus, inquit, qui de carne habentur fidem deneges. At inter sermones de carne præcipui sunt illi Christi: *Hoc est Corpus meum.* Illisque prolatis a sacerdote, qui non credit esse verum Corpus Christi, sine dubio fidem derogat.) Sanctus Gregorius Nyssenus in Sermone catechetico de Divinis Sacramentis: [Recte igitur & hunc panem *Divino verbo* sanctificatum in Corpus Dei Verbi transmutari credimus.) Quem locum citat Meletius Syrigus monachus in Refutatione Confessionis fidei christianæ quæ exposita est a Cyrillo Constantinopolitano patriarcha. S. Chrysostomus Oratione de proditione Judæ: [Non enim est homo, qui proposita de consecratione mensæ Domini Corpus Christi facit, & Sanguinem, sed ille qui crucifixus est pro nobis Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est enim, ait, corpus meum. *Hoc verbo proposita consecrantur.* Et sicut illa vox, quæ dicit, crescite & multiplicamini & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sensis effectum, ad generationem operante natura; ita vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiæ usque in hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem.
Et Homilia 51. in Matthæum: (Qui dixit hoc est Corpus meum, & rem simul cum verbo confecit.) Johannes Phurnes in epistola de ritibus immutatis in communione apud Allatium lib. 3. de Consensu ecclesiæ Orientalis & Occi-

Occidentalis cap. 15. (Præterea panem benedictionis videmus ab apostolis sanctificatum *illis tantummodo verbis :* Hoc est Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum, ut ab ipso magistro accepimus, absque ea quæ nunc fit apte & composite consecrationum serie.) Denique omnes ambages tollit confessio Græcorum facta in concilio Florentino anno 1439. præsente summo pontifice Eugenio IV. hæc in verba : (Beatissime Pater, vosque Reverendissimi Patres & Domini hic præsentes. Quoniam in præcedentibus congregationibus nostris, inter alias differentias nostras ortum est dubium de consecratione sacratissimi sacramenti Eucharistiæ, & aliqui suspicati sunt, nos & ecclesiam nostram non credere illud pretiosissimum sacramentum per verba Salvatoris Domini nostri Jesu Christi confici : propter hanc caussam assumus omnibus aliis hic astantibus, qui pro parte sanctæ Romanæ ecclesiæ sunt, ad certificandum vestram beatitudinem, & alios Patres, & Dominos hic præsentes, de hac dubitatione, & dicimus breviter : Nos usos fuisse Scripturis & sententiis sanctorum Patrum, cognoscentes, & animadvertentes fragilitatem humani sensus, volumus adhærere sententiæ sanctorum Patrum & rationibus, spretis humanis inventis : qua quidem de re, Pater Beatissime, cum in omnibus aliis auctoritatibus Patrum sanctorum usi sumus, etiam his in præsenti dubitatione utimur. Et quoniam ab omnibus sanctis doctoribus ecclesiæ, præsertim ab illo beatissimo Johanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audivimus *verba Dominica esse illa, quæ mutant & transsubstantiant panem & vinum in Corpus verum Christi & Sanguinem, quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent ;* nos ipsum sanctissimum doctorem & illius sententiam sequimur de necessitate. De hac quæstione breviter diximus & sufficienter, & vestram beatitudinem de nostra intentione certam reddimus.] Hanc Græcorum confessionem diligentioribus Mabillonii inquisitionibus debes, qui inventam in thesauro Magni Hetruriæ Ducis, & ex autographo descriptam edidit in Musei Italici tomo 1.

XXI. Græci consecrationis verba alta proferunt voce ; quibus enunciatis, circumstans populus dicit *Amen*. Qui ritus in Occidentis quibusdam saltem ecclesiis olim vigebat : unde sanctus Ambrosius, libro de Mysteriis cap. 9. (Ipse clamat Dominus Jesus : Hoc est Corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem Corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis *Amen* hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur.) In Æthiopica liturgia populus acclamat : (Credimus, & certi sumus, & laudamus te Domine Deus noster, hoc est vere, & ita credimus, corpus tuum.)

XXII. Deinde fit sacræ oblationis elevatio, & quidem apud Græcos diaconi ministerio, apud Latinos ab ipso celebrante, quo de ritu vide si lubet ea quæ scribit Johannes Baptista Thiersius in lib. de Expositione Eucharistiæ cap. 6. secundæ editionis, & ante eum Odo Parisiensis episcopus in Præceptis Synodalibus num. 28. Obiter hic tantum observare juvat, id quod legi in antiquis Celestinorum provinciæ Galliæ Constitutionibus cap. 16. §. 1. ut nimirum (tempore officii chori ostia, præterquam in elevatione Corporis Christi, non aperiantur.) Huic statuto concinunt Carthusienses monachi in Statutis anno 1368. editis parte 1. cap. 5. (In elevatione Corporis Christi ad missas conventuales aperiantur portæ chori, & in his ac etiam in privatis cereus accendatur & casula elevetur.) In antiquis ecclesiæ Biterrensis statutis synodalibus præscribitur, ut [in elevatione corporis Domini pulsetur campana, ut omnes fideles audientes ipsum adorent.] Idque (per novem ictus sicut pulsatur pro *Ave Maria*,) ut habent edita anno 1437. alia Statuta item Biterrensia tomo 4. nostrorum Anecdotorum. Campanæ pulsationis ad elevationem institutionem Gregorio papæ nono attribuit Trithemius tom. 1. hist. Hirsaug. pag. 174. Et tamen ante Gregorium Guido cardinalis & apostolicæ sedis in Germania legatus, teste Cæsario, & Alberico in Chron. ad annum 1200. (veniens Coloniam, præcepisse fertur inter alia, ut in missa ad elevationem hostiæ salutaris omnis populus ad sonitum nolæ veniam peteret, sicque usque post calicis benedictionem prostratus jaceret.) At forsitan Guidonis statutum, de nolæ seu minoris campanæ, Gregorii vero constitutio de majoris campanæ sonitu, quæ etiam absentes ab ecclesia admoneret, debent intelligi. De hac pulsatione sic statuit Nicolaus *Gelant* in synodo 14. Spicil. tom. 11. (quia pastoris est ad bonum sibi subditos excitare, & nos in pluribus ecclesiis vidimus post elevationem Dominici corporis cum campana pulsari, cum hoc ante elevationem fieri debeat, ut corda fidelium ad adorationem Dominici corporis excitentur, præcipimus ut dum divina missarum solemnia celebrari contigerit, dum sacerdos signacula facit super hostiam & calicem consecrandas pausatim faciant cum campana pulsari.) Interim prostrati aut genuflexi saltem Christum in Eucharistia præsentem adoramus : indulgentiasque iis qui (ab elevatione sanctæ eucharistiæ ad elevationem calicis cum Sanguine Domini nostri JESU CHRISTI, steterint flexis genibus & devote,) concedit Daniel episcopus Nannetensis cap. 14. statutorum synodalium a nobis editorum tom. 4. Anecdot. Sed canonici Lugdunenses ex antiqua ecclesiæ suæ consuetudine, hactenus stando Christum adorant, nec ullis umquam adduci potuere precibus ut priscum ritum immutarent : quibus superiori sæculo faverunt cardinales Lotharingus & Turnonius, cum in regio Henrici II. consilio imperiti a decano urgerentur, ut propter invalescentes hæreses prostratione seu genuflexione eucharistiam venerarentur, quemadmodum didici ex Gilberti Grimaldi libro de sacra liturgia part. 3. cap. 8. Initio superioris sæculi ad sacratissimæ hostiæ elevationem cantari cœperunt illi versus :

O salutaris hostia,
Quæ cæli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

Idque petente Ludovico XII. Francorum rege, ob urgentes belli necessitates & pericula : unde etiam in capella regia hi versiculi addi solebant :

In te confidit Francia,
Da pacem, serva lilium.

Commemoratio defunctorum.

XXIII. Post consecrationem Græci paululum aquæ calidæ miscent in calicem, quem ritum immerito carpserunt scholastici. Latini vero orant ut Deus præsens sacrificium accipere dignetur sicut oblatum olim a summo sacerdote Melchisedech gratum acceptumque habuit : ad quem locum respexit auctor Quæstionum veteris ac novi Testamenti in Appendice ad tomum 3. Operum S. Augustini novæ editionis, qui auctor Augustino ipso antiquior in cap. 109. ubi agit de Melchisedech hæc habet. [Similiter Spiritus-sanctus quasi antistes, sacerdos appellatus est excelsi Dei, non summus, sicut nostri in oblatione præsumunt.) Porro liber Pontificalis in Leone Magno refert eum constituisse, (ut intra actionem sacrificii diceretur *sanctum sacrificium immaculatam hostiam*.) Præterea nihil singulare observandum occurrit usque ad commemorationem mortuorum, cujus oratio in antiquis codicibus inscribitur *Super diptycha*, atque in sacramentario Turonensi annorum 800. præmittitur hæc rubrica : (*Si fuerint nomina defunctorum, recitentur : dicat sacerdos :* Memento etiam, Domine, & eorum qui nos præcesserunt & cum signo fidei & dormiunt in somno pacis. *Deinde postquam recitati fuerint, dicat sacerdos :* Ipsis & omnibus,) &c. Unde & Florus Lugdunensis subdiaconus in Expositione canonis missæ (Propter illa verba inquit, quibus dicitur : qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, usus fuit antiquorum, sicut etiam agit Romana ecclesia, ut statim recitarentur ex diptychis, id est tabulis nomina defunctorum, atque ita post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia : Ipsis & omnibus in Christo quiescentibus) &c. Ejusmodi institutionem ad apostolos refert S. Chrysostomus homilia 69. ad populum Antiochenum : (Neque enim temere, ait, ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.) Ejusdem meminit S. Augustinus in libro 20. de Civitate Dei cap. 9. & in Sermone 172. novæ editionis. Eodem porro modo ac ritu fiebat quo vivorum commemoratio, ita ut ante omnes propriæ sedis episcopi commemorarentur : unde in codice Colbertino 2585. post hæc verba ; *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum ill. & ill.* additur *episcoporum præsentis ecclesiæ*. Deinde subjiciebantur aliarum sedium antistites, qui in fide catholica & sinu ecclesiæ defuncti erant ; nam hæretici aut schismatici si forte diptychis inscriberentur, eorum nomina statim expungebantur. Et merito quidem, nam hic valet illud S. Cypriani epistola 66. (Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluerit avocare.) Hinc S. Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Atticum CP. episcopum causatur, quod S. Johannis Chrysostomi, qui episcoporum iniquo judicio fuerat depositus, & in exilio obierat, nomen in diptychis posuerat, qua de re vide Facundum lib. 4. cap. 1.

Quandiu viguerit.

XXIV. Quandiu autem hæc praxis in Ecclesia viguerit non satis constat. Anno 867. Adrianus papa II. ad patres in concilio Tricassino congregatos ita scribebat: (Vos quoque meis nunc votis satisfacere procurantes crebro dictum apostolicæ recordationis Nicolaum in codicibus vel diptychis ecclesiarum vestrarum scribi, & nomen ejus inter sacra missarum solemnia impraetermisse recitari faciatis: ita ut aliis quoque fratribus, & diœceseon vestrarum sacerdotibus idipsum agere præcipiatis.) Idem obtinuisse adhuc in ecclesia Remensi sub finem sæculi X, testatur Adalbero ejus loci archiepiscopus apud Fulcuinum de Gestis abbatum Laubiensium cap. 7. Spicilegii tom. 6. immo sæculo XI. passim in uso fuisse patet ex concilio Helenensi seu Tulogiensi, ex Micrologo c. 13. & ex Leone Ostiensi lib. 2. Chronici Cassinensis cap. 73. At vero Herimannus monachus S. Martini Tornacensis, qui insequenti sæculo scribebat in lib. de Restauratione sui monasterii innuere videtur hunc ritum suo tempore in desuetudinem abiisse. Vigebat tamen adhuc in ecclesia Ambianensi, in cujus diptychis Gervinus, qui ineunte sæculo XII. diem clausit extremum, commemoratur. Hæc diptycha in specimen aliorum, qualia leguntur in antiquo Ordine Romano ad usum ejusdem ecclesiæ accommodato, & anno 1120. exarato, hic referri non ægre ferent lectores studiosi. (Memento etiam, Domine, & eorum nempe Firmini confessoris, Honorati, Salvii Berhundi, Leodardi, Audoeni, Bertefridi, Dadonis, Beati, Deodati, Ursinioi, Dominici, Christiani, Rumberti, Alulfi, Georgii, Jesse, Sighardi, Raginari, Hermeradi, Geroldi, Ogeri, Deraldi, Ramboldi, Teorbodi, Almanni, Godesmanni, Fulconis, Widonis, Radulfi, Rorgonis, Gervini, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.) Hunc ritum plene deletum in eadem ecclesia aliqua ex parte restituit Antonius Cardinalis *de Crequy* Ambianorum episcopus, qui testamento 17. Calendas Julii anni 1574. condito statuit, ut in majori missa chori in memoria pro defunctis diaconus alta voce sacerdoti celebranti diceret: (Memento, Domine, animarum servorum tuorum Johannis & Antonii *de Crequy*.) In ecclesia etiam Parisiensi antiquior puerorum chori, qui patenam post subdiaconum sustinet, accedit ad dextram celebrantis, eique annunciat, ut memor sit animæ Cardinalis *de Gondy* olim Parisiensis episcopi his verbis: (Memento animæ Cardinalis *de Gondy*.) Hic referre juvat quod anno 1050. Raynaldus comes Burgundiæ ecclesiæ Bisuntinæ remisit Marescalciam & Canariam in villa Cusliace (tali tenore, inquit, ut nomina nostra scripta sint in canone, & psalmus *Inclina Domine* decantetur post lectionem capituli, omnibus diebus, pro nobis, quibus peragi fas est usque in finem mundi) uti videre est in ejus diplomate Spicilegii tom. 9. pag. 129. Id quod postea anno 1124. confirmavit Calixtus papa secundus. Vide Ordericum Vitalem lib. 3. pag. 487. In vetustissimo codice Colbertino n. 1348. Oratio pro commemoratione defunctorum prætermittitur, uti & in Gellonensi ubi hoc tantum legitur verbum *Memento*. In aliis quibusdam, ut in Carcassonensi, Ausciensi, Romaricensi, Turonensi uno S. Gratiani, altero S. Martini, Foldensi, Corbejensi, & aliis habetur alia Oratio *pro scripto*, quam ex Vaticano codice 4772. descripsit Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. 14.

XXV. Post commemorationem defunctorum petit sacerdos consortium sanctorum, inter quos post sanctam Anastasiam in vetustissimo codice bibliothecæ Regiæ n. 3865 & in Turonensi aureis characteribus descripto recensentur *Genovefa* & *Scholastica*; in altero Turonensi quod olim usui videtur fuisse monasterio S. Melanii Rhedonensis *Genovefa* & *Euphemia*; in Grandimontensi annorum 600. *Fausta*, *Genovefa*, & *Euphemia*. Ineunte vero Sæculo XII. Paschalis papa II. bulla data ad Begonem abbatem, & monachos Conchenses permittit ut *in ordine missæ inter alias virgines nomen sanctæ Fidis* recitetur, uti videre est in nostrorum Anecdotorum tom. 1. pag. 337. Tota vero hæc Oratio in altero codice Turonensi, cujus character annos 800. refert, ita exprimitur. (Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam & societatem largiri digneris cum tuis sanctis apostolis, & martyribus, & confessoribus, nec non & virginibus, cum Johanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Dionysio, & Mauritio, Laurentio, Quintino, Martino, Hilario Gregorio, Germano, Brictio, Gregorio, Perpetuo, Sulpitio, Felicitate, Perpetua, Agathe, Lucia, Agne, Cecilia, Anastasia, Eufemia, Scholastica) &c. In Pontificali etiam ecclesiæ Vesontionensis antiquissimo post nomen S. Petri additur, (Sebastiano, Vincentio, Benigno, Christophoro, Nicolao, Martino, Antidio.)

Oratio Dominica.

XXVI. Denique sacris precibus & canoni finem imponebat oratio Dominica, post quam nihil in antiquioribus missalibus ante communionem legitur; quæ vero in quibusdam reperiuntur, postmodum addita sunt: hinc S. Augustinus epistola 140. novæ editionis, missæ (totam petitionem, ait, fere omnis ecclesia Dominica oratione concludit.)

XXVII. De ritu autem quo diceretur, audiendus est S. Gregorius in lib. 7. epistola 64. indict. 2. (Dominica oratio, inquit, apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo sacerdote;) quod non solum de solemnibus missis, sed etiam de privata intelligendum esse constat ex Vita S. Johannis Eleemosynarii. Græcorum morem sequebantur ecclesiæ Gallicanæ, ut patet ex Gregorio Turonensi lib. 2. de Miraculis S. Martini cap. 30. Romanum Africanæ, saltem id innuere videtur S. Augustinus Sermone 58. ubi hæc habet: (In ecclesia enim ad altare Dei quotidie dicitur ista Dominica oratio, & audiunt illam fideles.) Nam si ab omni populo, ut apud Græcos, pronunciaretur; non diceret *fideles illam audiunt*, sed *fideles illam recitant*. Ad verba autem *Dimitte nobis debita nostra*, pectus tundebant, ut docet idem Augustinus Sermone 351. his verbis: (Nam si non habemus peccata, in tundentes pectora dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, ex hoc ipso certe & graviter nullo dubitante peccamus, cum inter ipsa sacramenta mentimur:) idque non solum sacerdos celebrans, sed cum eo omnis circumstans populus agebat; unde paulo ante citata verba hæc præmiserat: (Quod si falsum est, unde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus.] De hac consuetudine iterum S. Augustinus in Sermone 388. (Hoc est quod pectus tundimus & dicimus in oratione Domino Deo nostro, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.) Singularis est ritus ecclesiæ Viennensis, in qua postquam sacerdos cum hostia solitas in fine canonis cruces perfecit, eamdem super calicem manu sustentat prosequendo orationem Dominicam ad usque verba *sicut in cælo & in terra*, quibus illam una cum calice ad pectoris altitudinem elevet, osculaturque, ac super corporale deponit, genuflectenique cetera prosequitur. Neque vero hic negligenda videtur observatio Johannis Belethi in libro de Divinis Officiis cap. 120. quod scilicet (cum Dominica oratio in Prima dicatur voce submissa: alta & expressa eadem pronuncietur in missa, ut vel eo pacto adhortentur qui in fraterno sunt odio, & ad concordiam discordes excitentur, antequam communicent.)

ARTICULUS IX.

De precibus sacro canoni additis.

I. ANtequam ritus qui communionem præcedunt, comitantur, & sequuntur discutiendos suscipiamus; operæ pretium erit additas sacro canoni subsequutis temporibus preces hic referre, non quidem omnes, sed saltem ex melioris notæ codicibus præcipuas, quæ & fidelium devotioni excitandæ magis idoneæ videntur, & Ecclesiæ fidem amplius confirmare. Igitur in antiquo codice Gellonensi hæc lego.

POST ORATIONEM DOMINICAM FIT CONFESSIO QUAM INSTITUIT GREGORIUS III.

(COnfiteor tibi Deus meus, quia ego peccator in cælo, & in terra, & coram te, & coram angelis tuis, & coram facie omnium sanctorum tuorum peccavi per negligentiam mandatorum tuorum, & factorum meorum. Peccavi per superbiam & invidiam, peccavi per detractionem & avaritiam, per luxuriam & libidinem, per adulterium & fornicationem, per iram & malitiam, per falsum testimonium & homicidium, per furtum & rapinam, per blasphemiam & desiderium carnis, per gulam & ebrietatem, per otiosas fabulas & risum moventia, per contentiones & rixas, per juramentum & iracundiam, per lætitiam terrenam & transitoriam, per suavitatem mentis meæ, per dolorem & murmurationem. Peccavi in oculis, & in auribus, nec non & in naribus, in lingua, in gutture, in collo, & pectore, & in corde, & in cogitationibus

nibus manibus, & in pedibus, in ossibus, & in carne, renibus, & medullis, in animo, & corpore meo. Si nunc erit vindicta tua super me tanta quanta in me ipso fuerunt peccata nostra multiplicata, judicium tuum quomodo sustinebo? sed habeo te summum sacerdotum. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Sancta cum Sanctis, & communicatio Corporis & Sanguinis Domini N. J. C. sit edentibus & bibentibus in vitam æternam.

Placeat tibi, sancta Deus Trinitas, sacrificium quod oculis tuæ majestatis obtuli, & præsta ut tibi sit acceptabile, mihi & omnibus pro quibus obtulit, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum.)

II. Nimirum hac confessione ac mentis demissione præparabat se sacerdos ad communionem. In antiquioribus sacramentorum libris ante annos 809. scriptis fere omnibus unica post orationem Dominicam additur oratio *Libera nos*. De qua ita scribit Amalarius in lib. 1. de Divinis Officiis cap. 34. (Notandum est quod illa oratio, quæ sic inchoatur: *Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis*, conclusio sit tantum orationis Dominicæ.) Hæc ut ait Anonymus Turonensis in ms. Speculo (in Mediolanensi ecclesia alta voce depromitur.) In eaque tot sanctorum nomina olim licebat inserere, quot cuique sacerdoti celebranti libitum erat, uti discimus ex Micrologo, Honorio Augustodunensi, & Pontificali ms. Salisburgensi. Sub finem hujusce orationis hostiam consecratam frangimus, decerptamque ex ea particulam in calicem mittimus: de quo ritu ita scribit Rabanus in libro 1. de Institutione Clericorum cap. 34. (Immissio panis in vinum varie apud quosdam habetur & agitur. Itali quoque primo mittunt de sancto pane in calicem, & postea dicunt *Pax Domini*; alii vero reservant immissionem usque dum pax celebrata sit, & fractio panis.) In omnibus pene antiquis missalibus tum mss. tum editis hæc hostiæ in calicem immissio facienda præscribitur post dictum a sacerdote *Agnus Dei*. In pervetusto codice insignis ecclesiæ Andegavensis ad hostiæ in calicem immissionem leguntur hæc verba: *Sanctum cum sanctis: hæc sacrosancta commixtio*, &c. In altero vero ejusdem ecclesiæ missali: *Sancta cum sanctis & commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi prosit edentibus & bibentibus in vitam æternam. Amen.* Deinde hæc subjungitur rubrica *Hic det pacem*. In missali etiam anno 1491. ad usum ecclesiæ Remensis jussu Petri *De la Val* archiepiscopi edito, hæc præmittuntur *Sancta cum sanctis, & conjunctio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sit omnibus salus edentibus & bibentibus in vitam æternam. Amen.*

III. Græci hostiam in quatuor partes dividunt, Mozarabi in novem, latini communiter in tres: circa quam divisionem notanda est in primis observatio Ernulfi Roffensis episcopi in epistola ad Lambertum Spicilegii tomo 2. (Nonnullæ, inquit, ecclesiæ illum habent usum, ut hostiam non per medium dividant, sed eam trium æqualitate partium comminuant.) Et post pauca exponens rationem cur hostia tres dividatur in partes, addit: (Ecclesiastica inolevit consuetudo, ut episcopo aut presbytero sacrificante, & diacono ac subdiacono cooperante, ejusdem obsequii nemo aut raro quisquam a sanctæ communionis excipiatur participatione. Quia ergo ipsis tribus Dominici altaris servitoribus commissa sunt Dominica sacramenta, quibus scriptura communicare jubet, statutum est, ut arcanæ recordationis hostia in tres partes dividatur, quæ divisæ a singulis servitoribus singulæ suscipiantur; quarum una sacerdos in calice securius sibi reservata, ceteras in patena ministris, si præsentes fuerint, porrigendas custodit. Eis absentibus sicut agit quod erant acturi, ita accipit quod erant accepturi.) Deinde alias mysticas rationes adducit, quas apud ipsum lectores pii consulere poterunt.

IV. In quibusdam libris subjicitur versus *Agnus Dei*, semel in nonnullis, tertio in aliis repetendus. Et quidem ut ait anonymus Turonensis in ms. Speculo, (non continue, sed interpolate & mixtim cum privata oratione,) uti videre est in missali Romaticensi. Cartusienses monachi semel ante & bis post communionem *Agnus Dei* dicunt, cujus institutionis auctor est Sergius Papa I. qui circa annum 687. summum pontificatum iniit, de quo Pontificalis liber hæc habet: (Hic statuit, ut tempore confractionis dominici corporis, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis* a clero & populo decantetur.) Hic observare juvat id quod scribit Paulus diaconus in libro de ecclesia Lateranensi, cap. 6. quæ quia cælestis ecclesiæ typum gerit, (in ea, inquit, non cantatur ad missas *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*, quoniam ibi summa pax justorum ipse Christus erit.) Neque hic prætereundum est id, quod habet brevis historia ord. Prædicatorum nostræ collect. amplissimos tom. 6. p. 581. (Datum est ordini nostro, ut in missa post *Agnus Dei*, ante communionem tenerent fratres hostiam elevatam super calicem, ut sic adoraretur ab universo populo tamquam verum corpus & sanguis Christi & ne deponeretur usque ad communionem inclusive).

V. In concilio Salzburgensi anno Domini 1281. celebrato cap. 16. decernitur, ut per anni præfati decursum (in singulis cathedralibus, conventualibus, & parochialibus ecclesiis psalmus *Domine quid multiplicati*, cum oratione Dominica & versu, *Fiat pax in virtute tua. Esto nobis turris fortitudinis*, & collecta, *Deus a quo sancta desideria*, clerus post tertium *Agnus Dei* quotidie semel dicat: quatenus Dominus rex pacificus sedatis tribulationibus, & ecclesiarum persecutionibus pacem in populo suo multiplicatis intercessoribus largiatur.) Preces etiam pro pace, sed statim post orationem Dominicam dicendas instituit Johannes XXII. concessis dicentibus indulgentiis, quas confirmavit ampliavitque Clemens VI. ut docet missale Lugdunense Athanacensis monasterii, in quo hæc lego: (Ista quæ sequuntur debent dici semper pro pace in majori missa post *Pater noster*, antequam dicatur *Libera nos*, exceptis festis quæ celebrantur in quatuor cappis; & etiam de festo quod fit in quatuor cappis post sonitum. Et omnes dicentes & audientes habent XXX. dies indulgentiæ: Et Dominus papa Johannes XXII. prædicta dici ordinavit; & prædictam indulgentiam dicentibus & audientibus concessit; exceptis oratione *Deus a quo sancta*, & decem dies indulgentiarum; quam orationem & quos decem dies Dominus papa Clemens VI. confirmando prædictas adjunxit. Psal. *Lætatus sum* ad longum cum *Gloria Patri. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.* ℣ *Domine salvos fac reges.* ℣. *Salvum fac populum tuum* ℣. *Domine exaudi orationem. Dominus vobiscum.* Oratio. *Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine preces, &c.* Oratio. *Hostium nostrorum, Domine quæsumus, elide superbiam & eorum contumaciam dextera tuæ virtute prosterne.* Oratio. *Deus a quo sancta desideria.*) Johannis bulla data est Avenione XI. calendas Julii pontificatus sui anno XII. extatque in tom. 2. nostrorum Anecdotorum pag. 749. Qui etiam aliam calendis Julii ejusdem anni dedit ad Capitulum Cisterciense, qua illius Ordinis abbates hortatur, ut præfatas preces in suis monasteriis recitari curent, easque in publicis ad populum concionibus commendent. Mauritius archiepiscopus Rothomagensis in epistola ad universos decanos Spicilegii tom. 2. præcipit, ut (per totam diœcesim cum celebrabitur missa in singulis ecclesiis, post orationem Dominicam, antequam incipiatur *Libera nos*, &c. Sacerdos flectat genua coram altari, & doceat clericos & populum similiter genua flectere; & orare pro libertate Rothomagensis ecclesiæ. Et sacerdos & clerici dicant hunc psalmum *Ad te levavi & Gloria Patri &c.: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster. Et ne nos &c. Mitte nobis Domine &c. Et de Sion. Dominus vobiscum.* Oratio. *Ecclesiæ tuæ, Domine quæsumus, preces placatus admitte* &c. Dicto psalmo, pulsentur campanæ, ut populi, qui erit extra ecclesiam, excitetur devotio similiter ad orandum.) In missali etiam Sarisberiensi præscribitur, ut (post *Agnus Dei*, a prostratis dicantur Psal. *Deus venerunt gentes*. Psal. *Deus misereatur nostri*, &c. *Domine in virtute tua lætabitur rex*, &c. omnes cum *Gloria Patri*. Antiphona. *Tua est potentia, tuum regnum, Domine, tu es super omnes gentes, da pacem, Domine, in diebus nostris. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster*, &c. ℣. *Exurge Deus.* ℣. *Non nobis, Domine.* ℣. *Oremus pro afflictis & captivis.* ℣. *Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus eorum.* ℣. *Mitte eis.* ℣. *Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.* ℣. *Domine salvum fac regem.* ℣. *Domine exaudi.* ℣. *Dominus vobiscum.*

Oremus.

Deus qui admirabili providentia cuncta disponis, te supplices exoramus, ut terram quam unigenitus filius tuus proprio sanguine consecravit de manibus inimicorum crucis Christi eripiens, restituas cultui christiano, vota fidelium ad ejus liberationem misericorditer dirigendo in viam pacis æternæ.

Rege, quæsumus Domine, famulum tuum pontificem nostrum, & intercedente B. Dei genetrice semperque Virgine Maria, cum omnibus sanctis tuis, gratiæ tuæ dona in eo multiplica, ut ab omnibus liberetur offensis, & temporalibus non destituatur auxiliis, sed sempiternis gaudeat institutis.

Da quæsumus, omnipotens Deus, famulo tuo regi nostro salutem mentis & corporis, ut bonis operibus inhærendo, tua semper virtutis mereatur protectione defendi. Per eumdem Dominum.) Deinde sequatur *Pax Domini*. Ex tribus hisce orationibus prima extat in ms. missali monasterii S. Michaelis in periculo maris ante annos 400. exarato, & in alio Uticensis monasterii ejusdem ætatis.

VI.

VI. Hic præterire non debeo consuetudinem ecclesiæ Turonensis, in qua post orationem *Libera nos*, antequam dicatur *Pax Domini*, solamnis datur ab archiepiscopo super populum cum tribus orationibus benedictio. Idem usus viget etiam in ecclesia Parisiensi, in Arelatensi, & in aliis forte quibuscam quæ hunc retinuerunt ex antiquo Ordine Gallicano, ex cujus præscripto post orationem Dominicam celebrans episcopus benedictionem populo impertiebat, ut patet ex his verbis S. Cæsarii homil. 12. [Qui vult missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare; usquequo oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde debet se in ecclesia continere.) De hac benedictione intelligendus est concilii III. Aurelianensis canon 28. (De missis nullus laicorum ante discedat, quam Dominica dicatur oratio, & si præsens fuerit episcopus, ejus benedictio expectetur.) De eadem quoque benedictione concilium Toletanum IV. can. 17. (Nonnulli, inquit, sacerdotes, post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant, quod deinceps interdicimus; sed post orationem Dominicam, & conjunctionem panis & calicis, benedictio in populo sequatur.) Et Amalarius in lib. 2. de Divinis Officiis c. 34. (Simulque hoc notandum, quod orationem illam quam episcopi sive advocati solent facere super populum cum signo sanctæ crucis; ille (S. Augustinus] solebat facere eam postquam comminuebat Corpus Domini ad distribuendum.) Has benedictiones per totum anni circulum ab episcopo recitandas habes apud Pameliom in Liturgicorum tomo 2. Similes videre est in perantiquis Sacramentorum libris, ut in Gellonensi annorum 900. in Pontificali ms. ecclesiæ Rotomagensis, & in Anglicano monastarii Gemmeticensis ejusdem ætatis, & in libro Sacramentorum monasterii Sancti Theodorici ante annos 800. exarato. Quæ quidem benedictiones tametsi propriæ sint episcoporum, nonnunquam tamen ab abbatibus, maxime exemtis usurpatæ reperiuntur, ut discimus ex Petri Boherii Commentario in Regulam S. Benedicti cap. 11. patetque ex vetustissimo codice ecclesiæ Augustodunensis, in quo repræsentatur Raganaldus abbas benedicens populum, & populus excipiens benedictionem non genuflexus, sed corpore inclinato, uti videre est in nostro Itinere Litterario part. 1. pag. 154.

VII. In vetustissimo codice Gellonensi annorum 900. quo his in ritibus frequentius usus sum, post orationem *Libera nos*, in qua prætermittitur nomen S. Andreæ, omisso *Agnus Dei*, statim subjungitur *Pax Domini sit semper vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*, cum subsequenti rubrica. (Post hæc commonenda est plebs pro jejunii primi, quarti, septimi, & decimi mensis temporibus suis, sive scrutiniis, vel aurium apertionum, sive orandum pro infirmis, vel adnunciandum natalitia sanctorum. Post hæc communicat sacerdos cum ordinibus sacris cum omni populo.) Idem habetur in codice Regio n. °3865. ejusdem circiter ævi, & revera olim solebat episcopus eo tempore pulpitum ascendere, & verba facere ad populum, ut patet ex Vita S. Meinverci cap. 80. apud Surium 5. Junii.

VIII. In hisce Sacramentariis nullæ preces leguntur ante communionem: tres orationes nunc passim recitamus, quas a religiosis viris, non a summis pontificibus institutas fuisse auctor est Micrologus. Post primam dare solemus pacem, sed in parvo missali ecclesiæ Turonensis ms. hæc brevis præmittitur oratio: (Deus qui apostolis tuis sanctum dedisti spiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum, ut quibus dedisti fidem, largiaris & pacem.) De pace multi plura scripserunt, quæ referre supervacaneum est: hic vero obiter notabo id quod præscribit Theodorus Cantuariensis archiepiscopus in selectis Capitulis num. 32. Spicilegii tomo 9. (Ille qui prius manducare probatur ad osculum non permittitur.) Sed neque præterire debeo id quod habet missale Sancti Remigii Remensis anno 1556. editum, ut scilicet sacerdos pacem daturus, osculatus hostiam, dicat: *Pax tua sit mihi Christe*. Deinde conversus ad diaconum, & dato osculo dicat: *Et tibi frater & omnibus Sanguine Christi redemptis*. Quod de osculando Christi Corpore, hic dicitur, in pluribus aliis missalibus præscriptum reperi. Meminitque hujus consuetudinis Exordium magnum Cisterciense dist. 5. cap. 14. (Consecratione vero divinorum sacramentorum rite peracta, cum pacis osculum in populum esset diffundendum, & sacerdos juxta morem quorumdam sacram hostiam primitus osculareturr,) &c. Verum in Constitutionibus Richardi episcopi Sarum cap. 37. statutum est, ut (in celebratione missæ hostiam consecratam pacem daturus sacerdos ore suo non adveniat.)

IX. Locus hic foret congerere omnes orationes, quas ante & post communionem recitandas tam in mss. quam in editis missalibus deprehendimus; sed quia opus in immensum excresceret, nec illæ aliunde adeo sunt antiquæ, lectorum patientiæ & tædio parcendum existimavimus, antiquiores dumtaxat hic referre contenti. In vetustissimo ecclesiæ Turonensis ante annos 800. exarato unica hæc post orationem *Libera nos* habetur: (Sumentes ex sacris altaribus Christi Domini ac Dei nostri Corpus & Sanguinem oramus, ut semper fide plenos esurire detur ac sitire justitiam, sicque opus ejus confortati salutaris sancti gratia faciamus, ut non in judicium, sed in remedium sacramentum quod accepimus habeamus. Per) Unicam etiam nunc orationem ante communionem habent monachi Cartusienses omisso etiam, *Domine non sum dignus*. At longe plures nec minus devotas continet missale Romaricense optimæ notæ ante annos 600. descriptum. Quas hic subjicere non gravabor.

(Quando mittitur Corpus in Sanguinem Domini, dicat:

Hæc commixtio & consecratio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam capescendam æternam præparatio salutaris. Per eumdem.

Antequam Agnus Dei dicatur.

Da quæsumus, omnipotens Deus, nobis famulis tuis pacem, tribue caritatem, impertire gratiam, & præsta ut eum fiducia audeamus dicere: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. *Item* Agnus Dei.

Alia.

Deus qui es omnium dominator, fac nos pacificando digne operari omni tempore, ut emendati ab omni dolo & simulatione, suscipiamus nos invicem in dilectione & osculo sancto, in quo maneat vera pacificatio, & caritas, & unitatis conjunctio. Per Christum. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Oratio ad dandam pacem.

Pax Christi & sanctæ ecclesiæ abundet in cordibus vestris. Amen.

Habete vinculum pacis & caritatis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis.

Concede, Domine Jesu Christe, ut sicut hæc sacramenta Corporis & Sanguinis tui fidelibus tuis ad remedium contulisti; ita mihi indigno famulo tuo & omnibus pro me sumentibus hæc ipsa mysteria non obsint ad reatum, sed prosint ad veniam omnium peccatorum. Per te Christe Jesu.

Antequam sumat.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut per hoc merear remissionem omnium peccatorum meorum accipere, & de tuo Sancto Spiritu repleri, quia tu es benedictus in sæcula. Amen.

Ante Corpus Domini.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, &c.

Corpus Domini Jesu Christi sit mihi ad remedium sempiternum in vitam æternam.

Sanguis Domini mei Jesu Christi custodiat me in vitam æternam.

Alia.

Ecce Jesu benignissime, quod cupivi jam video, quod desideravi jam teneo: hinc tibi quæso jungar in cælis, qui tuum Corpus & Sanguinem cum gaudio quamvis indignus suscipio in terris.

Ave in ævum, sanctissima Caro, mea in perpetuum summa dulcedo.

Ave in æternum, cælestis potus, mihi ante omnia & super omnia dulcissimus.

Perceptio Corporis Domini nostri Jesu Christi non mihi proveniat ad judicium, neque ad condemnationem pœnæ; sed prosit animæ meæ & corpori meo in vitam æternam. Amen.

Cruor ex latere Domini nostri Jesu Christi mihi indigno maneat ad salutem, & proficiat ad remedium animæ meę in vitam æternam.

Alia.

Corpus Domini nostri Jesu Christi mihi proficiat ad remedium animæ meæ.

Alia.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi conservet animam meam in vitam æternam.

Alia.

Domine Jesu Christe, propitius esto peccatis meis per assumptionem Corporis & Sanguinis tui, & per Intercessionem beatæ & gloriosæ Virginis Mariæ genitricis tuæ, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum. Tu enim loquens dixisti: Qui manducat Carnem meam, & bibit Sanguinem meum in me manet, & ego in eo.

in eu. Ideo te, piissime Domine, supplex deprecor, ut in me cor mundum crees, & spiritum rectum in visceribus meis innoves, & spiritu principali me confirmare digneris, atque ab omnibus insidiis diaboli & vitiis emundes. Qui cum Deo Patre.

Alia.

Domine Jesu Christe, fili Dei, Corpus tuum pro nobis crucifixum edimus, & Sanguinem tuum pro nobis effusum bibimus. Fiat Corpus tuum salus animarum & corporum nostrorum, & tuus sanctus Sanguis remissio omnium peccatorum hic & in æternum. Amen.

Alia.

Corpus tuum quod sumsimus, & calix quem potavimus adhæreat visceribus nostris, & præsta per invocationem sancti tui nominis, ut non remaneat ulla macula vitiorum, quo pura & sancta intraverunt sacramenta.

Post sumtum Sanguinem.

Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiamus, ut de Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu fiat nobis remedium sempiternum.

Alia.

Gratias ago tibi, Domine Deus Pater omnipotens, qui me peccatorem satiare dignatus es Corpore & Sanguine Jesu Christi Filii tui Domini nostri. Ideo supplex deprecor, ut hæc sancta communio sit in arma fidei, scutum bonæ voluntatis, ad repellendas omnes insidias diaboli de corde & opere meo, & illuc me mundatum introire faciat, ubi lux vera est & gaudia justorum.

Placeat tibi sancta Trinitas, &c.

Meritis & intercessione beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum tuorum, misereaeis nostri, Domine, qui vivis & regnas per omnia.)

In vetusto codice ecclesiæ Ausejensis annorum circiter 600. post *Agnus Dei* sequentes habentur orationes.

Oratio cum conficis Corpus Domini cum Sanguine in calicem.

Hæc sacro sancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI fiat mihi & omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam capescendam æternam præparatio salutaris, te præstante, Rex regum, qui in Trinitate perfecta vivis & regnas. Fiat nobis omnibus sumentibus, quæsumus Domine, commixtio & consecratio Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI, remissio omnium peccatorum, tutamentum quoque mentis & corporis, & ad vitam capescendam æternam præparatio salutaris.

Oratio ante communionem.

Domine JESU CHRISTE, non sum dignus te suscipere, sed tantum obsecro, propitius esto mihi peccatori, & præsta ut hæc vera Corporis & Sanguinis tui portio, non sit mihi ad judicium, neque ad condemnationem, sed sit omnium peccatorum meorum optata remissio, animæque & corporis mei pia gubernatio, & potens ad vitam æternam introductio, qui cum Patre & Spiritu-sancto &c.

Oratio alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi Corpus & Sanguinem JESU CHRISTI Filii tui Domini nostri ita sumere, ut merear per illud remissionem peccatorum meorum percipere, & tuo Sancto-spiritu repleri, quia tu es Deus benedictus, & præter te non est alius, cujus regnum sine fine permanet gloriosum per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Perceptio Corporis &c.

Finitis his omnibus, ergo Patrem dicat sacerdos hanc orationem S. Augustini ad Filium, quem ante se tenet.

Domine Jesu Christe, qui ex voluntate Patris &c.

In pervetusto codice Sublacensi anno 1075. jubente Johanne abbate exarato, sequentes preces describuntur.

Antequam sacerdos perget ad pacem dicit.

Qui es omnium Deus & dominator, fac nos pacificando digne operari in sancta hora ista, amator humanitatis, ut emundatos ab omni dolo & simulatione suscipias nos invicem in dilectione, in osculo sancto, in quo manent verba pacificationis & caritatis & unitatis conjunctio. Per Dominum.

Antequam communicet dicit.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU CHRISTI filii tui ita sumere, ut merear per hoc remissionem peccatorum accipere, & tuo sancto Spiritu repleri: quia tu es solus Deus vivens & regnans cum eodem filio tuo, in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia oratio.

Præsta mihi peccatori misericors Christe, Domine JESU, ut plenus gratia & illuminatione sancta tua, cum fide & sanctificatione accedam ad perceptionem sanctissimi Corporis & Sanguinis tui, ut proficiat mihi ad indulgentiam, & ad remissionem omnium peccatorum meorum & ad vitam capiendam æternam. Qui vivis.

Sumta Eucharistia dicit.

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

Oratio.

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi &c.

Alia oratio.

Domine Jesu Christe &c.

Cum sacerdos aliquem communicat dicit.

Perceptio Corporis Domini JESU CHRISTI prosit animæ tuæ & corpori in vitam æternam amen.

Cum Sanguis datur dicit.

Sanguis Domini nostri JESU CHRISTI conservet animam tuam in vitam æternam amen.

Post missam expletam dicit.

Placeat tibi sancta Trinitas &c.

In missali manuscripto insignis ecclesiæ Andegevensis, & in altero quod fuit olim Fossatensis monasterii, atque in duobus Lyrensis monasterii ante communionem ista præmittitur.

Oratio.

(Agimus tibi Patri gratias pro jam beatificatis, postulantes eorum interventu apud te adjuvari: pro his autem qui adhuc sunt in purgatoriis locis immolamus tibi Patri Filium: supplicantes ut per hanc sacrosanctam hostiam eorum pœna levior fiat & brevior: pro nobis autem quos adhuc gravant peccata carnis & sanguinis offerimus tibi Patri Filium obsecrantes, ut peccata quæ ex carne & sanguine contraximus, Sanguis lavet, Caro emundet Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum.)

In vetustissimo codice bibliothecæ regiæ n. 3865. nullæ ante communionem assignantur orationes, post factam vero istæ præscribuntur.

(Quos cælesti, Domine, alimento satiasti, apostolicis intercessionibus ab omni nos adversitate custodi. Per.

Læti, Domine, sumsimus sacramenta cælestia, intercedente pro nobis beata & gloriosa semperque Virgine Maria, ad vitam nobis proficiant sempiternam. Per.

Augeatur in nobis, Domine, quæsumus tuæ virtutis operatio, & divinis vegetati sacramentis, ad eorum promissa capienda tuo munere præparemur. Per.

Omnipotens, sempiterne Deus, fac nos tibi semper & devotam gerere voluntatem, & majestati tuæ sincero corde famulari. Per.

Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiamus. Per.

Mysteria nos, Domine, sancta purificent, & suo munere tueantur. Per.

Quos tantis, Domine, largiris uti mysteriis, quæsumus, ut effectibus nos eorum veraciter aptare digneris. Per.

Mensa tua, Domine, nos a delectationibus expediat, & celestibus semper instituat alimentis. Per.

Tui nobis, Domine, communio sacramenti & purificationem conferat, & tribuat unitatem. Per.

Tua Sancta nobis omnipotens Deus & indulgentiam præbeant, & auxilium perpetuæ defensionis impendant. Per.

Tua nos, Domine, medicinalis operatio, & a nostris perversitatibus clementer expediat, & tuis faciat semper inhærere mandatis. Per.

Purificent semper & muniant tua sacramenta nos, Domine, & ad perpetuæ ducant salvationis effectum. Per.

Quæsumus omnipotens Deus, ut munere divino, quod sumsimus salutarem nobis prosit effectum. Per.)

ARTICULUS X.

De Communione.

I. EXplicitis quæ ad Canonem missæ superadditæ sunt precibus, reliquum est, ut de communione aliquid dicamus. Nam etsi hoc argumentum plerique copiose ac erudite prosecuti fuerint, maxime felicis memoriæ Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. 17. & seq. ac Johannes Mabillonius in Commentario prævio ad antiquos Ordines Romanos, ne tamen unum ex præcipuis sacræ Liturgiæ muniis intactum relinquamus, exi-

exigit officii nostri ratio, ut præcipua saltem, aut ab iis prætermissa paucis repræsentemus. Atque ut omnia quæ ad hanc liturgiæ partem pertinent facilius assequamur, inquirendum in primis est, quibus olim diebus fideles communicarent, quo ordine, quibus in locis, quorum ministerio, quibus ritibus.

Quibus olim diebus fideles communicarent.

II. De primo audiendus hic Anonymus Turonensis in suo ms. Speculo. [Illud, inquit, certe ignorari non debet, olim in primitiva Ecclesia singulis diebus qui canoni missæ intererant, solitos fuisse communicare: sed postea crescente multitudine fidelium fuit institutum, ut tantum Dominicis diebus communicaretur. Quod etiam paulo post cum observari non potuit, abiit in desuetudinem, ac tertia subsequuta est institutio, ut saltem ter quoque anno in Natali, Paschate, & Pentecoste omnes christiani eucharistiam sumerent.) Simili fere modo loquitur Johannes Belethus in libro de divinis Officiis cap. 120. [In primitiva Ecclesia præceptum erat, ut singulis diebus Corpus Domini sumeretur: postea vero crescente numero fidelium, ut singulis diebus Dominicis: unde etiam nunc in Græcia sub anathemate punitur, qui a tribus diebus Dominicis non communicaverit. Modo autem nos tenemur in tribus solemnitatibus, nimirum Paschate, Pentecoste & Natali.) Quibus in verbis tria asserit Belethus: primo omnes fideles missæ assistentes quotidie Corporis & Sanguinis Christi fuisse participes: id certe constat ex canone 10. Apostolorum, & ex concilio Antiocheno sub Julio papa cap. 2. in quo hæc leguntur: (Omnes qui ingrediuntur ecclesiam Dei, & scripturas sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se a perceptione sanctæ communionis avertunt, hi de ecclesia removeantur.) Quotidianam etiam communionem in laicis commendat Jonas episcopus Aurelianensis in lib. 2. de Institutione Laicali cap. 18. Et Amalarius in epistola edita in Spicilegii tomo 2. pag. 172. Unde etiam S. Augustinus Sermone 132. dicebat: (Christus *quotidie* pascit, mensa ipsius est illa in medio constituta.) Secundo quotidianam communionem in Dominicalem postea commutatam. De ea Auctor Sermonis 15. inter adscriptos S. Ambrosio in nova editione operum ejusdem sancti sic scribit: (Omnes christiani omni Dominica debent offerre & communicare.) Hæc Dominicalis communio diu apud monachos perseveravit, ut ostendimus in Commentario in Regulam S. Benedicti cap. 35. paucis vero apud reliquos christianos. Vigebat tamen apud Græcos tempore Theodori Cantuariensis archiepiscopi, qui de iis ita scribit in Capitulis selectis c. 12. Spicilegii tomo 9. (Græci omni Dominica die communicant, sive clerici sive laici; & qui tribus Dominicis non communicaverit, excommunicetur.) De Latinis vero hæc addit: [Romani similiter communicant qui volunt; qui autem noluerint, non excommunicantur.) Obsoleverat ergo jam sæculo VII. exeunte pia apud Christianos laicos consuetudo singulis diebus Dominicis communicandi, quam postmodum excitare ac renovare studuerunt Reges Francorum in quorum libro 6. Capitularium num. 170. statuunt ut (si fieri potest, omni die Dominica communicent.) Et antea lib. 5. n. 182. (Ut per omnes dies Dominicos & festivitates præclares sacra Eucharistia communicent, nisi quibus abstinere præceptum est.) Verum tamen hæc a paucis admodum frequentabatur, nisi forte in quadragesima: id quod hortatur fieri Nicolaus papa I. in Responsis ad consulta Bulgarorum cap. 9. jubetque Amalarius in Fragmento edito in Spicil. tom. 7. [in singulis diebus Dominicis in quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, sacramenta Corporis & Sanguinis Christi ab omnibus fidelibus sumenda sunt, & in Cœna Domini, & in vigiliis Paschæ, & in die Resurrectionis Domini penitus ab omnibus fidelibus communicandum est. Et ipsi dies Paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.) Sed hoc decretum quod etiam extat in Capitulari Theodulphi Aurelianensis episcopi n. 41. ubi & feria vj. Parasceves additur, an religiose ab omnibus passim observatum fuerit valde dubito: Nam etsi ab eo non multum recedat Herardi Turonensis archiepiscopi constitutio in suo Capitulari n. 53. (Ut populus prædicetur, ut oblationes Deo offerant, & ut tertia Dominica vel quarta communicent;] attamen jam longe antea invaluerat quam tertio loco notat Belethus, trina per annum communio, quamque præscripserat concilium Agathense anno 506. celebratum cap. 18. decernens, ut (sæculares qui Natale Domini, Pascha, & Pentecosten non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.) Istud concilii Agathensis decretum refert Egbertus Eboracensis archiepiscopus in Excerptis cap. 38. & Atto Vercellensis episcopus in Capitulari cap. 73. Spicileg. tom. 8. Similis canon extat apud Gratianum de Cons. dist. 2. cap. *Omnis homo* sub nomine concilii Eliberitani, quamvis in editis illius concilii canonibus desideretur; & in concilio Augustodunensi can. 14. apud Petrum *de la Lande*, atque etiam in concilio Turonensi III. can. 50. In epistola quoque Wlfadi episcopi ad parochos Analectorum Mabillonii tom. 4. hæc lego: [In tribus etiam festivitatibus anni, Nativitate Domini, Pascha, & Pentecoste, unusquisque mundus ad ecclesiam veniens communicet, exceptis his qui in publica pœnitentia sunt: quoniam nisi in his tribus solemnitatibus communicaverit, non inter christianos habitare debet.) Et apud Reginonem lib. de Ecclesiastica Disciplina cap. 195. (Ut si non frequentius, vel ter laici homines in anno communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet impediatur, id est in Pascha, Natali Domini, & Pentecosten.] Huc respicit id quod scribit Helgaldus Floriacensis monachus in Vita Roberti Francorum regis: (Sanctas noctes, hoc est Nativitatis Domini, Sancti Paschæ, & Pentecosten sic totas ducebat insomnes usque ad summum mane, ut nec sedens, vel stans somnum caperet, donec quam expectabat & desiderabat salutiferam Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi perceptionem perciperet.] In concilio Ænhamensi anno 1009. celebrato can. 20. statutum quoque reperio. [Reverenter etiam præparatus quisque adeat sacram Eucharistiam quando ad arbitrium ei videbitur maxime necessarium, saltem ter quotannis.) Idem præcipiunt Leges ecclesiasticæ Canuti regis Angliæ cap. 19. Ratherius Veronensis episcopus quartum diem addidit in epistola Synodica ad presbyteros Spicilegii tom. 2. (Quater, inquit, in anno, id est Natali Domini, & Cœna Domini, Pascha, & Pentecoste omnes fideles ad communionem Corporis & Sanguinis Domini accedere admoneo.) Cui concinit Leo papa IV. in Homilia de Cura Pastorali. Ex antiqua etiam ecclesiæ Gallicanæ consuetudine universus populus in Epiphania communicabat, ut discimus ex Fortunato in Vita S. Marcelli Parisiorum episcopi cap. 3. Sed & S. Chrysostomus homilia 3. in cap. 1. epistolæ ad Ephesios communionem in Epiphania & Pascha commendat. Usum ecclesiarum Hispaniæ colligimus ex libello Ildephonsi episcopi anno 855. scripto, scilicet communionem universo populo præceptam fuisse in Natali Domini, Pascha, Pentecoste, & Transfiguratione. Nam cum tres his diebus missas celebrari præcipiat, & in singulis perplures oblatas consecrari, manifestum inde colligitur argumentum de generali his diebus perceptione eucharistiæ. Sed tandem refrigescente in dies fidelium caritate Innocentius III. in concilio Lateranensi cap. 21. obligationem Corporis & Sanguinis Domini participandi ad annuam & paschalem communionem reduxit. Non defuere tamen postea concilia, quæ trinam per annum præfatis diebus communionem omnibus utriusque sexus præciperent, in his Tolosanum anni 1218. c. 13. & Albiense anni 1254. c. 29. concilium Trevirense anni 1310. cap. 89. tom. 4. Anecdotorum, statuta Synodalia Guillelmi episcopi Biterrensis anno 1342. edita, & ab Hugone episcopo anno 1368. confirmata c. 26. ibid. Sed & in India apud Caranganoram (ter in anno populus suscipit eucharistiam,) ex Josephi Indi Navigatione. De Græcis vero hæc scribit Leo Allatius lib. 3. de Consensu Eccles. Orient. & Occident. cap. 15. (Paucos enim dies si excipias, quibus ex more illius ecclesiæ, & potissimum tempore Paschatis, populus communicat, in aliis fere nulla fit communio, & sæpe etiam multi nec eo ipso tempore, sed aqua benedicta absumta, se præcepto satisfecisse existimant.)

Communionis ordo:

III. Communionis ordo is erat, ut primum episcopi, deinde presbyteri, postea diaconi communicarent. Hoc refertur Concilii Niceni canon 18. [Illud, inquit, innotuit quod quidam diaconi ante episcopos oblata contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in sua diaconi mensura permaneant, scientes quod episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem presbyteris habeantur. Per ordinem ergo post presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut episcopo aut presbytero porrigente.) Diaconis succedebant subdiaconi, & alii inferiores clerici, monachi, virgines, ac tandem laici, primum viri, deinde feminæ. Scribit tamen Johannes Moschus in Prato Spirituali cap. ultimo consuetudinem olim in ecclesia fuisse (ut pueri in missis ante sacrarium assisterent, primique post clericos

communicarent sanctis Christi Dei nostri venerandisque mysteriis.)

Communionis locus.

IV. De communionis loco non una fuit omnium ecclesiarum consuetudo. Nam Romæ summus pontifex celebrans in sede sua consistens seipsum communicabat, postea accedebant episcopi & presbyteri, ut a pontifice communionem acciperent, episcopi quidem stantes ad sedem pontificis; presbyteri vero ad altare genibus flexis, aliique sequentes ordines. Quibus communicatis, pontifex descendebat in senatorium, ubi magnates Eucharistia reficiebat; & in adversam partem, ubi matronæ consistebant eisdem communionem præbiturus, ac tandem reversus ad sedem regionarios communicabat, nil & nomenculatorem, sacellarium, & acolythum qui patenam, & qui manutergium tenebat, & qui aquam dabat. In ecclesia Mediolanensi laicos extra altare communicasse discimus ex facto S. Ambrosii, qui ipsum imperatorem in choro ad communionem remanere non permisit: cui unico id licitum fuit apud Græcos ex concilio Trullano can. *69*. Consuetudinem eamdem in Hispania viguisse discimus ex concilii II. Bracarensis canone 13. (Placuit ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris vel mulieribus, nisi tantum clericis, sicut & antiquis canonibus statutum est.) In concilio vero Toletano IV. can. 17. præceptum est, (ut sacerdotes & levitæ ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.) In Africa etiam laici ad cancellos, qui chorum a populo separabant, communionem percipiebant. Id sane clare innuit S. Augustinus Sermone 392. novæ editionis his verbis: (A communione se cohibeant, qui sciunt quia novi peccata ipsorum, ne de cancellis projiciantur.) Neophytis tamen in gratiam novæ suæ regenerationis ad altare accedere permittebatur: unde idem Sanctus Augustinus Sermone 224. ipsos alloquens (obsecro vos, inquit, per nomen quod super vos invocatum est, per illud altare ad quod accessistis, per sacramenta quæ accepistis) &c. Soli hac in causa Galli aliis minus religiosiores fuere, omnibus tam viris, quam mulieribus, communionem ad altare impertientes, ut patet ex Gregorii Turonensis lib. 10. Historiæ Francorum cap. 8. lib. 1. de Miraculis S. Martini cap. 14. ex S. Cæsarii Arelatensis episcopi Sermone 289. in Appendice S. Aug. et Fortunato in vita S. Marcelli Parisiensis episcopi cap. 6. & ex concilio Turonensi II.

Communionis minister.

V. De ministro communionis primis Ecclesiæ sæculis audiendus est Justinus martyr in Apologia 2. ad Antoninum imperatorem: (Postquam, inquit, antistes gratiarum actionem perfecit, & populus omnis apprecatus est, diaconi ex pane & vino & aqua consecratis partes dividunt unicuique præsentium, & ad absentes portant. Hic cibus vocatur Eucharistia.) Itaque ex Justino hoc munus diaconorum præsertim fuit. Et certe quo ad calicem multa suppetunt veterum testimonia, quibus ab illis porrectum fuisse demonstratur. Nota est omnibus pia S. Laurentii archidiaconi ad Sixtum pontificem apud Ambrosium lib. 1. offic. cap. 41. querimonia, quem cum ad martyrium properantem videret, ipse cupidus martyrii sic eloquens dicebat: (Cui commisisti Dominici Sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas?) Longe clarius est S. Cypriani testimonium in libro de Lapsis, ubi refert historiam puellæ, quæ quod de idolothitis prægustasset, sacram Eucharistiam accipere renuit: (Ubi vero, inquit, solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus ceteris, locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, & labiis obturantibus premere, calicem recusare: Perstitit tamen diaconus, & reluctanti licet de sacramento calicis infudit.) Idem constat ex Johannis Moschi Prato spirituali capite ultimo, ex Auctore libri de septem gradibus ecclesiæ apud Hieronymum, ex S. Isidoro lib. 2. de Officiis c. 8. ex concilio Aquisgranensi cap. 7. & aliis. Id tamen illis vetitum fuisse innuit S. Chrysostomus homilia 46. in Matthæum, ubi sic loquitur: (Non vides qualiter soli sacerdoti licet calicem Dominici sanguinis præbere.) Quod vero ad Corpus Domini spectat: in concilio Arelatensi II. can. 15. decretum est, ut diaconus (Corpus Christi præsente presbytero tradere non præsumat: quod si fecerit, ab officio diaconatus abscedat.) Cui succinit concilium Cartaginense IV. can. 38. Sed hæc argumenta ostendunt dumtaxat varium fuisse locorum diversorum circa ministrum communionis consuetudinem. Romæ corpus ministrabat celebrans, calicem diaconus porrigebat, ad absentes acolythus sacra Dona deferabat. In libro 3. canonum Hibernensium cap. 8. Spicilegii tomo 9. præscribitur, ut (Diaconus præstante presbytero Eucharistiam populo, si necessitas cogit, eroget.) Et inter canones Ælfrici ad Wulfinum episcopum can. 16. inter munia diaconi recensetur *Populo cœnam Domini exhibere*. Quod autem Corpus & Sanguinem Domini aliquando porrexisse leguntur feminæ, per summum abusum summamque temeritatem id præsumptum esse non dubium, quod deflet concilium Parisiense VI. can. 45. Hic prætermittere non debeo id, quod de mutua communione Domni Antiocheni episcopi & Symeonis Stylitæ scribit Evagrius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. qui simul convenientes, (& purissimo Christi Corpore consecrato, vitalem sibi mutuo communionem impertierunt.)

Communionis ritus.

VI. Venio ad communionis ritus, qui cum perplurimi semperque extiterint, singulares tantum hic describam. Nota est omnibus antiqua ecclesiæ Orientalis consuetudo, qua cum communionis tempus accidisset, pontifex alta clamabat voce *Sancta sanctis*, uti videre est in Constitutionibus Apostolorum lib. 8. cap. 13. Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 5. Mystagogica, Chrysostomum homilia 17. in epistolam ad Hebræos, Cyrillum Alexandrinum lib. 12. in Johannem cap. 30. Quonam vero ritu id fieret discimus ex Cyrillo Scytopolitano in Vita S. Euthymii Analectorum Græcorum tomo 1. (Sacerdos, inquit, qui incruentum sacrificium Deo offert, antequam incipiat, omnibus testificatur, & denunciat dicens: sursum mentem & corda habeamus: populique pollicitatione accepta, Deo oblationem offerre audet: qua perfecta, manibus in altum extensis ferens, & cunctis ostendens dispensatum ad nostram salutem sacramentum, alia voce, ita ut omnis populus audire queat, ait SANCTA SANCTIS.) Quam ad vocem populus respondebat: *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus*. Et ex collatione S. Maximi habita Constantinopoli cum principibus, ubi ostendens omnem Christianum non esse sacerdotem, ita habet: (Neque enim adstat altari, neque post sanctificationem panis exaltat eum dicens: SANCTA SANCTIS.) Huic ritui affine est id quod scribit S. Chrysostomus Homilia 34. ad populum Antiochenum, diaconum in synaxi subinde clamare solitum fuisse AGNOSCITE VOS INVICEM. In ecclesia Occidentali, maxime in Galliis, diebus præcipuis quibus universus populus ad sacram Synaxim accedere tenebatur, solemni ritu ad communionem invitabatur his verbis: (Venite populi, sacrum immortale mysterium & libamen agendum; cum timore & fide accedamus. Manibus mundis pœnitentiæ munus communicemus, quoniam Agnus Dei propter nos Patri sacrificium propositum est: ipsum solum adoremus, ipsum glorificemus cum angelis clamantes alleluja.) Cujus Ritus meminere antiquum Ordinarium ms. ecclesiæ Lugdunensis, Athanacensis monasterii Missale, Ordinarium Cabilonense, Carnotense: S. Johannis, & Rituale S. Martini Turonensis.

Quo corporis situ percepta.

VII. Quod spectat ad exteriorem corporis speciem communicantium, non nisi lotis manibus & facie accedere audebant, ut constat ex S. Chrysostomi Homilia 52. in Matthæum, & Homilia 3. in epist. ad Ephesios. Hinc & S. Augustinus Sermone 17. novæ editionis scribens in hæc orationis Dominicæ verba *Dimitte nobis debita nostra*, (His verbis, inquit, lota facie ad altare accedamus, & his verbis lota facie Corpore Christi & Sanguine communicemus.) Et Anonymus in ms. Sermone de Dedicatione Templi: (Certe, fratres, quando in ecclesiam intrare, & communicare volumus, prius manus nostras abluimus.) Ita ut communicantibus non minor esset puritatis exterioris, quam conscientiæ sollicitudo. Eadem ratione mundissimas cultioresque corporis vestes ea hora induebant: qua in re singulare est exemplum quod legimus in Vita S. Jonæ monachi cœnobii Muchonse in Ægypto apud Bollandum 11. Februarii, quod scilicet (habebat unum lebitonem quo induebatur tempore divinorum & intemeratorum sacramentorum Corporis Domini nostri Jesu Christi, & cum communicasset eum rursus exuebat & reponebat, mundum servans octoginta quinque annos.) Ad demonstrandam autem tam corporis quam animæ majorem reverentiam, antiqui, ut scribit S. Odo abbas Cluniacensis lib. 2. Collationum cap. 28. ad divinum (mysterium, quod participare debebant, discalciatis pedibus accedebant.) Stantes autem, non, ut fit hodie, genuflexos communicasse probant Habertus in notis ad pontificale Græcorum pag. 270. Henricus Valesius in notis ad Eusebii lib. 7. cap. 9. & Johannes Thiersius in Gallica Dissertatione de altaribus.

Idem,

Idemque a monachis olim actitatum esse demonstravimus in Commentario nostro in Regulam Sancti Benedicti cap. 35.

Eucharistia manu recepta.

VII. Eucharistiam e communicantibus manu exceptam fuisse norunt omnes viri eruditi. Id quod sane constat ex Dionysio Alexandrino in epistola ad Xistum papam apud Eusebium lib. 7. c. 9. Cypriano libro de Lapsis, Basilio epistola ad Cæsariam Patriciam, Chrysostomo Homil. 21. ad populum Antiochenum, August. lib. 2. contra litteras Petiliani c. 25. Hinc S. Ambrosius apud Theodoritum lib. 5. Hist. Eccles. c. 17. increpans Theodosium ob cædem Thessalonicam, (Quomodo, inquiebat, manus extendes injustæ cædis sanguine adhuc stillantes? Quomodo hujusmodi manibus Domini Corpus accipies?) Hoc autem viros inter & mulieres discrimen intercedebat, quod viri nudis manibus, mulieres linteo Eucharistiam excipiebant, ut patet ex S. Cæsarii Sermone 229. in Appendice novæ editionis S. Augustini: (Omnes viri, quando ad altare accessuri sunt, lavant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi Corpus Christi accipiant.) Hinc & Anonymus quidam in ms. Sermone in Dedicatione templi, cujus stilus Cæsarium ipsum spirare videtur: (Certe & omnes mulieres quando ad altare veniunt linteola nitida exhibent, in quibus Christi sacramenta percipiant; & bene & juste faciunt:) Et concilium Autissiodorense anno 578. celebratum can. 36. (Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere.] Et can. 42. (Unaquæque mulier quando communicat Dominicalem suum accipiat: quod si quæ non habuerit, usque in alium diem dominicum non communicet.) Hinc colliges hunc ritum in Galliis ad finem sæculi VI. minimum perseverasse, immo & longe postea ad usque sæculum VIII. ex actis S. Odiliæ abbatissæ, quæ morti proxima (cum calicem in quo Dominicum Corpus & Sanguis habebatur, sibi adferri præcepisset; propriis manibus eum accipiendo, sancta communione participata, omnibus cernentibus animam reddidit.) Sed tandem sæculo IX. in concilio Rothomagensi tempore Ludovici regis celebrato cap. 2. decretum est, ut sacerdos (nulli laico aut feminæ Eucharistiam in manibus ponat, sed tantum in os ejus cum his verbis ponat: Corpus Domini & Sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum & ad vitam æternam.) Quæ verba refert Regino abbas Prumiensis in lib. 1. de ecclesiasticis disciplinis cap. 199. tamquam ex concilio Turonensi. Idem usus vigebat etiam in Anglia sæculo VII. quo Beda venerabilis Historiam composuit, in cujus lib. 4. cap. 24. illius facit mentionem. At vero in ecclesia Romana ante medium sæculum VI. jam abierat in desuetudinem, ut probat S. Gregorii lib. 3. Dialogorum cap. 3. ubi Agapitus papa, qui anno 535. summum Pontificatum adeptus est, cuidam muto & claudo (Corpus Dominicum in os misisse) perhibetur. Apud Græcos autem perstitisse etiam sæculo VIII. docet S. Johannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 14. ubi hæc habet: (Ardenti cupiditate ad eum accedamus, manibusque in crucis formam compositis, Crucifixi Corpus suscipiamus.) Quibus ex verbis discimus non solum manibus, sed iis in crucis formam compositis Eucharistiam e communicantibus receptam fuisse; id quod etiam docent Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica, & concilium in Trullo can. 101. Quonam vero ritu sic acceptum panem sacrum ori admoverent, docet Johannes Phurnes in epistola de ritibus immutatis apud Allatium lib. 3. de Consensu ecclesiæ Occidentalis & Orientalis cap. 15. (Non solum, inquit, sacris initiati homines, ut nunc quoque; sed omnes simul panem cælestem accipientes, labiisque deosculantes, & oculis apponentes, ita tandem consumebant, & hoc etiam ecclesia in commodiorem usum accommodans, cochleari nunc omnibus, non manu, exceptis præsule aliisque de clero, vivificum alimentum elargitur.) Eumdem ritum longe antea tradiderat S. Cyrillus Jerosolymitanus in Catechesi 5. Mystagogica, ubi communionis Ordinem ita describit: (Accedens autem ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis; sed sinistram veluti sedem quamdam subjicias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concava manu suscipe Corpus Christi dicens. Amen. Sanctificetis ergo diligenter oculis tam sancti Corporis contactu, communica... Post communionem Corporis Christi, accede & ad Calicem Sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum, & venerationis dicens: Amen. Sanctificeris eo Sanguine Christi quem assumis, & cum adhuc est humiditas in labiis tuis, manibus attingens & oculos & frontem, & reliqua sensuum organa consecra.) Hujus etiam ritus meminit S. Johannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 14.

IX. Neque vero prætermittendum est fideles olim cum Eucharistiam de manu sacerdotis acciperent, postquam presbyter tradendo dixerat *Corpus Domini*, respondere solitos fuisse *Amen*. Hunc ritum disertis verbis tradit S. Augustinus Sermone 272. novæ editionis: (Audis, inquit, *Corpus Christi*, & respondes *Amen*.) Et lib. 13. contra Faustum cap. 10. (habet magnam vocem Christi Sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur *Amen*.) Et iterum lib. 1. de Symbolo ad catechum. cap. 3. (Primus homo de terra terrenus, quid dicit omnis homo terra, quando accipit Sanguinem Christi? *Amen* dicit. Quid est Amen? Verum est] &c. S. Leo sermone 6. de jejunio septimi mensis: [Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis *Amen* respondetur, a quibus contra id quod accipitur disputatur.) Et Auctor librorum de Sacramentis apud Ambrosium lib. 4. cap. 5. (Ergo non otiose cum accipis tu dicis *Amen*: jam in spiritu confitens quod accipias Corpus Christi. Dicit tibi sacerdos *Corpus Christi*, & tu dicis *Amen*, id est verum.) Hinc S. Hieronymus ad Pammachium scribens adversus errores Johannis Jerosolymitani, (Qua, inquit, conscientia ad Eucharistiam Christi accedam, & respondebo *Amen*, cum de caritate dubitem porrigentis.) His adstipulatur S. Hildephonsus lib. 1. adnotationum de ordine baptismi c. 137. ubi supra citatum exscribit Augustinum.

X. Observat Henricus Valesius ad Eusebii Historiam ecclesiasticam lib. 6. cap. 43. laicos olim post Eucharistiam ab episcopo acceptam eidem osculum dedisse, id quod probat ex epistola 62. S. Hieronymi ad Johannem Jerosolymitanum, & ex Paulo Diacono lib. de Vitis Emeritensium Patrum cap. 7. Observandum etiam fideles olim non ex integris, ut nunc fieri consuevit, oblatis refectos fuisse, sed nec ipsos celebrantes, qui diaconum & subdiaconum aut viros illustres communicabant ea eadem hostia quam obtulerant, cujus rei insigne nobis exemplum suppeditat Chronicon Casinense lib. 4. cap. 40. in persona Paschalis papæ II. qui post initam cum Henrico imperatore V. pacem celebrans, (cum ad hostiæ confractionem venisset, partem ipse accipiens, partem imperatori contradens, dixit: Sicut pars ipsa vivifici Corporis divisa est, ita divisus sit a regno Christi & Dei quicumque pactum istud dirumpere tentaverit.) Cujus facti mentionem facit Sugerius abbas S. Dionysii in Vita Ludovici Grossi. Sed & anno 1495. die 21. Januarii cum celebraret coram rege Francorum Carolo VIII. Alexander VI. papa, hostiam quatuor divisit in partes, (quarum ipsemet unam sumsit, secundam diacono tradidit, tertiam subdiacono, quartam in signum fœderis domino regi dedit) uti legi in veteri codice domini De Crassier Leodiensis.

Consecratio calicis per contactum particulæ consecratæ.

XI. Jam de communione calicis agendum in qua illud in primis notandum venit, quod sacerdotes & alii altaris ministri ex puro Sanguine potabantur, reliqui fideles ex Sanguine vino infuso, ut constat ex Ordine Romano & ex Consuetudinibus S. Benigni Divionensis. Quo respicere videtur Fortunati locus in Vita S. Marcelli Parisiorum episcopi, qui adhuc subdiaconus cum aquam in vinum transmutasset, Prudentius episcopus (jussit ex ipso urceo in calicem sacrum fundi, unde universus populus missa celebrata, ad communionem accedit:) Hujus consuetudinis causa duplex fuit, multitudo scilicet communicantium, cui consecrati vini non parva quantitas vix sufficere potuisset; & nonnullorum veterum opinio, existimantium vinum ex contactu speciei consecratæ sanctificari & consecrari; quæ quidem erronea opinio quam late olim propagata fuerit probant ea testimonia, quæ refert noster Mabillonius in prævio Commentario ad Ordinem Romanum, quibus sequentia adjicere licet. Antiquum pontificale ecclesiæ Apamiensis in Syria describens ritus in feria vi. parasceves observari solitos: [Divisa hostia, inquit, in tres partes, tertiam partem juxta consuetudinem in calicem mittat, nihil dicens, sic enim sanctificatur vinum non consecratum per Corpus Domini immissum.) Pontificale ms. ecclesiæ Constantinopolitanæ tradens ordinem ad communicandum infirmum: (Tunc tradat ei sacerdos Eucharistiam Dominici Corporis intincti vino, & vinum tali intinctione sanctificatum in Christi Sanguinem transmutatum) MS. Ordinarium ecclesiæ Cusentinæ a Luca archiepiscopo circa annum 1203. digestum, describens ritus Paschales: (Accipiant Dominicum Corpus in eucharistiali reconditum, & super patenam ponant, & in calice

vinum

vinum & aquam fundant, & mox de hostia Dominici Corporis in calicem mittant, ita ut vinum in Sanguinem consecretur.] Antiquum missale ecclesiæ Arelatensis ab annis circiter 400. ms. quod asservatur in bibliotheca Colbertina num. 1580. ad feriam VI. parasceves: (Misso de Corpore in vino, & sic in Sanguinem consecrato communicabunt.) MS. Ordinarium ecclesiæ Uticensis: (Post sacerdos ponit aliquam partem hostiæ in calice nihil dicendo: sanctificatur enim vinum non consecratum per Corpus Domini immissum.) Quæ verba leguntur etiam in Ordinario Narbonensi, & missali ejusdem ecclesiæ anno 1528. typis mandato. Turonense Majoris monasterii missale antiquum ms. (Mox partem Corpus Domini ponat in vinum: sanctificatur enim vinum non consecratum per sanctificatum panem.) Idem legi in alio codice ms. bibliothecæ S. Gatiani Turonensis. Missale ecclesiæ Autissiodorensis, quod ante annos 500. ms. asservatur in bibliotheca Colbertina num. 412. postquam præscripsit Corporis Christi in calicem immissionem, addit: [Hic consecratur per Corpus Domini vinum) Pontificale Petri *de Trigni* Silvanectensis episcopi, qui anno 1356. obiit: (In die parasceves vinum non consecratum sanctificatur per panem sanctificatum.) Antiquum missale monasterii S. Audoeni Rotomagensis, quod fuit olim usui alicui ecclesiæ diœcesis Ebroicensis: (Tunc afferatur Corpus Christi, quod pridie remansit & imponit super altare, sicut decet in sacramento super corporale, & vinum cum aqua funditur in calice & sic consecretum est vinum cum aqua Corpore Christi) Aliud ejusdem monasterii missale ad usum, uti videtur, Venetensis ecclesiæ in minori Britannia annorum circiter trecentorum: (Incenso adhibito faciat communionem super patenam ante calicem ponit: tunc mediocri voce dicat: *Oremus præceptis salutaribus* & *libera nos*: Illoque dicente *per eumdem Dominum*, hostiam in tres partes dividat; & responso ab omnibus *Amen*, ipse unam partem in calicem mittat, dicens: SANCTIFICETUR HOC VINUM NON CONSECRATUM PER HUNC PANEM SANCTIFICATUM. Hic longe clariora sunt ea quæ leguntur in alio missali ad usum ejusdem monasterii ab annis circiter 400. exarato: (Deinde mittit particulam Eucharistiæ in vinum sicut mos est. Et notandum quod a plerisque non dicitur *Hæc commixtio*, &c. videlicet quia sine sacramento est vinum calicis, donec in eo intingatur Eucharistia. Sed tunc ex impositione Eucharistiæ creditur transubstantiatum in Sanguinem Christi, & ideo videretur eis quod dici debeat prædicta oratio.) Et Ordinarium vetus ejusdem cœnobii: (Deinde mittit partem Eucharistiæ in calicem.... tum abbas non debet dicere: *Hæc sacrosancta commixtio*, quia ibi non est Sanguis donec Eucharistia intinguitur.) Denique Ordinarium Præmonstratensium. (Ipsa unam partem in calicem mittat nihil dicens, sanctificatur enim vinum non consecratum per panem sanctificatum.) Perseverabat adhuc hæc opinio sæculo XVI. quo in Missali auctoritate Nicolai *Psaume* episcopi Virdunensis anno 1554. edito hæc leguntur: (Tunc unam partem in calicem mittat nihil dicens, quia consecratur vinum per Corpus Domini. Sed *Pax Domini Agnus Dei*, & communio non dicuntur, sed dicuntur orationes quæ solent dici post commixtionem, ut habetur in canone. Tunc communicat se presbyter de Corpore Christi, & non faciat mentionem de Sanguine, & sumit post hæc reverenter de Sanguine. Postea dicat: *Corpus tuum, Domine, quod ego indignus accepi*.) In veteri etiam missali ecclesiæ Redonensis anno 1559. typis mandato hæc leg.: (Immediate sacerdos ponat illam partem hostiæ, quæ remansit in dextera manu, in calicem, & vinum benedicat dicendo. [Per panem istud consecratum & sanctificatum sanctificetur & consecretur vinum istud non consecratum.)

XII. Ex his omnibus quam late propagata fuerit sententia de consecratione vini per immissionem Corporis Christi in calicem, nemo non videt. Verum si alios Rituales missalesque libros consulamus, qui de hujusmodi consecratione aut tacent omnino, aut eam pernegant, oppositam sententiam longe communiorem fuisse apud æquiores rerum æstimatores pro certo constabit. Et sane inaudita prorsus videtur ante sæculum IX. fictitia illa consecratio, nec ullum Amalario antiquiorem auctorem, qui de illa aliquo modo loquutus fuerit facile reperies. Certe priorem sincerioresque Ordines Romani e Mabillonio editi, in Cœna Domini præscribunt reservari pro sequenti feria sexta consecrater *oblatas integras, de quibus communicent absque Sanguine*. Non ergo consecrari vinum censebant ex contactu immissæ in calicem particulæ, alioquin etiam ex Sanguine communicassent. Huic interpretationi favet Innocentius I. in epistola ad Decentium, ubi docet *isto biduo* quod Paschatis diem antecedit *sacramenta* PENITUS *non celebrari*: quod contra esset si vini consecratio vere fieret quocumque demum pacto. His adde S. Bernardum, qui in epistola 69. ad Guidonem abbatem consecrationi illi adversatur; Hugonem Victorinum, qui sciscitatur cur in die parasceves *non sumatur Sanguis Christi sicut & Caro*; Jacobum a Vitriaco, qui in Historia occidentali cap. 38. hæc habet: (Non dicimus quod ex contactu Sanguinis vinum ablutionis convertatur in Sanguinem; sed remanet purum vinum, licet ex contactu Sanctæ rei sit sanctificatum, sicut aqua fluminis, aquæ benedictæ commixta, dicitur sanctificari.] Et mox subdit: [Mentiuntur ergo qui dicunt quod in die parasceve Corpus Christi ex contactu mutet vinum in Sanguinem. Illo enim die Corpus sed non Sanguis sumitur: neutrum autem conficitur, eo quod die illo in veritate immolata fuit hostia, & ideo non immoletur in figura. Idem etiam docuit Johannes Belethus doctor Parisiensis sub finem sæculi XII. in libro de Divinis Officiis capite 99. cujus hæc verba: (Nos tamen veritatem sequentes, & ea quæ SANCTI PATRES docuerunt, dicimus vinum omnino non esse consecratum ex illo contactu, sed sanctificatum.] Sed & Guillelmus Durandus episcopus Mimatensis libro 6. Rationali cap. 65. ex professo refellit illam sententiam. Præterea quamplures Rituales missalesque libros, qui in orationibus officii diei parasceves mentionem de Sanguine fieri vetant.

Communio calicis tribus modis.

XIII. Participandi autem sacro calici triplex extitit ratio: vel enim pretiosum Sanguinem cum calamo sugebant vel calicem ipsum ori admovebant; ubi notandum quod ait Gregorius Turonensis in libro 3. Historiæ Francorum cap. 31. Arianorum consuetudinem fuisse [ut ad altarium venientes de alio calice reges communicent, & de alio populus minor.) Vel denique corpus Dominicum Sanguine intinctum porrigebant. Tertium hunc modum damnevit concilium Bracarense III. can. 1. interdicens sacerdotibus [Eucharistiam vino madidam pro complemento communionis porrigere.] E contrario autem concilium Turonense apud Burchardum lib. 5. cap. 9. ex cujus decreto. (Sacra oblatio intincta debet esse in Sanguine Christi, ut veraciter presbyter possit dicere infirmo: *Corpus & Sanguis Domini proficiat tibi*.) Et fere sæculo XII. communis hic usus erat omnium fere ecclesiarum, ut constat ex epistola Ernulfi Roffensis episcopi ad Lambertum Spicilegii tom. 2. in qua respondet ad hanc Lamberti quæstionem. (Cur hodierna ecclesiæ consuetudo alio & pene contrario ritu censeat porrigi Corpus Dominicum, quam a Domino in Cœna discipulis suis fuerit distributum. Id enim quotidianus ecclesiæ prætendit usus, ut tribuatur hostia Sanguine intincta; cum a Domino prius Corpus, deinde Sanguis porrectus fuisse memoretur,) &c. Quem ritum *nova consuetudine* introductum Ernulfus multis tuetur & propugnat, argumento ex effusionis periculo deducto, quod tandem sic concludit: [Ne ergo polluamus Sanguinem nostræ redemptionis, ne tamquam impiatetis manibus effundamus poculum humanæ salutis, religiosis viris, provide actum est, ut Dominici portiuncula Corporis non sicca, sicut Dominum egisse novimus, porrigatur, sed Domini infusa Sanguine fidelibus tribuatur. Quo pacto evenit, ut secundum Salvatoris præceptum ejus Carnem edat, Sanguinem bibat, periculum evadat, quem in tanta re offendere oppido formidat.] Ejusdem videtur extitisse sententiæ Guillelmus de Campellis episcopus Catalaunensis, cujus fragmentum refert Mabillonius in Præfatione ad sæculum III. Benedictinum, ubi hæc habet, (quod panis intinctus prohibitus est accipi, ea frivola causa fuit, scilicet pro bucella intincta, quam Dominus Judæ ad distinctionem porrexit.) Cui rationi etiam facit satis Ernulfus. Eumdem quoque ritum approbat Ivo in tractatu de Divinis Officiis, ubi postquam dixit sacerdotem juxta concilii Toletani definitionem intincto pane communicare non debere, sed seorsum Corpore & seorsum Sanguine, addit: (Excepto populo quem intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timoris Sanguinis Christi effusionis, permittitur communicare. Verum qui eodem tempore scribebat Micrologus hanc praxim sua censura notavit. Nam cap. 26. (Non est, inquit, authenticum quod quidam Corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit. In concilio etiam Claromontano sub Urbano secundo cautum est: (Ne quis de altari communicet, nisi Corpus separatim, & Sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem & per cautelam.]

Ubi quod ait (nisi per necessitatem & per cautelam, respexisse videtur ad infirmos & infantes qui intincto pane communicare permittebant, ut constat ex Paschalis papæ II. epistola ad Pontium abbatem Cluniacensem cujus hæc verba: (Novimus enim per se panem, per se vinum ab ipso Domino traditum. Quem morem sic semper in sancta ecclesia conservandum docemus atque præcipimus: præter in parvolis ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.) Eumdem ritum hactenus observant Græci, micam sacrati panis Sanguine intinctam cum cochleari porrigentes; quem an jure reprehenderit Humbertus cardinalis aliorum esto judicium: (Antequam vero Corpus Christi assumant, inquit Allatius lib. 3. de Consensu ecclesiæ Occidentalis & Orientalis cap. 18. quandocunque id agunt, alta voce veniam sibi fieri ab omnibus quos ipsi offenderint junctis in pectore manibus exorant, a quibus sibi dari audiunt, sicque ab omnibus tum amicis, tum inimicis, gratia repetita, ad communionem accedunt.)

Communio infantium.

XIV. De communione infantium diximus cum baptismi ritus exposuimus. Apud latinos jamdiu obsoleta est, hactenus perseverat apud Græcos, cujus ritum accipe ex Jano Nicio Erythræo lib. 7. epist. 24. (Allatius ad interrogata tua, ait, sacerdotes in Græcia infantibus pueris in ipso sanctuarii aditu vestibuloque cum calice quo Christi Corporis & Sanguinis mysteria continentur, occurrere, iisque cochlear in calice intinctum in os, ut lambant, inserere; sed matres vel nutrices paululum a sanctuario recedentes, ipsis mammas præbere, ut cum lacte ore sic abluto deglutiant id quo redditi sunt participes.) Quod de Græcis tradit Allatius, id de Maronitis affirmat Gabriel Sionita in epistola ad Bartoldum Nihusium de quibusdam ritibus Maronitarum: [Dico, inquit, infantibus sacro fonte nuper ablutis & puerulis cochlear solo Sanguine delibutum sugendum exhiberi.) Quandonam vero apud latinos desierit non satis constat; in concilio Turonensi anno 813. celebrato can. 9. interdicitur presbyteris, (ne pueris aut aliis quibuslibet personis astantibus Corpus Domini indiscrete tribuant.) Tametsi ægrotantibus illis sacram communionem dari præcipiant Capitularia Regum Francorum lib. 1. n. 161. (Presbyter, inquiunt, semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.] Vigebat adhuc sæculo XII, quo Guibertus abbas Novigienti lib. 1. de Pignoribus Sanctorum cap. 2. §. 1. hæc habet: (Nuperrime scilicet in pascha præterito, die ipsa, cum eadem festivitas ageretur in urbe nobis contigua Guelforum, mulier quædam ad ecclesiam proprium infantulum suscipiendæ gratia communionis adduxerat), &c. De ea extat insignis locus S. Lanfranci in epistola 33. ad Domnaldum Hiberniæ episcopum. (Credimus enim generaliter omnibus ætatibus plurimum expedire tam viventes quam morientes Dominici Corporis & Sanguinis perceptione sese munire.) In Burdigalensi autem anni 1255. præscribitur, ut pueris in die Paschæ non Eucharistia, sed eulogiæ seu benedictus panis, qui olim in fine missæ his qui non communicaverant distribuebatur, porrigatur. Quod si quæris qua ergo ætate communio permitti debeat pueris? Respondet Anonymus in Carmine ms. quod legi in codice S. Martini Turonensis.

(Non pueris infra bis quinque manentibus annos
Des Corpus Domini, quamvis sint corpore puri:
Quid sumant cum ignorent, ergo prohibentur.
Excipe quos urget fera mors, nam licet his fine
Octo sive novem vel septem, dum sibi constet
Scire *Pater noster*, & eorum vita probata.)

At vero in manuali Henrici episcopi Sistariensis in synodo Sistariensi approbato cap. 16. tom. 4. Anecdotorum, præscribitur ut (moneant sacerdotes parochianos suos, ut pueros a septennio & supra *Pater noster*, & *Credo* doceant, ac in sancto Parasceve ad ecclesiam adducant ad osculandam crucem, & in die S. Paschæ, ut Corpus Christi, prius tamen confessi, recipiant.)

Ceterum communionem sub utraque specie jam ab anno 1261. sustulerant Cistercienses, calicis participatione solis altaris ministris reservata, ut discimus ex edito in capitulo generali ejusdem anni hoc statuto: (Cum ex participatione sanguinis Domini, quam post sanctam communionem solent percipere personæ ordinis in calice, pericula inde veniant gravia, & possint avenire in posterum graviora, ordinat capitulum generale quod monachi, conversi, moniales ordinis, exceptis ministris altaris, ad calicem more solito non accedant.) At vero ipsis etiam altaris ministris communionem calicis sustulit capitulum generale anni 1436. propter rationes in statuto expressas, quas videre potes in tomo 4. nostrorum Anecdotorum pag. 1587. antequam autem ulterius progrediar, hic observare juvat quod scribit Johannes Trithemius in chronico Hirsaugiensi novæ editionis tom. 2. ad annum 1313. his verbis (Multorum consuetudo laudabilis est celebrantium, ut sumturi vivificum corpus Domini tertio pectus tundant, dicentes *Deus propitius esto mihi peccatori*. Et hæc tunsio pectoris, quoniam sinistra fieri manu decenter non potuit, primos institutoris Prædicatorum ordinis, qua dextram haberent ex occupata, ut communicaturi Sacramentum sinistra teneant induxit.)

Purificatio post communionem.

XV. Inter alia accusationum capita quibus ab æmulis impetitus est S. Chrysostomus, unum, teste Palladio, fuit, quod (admonebat omnes, ut post communionem aquam aut pastillum degustarent, ne cum saliva aut pituita aliquid a symbolo sacramenti præter voluntatem expuerent, quod primus ipse faciebat.) At hujus accusationis injustitiam damnavit ecclesiæ praxis, quæ post communionem non nihil panis & vini sive alterius liquoris degustare permittit. Nam & S. Benedictus in regulæ cap. 38. Lectori die Dominica mixtum sumere concedit *propter communionem sanctam*, scilicet (ne aliquid inde sumtum excreans projiciat in sputo,] ut exponit Smaragdus. Similiter & Regula Magistri, quæ ante annos mille scripta est, cap. 24. (Merum, inquit, propter sputum sacramenti accipiat, & incipiat legere.) Observat etiam Henricus Valesius in Notis ad Eusebii lib. 6. cap. 43. „Quod postquam diaconi „ laicis eucharistiam præbere desierunt, concessum illis est, „ ut vinum laicis post communionem præberent: idque colligimus, ait, ex Vita Alcuini de quo vetus scriptor ita „ tradidit; (Necnon cum post communionem Corporis „ Christi & Sanguinis manu propria eis *misceret*, isdem „ Ludovicus humilitate clarissimus præ omnibus patri sancto se inclinans, ejus osculatus est manum.) Aliud hujusce praxeos exemplum nobis exhibet Vita Ludovici Pii imperatoris apud Chesnium tom. 2. qui lecto decumbens jussit [communionem sacram sibi dari, & post hæc cujusdam potiunculæ calidulæ haustum præberi.) In me. etiam Historia dedicationis ecclesiæ S. Michaelis in Gargano monte in codice Majoris monasterii ante annos 700. exarato apposite ad propositum hæc lego: (Ex ipso autem saxo quo sacra contegitur ecclesia ad Aquilonem altaris dulcis & nimium lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ stillam vocant, ob hoc & vitreum vas ejusdem recepitui præparatum argentea pendet catenula suspensum, morisque est populo communicato singulis ad hoc vasculum ascendere per gradus, donumque cælestis degustare liquoris.] Huc facit quod scribit Anonymus Turonensis in ms. Speculo: (Eadem ratione instituit Ecclesia, ut in duabus horis, scilicet ad Tertiam & ad Nonam, missa celebretur; ad Nonam in jejuniis, ceteris diebus ad Tertiam, ut finita missa statim ad prandium veniatur, ne communicati vel spuendo peccent, vel vomitum incurrendo. Hinc est quod in die Paschæ solent laici statim post communionem comedere in salsamento de quadam herba facto, quæ vulgo tenezeja dicitur, quæ vomitum reprimit, & ut ova hujus herbæ magis succo imbuantur, nocte una vel amplius in hujusmodi jacent salsamento.) Verum hoc ex sputo procedens ejiciendæ eucharistiæ periculum non tanti ducebat Amalarius, cujus hac de re epistolam ad Guntardum legere potes in Spicilegii tomo 7.

Reliquiæ panis Eucharistici.

XVI. Restat ut de consecrati panis reliquiis aliquid addamus; nam communicandæ infinitæ hominum multitudini non parva quantitas panum consecraretur, nonnumquam accidebat, ut communioni plurimæ superessent. Quæritur ergo quid de illis fieret? Sed hac in re non una extitit omnium ecclesiarum consuetudo. De Jerosolymitana unde Christianæ religionis sumsit exordium, ita scribit Humbertus Cardinalis in responsione adversus Græcos: (Si quid ex sancta & venerabili Eucharistia in Jerosolymitanis ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in pyxidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidie communicant ibi, eo quod conveniunt illuc ex diversis provinciis christiani, qui propter fidem & maximum amorem Filii Dei communicare ibi desiderant) De Constantinopolitana

politana audiendus est Evagrius lib. 4. cap. 36. (Vetus est, inquit, consuetudo Constantinopoli, ut quoties ex sacris partibus immaculati Corporis Christi Dei nostri, magnus numerus superfuerit, pueri impuberes ex iis, qui grammaticorum scholas frequentant, avocentur, qui eas manducent,) quæ consuetudo adhuc vigebat tempore Nicephori, qui ipsa testatur in Historiæ Ecclesiasticæ libro 17. cap. 25. Eamdem in Galliis invexerunt Patres concilii II. Matisconensis edito hoc canone 6. (Quæcumque reliquiæ sacrificiorum post peractam missam in sacrario superfedarint, quarta & sexta feria innocentes pueri ab illo cujus interest ad ecclesiam adducantur; & indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant.) Inter canones Arabicos concilii Nicæni decimus nonus de reliquiis Eucharistiæ statuit, ut quoties fiunt commemorationes in ecclesiis, & monasteriis, & martyrum ædibus, & aliquid eucharistiæ residuum fuerit, ab honoratior sacerdotas in sequentis diei mana antequam communicent. Si autem residuum multum fuerit, partiantur illud inter se, & unusquisque suam sumat portionem, unica tantum vice per modum unius boli.) Denique exstat apud Reginonem lib. 1. de Ecclesiasticis Disciplinis cap. 195. sub nomine S. Clementis papæ hic canon: (Certe tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur; sed cum timore & tremore clericorum diligentia consumantur. Qui autem residua Corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes cibos conveniant, nec putent sanctæ portioni commiscare cibum, qui per aniculos digestus in secessum emittitur. Si igitur mane Dominica porrigitur, usque ad sextam jejunent ministri qui eam consumserint. Et si tertia vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperam. Sic secreta, sanctificatione æterna custodienda sunt sacramenta.)

XVII. Hæc sunt maxime quæ de communione aliisque ritibus liturgicis scribenda habebamus; quæ quidem quanta potuimus brevitate percurrimus; nam plure longe adjicere potueramus, nisi argumentum istud multo accuratius pertractasset claræ memoriæ eminentissimus Cardinalis Bona; cujus lucubrationes omnium eruditorum manibus merito teruntur. Plures etiam minutias prætermisimus, tum ne legentibus tædium harum relatione generaremus, tum quia ex sequentibus ordinibus satis suparque intelligi queunt. Facta communione, dicitur oratio ad complendum: tum solemnis benedictio populo impertitur, sed (in Ecclesia Lingonensi non datur in missis solemnibus tam canonicorum quam præbendariorum benedictio, sed solum ab episcopo datur,) inquit Ordinarium ejusdem ecclesiæ, id quod etiam usu receptum esse in Ecclesia Autissiodorensi & apud Cartusienses audivi. In antiquis statutis ordinis Grandimontensis tempore Guillelmi Pallicerii primi abbatis editis cap. 57. decernitur ut (per totum ordinem post missas fiat a sacerdote benedictio cum cruce & patena calicis super fratres & populum qui missas audiverint vel ad missam venerint.) Evangelium S. Johannis quod missæ hodie finem imponit, in pluribus ecclesiis omnino prætermittitur, aut ab ipso sacerdote ad sacristiam revertendo recitatur.

ARTICULUS XI.

In quo antiqua expositio missæ Romanæ ante annos nongentos scripta refertur.

HActenus sacræ liturgiæ ritus pro modulo nostro prosecuti sumus; & quidem more historico, omissis variis aorum, quæ profarri potuissent, mysticis explicationibus, tum quia hujus sæculi viris eruditis minus sapere solent, tum quia videri possunt apud auctores non paucos, qui permultos nec omnino spernendos hoc de argumento tractatus edidatunt: ne quis tamen nostrem hac in re operam desideret, antiquam missæ Romanæ expositionem ex ms. codice monasterii S. Albini apud Andegavos ante annos septingentos scripto, hic visum est exhibere, quam saltem vel propter sui antiquitatem religiosis lectoribus haud ingratam fore sperare licet: hanc enim nongentos annos superare credimus, scriptamque priusquam in Galliis liturgiæ Romanæ ritus invaherentur tria persuadere videntur. Primo, titulus ipse: nam *Expositio missæ Romanæ* idcirco inscripta apparet, ad distinctionem aliarum liturgiarum quæ erant tunc in usu & maxime Gallicanæ. Deinde *Contestationis* vocabulum, quod auctor usurpat ad significandam præfationem, quæ illo nomine nuncuperi solet in liturgia Gallicana. Tandem auctor de dimissione catechumenorum, tamquam de ritu suo adhuc tempore usitato loquitur sub finem in hunc modum: (Missa autem proprie tempore sacrificii est, quando catecumini foras mittuntur, clamante levita: Si quis remansit, exeat foras.) Qui ritus si jam antiquatus fuisset, cum auctor ille scriberet, non *mittuntur* sed *mittebantur* dixisset.

EXPOSITIO

MISSÆ ROMANÆ

AUTHORE ANONYMO

QUI ANTE ANNOS NONGENTOS SCRIPSISSE VIDETUR.

QUotiens contra se diversarum atque adversarum partium acies & castra consistunt, solent turmarum principes suos quisque subditos confortatoriis sermonibus admonere, antiquas patentum victorias & facta fortia replicare, Deum semper in tribulationibus fieri adjutorem, non esse apud eum differentiam salvare vel in multitudine vel in paucis, ut dum bellatori milites verba exhortantis principis audientes, nonnullas ex parentum exemplis vires recolligunt, de Deo maximas sperant, atque humiliter ad debellandum adversariorum castra procedunt, Dei se totos arbitrio committentes ipso in omnibus præliante victoriam consequantur, buccina etiam inter ipsa bellantium certamina clangitur, quo semper animos ad spem victoriæ excitetur; & quanto vehementior fuerit clangor, tanto fit ad certamen animus fortior. Secundum hanc itaque militarem consuetudinem in celebrandis quoque missarum solemnitatibus ab ecclesiarum principibus institutum est, ut primo quidam antiphonæ ad introitum plenæ Dei laudibus & victoriis mediante sanctæ atque individuæ Trinitatis gloria decantentur. Deinde *Gloria in excelsis Deo*, dicatur, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Hinc prophetica vel apostolica lectio, sancta & salubri admonitione plenissima recitetur, quam & prophetarum & apostolorum omnium Domini doctrina evangelica more tubæ prolixius atque altius concrepans consequatur. Interpositis sane cantilenæ suavitatibus ac Dei laudibus sublimius modulatis. Sed cur singula prosequamur, cum constant nos semper orare debere, & numquam deficere. Quid autem orare debeamus ipse Dominus & Salvator noster edicit: *Vigilate & orate, ut non intretis in temptationem*, quod etiam princeps apostolorum Petrus admonet dicens: *Sobrii estote & vigilate in orationibus*, ad quid? *quia adversarius*, inquit, *vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret:* Si ergo vigilandum nobis est & orandum ut non intremus in temptationem, temptatio autem per diabolum adversarium nostrum nobis intenditur, manifestum est contra quos nobis sit hostium acies dimicandum, & quas bestias apostolus Paulus oculis, ut ita dixerim, nostris proponit eum dicit, *non est nobis conluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cælestibus*. Hi sunt illi fortissimi atque experientissimi hostes qui nisi orationis assiduitate nequaquam debellari, monente nos eodem Apostolo ac dicente: *Sine intermissione orate*. Ad hanc igitur pugnam in domum Domini sacris sollemnitatibus convenitur, ipso Domino sic loquente, *Domus mea domus orationis vocabitur*. Sed quoniam animus ad multa divisus, tumultibus curarum sæcularium perturbatus, & non statim ut ecclesiam ingredimur, omnium mundi hujus sollicitudinum possumus oblivisci, quo prius & attentius poriorem atque attentiorem orationem ad Dominum fundera valeamus, quod antiphona ad introitum decantatur, & suavi modulatione interposita, nec non & *Kyrie eleyson*, id est Domine miserere nobis, & *Christe eleyson*, id est Christe miserere nobis flebilibus ac prolixioribus vocibus conclamatur, lectio prophetica vel apostolica & evangelica recitatur, præparatio est & excitatio animorum, ut animus populi a mundanis cogitationibus his omnibus paulatim avulsus ad cælestia cogitanda ac desideranda trahatur, quatinus eo tempore quo a sacerdota salutatus admonatur, ut sursum habeat cor, verissime valeat respondere, habemus ad Dominum. Nam si tempore hujus tam arduæ responsionis animus cujusquam curis sæcularibus degravatur ac premitur, & se sursum habere cor ad Dominum mentiens protestatur; inde incurrit pœnam, unde potarat veniam promereri, inde ab hoste prosternitur, unde hostem poterat superare: scriptum est enim, *Os quod mentitur occidit animam, & pedes omnes qui loquuntur mendacium*. Purificandus est itaque orantium ani-

animus, & cum Dei adjutorio ad cælestia cogitanda ac desideranda levandus, ut & pœnam mendacii possit evadere, & hostes suos quanto fortius orando debellaverit, vel prosternere vel fugare. Sciendum enim quod sicut vita corporis anima est, ita vita animæ Deus est, & sicut recedente anima moritur corpus, ita recedente Deo moritur anima. Si autem os quod mentitur occidit animam, ergo & os quod verum dicit vivificat animam. Ore igitur mentiente, recedente Deo, moritur anima: ore vero vera dicente, accedente Deo, vivificatur in illis duntaxat sermonibus qui & boni sunt & ad ædificationem opportunitatis proferuntur, & audientibus gratiam dant, tantum denique merebitur cujusque tunc ex circumstantibus anima Deo miserante vivificari, quantum sursum se habere cor veracius ore responderit: & tanto amplius Dei offensione mortificabitur, quanto id in conspectu ejus mendacius præsumpserit respondere. Illud etiam summopere advertendum est, quod corpus humanum cum & oculos habeat, & aures, & nares, & os, & manus, & pedes, desertum tamen ab anima neque oculis videre, neque audire auribus, neque naribus aliquid odorare, neque ore quicquam gustare, neque manibus valet aliquid operari, neque pedibus ullatenus ambulare, anima quippe manens in corpore & per oculum videt, & audit per aurem, & naribus aliquid odoratur, & loquitur per os, & manibus aliquid tangit, & pedibus ambulandi gratiam subministrat. Cum igitur oculus animæ res illa sit qua Deus vel intelligitur, vel videtur, auris qua voci ejus humiliter obeditur, nares quibus bonus Christi odor percipitur, os quo suavitas ejus gustatur, manus qua operatur aliquis opus Dei, pes quo in eodem opere proficere non desistit, Deo qui animam vivificat ab anima recedente, nihil horum sine illo anima valet, nam neque mundo corde Dominum potest vel intelligere vel videre, neque inclinare aurem suam in verba oris ejus, neque odorem notitiæ ipsius in vitam percipere, nec gustare & videre quam suavis est Dominus, nec aliquid boni operis vel meditari, vel exequi, nec dilatato per caritatem corde viam divinorum currere mandatorum; sicut enim corpus hominis ab anima vim accipit aliquid faciendi, sic etiam anima vim cujuscumque boni semper a Deo accipit, quam deinceps corpori subministrat, unde & sacerdos post omnia quæ supra memoravimus populi oblatione suscepta, ac Deo interim oratiuncula commendata, in hanc protinus vocem erumpit,

DOMINUS VOBISCUM.

NEc vero vel sursum corda nostra erigere, vel dignas Deo gratias agere, vel ut nostræ voces laudibus virtutum cælestium conjungantur valeamus obtinere, nisi cum animæ nostræ Deus fuerit vita, videlicet sua: quod etiam Dominus Jesus qui de semetipso ait, *ego sum via, & veritas, & vita*, ascensurus in cælum discipulis suis promisit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, & quodam loco in evangelio ait: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum*. Salutat igitur sacerdos populum cum dicit: *Dominus vobiscum*; & orat ut sicut ipse est dignatus promittere, sit cum ecclesia sua, in qua non solum duo vel tres congregantur in nomine ejus, verum etiam innumerabilis hominum in se credentium multitudo. Hoc autem salutationis verbum, id est *Dominus vobiscum*, non humana excogitatione factum atque compositum, sed cælesti & divina auctoritate susceptum est nam & in veteri testamento legitur quod Gedeon unus judicum populi Israel ab Angelo salutatus audierit, *Dominus tecum, virorum fortissime*: & in novo beatam & gloriosam semper Virginem Dei genitricem Mariam his verbis Angelus scribitur salutasse; *Ave maria gratia plena, Dominus tecum*. Et iterum dicit per Malachiam prophetam: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus quia Angelus Domini exercituum est*. Si ergo sacerdos scientiam custodiens & legis Dei præcepta plebi adnuntians, Angelus Domini exercituum est: dignissime omnino & consequenter eis populum verbis salutat, quibus & illi cælestis patriæ spiritus, Angelorum vocabulo & dignitate donati, homines, quibus aliqua nuntiare missi sunt, salutasse leguntur. Neque hoc nomine quilibet sacerdos infuletur, non enim dictum est quod omnis sacerdos Angelus Domini exercituum est, sed ille videlicet solus, cujus & labia custodiunt scientiam, & ex cujus ore lex Dei requisita docetur. Studeat ergo imprimis qui hoc nomine delectatur, scientiam divinæ legis habere per intellectum, & custodire per operationem: studeat eamdem legem Dei, quam & intelligit & operatur, populo nuntiare; & tunc demum tanto aliquis vocabulo dignum se esse non dubitet, ut scilicet Angelus Domini exercituum nominetur & sit. Illud etiam nullatenus prætermittendum puto, quod ab episcopis populum salutantibus non solum *Dominus vobiscum*, verum etiam *pax vobiscum* vel *pax vobis* soleat exclamari: Enim vero neque hoc a magno mysterio vacat; dicit namque Dominus in evangelio de se ipso; *Ego sum pastor bonus*, & paulo post: *sicut novit me pater & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis*: nec non & post resurrectionem suam easdem oves suas commendans Apostolis, ait ad beatissimum Petrum: *Pasce oves meas*, in quibus pascendis, ut se quoque pro eis moriendo imitaretur adjunxit: *Cum esses junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis. Hoc autem dixit*, inquit Evangelista, *significans qua morte clarificaturus esset Deum*. Constat igitur Dominum Jesum-Christum pastorem bonum relicturum mundum & rediturum ad Patrem, pascendum oves suas Petrum, & in Petro ceteros coapostolos Petri, nec non & omnes Apostolorum successores, id est episcopos, loco proprio reliquisse, eos videlicet qui caritate & ætate Petri curam suscipiunt Petri, id est non solum principem pastorum Dominum Jesum plus ceteris diligentes, verum etiam pro ovibus sibi creditis mortem subire parati. Hi ergo summi pastoris loco & vice agentes, consequenter oves sibi creditas ejusdem summi pastoris voce salutant: scriptum est enim in evangelio, quod foribus clausis Dominus ad discipulos suos ingrediens, atque in medio eorum consistens, hoc eos sermone salutaverit dicens: *Pax vobis*, in aliis quoque locis idem fecisse non ignoratur. Salutant ergo episcopi populum voce summi pastoris, ut ostendant se loco summi pastoris oves ejus non solum pascere debere, verum etiam pro eis mortem libenter amplecti. Tam sancta itaque & salubri oratione ac salutatione sacerdotis libenter accepta, ne salutationi ejus videatur ingratus existere, resalutat populus sacerdotem dicendo.

ET CUM SPIRITU TUO.

ORat autem ut Dominus cum spiritu etiam sacerdotis esse dignetur. Non parvam ergo resalutatoris gratiam sacerdos a populo accipit, sicut enim totus ille salutans Dominum, ut cum omnibus esse dignetur oravit; ita etiam ab omnibus ipse resalutatur orantibus, ut Dominus cum spiritu ejus sit, scilicet ut Dominus, sicut totus cum omni populo est, ita etiam cum spiritu sacerdotis totus sit: spiritus enim est Deus, & ideo ut cum spiritu sacerdotis sit a populo exoratur.

SURSUM CORDA.

TAm benevole ac reverenter sacerdos a populo resalutatus, admonet eum ut sursum habeat cor: quatenus accipere quod postulat a Domino mereatur. Neo vero deorsum cor habentes aliquid possumus desursum accipere: quid est autem sursum habere cor, nisi quæ sursum sunt quærere, ubi Christus est in dextera Dei sedens? Quid est sursum habere cor, nisi quæ sursum sunt sapere non quæ super terram? *Mortui enim estis*, inquit Apostolus, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Vitam igitur nostram quæ cum Christo in Deo abscondita est mortificatis omnibus terrenis concupiscentiis, suspirare debemus, & ad illam semper corda nostra erigere: quod illi non faciunt, qui mundum, & ea quæ in mundo sunt, diligunt: *Omne enim quod in mundo est*, ut Joannes apostolus ait, *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*: quæ non ex Patre, sed ex mundo est. Quisquis ergo concupiscentias carnis, & concupiscentias oculorum in semetipso non mortificat per continentiam; sed magis vivificat per incontinentiam, ille diligit mundum, & ea quæ in mundo sunt: qui autem diligit mundum, sicut idem Apostolus ait, non est dilectio Patris in illo: & ideo debemus diligere Dominum Deum nostrum ex toto corde nostro, & ex tota mente nostra, & ex tota virtute nostra, & proximos nostros, omnes videlicet homines sicut nos ipsos: si enim hoc Dei gratia inspirante voluerimus implere, nullum in corde vel mente nostra locum mundi dilectio poterit invenire, sed calcatis atque mortificatis omnibus mundanis concupiscentiis, verissime hæc admonenti sacerdoti poterunt responderi.

HABE-

HABEMUS AD DOMINUM.

NEc parva nobis, si cor sursum habere curaverimus, merces promittitur: ait enim supra memoratus Apostolus contra eos quidem qui mundum & ea quæ in mundo sunt diligunt, *& mundus transit & concupiscentia ejus*. De illis vero, qui Deum ex toto diligere student: *Qui autem fecerit voluntatem Domini, manet in æternum, sicut & ipse manet in æternum*. Qui ergo cor deorsum inclinant, & mundum concupiscentiasque ejus brutorum animalium more sectantur, transeunte mundo & concupiscentiis ejus, ipsi etiam pariter pertransibunt, non ubi feliciter maneant, sed ubi infeliciter ac miserabiliter pereant in æternum. Qui autem corda sua per dilectionem ad Deum erigunt, & vitam suam cum Christo in Deo absconditam semper desiderant, possuntque dicere cum Paulo apostolo, *quia autem jam non ego, vivit vero in me Christus*: Et *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*: Et *nostra autem conversatio in cælis est*, illi sine dubio voluntatem Domini faciunt. Hi ergo cum mundo & concupiscentiis ejus transeuntibus non transibunt atque peribunt, sed manente Domino in æternum, quia voluntatem ejus fecerunt, & ipsi pariter in æternum manebunt.

GRATIAS AGAMUS DOMINO DEO NOSTRO.

BEatus Baptista Joannes in evangelio dicit: *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo*. Ac ne putares te aliquid habere posse quod non acceperis, hanc ipsam sententiam Paulus implet: *Quid enim habes quod non accepisti?* Et item ad discipulos Salvator ait: *Sine me nihil potestis facere*, quo in se loquente, beatus Jacobus apostolus ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Si ergo non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de cælo, nihil autem habet quod non acceperit, unde tantam dilectionem vel accipere poterit vel habere, qua cor suum ad Deum semper habeat, nisi data fuerit ei de cælo? & si sine illo nihil possumus facere, per quem possumus mundum & quæ sunt in mundo despicere, & soli Deo ex totis mentis & corporis viribus anhelare, nisi per eum sine quo nihil possumus? Aut quomodo sursum cor erigere possumus, unde omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit a Patre luminum, nisi ipso Patre luminum tantum nobis donum suæ gratiæ conferente? Hortatur itaque sacerdos, ut qui tanta beneficia a Deo percepimus pro acceptis beneficiis datori beneficiorum Deo ingrati non simus, sed condignas ei gratias pro acceptis tantis beneficiis exhibentes non nobis tribuamus quod fecimus, sed illi qui operatur omnia in omnibus, quique operatus in nobis & velle & operari pro bona voluntate, ut dum nos recognoscimus nihil a nobis habere, totumque ad Deum referimus quod eo donante accepimus, & humilitatis nostræ memores in superbiam non levemur, per quam in judicium diaboli incidamus; & in omnibus honorificetur Deus, per quem hanc ipsam quoque humilitatem habemus. Tam sancta igitur & salubri admonitione populus libenter accepta, sacerdoti cum magna devotione respondet.

DIGNUM ET JUSTUM EST.

NIhil indignius quam largitori omnium beneficiorum Deo de beneficiis suis quemlibet ingratum existere. Nihil profecto est dignius, quam ei etiam pro gratiæ suæ donis omni semper humilitate gratias agere, per hoc enim non solum nos memores nostræ humilitatis efficimur, & ipse in omnibus collaudetur, verum etiam majora apud illum & abundantiora beneficia & promeremur & obtinemus. Quid est autem injustius quam pro Dei beneficiis contra ipsum rebelli & superba mente tumescere? Denique proximis nostris ex lege Dei jubemur malum pro malo non reddere. Si ergo injustum est proximo malum pro malo reddere, quanto injustius esse putamus factori & liberatori nostro & proximorum nostrorum Deo reddere mala superbiæ pro bonis gratiæ suæ? Post hæc sacerdos jam de populi devotione securus, responsionem ejus verissime attestatione confirmans, unde & sequens oratio, nisi fallor, contestata in commune vocatur, mentem suam etiam ipse totam erigit sursum, atque in his verbis excelso supplicat Deo.

VERE DIGNUM, &c. USQUE AD GRATIAS AGERE.

OMnes enim peccaverunt, inquit Apostolus, *& egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu*. Dignum itaque procul dubio est, ut qui omnes peccantes justificavit gratis per gratiam suam, gratias sibi ab omnibus actas recipiat: justum omnino est, ut quia omnes peccaverunt, & omnes gloria Dei egent, & gratis per gratiam ipsius justificati sunt, quando meritum habere non potuerunt; saltem gratias agere non desistant: in tantum denique & justum est munus apud Deum actio gratiarum, ut non solum hoc a nobis in præsentis vitæ corruptibilitate constitutis requirat; verum etiam in futuro, ubi corruptibile hoc indutum erit incorruptione, & mortale hoc indutum erit immortalitate, & sine intermissione videbitur Deus Deorum sicuti est, attestante propheta, qui ait: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Sed quoniam laudes & gratiæ Deo a nobis redditæ, non Deo sed nobis proficiunt; ideo in hac tanta supplicatione subjungitur, *Æquum & salutare*, nam æquus est secundum naturam, justus dictus ab æqualitate naturæ. Condidit autem Deus hominem nulla pravitate perversum, sed omni bonitate rectum & æquum, ad imaginem scilicet ac similitudinem suam, ut non modo in illa terrena felicitate paradisi sobrie, juste, & pie viveret, verum etiam in majori quandoque & spiritali felicitate constitutus, Creatorem suum sine fine laudaret. Æquum est ergo ut si volumus secundum naturam nostram justi esse illud semper ad quod creati sumus facere studeamus, id est & in præsenti vita secundum æqualitatem naturæ nostræ viventes, Creatori nostro de beneficiis suis incessabiles gratias referamus, atque ut in futura id ipsum incessabiliter faciamus, & toto semper affectu desideremus: Hoc enim in tantum nobis salutare est, ut aliter salvi fieri nullatenus valeamus. Quia igitur æquum est, debemus hoc ex naturæ debito proprio Creatori: quia vero salutare est, necessarium etiam sine dubio nobis est ad æternam salutem. Quotiens ergo, ut supra dictum est, Deo laudes & gratias agimus, ipsi quidem hoc & ex naturæ debito & ea necessitate nostræ salutis exsolvimus, sed illi qui in nullo indiget nihil proficimus. Nobis autem si hoc negligimus in quantum deficiamus in primi parentis nostri lapsu, quicumque voluerit poterit perpensare: ille namque ad imaginem & similitudinem Dei conditus, ad æqualitatem & societatem angelorum quandoque perducendus, ad visionem & laudem conditoris proprii sublevandus, paradisi cultor, omnium & piscium maris, & volatilium cœli & bestiarum, universæque terræ dominator, peccata cavens, justitia abundans ubi primum per superbiam depravatus non solum suo ingratus extitit Creatori, verum etiam Deo similis immo Deus fieri concupivit, non modo ad illam futuram sui felicitatem non attigit, sed & quam tenebat amisit, & miserias mortalitatis & fragilitatis & calamitatis tantas invenit vel incidit, quantas sentiendo potius ac videndo, quam legendo, tam in se quam in aliis unusquisque cognoscit. Ut ergo ab hac miserrima infelicitate ad illam beatissimam felicitatem attingere valeamus, dignum coram Deo & justum est, æquum nobis & salutare est, Deo & Patri nostro semper & ubique gratias agere: semper, ut neque de adversis murmuremus, neque de prosperis in superbiam erigamur, sed & adversa nobis ex debito peccatorum nostrorum venire, & prospera ex divina dignatione & misericordia provenire cognoscentes; & de paternis flagellis Dei ut nobis proficiant ad salutem; & de gratuita bonitate ejus ne nobis proficiant ad ruinam, & semper mansueti atque humiles indesinenter gratias referamus, ut impleatur in nobis quod propheta ait, *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Tunc denique fiet ut & ubique, id est in omni loco id ipsum faciamus. Neque vero in illo mundi hujus loco consistere possumus, ubi non vel prosperis recreemur, vel affligamur adversis. Quod autem sequitur.

DOMINE SANCTE PATER OMNIPOTENS ÆTERNE DEUS.

CUm & Dominus sanctus, & Pater omnipotens, & æternus Deus idem sit non ex superflua verbositate repetitus, sed ex magna ejus veneratione totiens proclamatus, si quidem sunt, ut ait Apostolus, Dii multi & Domini multi: omnis enim qui servum habet etiam Dominus jure vocatur; sed homo Dominus hominem servum habens servi semper indiget famulatu: ille autem so-

lus Dominus sanctus est, cui propheta humiliter canit, & dicit: *Dixit Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Homo ergo Dominus servi indigens servitute, Dominus esse potest, quia servum habet, Deus esse non potest, quia indiget servo. Deus autem Dominus nullius indigens servitute, & Dominus est, quia sicut psalmista ait, omnia serviunt ei; Deus est, quia nullius indiget famulatu; unde etiam & Dominus sanctus vocatur. Sicut enim vasa Domino consecrata, & panes propositionis, & sacerdotalia vestimenta, & sacrificiorum carnes in veteri testamento sancta dicuntur, eo quod a nemine contrectari vel comedi, vel indui debeant, nisi a solis quibus ex Dei lege concessum est, e ceteris vero omnibus omnimodis separentur ita Deus Dominus sanctus dicitur, quia ejus videlicet dominatio e dominatione humana sine ulla est comparatione disjuncta, qui etiam Pater omnipotens Deus, ut præter illum nullus esse Pater omnipotens cognoscatur: namque homines ut patres suorum esse valeant filiorum, necessario prius filii sunt patrum suorum. Deus autem Pater omnipotens dicitur, quia non solum per Filium omnia ex nihilo potuit creare, omnia cum ipso valet sine labore aliquo gubernare, verum etiam Filium sibi coæternum Pater ipse tantum, non etiam Filius ea propria substantia potuit sine imminutione vel mutabilitate aliqua generare: ipse est enim Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui & coæternum sibi Filium genuit, & ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur. Æternus quoque Deus dicitur, quia sunt, sicut ait Apostolus, dii multi, de quibus in psalmo scriptum est: *Deus deorum Dominus locutus est*; *& Ego dixi dii estis*. Et, *quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes Deos*. Sunt ergo sancti angeli Domini, sunt etiam & sancti homines dii, sed Dii nomine nominantur, non æternitate, sed gratia, nam æternum esse non potest quod commutabile factum est. Si autem sancti angeli a Deo creati non essent, nullatenus diceremus, *Benedicite omnia opera Domini Domino*; & statim subjungeremus, *Benedicite angeli Domini Domino*; quod enim a Deo creatum non est, consequenter etiam opus Dei non est: item cum propheta non solum Virtutes, solem & lunam, stellas omnes, & lumen, cælos cælorum, & aquas quæ super cælos sunt ad laudem nominis Domini, sed & angelos quoque omnes invitat: additque, *quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt*, liquido satis ostendit ut cetera quæ subjunxit, ita etiam angelos Dei esse creaturam atque facturam, & nisi iidem commutabiles creati fuissent, nequaquam eorum pars non modica per superbiam cecidisset, quæ angelica perdita dignitate diabolicam incurreret infelicitatem. Jam vero de omnibus quod & creati, & commutabiles sint, qui nescit, non homo, sed pecus est. Deus ergo qui & initio caruit & fine carebit, nihil recipiens varium, nihil habens occiduum, omnium Creator a nullo creatus, solus vere ac singulariter est æternus. Huic igitur Domino sancto Petri omnipotenti, æterno Deo, non per culpam primi parentis etiam indigentes, infirmi, & temporales effecti, nullas per nos ipsos vel laudes vel gratias agere valemus: sed quoniam unigenitus Filius Dei Deo Patri æqualiter sanctus, æqualiter omnipotens, æqualiter æternus, inter nos & illum factus est mediator, per ipsum & quicquid gratiæ cælestis habemus accipimus, & per ipsum Deo Patri de beneficiis suis quæ nobis per Filium contulit gratias agere debemus; sicut enim nihil a nobis habemus, sic neque per nos de aliquo gratias agere possumus: nam Deus cum sit in seipso justus, & immortalis, nos autem in nobisipsis injusti atque mortales, nec per justitiam suam poterat parcere Deus injustis, nec per immortalitatem suam ullatenus subvenire mortalibus. Deus ergo Dei Filius ut misericorditer redimeret quos juste si vellet puniret, mortalitatem nostram immortalis accepit, ut esset ubi mortem nostram quam nos injusti juste incurrimus injuste gustaret justus, ac diabolus cujus invidia mors intravit in orbem terrarum, unum justum injuste occideret omnes injustos quos quasi injuste videbatur occidere perderet; non enim primos parentes nostros in paradiso ut de ligno vetito comederent terroribus compulit, sed fraudulentis promissionibus persuasit: non vim intulit, sed consilium dedit, ac per hoc quasi juste hominem possidebat, cui sese homo sponte subdiderat. Deus igitur Dei Filius *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem, autem crucis: propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris....* Est enim mediator Dei & hominum *Homo Christus Jesus*: qui si purus Deus esset, non esset alius apud quem intercederet: si purus homo, non esset qui reconciliare valeret: Jungo porro ut sit Deus in Christo, & est mundum reconcilians sibi, ipse videlicet penes quem agendum est, ipse qui agit, sit idem missus, & idem regressus, sicut ipse judicatus & ipse judicaturus. Sedet itaque ad dexteram Patris, sicut aic Apostolus, & interpellat pro nobis, ut sacerdos videlicet noster, cui dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, qui in terra positus tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis, ut & nos possemus exhibere corpora nostra hostiam viventem, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum, non vitulos, non sanguinem taurorum aut hyrcorum, quia scriptum est, *non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hyrcos*; & *numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hyrcorum potabo*; sed illud quod sequitur, *Immola Deo sacrificium laudis & redde Altissimo vota tua*: istæ enim sunt illæ spirituales hostiæ acceptabiles Deo, quas nos princeps apostolorum Petrus Deo per Jesum Christum dicit offerre debere, ad quas spirituales hostias quia etiam actio pertinet gratiarum, vere dignum & justum est, æquum, & salutare, nos semper & ubique Domino sancto Patri omnipotenti æterno Deo gratias agere,

PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM.

VEre enim ille Dominus noster est, qui nos non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso sanguine suo de servitute diaboli, & vana nostra conversatione redemit, de quo etiam pretio beatus Paulus apostolus ait: *Et non estis vestri, empti enim estis pretio magno*. Igitur non sumus nostri, sed sumus servi ejus, qui nos emit pretio magno sanguinis sui. Sequitur:

PER QUEM MAJESTATEM &c. usque EXULTATIONE CONCELEBRANT.

ANgeli græce vocantur, latine vero Nuntii interpretantur ab eo quod Domini voluntatem hominibus nuntiant. Angelorum autem vocabulum officii nomen est, non naturæ: semper enim spiritus sunt; sed tunc solummodo vocantur Angeli cum mittuntur, Dominationes verum quidam cælestis patriæ spiritus ideo vocantur, quia ceteris Angelorum inferioribus agminibus dominantur. Potestates sunt quibus virtutes adversæ subjectæ sunt, & inde potestatum nomine nuncupantur, quia maligni spiritus eorum potestate coercentur, ne tantum noceant quantum cupiunt. Virtutes illi Angeli dicuntur, per quos signa & miracula in mundo fiunt, propter quod & virtutes appellantur. Seraphim quoque similiter est multitudo Angelorum, qui ex hebræo in latinum ardentes vel incendentes interpretantur. Idcirco autem ardentes vocantur, quia inter eos & Deum nulli Angeli consistunt, & ideo quanto vicinius coram eo consistunt, tanto magis claritate divini luminis inflammantur. Angeli igitur sancti qui post lapsum diaboli & Angelorum ejus perseverentia æternæ beatitudinis solidati sunt, & tantum firmitatis vigorem consecuti, ut nullo jam lapsu aversi, nulla superbia cadentes, sed firmiter in Dei amore & contemplatione manentes nihil aliud dulce habeant, nisi eum a quo creati sunt, qui etiam & locis & singulis hominibus præsunt: hi, inquam, tam laudabiles divinæ majestatis ministri, de quibus etiam Dominus & Salvator noster in evangelio ait quod semper videant faciem Patris, pro tanta sui dignitate non se ipsos laudant, nec propriam gloriam quærunt, sed majestatem Patris, cujus hæc omnia gratia perceperunt. Hos ergo & nos homines in quantum possumus imitantes, non extollamur pro donis gratiæ Dei, sed potius ipsi pro donis suis laudes incessabiles referamus. Si enim illi qui tanta jam firmitate donati sunt, ut nullum omnino casum pertimescant, tota se semper reverentia divinæ majestati submittunt, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis, qui, ut beatus Job ait, *quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet*, omni se humilitate proprio semper debet subdere Creatori, illum laudans semper, & semper justificans; se vituperans semper, & semper accusans? & si illi cælestis patriæ spiritus, qui Dominationem vocabulum sortiuntur, eo quod ceteris Angelorum agminibus dominentur, non se de sua dominatione extollunt, sed majestatem proprii Creatoris reverenter adorant: quanto magis

homo

homo aliis prælatus hominibus, nullatenus debet inflari, sed humili semper animo cogitare, quia & suus & subditorum sibi Dominus est in cælis; si enim, ut Psalmista ait, *universa vanitas omnis homo vivens*, quid superbit terra & cinis? & qui potestates quæ a diabolo & angelis ejus, quos beatus Job appellat horribiles, metuuntur, quique earum potestate coerciti non possunt tantum nocere quantum cupiunt: si hæ, inquam, tam fortes, tam potentes, & tam metuendæ potestates cum omni tremore divinæ majestati se subdunt, & tantam sui dignitatem ad gratiam referunt conditoris: quanto magis homo, qui non solum malignos spiritus ne ab eis vincatur, verum etiam ipsos quoque vermiculos pertimescit, timorem Dei ante oculos semper habere, illum semper etiamsi ab aliquo timeatur, tremere ac perpavescere debet? Quod autem dicitur cælos cum cælestibus virtutibus majestatem Dei Patris socia exultatione ac laudibus celebrare, ita intelligendum est, quod omnis creatura non voce sed opere laudet Deum, quia ex creatoris consequenter Creatur intelligitur, & in singulis operibus atque effectibus, Dei magnificentia demonstratur. Item quod Angeli laudare, dominationes adorare, tremere potestates dicuntur, non ita accipiendum est, quasi laudantes Angeli majestatem Dei non adorent, nec trement, quod faciunt dominationes & potestates: vel quasi adorantes dominationes non laudent, vel tremant, quod faciunt Angeli, & potestates: aut rursum trementes potestates non laudent vel adorent, quod faciunt Angeli & dominationes: Sed quidquid de singulis dictum est, æqualiter de omnibus sentiendum est, cum enim scriptum sit: *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te*, qui dominationes & potestates habitare in domo Domini credit, Dominum eas in sæcula sæculorum laudare non dubitet: Nam & de virtutibus æque ut de Angelis scriptum est, *laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus*. Rursus cum scriptum sit, *ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*; si omne genu cælestium in nomine Jesu flecti credimus non solum dominationes, verum etiam omnes Angelorum ordines sicut Filium, ita & Patrem non dubitamus adorare. Quod autem majestatem Dei Patris tremere potestates dicuntur, non hoc ex timore supplicii, quod non merentur; non ex timore offensionis Creatoris, quam incurrere jam non possunt; sed ex reverentia & honore divinæ faciunt majestatis. tres enim constat esse timores, supplicii, de quo in psalmo dicitur, *Initium sapientiæ, timor Domini*, hunc enim habent qui pro commissis suis ne a Domino puniantur incipiunt jam timere. Est etiam timor offensionis, quo a dilectoribus suis timetur Deus, ne vel in modico offendatur, de quo dicitur ad Abraham: *Nunc cognovi quod timeas Deum, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me*. Idem etiam alibi perfecta caritas appellatur, sicut scriptum est: *Perfecta caritas foras mittit timorem*, illum videlicet, quem primo loco posuimus, de quo idem Apostolus ait: *Qui autem timet non est perfectus in caritate, quoniam timor pœnam habet*. Tertius timor est ex reverentia & honore procedens, quo nunc tremere Dei majestatem etiam potestates dicuntur, de quo etiam scriptum est: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi*. In futura enim vita nec primus ille, nec secundus erit, sed hic tantum tertius in sæculum sæculi permanebit. Tremunt autem non solæ videlicet potestates, sed omnes etiam cælestis patriæ spiritus: nam cum scriptum sit dicente Domino: *Quicumque honoraverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, manifestum est, omnes cælestium ordines ministrorum idcirco in tantum a Creatore glorificari, quia ipse quoque ab eis omnibus summo tremore ac reverentia honoratur. Denique si non eum honorarent, certum est quod contemnerent; si autem contemnerent, sine dubio non glorificarentur ab eo, sed essent ignobiles, ut diabolus & angeli ejus, qui cum non honorando contempserunt, & se honorando in perpetuæ damnationis opprobrium & contumeliam corruerunt. In sequentibus quoque cum dicitur *cæli cælorumque virtutes ac beata seraphim socia exultatione concelebrant*, manifeste ostenditur, quia ille potestatum tremor non ex timore pœnæ, sed ex reverentiæ honore procedit. Si enim divina majestas ab omnibus tremitur, etiam beata seraphim quæ exultare dicuntur, tremere non dubitantur, & si exultatio beatorum seraphim socia exultatione spirituum ceterorum, apparet quod omnes bonorum ordines spirituum supernorum divinæ majestati & tremant cum exultatione, & exultent cum tremore, illo, inquam, tremore, quos ante trementes sic propheta admonet consequenter ac dicit, *audite verbum Domini qui tremitis ad verbum ejus*. Tam proprie enim ipse dicentis spiritus audientum merita sequestravit, ut cum omnes audirent clamantem; ille tamen sibi hæc intelligeret dici, qui ad Dei verbum non reatu conscientiæ, sed effectu reverentiæ tremuisset. Audi ergo hominem gaudio ac desiderio contremiscentem: *Servite*, inquit David, *Domino in timore, & exultate ei cum tremore*; & quoniam supernorum illa civitas ex Angelis & hominibus constat, ad quam tantum credimus genus hominum ascendere, quantos illic contigit electos Angelos remansisse, sicut scriptum est, *statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei*, superest ut ipsi quoque homines, qui ad cælestem patriam redeunt, ex eis agminibus aliquid illic reverentes imitentur, unde & protinus subinfertur:

CUM QUIBUS ET NOSTRAS VOCES, &c.

ORat enim in his verbis ex omnium persona sacerdos, ut voces hominum Angelorum sermonibus supplici se confessione laudantium jubeat, id est dignetur, cum beata seraphim gratanter admitti, id est recipi vel adsumi. Isaias namque propheta testatur se vidisse Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & seraphim quorum uni sex, & alteri totidem erant alæ, duabus velantie faciem ejus, & duabus velantia pedes ejus, & duabus volantia & clamantia alterum ad alterum, ac dicentia.

SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS,

DOminus Deus sabaoth, plena est omnis terre gloria tua. Imitatur ergo sancta ecclesia in terris posita partem sui, quæ in cælis est constituta, non solum quod Deum supplici confessione conlaudat, verum etiam quod iisdem verbis ac sensibus easdem laudes concelebrat: consequens enim est, ut sit una laudatio, quorum futura est una eademque in domo Domini habitatio. Quod autem tres *Sanctus* in Dei laudem dicimus, Trinitatem personarum in unitate divinitatis ineffabili mysterio veneramur: in eo vero quod eum semel Dominum Deum Sabaoth confitemur, unum Deum in Trinitate verbis cælestibus prædicamus, nam Sabaoth ex Hebræo in Latinum vertitur, exercituum sive virtutum, quod & in prophetis frequentissime legitur dicentibus, *Hæc dicit Dominus Deus exercituum*, & in psalmo aperte & Angelorum voce dicitur, *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum*, Quod autem sequitur:

PLENI SUNT CÆLI ET TERRA GLORIA TUA.

IMmensitatem divinæ majestatis ostendit, nulla enim ratione, nulla æstimatione metiri valet, mundo non capitur, sic replet mundum, ut ipse contineat mundum, non contineatur a mundo: est enim mundo superior, inferior, exterior, & interior; regendo superior, portando inferior, gubernando exterior, replendo interior; sic est per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, sine onere continens mundum, non tamen per spatia locorum quasi mole diffusus, non ut in dimidia parte sit dimidius, & in alia dimidia dimidius, atque ita per totum totus: non sic, sed in toto cælo totus, & in tota terra totus, & in parte totus, & per cuncta totus, & nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus, ita Pater, ita Filius, ita & Spiritus sanctus, unus Deus Trinitas indivisa. Deinde subjungitur:

OSANNA IN EXCELSIS.

ET osanna interpretatur salvifica, subaudiendo vel populum tuum, vel totum mundum, cui idcirco additur IN EXCELSIS, quod adventus Christi non tantum hominum salus, sed totius mundi sit, terrena jungens cum cælestibus, ut omne genu ei flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Sequitur:

BENEDICTUS QUI VENIT IN NOMINE DOMINI.

HOc autem non dicitur nisi soli filio Dei, Salvatore quoque id ipsum in evangelio comprobante, ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me, alius venit in nomine suo, & recepistis eum. Peractis omnibus quæ supra memoravimus, facto magno circumquaque silentio, incipit jam sacerdos fixa in Deum mente salutarem Corporis & Sanguinis Dominici hostiam consecrare, quam offert gene-

generaliter pro Ecclesia Dei sancta Catholica, & famulis famulabusque ejus, atque omnibus circumastantibus, quorum illi fides cognita est, & nota devotio, quique illi ipsum sacrificium offerunt pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ. Advocat etiam in adjutorium obsecrationis suæ gloriosam semper Virginem Mariam genitricem Dei & Domini nostri Jesu Christi, sed & beatos simul apostolos ac martyres Dei, & omnes pariter sanctos, eorum meritis ac precibus, in omnibus protectionis ejus muniamur auxilio. Orat præterea ut oblationem cunctæ familiæ suæ Dominus placatus accipiat, ac per manus sancti Angeli sui in sublime altare suum perferri jubeat, diesque nostros in sua pace disponat, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum suorum jubeat grege numerari. Hoc autem totum in commemorationem fit mortis Dominicæ ad tempus ab eo gustatæ, qua nos ab æternæ mortis damnatione unigenitus Dei Filius misericorditer liberavit, sicut ipse panem & calicem accipiens in sanctas venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cælum, gratias agens ac benedicens, eaque discipulis suis dedit, ut manducarent, & biberent, Corpus & Sanguinem suum esse confirmans, ait: *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis*: Hæc namque singularis victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licet surgens a mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, & in se ipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ore fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terram cælestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri, unde & a secretis virtutibus, vel sacris sacramenta dicuntur; quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorum sacramentorum operatur. Ideoque seu per bonos, seu per malos ministros, intra Dei ecclesiam dispensentur, tamen quia Spiritus-sanctus mystice illa vivificat, qui quondam Apostolico in tempore visibilibus apparebat operibus, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur: quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: quam consecrationem Corporis & Sanguinis Dominici ideo semper in silentio arbitror celebrari, quia Sanctus in eis manens Spiritus, eumdem sacramentorum latenter operatur effectum, unde & græce mysterium dicitur, quod secretam & reconditam habeat dispositionem. Sed necesse est ut cum hæc sacerdos agit, semetipsum Deo in cordis contritione mactet, quia qui passionis Dominicæ mysteria celebrat, debet imitari quod agit. Tunc ergo vere pro nobis hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerit.

PRÆCEPTIS SALUTARIBUS MONITI ET DIVINA INSTITUTIONE FORMATI AUDEMUS DICERE.

DOminus & salvator noster Jesus Christus in evangelio præcipit dicens: *Et cum oratis, nolite multum loqui, sic autem Ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur*. Si ergo Ethnicus in oratione multum loquitur, ergo qui Christianus est debet parum loqui; nam si ille ideo frustratur petitione sua, quia putat se in multiloquio exaudiri: debet ille parum loqui, ne similia patiatur: Deus enim non verborum, sed cordis auditor est. Hæc itaque præcepta & mandata salutaria nobis sunt, quibus admonemur ne per multumloquium orationis nostræ frustrationem mereamur, ut his paucissimis verbis quibus ex divina institutione atque eruditione formamur vel docemur, petitiones nostras apud Deum innotescere contenti simus.

PATER NOSTER QUI ES IN CÆLIS.

OMnia quæ divinitus dicta factaque referuntur, sunt miracula ipsis etiam cælestibus tremenda, stupore sunt pavenda mortalibus: sed nihil ita stupet cælum, pavet terram, expavescit universam creaturam, quam quod servus Dominum patrem vocare audet, judicem suum reus genitorem nuncupat, conditio terrena sua se voce Dei adoptat filium; sed audemus, quia præsumptio dicentis non est, ubi auctoritas est jubentis, ipse enim nos dicere voluit qui nos docuit sic orare, *Pater noster qui es in cælis*, non quod ille non sit terra, sed ut per hoc germen esse noveris te cæleste, & si te Dei filium tu fateris, vive quasi Dei filius, ut actu, vita, virtutibus tanto possis respondere genitori.

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

QUia à Christo vocatus es Christianus, petis ut prærogativa tanti nominis sanctificetur in te, quia nomen Dei quod per se & sibi sanctum est, aut sanctificatur in nobis nostro * auctu, aut nostro auctu blasphematur in gentibus.

ADVENIAT REGNUM TUUM.

IPse dicit: *Regnum Dei intra vos est*. Si intra nos est, veniat quid oramus? Est in fide, est in spe, est in expectione, sed ut veniat jam precamur, veniat autem nobis non illi qui conregnat Patri in suo semper sinu permanens, sed veniat nobis: ** *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*. Dicimus veniat regnum tuum, ut sic Deus regnet in nobis, quatenus in nobis desinat mors regnare, desinat regnare peccatum: *Regnavit*, inquit, *mors ab Adam usque ad Moysen*. Et alibi: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*.

FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN CÆLO ET IN TERRA.

NUnc in terra multa fiunt pro diaboli voluntate, pro sæculi nequitia, pro desiderio carnis, in cælo vero fit nihil præter Domini voluntatem. Petimus ergo ut interempto diabolo, ut novo sæculo, ut mutato corpore, ut destructo mortis imperio, ut abolita dominatione peccati, in cælo & in terra, in Deo & hominibus una Dei & eadem sit voluntas.

PANEM NOSTRUM COTIDIANUM DA NOBIS HODIE.

POst regnum cæleste terrenum panem petere non jubemur, prohibente ipso cum dicit: *nolite solliciti esse quid manducetis aut quid bibatis*; sed quia est panis qui de cælo descendit, petimus & precamur, ut ipsum panem quo quotidie, id est jugiter sumus in æternitate victuri, hodie, id est in præsenti vita de convivio altaris sancti ad virtutem corporis mentisque capiamus.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

SIc dicendo, o homo, indulgentiæ modum, mensuram veniæ, tu tibi dedisti, qui a Domino tantum tibi petis dimitti, quantum dimiseris ipse conservo. Dimitte ergo delinquenti in te totum, si vis ipse de tuis nihil debere Domino delictis; in altero dimitti tibi, si vis ipse vindicem vitare sententiam.

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM.

DEus sicut scriptum est neminem tentat; sed tentare dicitur, cum contumaciter euntes ad tentationis laqueos derelinquit. Sic Adam tentatoris insidias incurrit, dum sui præcepta dispicit conditoris: unde autem & a quo tentaretur, homo prodidit sic dicendo.

SED LIBERA NOS A MALO.

HOc est a diabolo qui totius mali & auctor est, & origo. Diabolus natura cælestis fuit, nunc est nequitia spiritualis; ætate major sæculo, nocendi usu ritus, lædendi arte peritissimus, unde non jam malus, sed malum dicitur, a quo est omne quod malum est. Hinc est quod propriis viribus liberari homo non potest carnalibus vinculis inligatus. Petendum nobis est ergo ut Deus nos a diabolo liberet, qui Christum tertis ut diabolum vinceret commodavit. Clamet, clamet homo ad Deum, clamet *libera nos a malo*, ut a tanto malo, solo Christo vincente liberetur.

Acce-

* f. actu.

** Desideratur hic aliquid in ms.

Accepimus auditum fidei, formam Dominicæ orationis audivimus, Christus breviter orare docet, quia cito vult postulata præstare. Aut quid petentibus non dabit qui se ipsum non petentibus dedit? aut in respondendo quam faciet moram, qui in dictandis precibus vota supplicum sic prævenit? neque illud nos moveat, quod quidam jactare solent: si novit Deus quid oremus, & antequam petamus scit quibus indigemus, frustra scienti loquimur: nos enim non sumus narratores sed rogatores: aliud est enim ignoranti narrare, aliud scientem petere; in illo indicium est, hic obsequium; ibi fideliter indicamus, hic miserabiliter obsecramus. AMEN. Signaculum orationis Dominicæ ponere, ubi fideliter possumus dicere, sequentem:

LIBERA NOS, QUÆSUMUS DOMINE, AB OMNIBUS MALIS PRÆTERITIS PRÆSENTIBUS ET FUTURIS.

OMnia mala quibus nos a Domino petimus liberari vel præterita sunt, vel præsentia, vel futura peccata, nam præ ceteris malis ne veniant in sequentibus exoratur, cum dicitur, *da propitius pacem in diebus nostris*, sicut autem in evangelio Salvator ait, *omnis qui facit peccatum, servus est peccati*. Orat ergo sacerdos, ut & præterita nobis peccata lavanda, & de præsentibus ac futuris ingem tribuendo custodiam Dominus nos a malis omnibus liberare dignetur; facientes enim peccatum sumus omnes servi peccati. Neque aliter hujusmodi servitute possumus liberari, nisi Domini misericordia liberante; nemo enim potest peccata dimittere, vel aliquem a tentatione servare, præter solum Deum, qui non solum per se, verum etiam per subjectos sibi famulos quorum vult peccata dimittet, quibus dicitur in evangelio: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Notandum sane quod Deum, quem in oratione Dominica Patrem vocamus, in nostra Dominum appellamus; quia videmet nobis ex divina auctoritate præsentatur, hoc ex debito nostræ devotionis offerimus: in illo nos Dei filios gratia, in hoc ejus servulos profitemur naturæ; cui tamen utique servire non possumus, nisi prius peccatis inservire cessemus. ait enim Salvator in evangelio, *nemo potest duobus dominis servire*. Petamus igitur, ut apostolus verbis eloquar, quo liberati a peccato, servi autem facti Deo, habeamus fructum nostrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Sequitur,

ET INTERCEDENTE BEATA VIRGINE, &c.

CUM sancta ecclesia persecutionis procella pulsatur, solet quidem in fortioribus membris suis gloriosissime triumphare, sed in infirmioribus quibusque ruinam gravissimam sustinere, & quod tacendum est magna in utrisque, id est & imbecillioribus & robustioribus dispendia perpeti; nam persecutionis igne omnia populante, sicut infirmorum nonnulli tentati a fide recedant, & ipsi pereuntes etiam suorum corda pavere faciunt fratrum; ita & fortissimi quique licet in semetipsis admiranda Deo, & angelis, & hominibus martyrii sui spectacula præbeant, in aliis tamen solo exemplo non etiam prædicationis verbo prodesse possunt. Orat ergo sacerdos in his verbis, ut sicut prosperitatis tempore a peccatorum nos Deus labe defendit, ita etiam nobis adversis persecutionis avertat, quatenus nec infirmi terrore vel suppliciis superati a fide recedant, nec fortes & validi quique a prædicationis & exhortationis fraternæ impediantur officio: quod quia certum est sanctos post vitæ hujus excessum cum Christo manentes indesinenter pro remanentibus in hoc mundo fratribus supplicare, petit ut beatæ & gloriosæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ, & maximorum Apostolorum intercessionibus Petri & Pauli apud Deum valeat obtinere. Sequitur.

UT OPE MISERICORDIÆ TUÆ ADJUTI, &c.

ECce propter quid nos & ab omnibus liberari a Domino malis, & pacem dari temporibus nostris oramus, scilicet ut liberati a peccato & ab omni perturbatione securi Domino Deo nostro sine timore in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris servire possimus. Quod quia nec accipere nec facere nisi per auxilium possumus salvatoris, recte subjungitur.

PER DOMINUM, &c.

IPse enim Dominus & Salvator noster, qui est cum Patre in unitate Spiritus-sancti una Deitas, una vivendi æqualitas, & vivificandi potestas in evangelio discipulis ait: *Ego sum vitis & vos palmites estis, qui manet in me & ego in eo, hic affert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*. Et paulo superius dixerat: *Sicut palmes non potest ferre fructum a se, nisi manserit in vite; sic & qui in me non manserit*. Si quem vero scire delectat quid sit manere in eo, audiat ipsum dicentem: *Sicut dilexit me Pater, & ego vos dilexi, manete in dilectione mea, si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione*. Si quis etiam nosse desiderat, qualis & quanta non manentibus in eo immineat pœna, audiat ejusdem voce prædictum, si quis autem in me non manserit, præcisus est sicut palmes, & missus est foras, & aruit, & colligentes eos in ignem mittunt, & ardent. Jam vero quod de manentibus in eo ipse subjungit audire gratius puto: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis petite, & fiet vobis*. Christus autem græce latine dicitur unctus, ipsi enim propheta in psalmo decantat: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. De ipso etiam summus Apostolorum Petrus in Actibus Apostolorum ad Cornelium, & eos qui secum aderant dicit: *Vos scitis quod factum est Verbum per totam Judæam, incipiens enim a Galilæa post baptisma quod prædicavit Johannes, Jesum a Nazaret quomodo unxit eum Deus Spiritu-sancto & virtute*: Quod enim propheta oleum lætitiæ, hoc Apostolus Spiritum sanctum & virtutem Dei appellat. Jehesus vero hebraice latine Salvator interpretatur, quod aperte angelus ad Joseph in somnis loquens de Maria testatur cum ait: *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jehesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Dehinc antequam communicetur, exclamat sacerdos, & dicit:

PAX DOMINI SIT SEMPER VOBISCUM.

NIhil enim sine pace placitum Deo est, nec ille, qui dixit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo*, in corde manere potest odiis ac dissensionibus maculato: non est enim Deus dissensionis sed pacis. Orat ergo sacerdos ac præmonet ut pax Domini sit nobiscum, quatenus perceptio sacrosancti Corporis & Sanguinis Domini nostri Jehesu Christi non ad reatum, sed ad solutionem nobis omnium proficiat peccatorum; quicumque enim manducaverit Corpus Domini, ut ait Apostolus, & calicem ejus biberit indigne, judicium sibi manducat & bibit. Rursum Salvator in evangelio ait: *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Igitur si non manducaverimus neque biberimus, non habebimus vitam in nobis; si autem indigne manducaverimus & biberimus, judicium nobis manducabimus & bibemus. Purgandus est itaque animus, & quantum in nobis est cum omnibus pax habenda, ut digne sumendo Corpus & Sanguinem Domini, & mortem, & judicium evadamus, & vitam ac remedium per eorum perceptionem accipere mereamur. Quod autem inter communicandum a cantoribus exclamatur:

AGNUS DEI QUI TOLLIS PECCATA MUNDI, MISERERE NOBIS.

PRopter illud fit, ut impleatur in nobis quod beatus Johannes apostolus ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: quod si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni injustitia*. Quomodo autem id fiat, idem ipse apostolus paulo superius sic ostendit: *Si in lumine ambulamus, sicut ipse est in lumine, societatem habemus ad invicem, & Sanguis Jehesu filii ejus emundat nos ab omni peccato*. Itemque in sequentibus ait: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis: quod si quis peccaverit, deprecatorem habemus ad Patrem Jehesum Christum justum, & ipse exoratio est pro peccatis nostris; non autem pro nostris tantum, sed & pro toto mundo*. In quibus verbis satis apparet quam consequenter de Domino & Salvatore nostro beatissimus Baptista Johannes testatur in evangelio dicens: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: de ipso quippe & Esaias propheta ait: *Tanquam ovis ad occisionem adductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum, in humilitate judicium ejus sublatum est*. Communicato post hæc clero vel populo, oratio ex more colligitur, & a diacono protinus exclamatur:

ITE

ITE MISSA EST.

MIsse autem proprie rempore sacrificii ast quando catecumini foras mittuntur, clemeuta Levite: *Si quis remansit caticuminus, exeat foras*; & iude missa, quia sacramentis altari interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur. Quibus cælestibus ac super omnia salutaribus sacramentis, ut nos qui jam Dei gratia ex aqua & Spiritu sancto sumus renati digne interesse possimus, ipse qui hæc in suam commemorationam celebrari præcepit, præstare dignetur, cui ast cum Patre in unitata Spiritus-sancti gloria & honor, virtus & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

ARTICULS XIII.

In quo verii ad missam celebrandam ordines referuntur.

PRimum hic locum occupare deberant verii Ordines Romani, sed cum non semel recusi passim occurrant, his prætermissis, aliarum ecclasiarum ritus jam repræsentabimus.

ORDO I.

Ex missali Gothico a Thomasio edito.

MISSA GALLICANA IN NATALI S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Præfatio.

VEnerabilem atqua sublimam beatissimi protomartyris Stephani passionem hodie celebrantas, Deum martyrum, fratres carissimi, deprecemur: ut sicut illi contemplatione meritorum suorum coronam dare dignatus ast; nobis quoque plenissimam misericordiam ipsius pracibus flexus, in omnibus largiatur. Per Dominum nostrum Jasum Christum Filium suum.

Collectio sequitur.

Deus, qui sancto Stephano mertyri tuo & principatum in ministerio, & principem in martyrio locum contulisti, dum nobis sancti diei ajus festivitatem, pro ejus vel commemorationa vel passione donasti: Exaudi quæsumus, Domine, supplices familiæ tuæ precas: nobis ajus peculiere præsidium tribue, cujus pro inimicis & peccatoribus preces pulsimus acceptesti: tribue etiem pro nobis intercessor axistat, qui pro suis persecutoribus supplicavit, Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum beatus vivit.

Collectio post nomina.

Omnipotens semperterne Deus, qui sanctorum virtuta multiplici ecclesiæ tuæ sacrum corpus axornans, primitia martyrum gloriosi levitæ tui Stephani sanguine dedicasti; da nobis diem natalis ejus honora præcipuo celebrare: quia non diffidimus eum fidelibus tuis posse suffragari, qui Dominicæ caritatis imitetor etiem pro suis persecutoribus supplicavit. Tribue, quæsumus, per interventum ipsius, ut vivenies salutem, defuncti requiem consequantur ætarnam. Præsta per Dominum nostrum Filium tuum.

Collectio ad pacem.

Deus caritatis indultor, Deus indulgantiæ munerator, qui sancto martyri tuo Stephano in passione largitus es, ut imbrem lepidum clementar acciperet, & pro lapidantibus supplicarat: pietetem tuam, Domine, subniais precibus exoremus, ut dum martyris tui passionem recolimus, per intercessionem ipsius securitatem cum peccatorum nostrurum venia consequi mereamur: Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum.

Contestatio missæ.

Dignum & justum ast, æquum & justum ast, te laudara, teque benedicere, tibi gratias agere, omnipotens sempiterne Deus, qui gloriaris in convantu sanctorum tuorum, quos ante mundi constitutionam præelectos spiritali in cælastibus benedictiona signasti: quosque unigenito tuo per adsumtionam carnis & crucis redemptionem sociasti: in quibus Spiritum tuum sanctum regnara facisti, per quem ad felicis mertyrii gloriam pietetis tuæ favora venenerunt. Digna igitur tibi, Domine virtutum, festa solemnitas agitur; tibi hæc dies sacrata celabratur; quia beati Stephani primi martyris tui sanguis in tuæ veritatis testimonio profusus, magnificum nominis tui honorem signevit. Hic ast enim illius nominis primus confessor, quod ast supre omne nomen: in quo unicum salutis nostræ præsidium, Peter æterne, posuisti. Hic in ecclasia tua quam splendidum ad cunctorum animos confirmandos unicæ laudis præcessit exemplum. Hic post passionem Domini nostri Jesu Christi victoriæ palmam primus invasit. Hic ut levitico ministerio per Spiritum-sanctum eb epostolis consecretus ast; niveo aendore confestim emicuit martyrii cruore purpureus. O benedictum Abrahæ semen, apostolicæ doctrinæ & Dominicæ arucis prior omnium factus imitator & testis! Marito cælos apertos vidit, & Jasum stantem ad dextram Dei. Digne igitur ac justa talem sub tui nominis confessione laudamus, omnipotans, Deus, quem ed tantam gloriam vocara dignatus es. Suffragia ajus nobis pro tue pietata conceda. Talis pro hac plebe precetur, qualem illum post trophæe vanientem axultans Christus excepit. Illi pro nobis oculi sublimentur, qui adhuc in hoc mortis corpore constituti, stantem ad dextram Patris Filium Dai ipsa passionis hora videbunt. Illa pro nobis obtineat, qui pro persecutoribus suis dum lapidaretur orabat ad te, sancte Deus, Pater omnipotans, per Dominum nostrum Jasum Christum Filium tuum, qui pro peccetis nostris nasci carne per Virginem, & peti dignetus est mortem, ut martyres suo pati doceret exemplo. Cui meriro omnes angeli atqua archengeli sine cessationa proclamant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Collectio post Sanctus.

Vare sanctus, vere benedictus, Dominus nostar Jesus Christus, Unigenitus tuus: qui martyrem suum Staphanum cæiestis eulæ collegio muneravit: qui corporis sui infirmitetem suscepit: priusquam pium sanguinem pro humana salute funderet, mysterium sacræ solemnitatis instituit. Ipse enim pridia quam pararetur.

Post mysterium.

Hoc ergo facimus, Domine, hæc præcepte servamus: hanc sacri corporis passionem sacris solemnibus prædicamus. Quæsumus omnipotans Deus: ut sicut veritetem nunc sacramenti cælestis exsequimur; ipsi veritati Dominici Corporis ec Sanguinis hæreamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Ante orationem Dominicam.

Gloriosi Levitæ axempiis & beatissimi martyris Stephani magisteriis instituti, æterno ragi & patri Dao precem, Fraires carissimi, cum omni humilitate fundamus: ut datu nobis fidei calore vel munera ad martyrii nos desiderium amoris sui igna succedant, ejusque imitetores efficiat, qui non solum pro sui gioria, verum etiam pro axemplis eruditionis nostræ passionem sustinuit. Et cui conferre dignatus est in passione virtutem, intercedendi pro nobis tribuet facultatem: & orationem quam præcipere dignatus ast, dicere sine cunctatione permittat. Pater nostar.

Post Dominicam orationem.

Libera nos e malo, omnipotens Daus, & tribua nobis supplicibus tuis tam promptum pro Christo tuo ad patiendum animum, ut probemur, non nos martyrio, sed nobis defuisse martyrium. Par.

Benedictio populi.

Deus, qui tuos martyres ita vinaisti caritete, ut pro ta etiam mori cuperent, na perirent. Amen.

Et beatum Stephanum in confessiona ita succendisti fide, ut imbrem lapidum non timeret. Aman.

Exaudi precem familiæ tuæ amatoris inter festa plaudantem. Amen.

Acceder ad te vox illa intercedens pro populo, pro inimicis quæ orebat in ipso martyrio. Amen.

Ut se obtinente & se remunerante, perveniat illuc plebs adquisita per gratiam, ubi te cælis epertis, ipse vidit in gloriam. Amen.

Quod ipse præstare digneris.

Collectio post Eucharistiam.

Daus, perennis salus, beatitudo inæstimabilis, da quæsumus omnibus tuis: ut qui sancte ac beeta sumserunt, & sancti jugiter & beati asse mereantur. Quod ipsa præstare dignaris.

Consummatio missæ.

Gratias agimus tibi, Domine, multiplicatis circa nos miserationibus tuis: qui & Filii tui nativitate nos salvas, & martyris tui Stephani deprecatione sustentas. Per Dominum nostrum Filium tuum.

EXPO-

EXPOSITIO BREVIS
ANTIQUÆ LITURGIÆ GALLICANÆ

AUCTORE, UTI CONJICIMUS, SANCTO GERMANO EPISCOPO PARISIENSI AUT ALIQUO EJUS DISCIPULO,

Ex ms. monasterii S. Martini Augustodunensis.

Quomodo solemnis ordo ecclesiæ agitur, quibusve instructionibus canon ecclesiasticus decoratur.

GErmanus episcopus Parisius scripsit de missa. Prima igitur ac summa omnium carismatum missæ canetur in commemoratione mortis Domini, quia mors Christi facta est vita mundi, ut offerendo proficeret in salute viventium & requiem defunctorum.

De prælegere.

Antiphona ad prælegendo canetur in specie patriarcharum illorum, qui ante diluvium adventum Christi mysticis vocibus tonuerunt, sicut Enoc septimus ab Adam, qui translatus est a Deo, prophetavit dicens: *Ecce venit Dominus in sanctis mirabilibus suis facere judicium*, & reliqua. Quod testimonium Judas apostolus frater Jacobo, in epistola sua commemorat. Sicut enim prophetantibus venit manus Domini supes arcam, ut in damnatis daret reliquias terræ; ita psallentibus clericis, procedit sacerdos in specie Christi de sacrario tamquam de cœlo in arca Domini, quæ est ecclesia, ut tam monendum (a) quam exhortandum nutriat in plebe bona opera, & extinguat mala.

De silentio.

Silentium autem diaconus pro duabus rebus adnuntiat, scilicet ut tacens populus melius audiat verbum Dei, & sileatur nostrum ab omni cogitatione sordida, quo melius recipiatur verbum Dei.

Sacerdos ideo datur populo, ut dum ille benedicit plebi dicens: *Dominus sit semper vobiscum*, ab omnibus benedicatur dicentibus *Et cum spiritu tuo*, ut tanto magis ille dignus sit populo benedicere, quantum, favente Deo, de ore totius populi recipit benedictionem.

De (b) Ajus.

Ajus vero ante prophetia pro hoc cantatur in græca lingua, quia prædicatio novi testamenti in mundo per græca lingua processit, excepto Mattheo apostolo, qui primus in Judæa evangelium Christi hebræis litteris edidit, Servate ergo honorem linguæ, quæ prima evangelium Christi vel suo senio recipit, vel suis litteris docuit primum canticum. Incipiente præsule ecclesiæ (c) Ajus psallet dicens latino cum græco, ut ostendat junctum testamentum vetus & novum. Dictum *amen* ex hebræo instar tituli quod in trinitate linguarum, instigante Deo, Pilatus posuit super crucem, confitens quamvis ignarus *Jesus Nazarenus*, id est sanctum & regem. Tres autem parvuli qui ore uno sequentes *Kyrie eleison* hebræe scilicet, græca & latina, vel trium temporum sæculi, ante legem scilicet, sub lege & sub gratia.

De prophetia.

(d) Canticum autem Zachariæ pontificis in honorem S. Johannis Baptistæ cantatur, pro eo quod primordium salutis in baptismi sacramenta consistit, quod in ministerium Johannis, Deo donante, suscipit, & deficiente umbra veteris, & oriente nova evangelii claritate, Johannes medius est prophetarum novissimus, & evangelistarum primus, ante faciem veræ lucis radians lucerna fulsit: ideo prophetia quam pater ejus, eo nascente, cecinit, alternis vocibus ecclesia psallet.

De propheta & apostolo.

Lectio vero prophetica suum tenet ordinem, veteris videlicet testamenti, corripiens mala & adnuncians futura, ut intelligamus ipsum Deum esse, qui in prophetia tonuit, quam qui & in apostolo docuit, & in evangelico splendore refulsit.

De apostolo.

Quod enim propheta clamat futurum, apostolus docet factum. Actus autem apostolorum vel apocalypsis Johannis pro novitate gaudii paschalis leguntur, servantes ordinem temporum, sicut historia testamenti veteris in quinquagesimo vel gesta Sanctorum confessorum ac martyrum in solemnitatibus eorum, ut populus intelligit quantum Christus amaverit famulum, dans ei virtutis indicium, quem devota plebicula suum postolat patronum.

De hymnum.

Hymnum autem trium puerorum, quod post lectionis canetur in figura Sanctorum veterum, qui sedentes in tenebris adventum Domini expectabant. Sicut enim illis silentibus quartus angelus adfuit in nubem roris inferens ignis incendia vicit; ita & istis præstolantibus ipse Dei filius, magni consilii angelus adfuit, qui tartaria frangens imperia, gaudium resurrectionis illos liberent intulit, quod evangelista docet. Secundum hoc etiam ecclesia servat ordinem, ut inter benedictionem & evangelium lectio intercedat, nisi tantummodo responsorium, quod a parvulis canetur, instar innocentium, qui pressi in evangelium], consortis Christi nativitatem leguntur, vel eorum parvolorum, qui properente ad passionem Domino, clamabant in templum *Osanna Fili David*, psalmista canente, *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*.

De Ajus ante evangelium.

Tunc in adventu sancti evangelii claro modulamine denuo psallet clerus *Ajus* in specie angelorum ante faciem Christi ad portas inferi clamantium *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Dominus virtutum rex gloriæ.*

De evangelio.

Egreditur processio sancti evangelii velut potentia Christi triumphantis de morte, cum prædictis armoniis, & cum septem candelabris luminis, quæ sunt septem dona Spiritus sancti, vel V. legis lumina mysterio crucis confixa, ascendens in tribunal (e) analogii velud Christus sedem regni paternæ, ut inde intonuit, dona vitæ clamantibus clericis *Gloria tibi Domine*, in specie angelorum, qui nascente Domino *Gloria in excelsis Deo* pastoribus apparentibus cecinerunt.

De Sanctus post evangelium.

Sanctus autem quod redeunte sancto evangelio clerus cantet, in specie sanctorum, qui redeunte Domino JESU CHRISTO de inferis, canticum laudis Dominum sequensis cantaverunt, vel septuaginta quatuor seniorum, quos in Apocalypsin Johannes commemorat, qui mittentes coronas suas ante agnum, dulce canticum cantaverunt.

De Homelias.

Homelias autem sanctorum, quæ (f) leguntur, pro solo prædicatione ponuntur, ut quicquid prophete, apostolus, vel evangelium mandavit, hoc doctor, vel pastor ecclesiæ apertiori sermone prædicet: ita arte temperans, ut nec rusticitas sapientes offendat, nec onesta loquacitas obscura rusticis fiat.

De prece.

Preces vero psallere levitas pro populo ab origine libris mosaicis ducit exordium, ut audita apostolis prædicatione, levitæ pro populis deprecentur, & sacerdotes prostrati ante Dominum, pro peccata populi intercedant, dicente Domino ad Aeron: *Tu & filii tui, vel omnis tribus levi portabitis peccata populi mei*, utique non pœnaliter sustinendo, suis sed precibus sublevando.

De caticumino.

Caticuminum ergo diaconus ideo clamat juxta antiquum ecclesiæ ritum, ut tam Judæi, hæretici, vel pagani instructi, qui grandes ad baptismum veniebant, & ante ba-

ptis-

(a) Id est monendo & exhortando.

(b) Ajus pro Agios hic poni nemo non videt, intelligiturque de trisagio seu brevi oratione, quam chorus post benedictionem ante prophetiam decantabat, qualem forte legimus in missali Mozarabum in hunc modum: *Agios, Agios, Agios, Domine Deus rex æterne, tibi laudes & gratias*; aut similem illi quam in parasceve concinit ecclesia: *Agios o Theos, Agios Ischyros, Agios Athanatos eleison imas.*

(c) In sacro parasceves die ecclesia græce & latine decantat: *Agios o Theos, Agios Ischyros, Agios Athanatos eleison imas. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis.*

(d) Canticum illud ipsum est, quod refertur Lucæ capita 1. quodque ecclesia quotidie in laudibus matutinis frequentare solet, scilicet *Benedictus Dominus Deus Israel*, &c.

(e) Analogium dicitur locus eltus supra chorum, ubi stant libri sanctæ prædicationis, inquit Petrus Boherius, cui sevet S. Isidorus lib. 5. Orig. cap. 4. Alii analogium interpretantur pulpitum.

(f) Hinc colliges, pastores olim intra missarum solemnia non semper perorasse ad populum: sed eos qui impeditioris erant linguæ, aut infirmæ valetudinis homilias Sanctorum Patrum aut a se compositas legisse, aut ab aliis legi jussisse. Ita S. Cæsarius Arelatensis antistes, cum propter valetudinem jam concionari per se non posset, a sacerdotibus atque diaconis sermones proprios aut sanctorum Ambrosii, Augustini, sive aliorum recitari jubebat, ut legitur in ejus vita.

prismum probantur, starent in ecclesie, & eudirent consilium veteris ac novi testamenti, postee deprecarent pro illos levitæ, diceret sacerdos collecte, post prece eairent postea foris, qui digni non erant stare dum inferebatur oblatio, & foras ante ostium obscultarent prostreti ad terram magnalia, quæ cure ad diaconum vel ad ostiarium pertinebat, ut illis admoneret eaire, iste provideret nequis indignus retardaretur in templo, dicendo: *nolita dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*. Quid enim in terra sanctius confectione corporis & sanguinis Christi? & quid plus immundum cenis & porci? similitudine comparandum eo, vel qui non est purgatus baptismo, vel non monitus crocis signaculum.

Spiritualiter jubemur silentium facere observantes ad ostium, idest ut tacentes e tumultu verborum vel vitiorum signum crocis ponemus ante faciem nostram, ne interet concupiscentia per oculos, ita ne aurem, ne prodeet sermo turpis ee labiis, & hoc solum cor intendat, ut in se Christum suscipiat.

De sono.

Sonum entem, quod canetur quando procedit oblatio, hinc traeit eeordinm. Præcepit Dominus Moysi, ut faceret tubss argenteas, quas levitæ clangerent, quando offerebatur hostia, & hoc esset signum per quod intelligeret populus, qua hora inferebatur oblatio, & omnes incurveti adorerent Dominum, donec veniret columne ignis aut nubes qui benediceret sacrificium, nunc antem procedentem ad altarium (*g*) corpus Christi non jam tubis inreprehensibilibus sed spiritualibus vocibus præclara Christi magnalia dulci melodia psallet ecclesie. Corpus vero Domini ideo defertur in turribus, quie monumentum Domini in similitudinem turris fuit scissum in petre, & intus lectum ubi pausavit corpue Dominicum, unde surreeit rex gloriæ in triumphum. Senguis vero Christi ideo specieliter offertur in calice, quia in tale vesum consecratum fuit mysterium Eucharistiæ pridie quem pateretur Dominus, ipso dicente: *Hic est calix sanguinis mei, mysterium fidei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Panis vero in corpore & vinum TRANSFORMATUR in sanguine, dicente Domino de corpore suo, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, de pane dixit, *hoc est corpus meum*, & de vino *hic meus sanguis*. Aqua entem ideo miscitur, vel quie decet populum unicum esse cum Domino, vel quia de latere Christi in cruce sanguis manavit & aqua, & una mundemur e labe culparum, alio præperemur ad regna cælorum.

Petena entem vocatur ubi consecratur obletio, quia mysterium Eucharistiæ in commemoratione offertur passionis Domini. Palla vero linostime in illius indumenti tenet figurem, quia in gyro conteeta a militibus non fuit divisa tonice scilicet Christi. Corporalis vero palle ideo pura linia est super quam oblatio ponitur, quia corpus Domini puris linteaminibus cum aromatibus fuit obvolutum in tumulo. Coopertum vero Sacramentorom ideo eeornatur, quie omnia ornamenre præcellit resurrectio Christi, vel camere cæli quæ nunc Dominum teget ab oculis nostris. Siricum aurem ornetur, eut aureo, vel gemmis quie Dominus Moyse in tabernaculo fieri velemina jussit ee euro, jacincto, & purpure, coccoque bis tincto, & bysso retorta, quia omnie illa mysterie in Christi præcesserunt stigmate.

Laudes entem, hoc est *alleluja* Johannes in apocalypsi post resurrectionem eudivit psallere. Ideo illa hore Domini palleo quesi Christus tegitur cælo. Ecclesia solet engelicum canticum (*h*): quod habet ipsa alleluje prima & secunda & tertia signat tria tempore ante lege, sub lega, sub gretia.

Nomine defunctorum ideo ille hore recitantur, qua palleo tolletur, quia tune eris resurrectio mortuorum, quando adveniente Christo, cælum sicut liber plicabitur. Pacem autem ideo Christi mutuo proferunt, ut per mutuo osculo teneant in se cariteris effectum, & qui alique fuscatur discordia, cito recurrat ad gratiam, vel petat Domino veniam, ne pacem falsam dando incurrat proditoris consortium, & semum melius proficiat Eucharistia suscepta vel benedictio tradita, quantum Christus conspicerit pacifica esse corde, quia ipse mandavit discipulis cælos escendens, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, & in hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si vos invicem dilexeritis.

Sursum corda ideo secerdos habere admonet, ut nulla cogitatio terrena maneet in pectoribus nostris in hora sacræ oblationis, & tanto melius recipiatur Christus in mente, quantum sola cogitetio ipsum conetur adtendere. Confractio vero & commiatio corporis Domini tantis mysteriis declerate antiquitus sanctis patribus fuit, us dum sacerdos obletionem confrangeret, videbatur quesi angelus Dei membre fulgeutis pueri cultro concædere, & sanguinem ejus in calicem excipiendo colligere, ut veracius dicerent verbum, dicente Domino, carnem ejus esse cibum & sanguinem esse potum. In hac confractione sacerdos vult augere, ibidem debet addere, quie tunc cælestia tarrenis miacentur, & ed oretionem sacerdotis cæli eperiuntur. Sacerdote antem frangente, supplet clerus psallet entiphone, quia patiente (*i*) dolore mortis omnia trementis testata sunt elemente.

Oratio vero Dominica pro hoc ibidem ponitur, ut omnis oratio nostra in Dominica oratione cleudatur. Benedictionem vero populi sacerdotibus fundere per Moysem mandavit dicens: *loquere ad Aaron & ad filiet ejus: Sic benedicetis popula, Benedicat tibi, & custodiat te*, & cetera quæ sequuntur. Aeron igitur locum Christi, filii ejus locum presbyterorom portaverunt. Ambobus igitur mandevit Dominus benedicere populum; sed temen propter servandum honorem pontificis, secræ constituerunt canones, ut longiorem benedictionem episcopus proferret, breviorem presbyrer funderet, dicit: *Pax, fides, caritas, & communicatio corporis & sanguinis Domini sit semper vobiscum*. Nam licet illam benedictionem, quam Moysi Deus dictavit, & nullus contradicere presbyrero potest; quia cælum & terre transibunt. Hoc ergo ante communionem benedictio traditur, ut in vas benedictum benedictionis mysterium ingrediatur. Jam vero quam dulcis sit animæ & corporis sacre communio, Christus verbis evangelicis ostendit dicens: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis*.

Trecanum vero quod psalletur signum est catholicæ fidei de Trinitatis credulitate procedere, sic anim prima in secunda, secnuda in tertia, & rursum tertie in secunda, & secunda rotatur in prime. Ita Peter in Filio mysterium Trinitatis complectet. Peter in Filio, Filius in Spiritu sancto, Spiritus sanctus in Filio, & Filius rursum in Patre. Sed jam epistola finem recipiat, in qua solemnis ordo brevi declaratus ostenditur.

ORDO II.

Ex antiquo missali Mozarabum jussu Francisci Ximenes archiepiscopi Toletani edite.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Ad missam officium.

ECce super montes pedes evangelizantis pacem, alleluja, & annuncientis bona, alleluja. Celebre, Juda, festivitates tuas, alleluje. Et redda Domino vota tue, alleluja. ℣. Dominus dabit Verbum avangelizantibus in virtute multa. *Psal.* Et redde. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in sæcule sæculorom. Amen. *Psal.* Et redde.

Dicat presbyter. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

In adventu Domini non dicitur Gloria in eecelsis *Dominicis diebus & feriis, sed tantum diebus festivis.*

Oratio.

Deus qui per engelicos churos adventum Filii tui Domini nostri Jesu Christi ennunciare voluisti, qui per angelorum præconie gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis adclamantibus demonstreste; concede, ut in hujus Dominicæ resurrectionis festivitate pax terris reddite convalescat, & fraternæ dilectionis charitate innovata permeneet. ℟. Amen.

Dicat sacerdos. Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in sæcule sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Lectio Isaiæ prophetæ. ℟. Deo gratias.

Ecce

(*g*) Olim solemnis missa non celebrabatur, quin ex præcedentis diei sacrificio Eucharistia deferretur ad altara; id in ecclesia Romana præstabant initio missæ acolythi in capsis, ut constat ex veteri ordine Romano 1. n. 8. Musæi Italici tom. 11. In gallicana vero diaconi hoc munus obibant ante oblationem, corpus Christi deferentes in turribus, ut patet ea hoc loco, quem mira illustrat Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum c. 85. his verbis: *Tempus ad sacrificium offerendum advenit, acceptaque turre diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingressusque templum ut eam altari superponeret*, &c.

(*h*) *Adde* cantare.

(*i*) *Adde* Domino.

Ecce dominetor Dominus exercituum confringet laguculam in terrore, &c. *usque* Et erit sepulcrum ejus gloriosum. ℟. Amen.

Dicat presbyter in cornu sinistro altaris. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Psallendo. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit. Qui emittit cristallum suem sicut fruste panis, ante feciem frigoris ejus quis subsistet?

℣. Mittit verbum suum, & liquefaciet ea, flet spiritus ejus, & fluent aquæ. *P.* Ante.

* *Dicat sacerdos*. Silentium facite. Sequentiæ epistolæ Pauli apostoli ad Romanos c. XV. *Respondeat chorus*. Deo gratias

Fratres, certus sum de vobis quoniam & ipsi pleni estis dilectione, &c. *usque* in abundantia benedictionis Christi veniam. ℟. Amen.

Dicat sacerdos. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

** Lectio S. Evangelii secundum Lucam, 3. cap. ℟. *Chorus*. Gloria tibi Domine.

Anno quioto decimo imperii Tiberii Cæsaris, &c. *usque* Multa quidem & elia eehortens evangelizabat populo. ℟. Amen.

Dicat presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat chorus*. LAUDA. Alleluje. ℣. Mitte nobis Domine, auxilium de Sancto, & de Sion tuere nos. Alleluje.

Interim quod chorus dicit alleluje, *offert sacerdos hostiam cum calice, & cum orationibus, quæ sequuntur.*

Acceptabilis sit mejestati tuæ, omnipotens æterne Deus, hæc oblatio, quam tibi offerimus pro fratribus, & senioribus nostris, & pro stabilitata sanctæ catholicæ, & apostolicæ fidei cultoribus. Per Christum Dominum nostrum, In nomine Petris † & Filii, & Spiritus sancti. Amen. *Dimittendo patenam super corporales.*

Deinde accipiat calicem sanctificando sic, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Oratio.

Offerimus, tibi, Domine, calicem ed benedicendum Sanguinem Christi Filii tui, deprecemurque clementiam tuam ut ante conspectum divinæ mejestatis tuæ cum odore suavitatis escendat. Per eumdem Christum Dominum nostrum, Amen.

Ponat calicem super aram, & accipiat filiolam sine sanctificatione, & ponat super calicem dicendo sic:

Oratio.

Hanc oblationem quæsumus, Domine, placatus edmitte, & omnium offerentium eorum, pro quibus tibi offertur, pecceta indulge. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Et dicat junctis manibus inclinando se.

Oratio.

In spiritu humilitetis & in enimo contrito suscipiemur, Domine, a te; & sic fiat secrificium nostrum ut a te suscipiemur hodie, ut placeat tibi, Domine Deus. Veni sancte Spiritus, sanctificator senctifica hoc sacrificium de manibus meis tibi præparatum.

Hic ponat incensum in thuribulo, & incenset sacrificium si placuerit, postea inclinet se sacerdos in medium altaris junctis manibus, & dicat alta voce: Adjuvate me, fratres in orationibus vestris, & orete pro me ad Deum. *Chorus respondeat:* Adjuvet te, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus.

Et sacerdos vertat se ad populum, & faciat offertorium si voluerit, & dicat chorus. SACRIFICIUM. Regnebit Dominus in Jerusalem & in conspectu seniorum, alleluje. ℣. Hæc dicit Dominus, erit quesi Pater habitantibus Jerusalem, & qui inhabitant in Sion, & debo clevem domus David super humeros ejus, & eperiet, & non est qui claudet Jerusalem, Alleluje.

Hic accipiet sacerdos aquam in manibus, & dicat silentio cum tribus digitis: In nomine Petris † & Filii, & Spiritus sancti, regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Inclinet se ante altare, & dicat in silentio istam orationem.

Accedem ad te in humilitate spiritus mei, loquar ad te quie multem spem fortitudinem dedisti me. Tu ergo Fili Devid, qui reveletus mysterio ad nos in carnem venisti, cleve crucis tuæ secreta cordis mei adaperi, mittens unum de Serephim, qui candenti carbone illo qui de eltari tuo sublatus ust, sordentia labie mea emundet, mentem enubilet, dicendi materiem subministret, & lingua quæ proximorum utiliteti per caritatem servit, ne erroris insonet casum, sed veritetis resultet sine fine præconium. Per te Deus meus, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIT MISSA.

D*icat presbyter:* Dominus sit sempes vobiscum.

Oratio.

Adventum Domini nostri Jesu Christi, fratres dilectissimi, votis omnibus præstolantes, Dei Patris omnipotentiam imploremus, ut corda nostra purificet, & corpora immaculata conservet: det hebilitatem fidelium mentibus fideliter quærere, quod saluti possit prodesse. Eepectemus conscientia secura venturum, quem super omnem principatum & potestetes credimus exaltatum. Simus etiam per singula momente solliciti, ut mereemur hebere propitium quem credimus & fatemur ad judicandos nos vivos & mortuos in gloria esse venturum. ℟. Amen.

Dicat presbyter: Per misericordiem tuam, Deus noster, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicat presbyter elevando manus. Oremus. ℟. *Chorus*: Agios, Agios, Agios, Domine Deus rex æterne tibi laudes & grates.

Postea dicat Presbyter: Ecclesiem sanctam Catholicem in orationibus in mente habeemus, ut eam Dominus fide, & spe, & caritate propitius empliere dignetur, omnes lapsos, ceptivos, infirmos, atque peregrinos in mente habeamus, ut eos Dominus propitius redimere, sanare, & confortare dignetur. ℟. *Chorus:* Præsta æterne omnipotens Deus.

Dicat presbyter aliam orationem.

Purifica, Domine Deus, Pater omnipotens, peccatorum arcene nostrorum, cunctasque propitius macules ablue peccatorum, ac præste, Domine, ut beneficio pietetis tuæ nostris criminibus emundati, metuendum terribilemque adventum Domini nostri Jesu Christi filii tui eepectemus interrite. Sicque te miserante hic percipere mereemur omnium veniem delictorum, ut tuum in futuro judicium nobis sentiemus omnino mitissimum, & dextræ tuæ participes facti, a te mereamur perpetuæ vitæ percipere præmium, tuumque consequemor invictum, infinitum, & fortissimum regnum. ℟. Amen.

Dicat presbyter: Per misericordiam tuam, Deus noster, in cujus conspectu sanctorum Apostolorum, & martyrum confessorum, atque virginum nomine recitantur. ℟. *Chorus*. Amen.

Dicat presbyter: Offerunt Deo Domino obletionem sacerdotes nostri pape Romensis & reliqui pro se, & pro omni clero ac plebibus ecclesiæ sibimet consignatis, vel pro universa fraternitate; ita offerunt universi presbyteri, diaconi, clerici, ac populi circumesteotes in honorem sanctorum pro se & suis.

℟. *Chorus*: Offerunt pro se, & pro universe fraternitate.

Dicat sacerdos: Fecientes commemorationem beatissimorum epostolorum, & martyrum, gloriosæ sanctæ Meriæ Virginis, Zachariæ, Johannis, Infantum, Petri, Pauli, Johennis, Jecobi, Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Metthæi, Jecobi, Simonis, & Judæ, Mathiæ, Marci, & Lucæ. ℟. *Chorus*: Et omnium martyrum.

Dicat sacerdos: Item pro spiritu pausantium, Hilarii, Athanesii, Mertini, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Leandri, Isidori, Devid, Juliani, item Julieni, Petri, item Petri, Johannis, Servi-Dei, Visitani, Vivventi, Felici, Cipriani, Vincentii, Geruntii, Zachariæ, Cænepoli, Dominici, Justi, Saturnini, Salvati, item Salveti, Bernerdi, Reimundi, Johannis, Celebruni, Gundisalvi, Mertini, Roderici, Johannis, Guterii, Sencii, item Sancii, Dominici, Juliani, Philippi, Stepheni, Johannis, item Johannis Felicis. ℟. *Chorus*. Et omnium pausantium.

* Diebus Dominicis atque in mertyrum sollemnitatibus ante epistolam centatur canticum trium puerorum juxta hoc decretum concilii IV. Toletani can. 14. (Hymnum quoque trium puerorum, in quo universa cæli terræque creatura Dominum collaudat, & quem Ecclesia catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam sacerdotes in missa Dominicorum dierum, & in sollemnitatibus martyrum canere negligunt; proinde hoc senctum concilium instituit, ut per omnes ecclesias Hispaniæ vel Galliæ in omnium missarum sollemnitate idem in pulpito decanteiur: communionem amissuri, qui & antiquam hujus hymni consuetudinem nostramque definitionem excesserint.)

** Ex concilio Toletano IV. can. 12. lectionem Apostoli statim sequi debet lectio S. Evangelii, deinde Laudes, excommunicationis pœna iis qui contrarium fecerint indicta.

Dicat presbyter post nomina:

Te quæsumus, Domine Jesu Christe, ut dilectio adventus tui ita in nobis permaneat, ne a te corda nostra umquam recedant. Sicque nos jam in æternam advocationem ascribe, ut ad futurum non confundamur cum ad judicandum veneris orbem. ℟. *Chorus*. Amen.

Dicat presbyter: Quia tu es vita vivorum, sanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium defunctorum in æterna sæcula sæculorum. ℟. *Chorus*. Amen.

Dicat presbyter. Oratio ad pacem.

Domine Deus omnipotens, qui pro humani generis redemtione coæternum tibi coæqualemque Filium angelica annunciatione per Mariæ Virginis uterum usque ad nos voluisti transmittere, atque ante ipsius Filii tui adventum Johannem dignatus es destinare præconem, & per ejus veridicam in deserto eremi prædicationem populus pœnitens veternorum facinorum acciperet veniam, per novi autem hominis Dei regnum evangelizantis divinæ Trinitatis plenam mundus consequi mereretur ineffabilem gratiam. Dona nobis in hoc tempore adventus unigeniti tui eamdem pacis gratiam, quam in præterito largire dignatus es sæculo, & illis nos in occursu fidei socios numerandos quos in fidei primordio a Johanne in Jordane pœnitentiæ undis aquarum ablutos a te postremo per Filium in Spiritu-sancto, & igni cognoscimus baptizatos. ℟. *Chorus*. Amen.

Dicat presbyter: Quia tu es vera pax nostra & charitas indisrupta, vivis tecum & regnas cum Spiritu sancto unus Deus in sæcula sæculorum. ℟. *Chorus*. Amen.

Dicat presbyter elevatis manibus in cælum: Gratias Dei Patris omnipotentis, pax & dilectio Domini nostri Jesu Christi, & communicatio Spiritus-Sancti sit semper cum omnibus nobis. ℟. *Chorus*. Et cum hominibus bonæ voluntatis.

Dicat presbyter: Quomodo astatis pacem facite. ℟. *Chorus*. Pacem meam do vobis, pacem meam commendo vobis, non sicut mundus dat pacem, do vobis. ℣. Novum mandatum do vobis, ut diligatis invicem. *Reiteretur*. Pacem meam do vobis. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen. *Reiteretur*. Pacem meam.

Interim quod chorus dicit Pacem meam, *accipiat sacerdos pacem de patena dicendo sic:* Habetote osculum dilectionis & pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. *Et statim det pacem diacono vel puero, & puer populo.*

Postea inclinet se sacerdos junctis manibus & dicat: Introibo ad altare Dei mei. ℟. *Chorus:* Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Presbyter ponat manus ad calicem, & dicat: Aures ad Dominum. ℟. *Chorus*. Habemus ad Dominum.

Presbyter dicat: Sursum corda. ℟. *Chorus:* Levemus ad Dominum.

Dicat presbyter inclinando se junctis manibus: Deo ac Domino nostro Jesu Christo Filio Dei, qui est in cælis, dignas laudes dignasque gratias referamus. *Et dicendo* gratias referamus, *elevet sacerdos manus in altum*. ℟. *Chorus:* Dignum & justum est. *Postea dicat presbyter.*

Inlatio.

Dignum & justum est nos tibi gratias agere, Domine sancte Pater, æterne omnipotens Deus, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, quem Johannes fidelis amicus præcessit nascendo, præcessit in desertis eremi prædicando, præcessit baptizando: viam quoque præparans judicii ac redemtoris, convocavit peccatores ad pœnitentiam, & populum Salvatori acquirens, baptizavit in Jordane peccata propria confitentes, non homines innovando, plenam conferens gratiam, sed piissimi Salvatoris emmonens expectare præsentiam, non remittens ipse peccata ad se venientibus, sed remissionem peccatorum ad futurum pollicens esse credentibus, ut descendentibus in aquæ pœnitentiæ ab illo sperarent remedium indulgentiæ, quem venturum audiebant plenum dono veritatis & gratiæ. Baptizatur igitur ab eo Christus ex elemento visibili & Spiritu invisibili. Ducebatur per obedientiam ad misericordiam per filium sterilis ad Filium Virginis, per Johannem hominem magnum, ad Christum hominem Deum, quem cum Patre & Spiritu sancto adorant Angeli, atque Archangeli, Throni, Dominationes, & Potestates ita dicentes. ℟. *Chorus*. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cæli & terra gloria majestatis tuæ, Hosanna filio David, Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

Dicat presbyter post Sanctus:

Vere Sanctus & gloriosus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, quem olim credimus incarnatum fuisse pro salute humani generis, & nunc expectamus ad judicium venturum in gloria claritatis cum sanctis ipse Dominus ac redemptor æternus.

Deinde dicat presbyter in silentio junctis manibus inclinando se ante altare hanc orationem:

Adesto, adesto, Jesu bone pontifex, in medio nostri sicut fuisti in medio discipulorum tuorum. Sancti † fica hanc oblationem † ut sanctificata † sumamus per manus sancti Angeli tui, sancte Domine ac redemptor æterne. Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis dicens: accipite & manducate. HOC EST CORPUS MEUM QUOD PRO VOBIS TRADETUR. *Hic elevatur corpus*. Quotiescumque manducaveritis, hoc facite in meam † commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: HIC EST CALIX NOVI TESTAMENTI IN MEO SANGUINE, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. * *Hic elevatur calix coopertus cum filiola*. Quotiescumque biberitis hoc facite in meam † commemorationem. *Et cum perventum fuerit ubi dicit*, In meam commemorationem, *dicat presbyter alta voce omnibus diebus præter festivis. Pari modo ubi dicit* In claritatem de cælis. *Et qualibet vice*. ℟. *Chorus*. Amen. Quotiescumque manducaveritis panem hunc, & calicem illum biberitis mortem Domini annunciabitis donec veniat in claritatem † de cælis. ℟. *Chorus*. Amen.

Dicat presbyter post Pridie. *Oratio.*

Domine Jesu Christe, hanc hostiam vivam illustratione adventus tui sanctifica; ut ex ea libantes mundemur a crimine, & tuam gratiam mereamur percipere sine fine. ℟. Amen.

Postea dicat presbyter: Te præstante, sancte Domine, quia tu hæc omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas, sancti † ficas, vivificas † bene † dicis † & præstes nobis, ut sit benedicta a te Deo nostro in sæcula sæculorum. ℟. *Chorus*. Amen.

Et tunc presbyter accipiat Corpus de patena, & ponat super calicem discoopertum, & dicat alta voce omnibus diebus, videlicet festivis & Dominicis, præter in locis in quibus erit antiphona propria ad confractionem panis.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Dicat presbyter:* Fidem quam corde credimus, ore autem dicamus.

Et elevet sacerdos Corpus Christi, ut videatur a populo Et dicat Chorus symbolum, bini ac bini videlicet.


Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum non factum, Omousion Patri, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ. Per quem omnia facta sunt, quæ in cælo & quæ in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Passus sub Pontio Pilato: Sepultus, tertia die resurrexit. Ascendit ad cælos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum-sanctum Dominum vivificatorem, & ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Et deinde faciat presbyter sic. Frangat eucharistiam per medium, & ponat mediam partem in patena, & de alia parte faciat quinque particulas, & ponat in patena similiter per ordinem factas per rotas istas, quæ supra sunt: & statim purget bene digitos, & cooperto calice faciat memento pro vivis, postea dicat presbyter ad orationem Dominicam æqualiter istam orationem. Oremus.

Verbum Patris, quod cum factum es, ut habitares in nobis, præsta nobis, ut qui te venisse jam credimus, ab omni peccatorum eruamur contagione, cum præceptionis tuæ oraculis proclamaverimus in terris: Pater noster qui es in cælis. ℣. Amen. Sanctificetur nomen tuum. ℟. Amen. Adveniat regnum tuum. ℟. Amen. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. ℟. Amen. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. ℟. Quia Deus es. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. ℟. Amen. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Di-

* Forma ista consecrationis ponitur, ne antiquitas ignoretur, sed hodie servetur ecclesiæ traditio.


Corporatio
Mors
Natiuitas
Resurrectio
Circumcisio
Gloria
Apparitio
Regnum
Passio



Dicat presbyter : Liberati a malo, confirmati semper in bono, tibi servire mereamur Deo ac Domino nostro. Pone, Domine, finem. *Hic percutiat pectus*, peccatis nostris, da gaudium tribulatis, præbe redemptionem captivis, sanitatem infirmis, requiemque defunctis. Concede pacem & securitatem in omnibus diebus nostris, frange audaciam inimicorum nostrorum, & exaudi Deus orationem servorum tuorum omnium fidelium Christianorum in hac die & in omni tempore. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Sic faciat presbyter : accipiat modo particulam qua dicitur regnum de patena, & ponat super calicem. In tempore resurrectionis videlicet dicat tribus vicibus : Vicit Leo de tribu Juda, radix David, alleluja. ℟. *Chorus qualibet vice :* Qui sedes super Cherubim, radix David, alleluja. *Et postea dicat hanc orationem inter se submissa voce :*

Sancta Sanctis, & conjunctio Corporis Domini nostri Jesu Christi sit sumentibus & potantibus nobis ad veniam, & defunctis fidelibus præstetur ad requiem.

Et mittat particulam in calicem, & cooperiat calicem, & dicat alta voce sic, si non fuerit ibi diaconus : Humiliate vos Benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

* *Benedictio.*

Illustret vos unigenitus Filius Dei lumine adventus sui, qui vos redimere non dedignatus est pretio sanguinis proprii. ℟. Amen.

Accingat vos virtutibus pacis & ditet muneribus copiosis. ℟. Amen.

Ipsumque Dominum semper habeatis protectorem, quem omnipotens Pater suscitavit de tribu Juda victorem. ℟. Amen.

Dicat presbyter: Per misericordiam ipsius Domini nostri qui est benedictus, & vivit, & omnia regit in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. R. Et cum.

Dicat Chorus : Gustate & videte quoniam suavis est Dominus, alleluja, alleluja, alleluja. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *P.* alleluja, alleluja, alleluja. ℣. Redimet Dominus animas servorum suorum, & non delinquent omnes, qui sperant in eum *P.* alleluja, alleluja, alleluja. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui-sancto, in sæcula sæculorum. Amen. *P.* alleluja, alleluja, alleluja.

In dicendo Gustate & videte, *accipiat presbyter aliam particulam sequentem, quæ dicitur* Gloria; & *ponat super calicem, & dicat cum silentio istam orationem*: Panem cælestem de mensa Domini accipiam, & nomen Domini invocabo. *Et dicat presbyter* memento *pro mortuis, tenendo illam particulam super calicem. Et dicto* memento, *dicat istas orationes quæ sequuntur.*

Domine Deus meus, da mihi corpus & sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere, & tuo sancto Spiritu repleri Deus noster, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio.

Ave in ævum sanctissima caro Christi in perpetuum summa dulcedo, panem cælestem accipiam, & nomen Domini invocabo.

Hic faciat signum cum hostia, & sumat particulam quam in manibus habet, & cooperiat calicem, & veniat ad patenam, & consumat omnes particulas per ordinem, & deinde accipiat patenam, & ponat super calicem, & purget bene cum digito pollicis, & dicat hanc orationem.

Ave in ævum, cælestis potus, qui mihi ante omnia & super omnia dulcis es.

Alia oratio.

Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus & animam meam in vitam æternam. Amen.

Hic accipiat Sanguinem, & dum sacerdos sumpserit Sanguinem, dicat immediate hanc orationem :

Domine, Deus meus, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, fac me te semper quærere & diligere, & a te per hanc sanctam communionem quam sumsi, numquam recedere, quia tu es Deus, & præter te non est alius in sæcula sæculorum. Amen.

Cantet chorus communionem : Refecti Christi Corpore & Sanguine, *te laudamus*, Domine, alleluja, alleluja, alleluja.

Eat sacerdos ad cornu altaris, & dicat hanc orationem: Refecti Christi Corpore & Sanguine, pariterque sanctificati, Deo Patri omnipotenti gratias referamus, ut nos in eamdem refectionem & sanctificationem habentes hic & in futuro sæculo gloriam percipiamus. ℟. Amen.

Dicat presbyter: Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in sæcula sæculorum, ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Dicat presbyter vel diaconus : Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi, votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias. *Ista oratio supradicta sit in mediam altaris.*

In ista missa, & in aliis non vertitur sacerdos ad populum, nisi quando dixerit, adjuvate me, fratres, in orationibus vestris.

ITEM EX EODEM MISSALI.

Q*Uando præparatus sit sacerdos ad missam celebrandam, ingressus ad sacrarium lavet manus dicendo :*

Oremus.

Largire sensibus nostris quæsumus, Domine, omnipotens Pater, ut sicut exterius inquinamenta manuum abluuntur, sic per te mentium sordes misericorditer emundentur, & crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum. Per Christum Dominum.

Postea flectat genua coram vestibus, & dicat quater Ave Maria, *& de intima corde commendet se gloriosæ Virgini Mariæ, ut offerat illum acceptabile mysterium Deo Patri, & Filio, & Spiritui-sancto, & ut ipsam in hoc sacrificio mediatricem & adjutricem habeat. Deinde muniat se signo crucis, & super quamlibet vestem dicat :* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Ad amictum oratio.

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas & superandas omnes diabolicas fraudes, omniumque inimicorum meorum sævitiam superandam.

Ad albam oratio.

Indue me, Domine vestimento salutis, ac tunica justitiæ, & indumento lætitiæ circumda me semper. Per Christum.

Ad cingulum oratio.

Præcinge, Domine, cingulo fidei, ac virtute castitatis lumbos mei corporis, & extingue in eis humorem libidinis, ut jugiter maneat in me tenor totius castitatis. Per Christum.

Ad manipulum oratio.

Merear quæso, Domine, deportare manipulum justitiæ & ferre cum patientia, & illud cum exultatione deferendo cum tuis sanctis portionem accipiam. Per Christum.

Ad stolam oratio.

Redde mihi obsecro stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis, & quia cum hoc ornamento quamvis indignus accedere ad tuum sanctum præsumo mysterium, præsta, ut cum eodem lætari merear in perpetuum. Per.

Ad casulam oratio.

Jugum tuum, Domine, suave est, & onus tuum leve: præsta ut sic illud deportare valeam, ut consequi possim gratiam tuam. Per Christum.

Postquam sacerdos sit indutus, dicat hoc:

℟. Pater peccavi in cælum & coram te, fac me sicut unum de mercenariis tuis.

℣. Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus : ego autem hic fame pereo. surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei. *P.* Fac me sicut. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

℣. Ab occultis meis munda me, Domine.

℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus.

Oremus.

Deus, qui de indignis dignos, de peccatoribus justos, & de immundis facis mundos, munda cor meum & corpus meum ab omni sorde & cogitatione peccati, & fac me dignum ac strenuum sanctis altaribus tuis ministrum, & præsta ut in hoc altari ad quod indignus accedere præsumo, acceptabiles tibi hostias offeram pro peccatis & offensionibus & innumeris quotidianis meis excessibus, & pro peccatis omnium viventium & defunctorum fide-

*. De hac benedictione extat Concilii IV. Toletani canon 18. (Nonnulli sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populum sequatur, & tunc demum Corporis & Sanguinis Domini sacramentum sumatur : eo videlicet ordine, ut sacerdotes, & [illegible] altare communicent, in choro clerus, po-

lium, & eorum qui se meis commendaverunt orationibus, & per eum tibi meum sit acceptabile votum, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulir in sacrificium qui est omnium opifex, & solus sine peccati macula pontifex Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit.

Et statim manibus junctis coram pectoribus humiliter exeat, & eat ad altare, & faciat confessionem dicendo prius. Ave Maria, In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Sancti Spiritus adsit nobis gratia.

℣. Introibo ad altare Dei.

℟. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Psal. Judica me Deus *totum cum* Gloria Patri. *Et iterum dicat:* Et introibo ad altare Dei.

℣. Dignare Domine die isto.

℟. Sine peccato nos custodire.

℣. Confitemini Domino quoniam bonus.

℟. Quoniam in sæculum misericordia ejus.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur, &c.

Confessio.

Confiteor omnipotenti Deo, & beatæ Mariæ Virgini, & sanctis apostolis Petro & Paulo, & omnibus sanctis, & vobis fratres, me graviter peccasse per superbiam in lege Dei mei, cogitatione, locutione, opere & omissione. Mea culpa, mea culpa, gravissima mea culpa, ideo precor beatissimam Virginem Mariam, & omnes sanctos & sanctas, & vos fratres orare pro me.

Absolutio.

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. Amen.

Absolutio ad populum.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum, cum emendatione morum, & vitę per gratiam Sancti Spiritus, tribuat vobis misericors Dominus. Amen.

℣. Deus tu conversus vivificabis nos.

℟. Et plebs tua lætabitur in te.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Sacerdotes tui induant justitiam.

℟. Et sancti tui exultent.

℣. Domine exaudi orationem.

℟. Et clamor. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio.

Aufer e nobis quæsumus, Domine, cunctas iniquitates nostras, & spiritum superbiæ & elationis, cui resistis: & reple nos Spiritu timoris: & da nobis cor contritum & humiliatum, quod non spernis, & ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Et statim accedat ad altare, & faciat crucem super aram dicendo: In nomine Patris, † & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. *Et osculetur aram: & osculando eam dicat antiphonam:* Salve crux pretiosa, quæ Corpore Christi dedicata es & ea membris ejus tamquam margaritis ornata: salva præsentem catervam in tuis laudibus jugiter congregatam.

℣. Adoramus te Christe & benedicimus tibi.

℟. Quia per crucem tuam redemisti mundum.

Oremus. *Oratio.*

Exaudi nos, Deus salutaris noster, & per triumphum sanctæ crucis a cunctis nos defende periculis. Per.

Oratio.

Per virtutem sanctæ Crucis, & per intercessionem B. Mariæ Virginis, & B. Petri apostolorum principis, & omnium sanctorum, absolve quæsumus, Domine, nostrorum vincula delictorum, & quidquid pro eis meremur propitiatus averte, & ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per Christum.

Alia. Conscientias nostras, &c. *Alia Oratio.* Adsit nobis, Domine.

Ad extendendum corporalia, dicat sacerdos:

In tuo conspectu quæsumus, Domine, hæc nostra munera tibi placita sint, ut nos tibi placere valeamus. Attollite portas principes vestras & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens in prælio, Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Mundando calicem.

Misce, Domine, in calice isto quod manavit ex latere tuo, ut fiat in remissionem peccatorum nostrorum. Amen.

Benedictio aquæ.

Dicit minister: Jube Domne benedicere. Ab illo benedicatur, cujus Spiritus super aquas ferebatur. In nomine

Oratio.

Ex latere Domini Jesu Christi sanguis & aqua profluxisse perhibentur. Hæc ideo nos pariter commiscemus, ut misericors Deus utrumque ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Quando ponit hostiam in patena dicat:

Benedictio Dei Patris † omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super hanc hostiam, tibi Deo Patri offerendam. Amen.

Ante evangelium dicat sacerdos:

Oratio.

Conforta me, Rex sanctorum, summum tenens principatum, da sermonem rectum & bene sonantem in os meum ut placeam tibi & omnibus circumstantibus.

Inclinet se in medium altaris, & dicat:

Jube domne benedicere. Dominus sit in corde meo, & in ore meo, & in labiis meis ad pronunciandum sanctum evangelium divinum.

Dicat vero diaconus:

Munda cor meum, corpusque, ac labia mea, omnipotens & misericors Deus, qui labia Isaiæ prophetæ calculo mundasti ignito: ita me tua gratissima miseratione mundare digneris, ut sanctus evangelium valeam nunciare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Petat benedictionem a sacerdote.

Jube domne benedicere. *Dicet sacerdos:* Coroboret Dominus sensum tuum ac labia tua, ut recte nobis pronuncies eloquia sancta sua.

Quando evangelium osculatur, dicat presbyter:

Ave verbum divinum, reformatio virtutum, restitutio sanitatum.

Ad hostiam offerendam.

Oratio.

Acceptabilis, &c. *ut supra in Dominica I. adventus.*

Ad offerendum calicem.

Offerimus tibi, Domine, Jesu Christi Filii tui calicem, humiliter implorantes clementiam tuam, ut ante conspectum divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad ponendam filiolam.

Oratio.

Hanc oblationem, &c. *ut supra Dominica prima adventus.*

Inclinet se junctis manibus, & dicat hanc orationem.

Domine Deus, omnipotens Pater, bene † dic & sanctifica hoc sacrificium laudis, quod tibi oblatum est ad honorem & gloriam nominis tui, & parce omnia peccata mea. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio incensi.

Jube domne benedicere. Ab illo benedicatur, in cujus honore cremabitur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Incensando dicat sacerdos orationem:

Placare, Domine, per hoc incensum mihi & populo tuo, parcens peccatis nostris, & quiescat ira & furor tuus: præsta propitius, ut bonus odor simus tibi in vitam æternam. Amen.

Ad offertorium populi dicet sacerdos offerenti.

Centuplum accipias, & vitam æternam possideas in regno Dei. Amen.

Benedictio panis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc.

Oratio.

Benedic † Domine, creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut omnes gustantes ex eo recipiant sanitatem tam animæ quam corporis. Per Christum.

Bene † dictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus-sancti, descendat super hunc panem, & super omnes ex eo comedentes.

Ad lavandum manus.

Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine, ut audiam vocem laudis tuæ, & enarrem universa mirabilia tua, ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.

In fine Missæ dicitur antiphona in laudem gloriosæ Virginis Mariæ, Salva Regina, &c.

NOTA.

IN omnibus missis M[illegible] hæc sunt propria: Offi-

Lectio avangelii, Laus sive Lauda, hoc ast alleluja, cum uno ℣. *Sacrificiam quod offertorium dicitur*, ut habet inscriptio Dominicæ secundæ adventus, Oratio *missæ* inscripte, cum subsequenti oratione, Oretio post nomina, Oratio ad pacem, Inlatio seu præfatio, Oratio *post Sanctus*, Oratio post *pridie*, Præfatio orationis Dominicæ, Benedictio, Communio, & Oratio post communionem. Reliqua omnibus missis sunt communia.

ORDO III.

Ex missali Ambrosiano jussu S. Caroli Mediolanensis archiepiscopi, anno 1560. impresso.

QUando sacerdos vult se vestibus sacris induere, dicat psalmum, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiem tuam, *& oratiunculas sequentes. Et primo ad induendum camisium dicat:*

Indua ma, Domine, vestimento salutis, & justitiæ tunica me ambire dignere.

Quando cingit se.

Præcinge ma, Domina, cingulo fidai & virtute castitatis lumbos mei cordis & corporis, & extingue in als humorem libidinis, ut jugiter in eis maneat vigor castitatis.

Ad ponendam amictam.

Pone, Domina, in aapite meo galaam salutis ad expugnandas diaboli frandes.

Ad ponendam manipalam.

Da, Domine, manipulum in manibus meis ad extergandas cordis & corporis mei sordes, ut sine pollutione tibi Domino ministrara merear.

Ad ponendam stolam.

Stola, Domine, justitiæ circumda cervicem meam, & a corruptione peccati meem purifica mentem.

Ad induendem casulam vel planetam.

Jugum tuum, Domina, suave ast & onus tuum leva; præsta, ut sic illud portare valem, quatenus tuam consequi possim gratiam. Par Dominum.

Demum cum devotione & reverentia postpositis temporalibus curis ac negotiis, indutus sacris vestibus, capite discooperto, corde, & manibus levatis ad cælum, oculis more publicani in terram fixis, eat ante altare consecratam, & paratum lumine, cruce, mappis, calice cum vino, & patena cum hostia, & sindone, & tersitorio, & faciat confessionem, ut sequitur,

In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus-sancti †. ℟. Amen.

℣. Introibo ad altare Dei.

℟. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

℣. Confitamini Domino quoniem bonus.

℟. Quoniam in sæculum misaricordia ajus.

Confessio.

Confiteor Deo omnipotenri, Beatæ Mariæ semper Virgini, B. Michaeli archangelo, B. Johanni Baptistæ, SS. Apostolis Patro & Paulo, B. Ambrosio Confessori, & omnibus Sanctis, & vobis fratribus, quia peccavi nimis, &c. *uti solemas*. ℟. Deo gratias.

Misereatur nostri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccetis nostris, perducat nos ad vitam æternam. ℟. Amen. [*a*)

Indulgantiam, absolutionam & ramissionem omnium peccatorum nostrorum, tribuet nobis omnipotens & misericors Dominus. ℟. Aman.

Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit, &a.

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum sæculi.

Deinde inclinatus ante altare dicat secrete hanc orationem.

(*b*) Rogo te altissime Deus sabaoth, Patar sancte, ut me tunica castitatis digneris eccingare & lumbos meos baltheo tui amoris & timoris ambire, & renes cordis mei igna tuæ caritatis urere, ut pro peccatis meis possim intercedare, & astantibus veniam peccatorum promereri ac pacificas singulorum hostias immolare. *Hic de Dei misericordia confidens, levet oculos ad cælam, & accedens ad altare dicat secrete:* Ma quoque ad tuum sanctum altera accedentam non sinas perire, sed dignere lavare, ornare, & clamentes suscipere, Pas Christum Dominum nostrum.

Hic signet se & altare, & illud osculetur. Deinde si missa sollemnis celebratur, sacerdos incensat altare, postea osculetur crucifixum missalis & dicat ingressam, cujus missæ est finis, benedictio sacerdotis versus populam. Postea salutet populum, dicendo Dominus vobiscum. *Deinde sequitur hymnus angelicas, qui semper dicitur in diebas Dominicis, & aliis sollemnitatibus Domini, & sestivitatibus sanctorum, & octavis.* Gloria in excelsis Deo, &c. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie elaison. *Finito hymno angelico, sequitur* ℣. Dominus vobiscum, *& oratio super populum, manibus pariter levatis mediocriter, quod & in ceteris orationibus, & præfationibus, &* Pater noster, *&* Libera nos quæsumus Domine, *fieri debet.*

Deinde dicantur alia collectæ, si dici volant, quæ tamen dispares sint, non transeuntes novem, & unaquæque collecta habet quatuor orationes, scilicet super populum, super sindonem, super oblatam, & post communionem. Caveat tamen sacerdos ne propter multitudinem orationum generet fastidium audientibus, & omnia distincte legat, ut facile possit intelligi. Dicta oratione super populum, sequitur ℣. Dominus vobiscum; *& pronuncietur titulus* (*c*) *epistolæ vel lectionis, deinde sequitur benedictio hoc modo, vel alio pro ut placaerit.*

Apostolica *vel* Prophetice doctrina replaet nos gratia divina. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Vel* Apostolica *vel* Prophatica lactio sit nostræ salutis instructio. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Postea sequitur epistola sive lectio, (*d*) *Deinde portatur missale in parte dextera altaris, & salutato populo cum* ℣. Dominus vobiscum, *pronunciatur titulus evangelii, & fit alia benedictio hoc modo.* Per Evangelica dicta deleantur nostre delicta. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. *Vel alio modo.*

Finito evangelio, [*e*) *celebrans dicit* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo, Kyrie eleison, Kyrie elaison, Kyrie eleison. *Item* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Et sequitur antiphona post evangelium: qua finita, sequitur* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Deinde* ℣. Pacem habeta. ℟. Ad re Domine.

(*f*) *Deinde dicitur* Dominus vobiscum. *Postea dicitur oratio super sindonem: qua finita, si non fuerit calix præparatus, apparetur, ponendo in eum vinum & modicum aquæ: & quando vinum ponitur, dicantur hæc verba:* De latere Christi exivit sanguis & aqua paritar. In nomina Patris †, & Filii †, & Spiritus-sancti †. Amen.

(*a*) In missali anno 1669. edito additur: *Deinde ministri repetunt confessionem. In fine sacerdos dicit:* Deo gratias. *Postea junctis manibus dicit* Misereatur vestri &c. *Ministri respondent* Amen. *Tum ille signat se, dicens:* Indulgentiem &c. *Ministri respondent* Amen. *Sacerdos iterum se signat, dicens:* Adjutorium nostrum, &c.

(*b*) In missali enni 1669. hæc oratio ita abbreviatur. (Rogo te altissime Deus Sabaoth, Pater sancte, ut pro peccatis meis possim intercedere, & astantibus veniam peccatorum promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare.) *Accedens ad altare dicit:* [Oramus te, Domine, per merita sanctorum tuorum] *Osculatur altare dicens:* Quorum reliquiæ, &c.

(*c*) In missali anni 1669. *Deinde lecto titulo lectionis, obversus ad crucem dicit secreto:* Jube domne benedicere, *sibique protinus benedicens, si ea sit e testamento veteri dicit:* Prophetice lectio sit nobis salutis eruditio. *Sin autem sit e novo, dicit:* Apostolica lectio sit nobis salutis eruditio.

(*d*) In missali enni 1669. *Sequitur ergo lectio cum suo psalmello & versu. Post hæc lecto titulo epistolæ, petitaque ut supra benedictione, sacerdos ita benedicat:* Apostolica doctrina repleat nos gratiæ divina. *Tum sequitur* [illegible] ℣. *in* alleluja, meum, &c. *Deinde ad librum conversus, junctis manibus dicit:* ℣. Dominus vobiscum: *& pronuncians titulum evangelii, signat librum & semetipsum in fronte, ore & pectore. Dum vero respondetur* Gloria tibi Domina, *versus crucem inclinatus dicit:* Jube domne benedicere. *Et mox dicit benedictionem,* Dominus sit in corde meo, &c. *Tum stans junctis manibus legit evangelium. Quo finito, minister respondet:* Laus tibi Christe. *Et sacerdos osculatur librum dicens:* Per evangelica dicta, &c.

(*e*) In missali anni 1669. *Postea reversus ad medium altaris, extendens & jungens manus dicit:* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. *Tum junctis manibus, legit antiphonam post evangelium, si legenda sit, deinde ipse vel diaconus dicit:* Pacem habete. ℟. Ad te Domine.

(*f*) In misseli enni 1669. *Finita oratione prædicta, sacerdos accipiens patenam cum hostia, illam offert dicens:* Suscipe clementissima, &c.

Reposita hostia super corporale, infundit vinum in calicem dicens; De latere Christi exivit sanguis. *Deinde aquam benedicit dicens:* Et aqua pariter. In nomine Patris † & Filii † & Spiritus sancti †. Amen.

Deinde afferatur panis azymus sum patena elevando oculas ad cælum moderate & dicendo: Suscipe clementissime Peter, hunc panem sanctum ut fiat unigeniti tui Corpus. In nomine Patris † & Filii † & Spiritus-sancti †. Amen.

Ad offerendum vinum aqua mixtum in salice dicatur: Suscipe clementissime Pater hunc calicem, vinum equa mixtum, ut fiat unigeniri tui Sangnis. In nomine Patris † & Filii † & Spiritus-sancti †. Amen.

Deinde cooperiatur calix corporali. Sequuntur orationes secreta ad munus oblatum. Hic inclinet se sacerdos in medio altaris, & junctis manibus dicat sequentem orationem:

Omnipotens sempiterne Deus, placabilis & acceptebilis sit tibi hæc oblatio, quem ego indignus pro me misero peccatore, & pro delictis meis innumerabilibus tuæ pietati offero; ut veniam & remissionem omnium peccatorum meorum mihi concedas, & iniquittes meas ne despexeris: sed sola tua misericordie mihi prosit indigno. Per Christum Dominum.

Hic erigat se, & oret pro universis populis Christianis & benefactoribus, dicendo sequentem orationem, quæ semper est dicenda quotiescumque celebratur.

Et suscipe, sancta Trinitas, hanc obletionem, quam tibi offerimus pro regimine, & custodia, atque unitate catholicæ fidei, & pro veneratione quoque B. Dei genitricis Mariæ, omnium simul sanctorum tuorum, & pro salute & incolumitate famulorum famularumque tuarum ill. & omnium pro quibus clementiam tuam implorare polliciti sumus, & quorum quarumque eleemosynas suscepimus, & omnium fidelium christianorum tam vivorum quam defunctorum, ut te miserante remissionem omnium peccatorum & æternæ beatitudinis præmie in tuis laudibus fideliter perseverando percipere mereantur ad gloriem & honorem nominis tui, Deus misericordissime rerum conditor. Per Christum.

(g) *Oratio in festis sollemnibus, & in honore sanctorum.*

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem quam tibi offerimus in memoria Incarnetionis, Nativitetis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honore omnium sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum hic nomina & reliquiæ habentur, ut illis sit ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris. Per Christum Dominum nostrum.

(h) *Orationes ad beneplacitum.*

Oratio pro salute unius: Suscipe Domine, &c. *Pro familiaribus, consanguineis, & recommendatis:* Omnipotens sempiterne Deus, placabilis, &c. *Pro tribulatione unius,* Accepte tibi sit, &c. *Pro infirma:* Suscipe clementissime. *Pro iter agentibus.* Omnipotens sempiterne, &c.

Oratio pro se seipso quotidiana.

Et suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem pro emundatione mea, ut mundet, & purges me ab universis peccatorum maculis, quatenus tibi digne ministrare merear, Deus & clementissime domine. (i) Benedictio Dei Petris † omnipotentis, & Filii †, & Spiritus-sancti † copiosa de cælis descendat super hanc nostram obletionem, & accepta tibi sit hæc oblatio, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, misericordissime rerum conditor. Amen.

Ad incensandum sacrificium (k) primo dicat ponendo incensum in thuribulum. Istud est incensum contra insidias diaboli firmementum. *Deinde signando oblatum sacrificium cum thuribulo ac incensa fumigante dicat:* In nomine Patris † & Filii †, & Spiritus-sancti †. Amen. (l) *Deinde in circuitu oblationis, & incensando crucem & crucifixum missalis, & circa altare, & a parte interiori, dicat sequentes versus* Dirigetur oratio, &c. Elevatio manuum, &c. Pone, Domine, &c. (m) *Postea reddendo thuribulum ministro dicat:* Ecce odor sanctorum Dei tamquam odor agri pleni, quem benedixit Deus. ℟. Deo gratias.

Deinde dicto offertorio dicat: ℣. Dominus vobiscum. *Sequitur symbolum, quod tantum dicitur in diebus Dominicis, & aliis festivitatibus Domini, & sanctorum, & in octavis, & sabbata in traditione symboli:* Credo in unum &c.

Postea dicatur ℣. Dominus vobiscum. *Oratio super oblatam. Qua finita sequatur præfatia hoc modo:* Per omnia, &c.

Te igitur clementissime, &c. una cum famulo & sacerdote tuo papa nostro ill. & pontifice nostro ill. & famulo tuo ill. imperatore, sed & omnibus orthodoxis, &c.

Communicantes, &c. Simonis & Thadæi, Xisti, Laurentii, Hypolithi, Vincentii, Cornelii, Cypriani, Clementis, Chrysogoni, Johannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, Apollinaris, Vitalis, Nazarii & Celsi, Prothasii & Gervasii, Victoris, Naboris, Felicis, Calimeri, Materni, Eustorgii, Dionysii, Ambrosii, Simpliciani, Martini, Eusebii, Hilarii, Julii, atque Benedicti. Et omnium sanctorum tuorum quorum meritis, &c.

Quem oblationem, quam tuæ pietati offerimus tu Deus in omnibus quæsumus † benedictam † adscriptam † ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus † & Sangnis † fiet dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Hic aqua abluat digitos consecratos in cornu altaris, dicendo: Lavebo inter innocentes manus meas & circumdabo altare tuum, Domine, ut audiam vocem laudis tuæ, & enarrem universa mirabilia tua.

Hic in medio altaris elevet manus dicendo: Qui pridie quam pro nostra omniumque salute pateretur. *Hic accipiet hostiam in manu sinistra, & levet oculos ad cælos,* accipiens panem elevevit oculos ad cælos ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens. *Hic manu dextra hostiam benedicat* † benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens ad eos: accipite, & manducate ex hoc omne. *Secreta, discreta, integre proferat infra scripta verba consecrationis:* Hoc est enim Corpus meum.

(n) *Levet discrete, & ostendat populo per morulam, & alia verba non interponat inter utramque consecrationem, quam quæ hic habentur; sed potest meditari. Deinde reposita hostia super altare genuflectionem faciat, & postea accipiat corporale, quod est super calice, & tegat eum. Sequitur:* Simili modo postequam cœnatum est: *Hic accipiat manu sinistra calicem discoopertum, & levet oculos:* Accipiens calicem, elevevit oculos ad cœlos, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, item tibi gratias agens. *Hic benedicat* † benedixit tradiditque discipulis suis dicens ad eos, accipite, & bibite ex eo omnes. *Secrete, discrete, & integre proferat verba consecrationis:* Hic est enim calix Sanguinis mei, novi & æterni testementi, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

(o) *Levet, & in elevatione dicat:* Mandans quoque & dicens ad eos: Hæc quotiescumque feceritis, mortem meam prædicabitis, resurrectionem meam annunciebitis, adventum meum sperabitis, donec iterum de cælis veniam ad vos.

Cum reposuerit calicem, tegat eum corporali, & genuflectionem faciat, deinde extendat brachia in modum crucis dicendo. Unde & memores, Domine, nos servi tui, sed & plebs tua sancta Domini nostri Jesu Christi Passionis, necnon & ab inferis mirabilis Resurrectionis; sed in cælos gloriosæ Ascensionis, offerimus præclaræ majesteti tuæ, de tuis donis ac datis Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, hunc panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ, immaculatam hostiam.

Hic inclinet se versus sacrificium manibus junctis, vel in formam crucis positis, & dicat:

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manum sancti angeli tui in sublime altare tuum ante conspectum tremendæ majestatis tuæ. *His se erigat, & faciat signum crucis super altare & osculetur illud dicendo:* Ut quotquot ex hac altaris participatione. *Hic faciat signum crucis super hostiam & calicem.* Sacrosanctum

[g] In missali anni 1669. *In Dominicis vero, & in sollemnitatibus Domini, earumque vigiliis, & quando missa est de sanctis, hæc etiam similiter prosequitur,* Suscipe &c.

(h) In missali anni 1669. Orationes istæ desiderantur.

(i) In missali anni 1669. *Benedicit oblata prosequendo:* Benedictio. &c.

[k] In missali anni 1669. *Postea si sollemniter celebrat, bene-*

(m) In missali anni 1669. *Postea reddit thuribulum diacono dicens:* Ecce odor sanctorum Dei tamquam odor agri pleni, quem benedixit Deus.

(n) In missali anni 1669. *Genuflectit, surgit, elevat hostiam a populo adorandam, reponit super corporale. Iterum genuflectit, mox* [illegible] *detegit calicem, pallam collocans super ho-* [illegible] *prosequitur, &c.* Simili modo, &c.

ctum † Corpus & † Sanguinem Domini nostri Jesu Christi sumserimus. *Hic debet se signare.* Omni benedictione, &c.

Nobis quoque minimis peccatoribus, &c. & martyribus cum Johanne & Johanne, Stephano, & Andrea, Petro, Marcellino, Agnete, Cæcilia, Felicitate, Perpetua, Anastasia, Agatha, Euphemia, Lucia, Apollonia, Justina, Savina, Thecla, Pellagia, atque Catharina, & cum omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum, per quem hæc omnia Domine sancta bona creas † sanctificas † vivificas † benedicis, & nobis famulis tuis largiter præstas ad augmentum fidei, & remissionem omnium peccatorum nostrorum. *Hic genuflectionem faciat dicens:* Et est tibi Deo Patri omnipotenti. *Hic accipiat hostiam manu, & cum ipsa faciat signum crucis super calicem discoopertum dicendo:* Ex ipso † & per ipsum † & in ipso † omnis honor, virtus, laus, & gloria. *Hic accipiet patenam, & signet hostiam super calicem dicendo:* (*p*) Imperium † perpetuitas † & potestas † in unitate Spiritus sancti. *Hic levet paululum hostiam, & elevet vocem dicendo:* Per infinita sæcula sæculorum. Amen.

(*q*) *Hic reverenter dividat hostiam super calicem, & dicet dividendo:* Corpus tuum frangitur, Christe, calix benedicitur, Sanguis tuus, sit nobis semper ad vitam, & ad salvandas animas Deus noster.

Et partem quam habet in dextra manu ponat super patenam, alteram dividat in duas partes, & quam tenet in sinistra etiam ponat super patenam, & tertiam ponat in calicem dicendo: Commixtio consecrati Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi nobis edentibus & sumentibus proficiat ad vitam, & gaudium sempiternum.

(*r*) *Deinde post confractorium dicitur a sacerdote:* Oremus præceptis salutaribus moniti, &c.

Libera nos quæsumus, &c. (Hæc oratio in missali est in nota & post S. Andream fit mentio S. Ambrosii.] *Sic vero desicit*, præsta per eum eum quo beatus vivis & regnas Deus in unitate Spiritus-sancti, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

[(*s*) ℣. Pax & communicatio Domini nostri Jesu Christi sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Offerte vobis pacem. ℟. Deo gratias.

Postea sacerdos secreta dicat hanc orationem faciendo crucem super mensam consecratam, & osculetur eam, & crucifixum missalis.

Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiæ tuæ, eamque pacificare, custodire, & regere digneris propitius, qui vivis, & regnas.

Vel saltem dicat. ℣. Pax in cælo, pax in terra, pax in omni populo, pax sacerdotibus ecclesiarum Dei. Pax Christi & ecclesiæ maneat semper nobiscum.

(*t*) *Deinde dat pacem ministro dicens:* Habete vinculum pacis & caritatis, ut apti sitis sacrosanctis misteriis Dei. Amen.

Hic manibus junctis inclinet se versus sacrificium, & antequam accipiet in manu Corpus Domini, dicat sequentem orationem.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc Corpus Jesu Christi Filii tui Domini mei ita sumere, ut non sit mihi ad judicium; sed ad remissionem omnium peccatorum meorum. Qui tecum.

Vel aliam orationem.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui pro voluntate Patris tui, cooperante Spiritu-sancto, per mortem tuam mundum universum vivificasti, libera me, obsecro, per hoc sacrosanctum Corpus & Sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus & universis malis meis, & fac me tuis semper obedire mandatis, & a te numquam separari permittas. Qui vivis & regnas.

Percutiendo pectus dicat ter.

Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.

Accipiendo Eucharistiam in manibus dicat:

℣. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.

℣. Panem cælestem accipiam, & nomen Domini invocabo.

Postea antequam sumet Corpus Domini dicat:

(*u*] Corpus Domini nostri Jesu Christi, proficiat mihi sumenti, & omnibus pro quibus hoc sacrificium obtuli ad vitam, & gaudium sempiternum.

Postea sumet Eucharistiam. Deinde accipiendo calicem dicat: ℣. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi! ℣. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, laudans invocabo Dominum, & ab inimicis salvus ero.

(*x*) *Deinde accepto calice in manibus, adoret sacrificium & dicet hanc orationem.*

Præsta, quæso, Domine, ut perceptio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis dignatus est effundere, ab omni nos peccati macula purget, & ad vitam perducat æternam. Amen.

Et (*y*) *statim sumat totum Sanguinem repente & discrete. Postea digitos & calicem purificet, dicendo secrete aliquam sequentium orationum.*

Deo gratias, Deo gratias, accepta Christi munera sumamus Dei gratia, non ad judicium, sed ad salvandas animas, Deus noster. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Gloria Patri. Sicut erat. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Suscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dexteram Patris. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Vel sic dicat: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Deo gratias. Agnus Dei, qui tollis peccata.

Alia oratio.

Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiamus, ut de Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi fiat nobis remedium sempiternum.

(*z*) *Alia oratio.*

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, & dona ecclesiæ perpetuam tranquillitatem & pacem. Per Dominum nostrum.

Alia

(*p*) In missali anni 1669. *Sinistra tenet hostiam supra calicem, & dextra accipiens patenam inter indicem & medios digitos ter signat supra hostiam simul & calicem dicens.* Imperium †, &c. *Deposita patena supra pedem calicis, versus semetipsum elevat hostiam paululum alta voce dicens:* Per infinita, &c.

(*q*) In missali anni 1669. *Dividit hostiam per medium supra calicem dicens:* Corpus tuum frangitur, Christe, calix benedicitur. *Partem quæ in dextera est ponit supra patenam. Ex altera vero parte, quæ est in sinistra, detrahit particulam dicens:* Sanguis tuus sit nobis semper ad vitam, & ad salvandas animas, Deus noster. *Mox partem quæ in sinistra est ponit supra patenam, deinde particulam ipsam dextra interim suspensam supra calicem signando demittit in eundem calicem, dicens:* Commixtio, &c.

(*r*) In missali anni 1669. *Tegit calicem, genuflectit, surgit & dicit Confractorium. Tum dicto submissa voce* Oremus, *alta voce manibusque junctis dicit orationem Dominicam:* Oremus præceptis salutaribus moniti, &c. *Sacerdos secrete dicit* Amen. *Deinde signans se signo crucis, alta voce prosequitur*, Libera nos, &c.

(*s*) *Signat se dicens:* Pax & communicatio, &c. *Tum diaconus, alioquin ipsemet sacerdos subdit:* Offerte vobis pacem. ℟. Deo gratias.

In missis pro defunctis omisso offerte vobis pacem, *& oratione sequenti*, Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis & Pax tecum, *junctis manibus alta* (scilicet in privatis, at non in solemnibus missis) *voce dicit inclinatus.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mondi, dona eis requiem sempiternam, & locum indulgentiæ cum sanctis tuis in gloria.

Tum vero transit ad posteriores duas orationes.

In aliis autem missis dicto offerte vobis pacem, *inclinatus junctis manibus, & submissa voce dicit tres orationes sequentes:* Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis, &c.

(*t*) In missali anni 1669. *Si pax est tribuenda osculatur altare; & dans pacem dicit:* Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, &c.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, &c.

(*u*) In missali anni 1669. Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

(*x*) In missali anni 1669. *Accipit calicem, & eo signum crucis sibi faciens, dicit;* Præsta quæsumus, Domine, ut perceptio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi ad vitam nos perducat æternam.

(*y*) In missali anni 1669. *Sumit Sanguinem cum particula: quo sumto, si qui sunt communicandi, eos communicat antequam se purificet. Postea dicit:* Quod ore sumsimus, &c.

(*z*] In missali anni 1669. *Interim porrigit calicem ministro qui infundit parum vini, quo se purificat. Deinde prosequitur:* Confirma hoc Deus, &c.

... digitos vino & aqua extergit, sumit purificationem,

Alia oratio.

Ascendat, Domine, oratio nostra ad thronum mejestatis tuæ, & ne vacua revertatur ad nos postulatio nostra, Domine exaudi orationem nostram, & clamor meus ad te veniat. Et ne vacua revertatur.

Deinde transferat missale ad aliam partem altaris, & dicto transitorio, dicat ℣. Dominus vobiscum. *Et prosequatur orationem post communionem; qua dicta, sequatur* Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison. ℣. Benedicat & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus in pace.

℟. In nomine Christi. Amen.

℣. Benedicamus Domino,

℟. Deo gratias.

Hic levet manus junctas & oculos ad cælum, dicens:

Placeat tibi, Deus, obsequium servitutis nostræ & sacrificium quod oculis, &c.

Hac finita, faciat crucem super altare, & osculetur eam. Postea det populo benedictionem, quæ conveniat missæ quam dixit.

Sequens benedictio generaliter dicitur ad omnes missas Dominicales & feriales nisi alia assignetur.

Benedictio.

Benedicat vos divina majestas, Pater †, & Filius †, & Spiritus sanctus †. ℟. Amen.

Si celebratur de sanctis, in benedictione fit commemoratio illius vel illorum sanctorum, de quibus agitur hoc & simili modo.

Benedictio.

Precibus & meritis B. pontificis & confessoris Ambrosii, Deus vos benedicat † & perducat ad gaudia paradisi, *Et sic de aliis.*

Post benedictionem sequitur Dominus vobiscum, Initium S. Evangelii secundum Johannem. ℟. Gloria tibi, Domine. *Evangelium*, In principio erat Verbum, &c. *Et caveat ne cito excreet, aut exsputat post communionem.*

(Sequuntur tres orationes ad devotionem pro gratiarum actione recitandæ.)

N O T A.

IN singulis missis hæc sunt propria. Ingressa sive introitus, una constans antiphona, sine versu & sine *Gloria Patri*. Oratio super populum, Epistola, Alleluja cum versu, Evangelium, Antiphona post evangelium. Oratio super sindonem, Offerenda seu antiphona ad offerendam. Oratio super oblata, Præfatio, Confractorium seu antiphona post hostiæ confractionem ante orationem Dominicam dicenda, Transitorium seu antiphona post communionem, & translatum in alteram altaris partem librum dicenda. Oratio post communionem, & benedictio.

M O N I T U M

IN SEQUENTEM ORDINEM.

ANno Domini 1557. Matthias Flaccus Illyricus Centuriatorum Magdeburgensium princeps latinam ex veteri codice missam vulgavit Argentinæ, cum hoc titulo *Missa latina, quæ olim ante Romanam, circa septingentesimum Domini annum, in usu fuit, bona fide ex vetusto authenticoque codice descripta*. Hæc ubi primum in lucem emissa est, quasi catholicis penitus adversaretur, triumphos de ea egerunt Lutherani: quibus permotus Philippus II. Hispaniarum rex, ducis Albensis instinctu, ejus lectione interdixit; eamdemque postea Sixtus V. in librorum prohibitorum classem redegit. At proprios mox triumphos represserunt ipsi Lutherani, cum apertis tandem oculis, agnoscentes missam Illyricianam catholicis suffragari, sibique non parum adversari intelligentes, illam supprimere modis omnibus studuerunt. E contrario autem catholici ex hac palinodia proficientes, ipsammet accuratius legerunt, laudarunt, comprobarunt, & ad asserenda eucharistiæ, confessionis, & suffragiorum pro mortuis dogmata adhibuerunt.

Hanc in occidente, præsertim in Gallia & Germania, antequam Romanus Ordo admissus esset, usui fuisse, opinari se dicit Illyricus in epistola præliminari ad principem Palatinum: Guillelmus Peyratius, cui subscribit Carolus Cointius, eam pro antiqua Gallicana Liturgia indubitanter agnoscit. Verum hanc opinionem quatuor argumentis, totidemque demonstrationibus destruit eminentissimus Cardinalis Bona. 1. Quod in Gallicana Liturgia passiones martyrum recitarentur. 2. Quod eodem ritu celebraretur atque Tolerana seu Mozaraba. 3. Quod prima in eo lectio de prophetis, secunda ex apostolis, tertia ex evangelio desumeretur. 4. Denique quod silentium in ea diaconus indiceret: quæ omnia in missa Illyriciana cum non compareant, pro antiqua Gallicana haberi nullatenus potest: immo post extinctam Gallicanam aliquanto post scriptam fuisse duo persuadent. 1. Quod *Sequentiæ*, cujus origo nonum sæculum excedere non videtur, mentionem facit. 2. Quod in symbolo legitur additamentum *Filioque*, quod a Caroli Magni tempore exordium habet.

Eam autem scriptam fuisse ad usum monasterii S. Petri Hornbacensis in diœcesi Metensi, conjicit Mabillonius: conjecturam repetit ab una ex variis ad oblationem orationibus, in qua sacerdos celebrans offert *pro seniore nostro & cuncta congregatione S. Petri*; & in alia *pro nostræ Congregationis salute, & pro omnibus in Christo fratribus & sororibus nostris*. Et revera præfatum cœnobium *Congregatio S. Petri* ex monasterio *Hornbac* appellatur in titulo epistolæ 113. inter Bonifacianas ad Riculfum Lulli successorem. Hanc conjecturam etsi non rejiciam, longe tamen mihi probabilius videtur missam Illyricianam ad usum Salisburgensis ecclesiæ, quæ S. Petro dicata est, & Benedictinis institutis ab initio paruit: unde *Congregatio S. Petri* merito appellari potuit: a qua cum haud longe esset Virginum monasterium a S. Ruperto, qui eandem ecclesiam construxerat, fundatum; recte omnino offerri potuit *pro nostræ Congregationis salute, & pro omnibus in Christo fratribus & sororibus nostris*. Opinionem hanc nostram confirmat vetus Pontificale Salisburgense ms. ante annos 600. exaratum, in quo eadem missa compendio redacta continetur: id quod vitandæ prolixitatis causa subsecutis temporibus factum esse nemo non videt. Jam vero si quis missam Illyricianam cum Gallicana & Mozaraba a nobis modo relata conferat: eam ab illis omnino diversam esse deprehendet: immo nec in Galliis ante receptum Ordinem Romanum invectam, sed esse ipsissimam Liturgiam Romanam variis orationibus, a sacerdote dum chorus cantat recitandis, interpolatam, prorsus demonstrabunt aliæ, quas ex variis eisque antiquis codicibus subjiciemus, missæ.

O R D O IV.

Continens missam a Matthia Flacco Illyrico editam.

INCIPIT ORDO SACRAMENTORUM.

I*N primis, quomodo sacerdos Apologetica celebrare debeat, antequam ad missarum celebrationem accedat. Mox antequam sacerdotalibus induatur vestibus, si locus acciderit, vel tempus permiserit, flexis genibus coram altare cantet VII. Psalmos pœnitentiales cum litania, qua finita dicat* Pater noster. Credo in Deum Patrem omnipotentem. *Post has preces.*

Exurge Domine adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Dominus Salvator meus, & te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine: & misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim.

Non derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me.

Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice.

Fac mecum Domine signum in bono, ut videant, qui me oderunt & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

Ma-

communionem, qua finita dicit: Dominus vobiscum. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison. Benedicat, &c. *Diaconus, alioquin ipsemet sacerdos:* ℣. Procedamus in pace &c. *In missis pro defunctis dicto* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et

Dei misericordiam requiescant in pace. ℟. Amen. *Et dicto,* Placeat, *non datur benedictio.*

Deinde inclinatus ante medium altaris, junctis manibus, dicat Placeat tibi, &c.

Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me, da mihi intellectum ut discam mandata tua.

Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Egredere Domine in salutem populi tui: in salutem cum Christo tuo.

Converte nos Deus salutaris noster: & averte iram tuam a nobis.

Dignare Domine die isto, sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus Domine.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ, qui pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Domine non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Libera nos Deus in mirabilibus tuis; & da gloriam nomini tuo.

Extende Domine brachium tuum: & libera animas nostras, ne pereamus.

Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.

Memor esto Domine congregationis tuæ: quam possedisti ab initio.

Custodi nos Domine, ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege nos.

Protege nos Domine a facie impiorum: qui nos afflixerunt.

Esto nobis Domine in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvos nos facias.

Esto nobis Domine turris fortitudinis, a facie inimici.

Da nobis Domine auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

In Domino faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Deus tu conversus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

Sacerdotes tui induantur justitiam: & sancti tui exultent.

Domine Deus virtutum converte nos: & ostende faciem tuam: & salvi erimus.

Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.

His autem precibus finitis, dicat sacerdos has orationes.

Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

Omnipotens & mitissime Deus, respice propitius preces meas, & libera cor meum de malarum tentatione cogitationum, ut Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum merear.

Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, & quos delictorum catena constringit miseratio tuæ pietatis absolvat.

Exaudi quæsumus Domine supplicium preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

Omnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuam nobis ostende supplicibus, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium, sed indulgentiam sentiamus.

Omnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuam nobis placatus impende, ut qui te contemnendo culpam incurrimus, confitendo veniam consequamur.

Postea surgens ad induendum se vestimentis sacerdotalibus, primo dicat.

Intervenientibus pro nobis omnibus sanctis, & electis tuis, actiones nostras quæsumus Domine, & aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut omnis oratio, & cuncta nostra operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Tunc lavet manus hunc versum dicendo.

Lavabo inter innocentes, &c.

Oremus.

[Largire sensibus nostris omnipotens Deus, ut sicut hic] exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, & crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum.

Cum se exuerit quotidianis vestibus, dicat.

Conscinde Domine saccum meum, & circumda me lætitia salutari.

Hos psalmos interim dum paratur episcopus, circumstantes clerici cantant.

Quam dilecta tabernacula, &c. Benedixisti Domine terram, &c. Inclina Domine aurem tuam, &c. Fundamenta ejus in montibus, &c. Domine Deus salutis meæ. Credidi propter quod locutus sum. Memento Domine.

Induendum ad ephot, vel amictum.

Humeros meos Sancti Spiritus gratia tege Domine, renesque meos vitiis omnibus expulsis præcinge ad sacrificandum tibi viventi, & regnanti in sæcula sæculorum.

Ad albam.

Circumda me Domine fidei armis, ut ab iniquitatum flagitiis erutus, valeam æquitatem & justitiam custodire.

Oratio ad albam.

Omnipotens sempiterne Deus, te suppliciter exoro, ut fraude omnium fuscatorum exutus, alba veste indutus, te sequi merear ad regna, ubi vera sunt gaudia.

Ad cingulum.

Circumcinge lumbos meos Domine zona justitiæ, & circumcide vitia cordis, & corporis mei.

Ad præcinctorium.

Præcinge me Domine virtute, & pone immaculatam viam meam.

Ad stolam.

Stola justitiæ circumda Domine cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

Oratio ad stolam.

Dirumpe Domine vincula peccatorum meorum, ut jugo tuæ servitutis innixus, valeam tibi cum timore & reverentia famulari.

Ad subtile.

Indue me Domine vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis.

Ad dalmaticam.

Indumento hoc typico priscorum patrum ritu in modum crucis tramitibus purpureis contexto vestitus, humiliter postulo, ut ea commemoratione passionis tuæ, fiam tibi Domine Jesu Christe jugiter gratiosus, qui vivis, &c.

Ad casulam.

Indue me Domine sacerdotali justitia, ut induci merear in tabernacula sempiterna.

Oratio ad casulam.

Indue me Domine ornamento humilitatis, & charitatis, & concede mihi protectionem contra hostem insidiatorem, ut valeam puro corde, & casto corpore laudare nomen tuum sanctum in sæcula sæculorum. Amen.

Cum mappulam acceperit.

Investione istius mappulæ subnixe deprecor Domine, ut sic operer in temporali conversatione, quatenus exemplo priorum patrum in futuro merear perenniter gaudere per omnia, &c.

Cum mappulam induerit.

Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine pollutione mentis, & corporis valeam tibi servire. Amen.

Ad induendas manus.

Creator totius creaturæ, dignare me indignum famulum tuum indumentis justitiæ & lætitiæ induere, ut puris mentibus ante conspectum tuum assistere merear mundus.

Ad annulum.

Circumda Domine digitos meos virtute, & decora sanctificatione.

Ad rationale.

Da nobis Domine veritatem tuam firmiter retinere, & doctrinam veritatis plebi tuæ digne aperire.

Postquam infulatus fuerit, dicat hanc orationem.

Rogo te altissime Sabaoth, Pater sancte, ut me tunica castitatis digneris accingere, & meos lumbos baltheo tui amoris ambire, ac renes cordis, ac corporis mei charitatis igne perurere, quatenus pro peccatis meis possim digne intercedere, & astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare; me quoque audacter Domine ad te accedentem non sinas perire, sed dignare me mundare, lavare, ornare, & leniter ac benigne suscipere. Pater sanctissime, qui cum Filio, & Spiritu sancto vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Inde confessio.

Domine Deus omnipotens, qui es trinus & unus, & ubique præsens, tibi cofiteor omnia peccata mee, quæ si non confiterer, te tamen latere non possunt, quia peccavi nimis in cogitationibus, in locutionibus, diversisque operibus malis, & multis, & quia ego miser, & miserabilis, Domine, propter duritiam & nequitiam cordis mei, nisi tu edjuves me, in ipsa peccatorum meorum morte perduro, propterea propter te miserere mei, qui vivis, & regnas.

His omnibus rite peractis, dicat episcopus preces has.

Exurge Domine edjuve nos: Et redime nos propter nomen tuum.

Fiat misericordie tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

Deus tu conversus vivificabis nos: Et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: Et salutare tuum da nobis.

Ne intres in judicium cum servis tuis Domine: Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quie paupeges facti sumus nimis.

Propitius esto peccatis nostris Domine: Propter nomen tuum Domine.

Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.

Sequuntur Orationes.

Oremus.

Fac me quæso omnipotens Deus ita justitie indui, ut in sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum; meque tua misericordia e vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravet. Qui, &c.

Alia.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia Sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, atque æterna charitate diligere te merear. Per, &c.

Ad incensum imponendum.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit benedictum hoc incensum in odorem suavitatis Domino, & in remissionem omnium peccatorum nostrorum. Amen.

Ad osculandum evangelium.

Pax Christi in visceribus nostris permaneat.

Cum egreditur episcopus de Sacrario, dicat.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Ecclesiam intrans dicat.

Introibo in domum tuam Domine, & adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in justitia tua propter inimicos meos; dirige in conspectu tuo viam meam.

Averte Domine oculos meos, ne videant vanitatem, in via tue vivifica me. Deus propitius esto mihi peccatori.

Interim cum Processione egrediens ad gradus hunc psalmum pro se cum deducentibus eum cantet.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. *Cum Versu:* Virga tua, & baculus tuus, &c. *Quo finito subjungat orationem hanc.*

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui es magnus, & mirabilis Dominus, qui nobis donasti introitum in Sancta Sanctorum, incarnationem Unigeniti Filii tui Domini nostri obsecrantes, postulamus benignitatem tuam, quie in timore sumus, & tremore, volentes assistere ante sanctum, & gloriosum altare tuum, ut emittas super nos donum gratiæ Spiritus sancti, & innoves animas nostras, & corpora, ut mundo corde offeremus tibi sacrificium, donum fructiferum in remissionem peccatorum nostrorum, & populi tui per gloriam, & humanitatem Jesu Christi filii tui, qui tecum, &c.

Coram Altare autem stans cum Processione proferens confessionem det indulgentiam ministris hanc.

Indulgentiam, & remissionem ipse occultorum omnium cognitor per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, una cum Spiritu-sancto, contritionem spiritus, venerabiliter suscipere dignetur, quique mulieri peccatrici omnia peccate dimiserat lachrymanti, & latroni ad unam confessionem claustra aperuit paradisi, ipse vos redemptionis suæ participes ab omni vinculo peccatorum absolvat, & membra aliquatenus debilitata suæ medicina misericordiæ sanata, corpori sanctæ ecclesiæ redeunte gratia restituat, atque in perpetuum solidata custodiat. Qui vivit, & regnat.

Data indulgentia, adnectat has orationes.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, te humiliter deprecamur, ut non nos permittas perire, quia tua creature sumus, sed concede nobis spacium vitæ vivendi, ut ante diem exitus nostri per veram pœnitentiam, fidemque rectam, & puram confessionem tibi omnipotenti Domino in hac præsenti vite placere mereamur. Per, &c.

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens, & misericors Deus, ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per, &c.

Alia.

Famulorum tuorum quæsumus Domine delictis ignosce, & qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis filii tui Domini Dei nostri, & istorum, atque omnium Sanctorum tuorum intercessione salvemur. Per eumdem, &c.

Deinde in eodem loco presbyteris illum ducentibus, & diaconis prebeat osculum pacis; ipsique post acceptam pacem ab episcopo, singuli ascendant ad cornu altaris, osculantes illud. Et redeant presbyteri ad ducendum episcopum ad altare, & in ascendendo dicat orationem hanc.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aufer a nobis quæsumus Domine iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire.

Et dum pervenerit ad altare imponat per se antiphonam.

Introibo ad altare Dei, ad Dominum, qui lætificat juventutem meam.

Cum Psalmo. Judica me Deus, & discerne causam meam de gente.

Quo finito has adnectat preces.

Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non abscondi: iniquitates meas ego cognosco, & delicta mea contra me sunt semper.

Averte faciem tuam e peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quie in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tue disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulent animam meam, quoniam ego servus tuus sum.

Egredere Domine in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.

Tunc salutat evangelium dicens.

Pax Christi, quam nobis per evangelium suum tredidit, confirmet, & conservet corda, & corpora nostra in vitam æternam. Amen.

Deinde osculetur altare dicens hanc orationem.

Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris altaribus adstare voluisti, & sancti nominis tui laudare potentiam, concede quæso per hujus sacramenti mysterium, meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati digne ministrare, atque æterna charitate diligere te merear, &c.

Post hæc secrete dicat hanc confessionem.

Suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ Domine Deus meus Jesu Christe, quia gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitie, acidia, somnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate, & superbia perditus sum, & omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus malis eatinctu sum: qui justificas impios, & vivificas mortuos, jul [illegible], &

Alia.

Confiteor tibi peccata mea æterne Pontifex, & sanctorum minister, & veri tabernaculi sacerdotes, qui semel in anno in mysteria sancta intrasti, & sanctum immaculatum agnum proprii corporis tui ad hostiam dedisti pro peccatis meis. Tibi confiteor, quia debitor sum tibi non solum decem millia talenta delictorum meorum, sed totius vitæ meæ reddere rationem debeo, quia in omni vita mea nullum mandatum tuum perfecte a me custoditum scio, in quo ego sermone, visu, auditu, gustu, gressu, opere, cogitatione, aut suasione, vel consensu me deliquisse profiteor. Sed nunc Domine prævenio faciem tuam in confessione, & in conspectu Angelorum, & omnium sanctorum confiteor tibi peccata mea, veniam postulo pro delictis meis, teque obsecro, ut in hoc tempore accepto exaudias me, & in his diebus salutis adjuves me, ut in præsenti perfecte valeam recognoscere peccata mea, & æterno Judici confiteri, & per id veniam mereri omnium delictorum meorum, quatenus ad tremendum judicium tuum, securum me ab omnibus accusationibus inimici facias pervenire. Per eumdem, &c.

Alia.

Ego miser peccator, qui me præ omnibus Christianis sceleratissimum puto, & scio, confiteor Domino, & omnibus Sanctis ejus, omnibus sceleribus, & flagitiis infinitis ab ineunte ætate usque in præsentem diem me semper occupatum fuisse, sine aliquo divini timoris intuitu, maxime autem in fornicationibus nimiis, & variis, sedula ebrietate hoc perpetrante, negligentiis omnigenis, perjuriis, mendaciis, invidia, superbia, malitia, gula, avaritia, rapina, furto, in vana gloria, in arrogantia, in inobedientia, in contumacia, in duritia mentis, in contradictione, in murmuratione, in indignatione, in detractione, in ira, in odio, in maledictione, susurratione, in tristitia, in lætitia vana, in loquendo, in reticendo, in increpando immoderate, in remittendo incante, in dilectione vana, in riso, in joco, in scurrilitate, in discordia, in seminando discordiam, in ficta amicitia, in dando, & accipiendo, & in omnibus sensibus corporis me corruptum esse confiteor, & in omnibus pestibus, quæ ad mortem meam pertinent, me gravatum, & repletum esse profiteor: in tantum ut nec homicidii me securum confidam, quia plurimos per meam negligentiam fame mortificatos esse puto, quos aliquatenus vivificare potuissem, si de his, quæ superflua erant, propensiorem eis curam impendissem. Hæc omnia cum semper fecissem, nunquam ea pura confessione purgavi, vel debita pœnitentia minui, sed semper gravibus graviora adjeci. Pro his omnibus, & aliis innumerabilibus, quæ non solum non numerare, sed nec ad memoriam reducere potero, veniam a misericordissimo Domino peto, quia nescio ubi fugiam ab ira ejus nisi ad illum.

Post confessionem singularem sequuntur orationes.

Tuam Domine clementiam deprecor, ut mihi veniam peccatorum meorum concedas, & me in mandatorum tuorum custodias observatione, nec non etiam me indignum exaudire digneris pro omnibus, quorum confessiones, vel eleemosynas suscepi, vel qui se confidentia charitatis mihi commendaverunt, ut sive vivunt, sive in tuæ pacis spe requiescunt, tuæ propitiationis perpetualiter sentiant adjumentum.

Salva me, Domine, Rex æternæ gloriæ, qui potes salvare, da mihi & velle & operari, & perficere quæ tibi placent, & mihi expediunt, da in perturbatione auxilium, in persecutione solatium, & in omni tentatione virtutem, tribue de præteritis veniam; de præsentibus malis emendationem, de futurisque digneris largiri custodiam. Amen.

Alia.

Obsecro Domine Jesu cunctas Civitatis meæ portas justitiæ facias, ut ingressus in eas confitear nomini tuo, tuæque majestati cum ministris cælestibus eam crebrius invisenti non fœtor elati cadaveris occurrat; sed occupet salus muros illius, & portas ejus laudatio.

Alia.

Deus omnipotens miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri servi, contemptu sæculi sublimes, justitiæ merito gloriosi, castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum, qui post flagitia publica, pœnitendo tibi meruerunt esse devoti, qui etiamsi quid boni, tua gratia largiente, fecero, quo fine hoc faciam, quave e te districtione pensetur, ignoro.

Alia.

præsumo, improbis sæpissime factis offendo; tu enim mihi medicinam ingeris ægro, ego sanitati meæ indesinenter contraria ago; legem tuam sacris inditam paginis lego, sanam vero disciplinam infelix negligo, ad tuum quidem altare, quasi devotus accedo, sed a præceptis tuis contumaci corde recedo, quasi dignum me in oculis hominum ostendo, sed in tuo conspectu, quem occulta non fallunt, diversis sceleribus pollutus sordeo. Sed tuum est Domine Deus dare peccatori cor compunctum, fontemque lacrymarum, quo digne valeam abluere multitudinem scelerum. Meum est, si donaveris delicta deflere; tuum est, ea, ut nubem cito delere, & licet palmam amiserim innocentiæ; inimico suadente, saltem per confessionem veniam merear, te miserante, ut tibi sit gloria, laus & honor cuncta regenti in sæcula sæculorum, &c.

Alia.

Deus propitius esto mihi peccatori, quia tu es immortalis, & sine peccato solus. Domine Deus meus indulge mihi indigno famulo tuo & peccatori, quia peccator sum & indignus, qui præsumo ad sanctum altare accedere, & invocare te, quia peccavi coram te, & coram angelis tuis: sed per illorum intercessionem tribue mihi indulgentiam delictorum meorum, & confirma me in sancta Ecclesia tua in fide orthodoxorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ.

Alia.

Domine Jesu Christe Redemptor mundi, propitius esto mihi peccatori omnibus modis in peccatis jacenti, quia tu solus Domine immortalis es, & sine peccato; indulge mihi miserrimo præsumenti accedere ad sanctum altare tuum & invocare te; quia peccavi ab infantia mea usque nunc coram te, & coram angelis, & omnibus sanctis tuis, sed per illorum intercessionem tribue mihi divinam clementiam, veniamque peccatorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

Alia.

Deus misericordiæ & veritatis, clementiam tuam suppliciter deprecor, mihi misero innumerabilium veniam concedas peccatorum, quibus iram tuæ potentiæ provocavi, quatenus te miserante in hac vita secundum tuam voluntatem purgatus ad æternæ beatitudinis participationem, pertingam, cunctis etiam in corpore, sive extra corpus viventibus, qui mihi spiritali, vel carnali conjunctione cohærent; & qui se mihi vel confitendo, vel rogando, commendaverunt, nec non & quorum pecunias, vel eleemosynas suscepi, vel qui per meam negligentiam, seu malitiam corrupti sunt, manum misericordiæ tuæ porrigas, & per ineffabilem largitatem tuam adoptatam eis indulgentiam peccatorum concedas, & ad requiem beatorum spirituum perducere digneris. Per, &c.

Alia.

Clementissime Christe fidelium animarum redemtor, propitius quæso adesto meis indignis precibus exauditor, qui ad immolandam sacræ tuæ passionis hostiam tremens assisto, dum multifaria, & noxia me accusantia crimina recognosco, debita altaribus tuis indignus sacrificia tuo conspectu offerre præsumo, qui ante tuæ Majestatis præsentiam jaceo, corpore, mente, cordeque pollutus, sed habeas inter hæc suum antidotum Christe quo sanare bone Medice animarum vulnera nosti. Conscriptum quæso contra me, Arbiter alme, dele peccati chirographum, ne ultor a me suum ultra valeat exigere nummum. Ob hoc tuam Domine clementiam indigno ore, menteque deposco, ut sereno familiam tuam sacri tui nominis officia præstolantem, digneris aspicere vultu, ut per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus dignatus es tuum sanctum fundendo sanguinem esse redemtor, sed tua nos semper, & ubique protectione conserva, ut quos pretioso sanguine redemisti in terris, æterna facias cum sanctis tuis gloria munerari in cœlis, qui cum æterno Patre vivis, & regnas Deus in unitate Spiritus sancti in sæcula sæculorum. Amen.

Has orationes interim dicat, donec contentus Versus ad introitum, Kyrie eleison, & deinde carmen Angelorum.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, Hymnum dicimus tibi, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Domine fili unigenite, Jesu Christe altissime, Domine Deus, Agnus Dei filius Patris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis: Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram:

simus Jesu Christe, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Hac sequens Oratio dicatur ab episcopo interim donec hymnus Angelicus finiatur.

Oremus.

Deus, qui juste irasceris, & clementer ignoscis, qui etiam non mortem peccatorum, sed vitam desideras, me miserum, fragilemque peccatorem delictorum sordibus plenum, a tua pietate non repellas, neque respicias ad peccata mea, quæ male vivendo commisi, sed ad immensas misericordias tuas, quibus gratuito munere peccantibus subvenire consuevisti. Obsecro itaque Domine, ut immemor sis peccatorum meorum, & memor misecordiarum tuarum, vota, precesque meas dignanter suscipias, & dissimulatis fragilitatis meæ peccatis, labia mea aperias, & ad confessionem me tuæ laudis placatus admittas, qui per incarnationem, & humanitatem, D. N. J. Christi filii tui dedisti pacem hominibus, & cælestium collegium Angelorum, da me & de tuæ pacis ubertate repleri, & de angelicæ societatis unitate lætari; sicque me facias his temporalibus officiis interesse, ut ad tuas misericordias in æternum cum illis decantandas perpetuis electorum tuorum choris aggregari præcipias. Per, &c.

Finita Angelica laude missalem orationem dicat sacerdos. Deinde lectio recitetur, & inter lectionem, & evangelium, id est tempore Gradualis, & Alleluja, ac Sequentiæ episcopus dicat has orationes.

Ante oculos tuos Domine Deus, conscientiæ testis assisto, rogare non audeo, quod impetrare non mereor. Tu scis, Domine, quæ aguntur in nobis: erubescimus fateri, quod non timemus admittere: verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, & quod velle non dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce Domine confitentibus, ignosce precantibus, miserere te rogantibus. Et quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, & apud te non habent peccatores verba sine crimine, præsta Domine, ut si ex nobis indignis duri cordis verba non suscipis, per temeptipsum veniam largiaris. Qui vivis, &c.

Alia.

Christe parce, miserere mei, non secundum merita mea, sed secundum misericordiam tuam. Noli me despicere peccatorem. Noli me reprobrare, sed suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. Miserere mei Domine, qui peccavi tibi, da mihi fontem lacrymarum, fons vitæ, & lux luminis: concede mihi in præsenti vita veram pœnitentiam de peccatis meis, & in bono perseverantiam. Domine exaudi orationem meam. Quis vivis, &c.

Alia.

Quæsumus immensam pietatem tuam, Deus, ne nos pro nostra iniquitate condemnes, sed pro tua pietate in via recta disponas, nec sicut meremur delinquentibus irascaris, sed fragilitati nostræ invicta bonitate subvenias, omnibusque errantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ.

Alia.

Mordacis conscientiæ stimulis, & delictorum nostrorum recordatione communiti, Dominum indulgentiæ deprecamur, ut quidquid dicto, facto, cogitatione deliquimus, sive lubricæ ætatis impulsu, sive errore ignorantiæ commisimus, pietas Domini nostri solvere, ac perdonare dignetur, ut te, Domine, annuente, valeamus quæ mala sunt declinare, & quæ bona sunt consequenter explere, & quia nos fecisti ad tua sacramenta pertinere, tu clementer in nobis eorum munus operare, omnibusque errantibus indulge, juxta magnitudinem pietatis tuæ.

Alia.

Si ante oculos tuos Domine, culpas quas fecimus, & plagas, quas vel durissimas in hac vita pati possumus conferamus, minus est, quod patimur; majus est, quod meremur; peccati pœnam sentimus & peccandi pertinaciam non evitamus; in flagellis tuis fragillitas nostra frangitur, & iniquitas non mutatur; mens ægrota torquetur, & cervix dura non flectitur, vita in dolore suspirat, & tamen in opere non se emendat. Si expectamur, non corrigimur; si vindicas, non duramus; confitemur in correptione quod fecimus; obliviscimur in visitatione quod flevimus: si impresseris manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non facimus; si feriaa, clamamus ut parcas; si parcis, iterum te provocamus ut ferias; si angustiæ veniunt, tempus petimus pœnitentiæ; si misericordia subveniat, abutimur patientia quæ pepercit: adhuc plaga illata vix præterit, etiam non remurmuramus. O Domine, volumus te servare quod feceris, non timemus negligere quod jusseris: habes Domine confitentes reos, parce quia pius es. Novimus, quod nisi dimittas, recte nos punias; sed apud te est multa miseratio, & propitiatio perabundans; præsta sine merito quod rogamus, qui fecisti qui te rogarent. Clamantibus autem ad te nobis Domine miserere. Moveat pietatem tuam vox fidelis, & flebilis, atque illa de qua totum speramus pietas non putet quod offendimus, dum respicit quod rogamus; & cum sit grandis miseria esse nos reos, major tibi sit clementia erga nos miseros. Erige nos Domine Deus noster, & alleva misericordia tua, ut communione salutis, & gaudio charitatis, dum ipsi salvari ex munere tuo cupimus, etiam fide & pace cunctarum gentium gaudeamus. Per, &c.

Alia.

Ante conspectum tuæ inæstimabilis majestatis, sancta Trinitas, & vera Unitas, omnipotens æterne Deus, non sine debita reverentia, attamen nulla officii dignitate vilis admodum peccator accedo, & reus conscientiæ assisto testis, accuso ego me, & non excuso, sed coram testibus; scilicet omnium Sanctorum tuorum reliquiis, vel omnibus Sanctis tuis in cœlo, & in terra, confiteor omnes injustitias meas tibi, quatenus per eorum merita, & intercessiones remittas omnem peccati mei impietatem, quia ego peccavi in cœlum, & coram te; etiam non sum dignus vocari filius tuus, peccatorum sordibus involutus, sed tu occultorum cognitor miserere mei, & resuscita me de morte animæ meæ, & septiformi gratia Spiritus-sancti illumina cor meum, & doce me facere voluntatem tuam ubique, quia Deus meus es tu. Amen.

Alia.

Miserere, Deus, omnibus errantibus, & ad te pertinentibus, & his omnibus miseresce, pro quibus debitores sumus exorare, vivis sive defunctis, vel quorum eleemosynas, & confessiones suscepimus, & nomina ad commemorandum conscripsimus, quatenus his omnibus misericorditer indulgeas, & vitam æternam concedas, nec non persequentibus nos, & calumniantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ. Amen.

Alia.

Succurre mihi Deus meus antequam moriar, antequam me tormenta rapiant, antequam me tenebræ obvolvant. Reus enim judicii tui teneor peccati pavore, iram tuam formido; si enim vix justus salvabitur, ego impius ubi ero? quid faciam, dum venerit tremendi judicii dies? Cum examen judicii venerit, quid respondeam? quid vero dicturus sum, cum ante tribunal Christi fuero præsentatus? Melius fuisset non in sæculo procreatum, quam æterna supplicia perpeti cruciandum: Peccavi enim sæpe in verbo, in facto in cogitatione, & peccavi crudeliter: nullum invenitur peccatum, cujus sordibus non sim ego miser inquinatus, nullus est morbus vitiorum, a quo non contraxi contagium. Semper delicta mea iteravi: plurimos pravis moribus ad iniquitatem perverti: exemplis vitæ meæ multi subversi sunt. Obsecro vos omnes choros sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & omnium sanctorum, ut oretis pro me, ut misereatur mei Deus, & deleat peccata mea, uti auferat iniquitatem meam, & recipiat me in gaudium sempiternum. Tu Domine misericors, clemens, & pius, nullum relinquis, nullum respuis, nullum secludis a misericordia tua. Converte animam meam in requiem paradisi. Tu ovem errantem requisisti, & inventam tuis humeris reportasti ad gregem; quæso hanc vilissimam animam manibus attrahe, & offer benedicto, & immortali Patri tuo, coram Cherubim & Seraphim, & coram sanctis Angelis, ut deliciis paradisi fruens cum eis dicere possim: Gloria Patri immortali, gloria Filio immortali, gloria Spiritui-sancto immortali in sæcula sæculorum. Amen.

Alia.

Domine Jesu Christe, qui me tuo sanguine redemisti, exaudi me peccatorem quotidie peccantem, & in peccatis nimiis jacentem. Tibi soli peccavi, te Christe confessus sum. Ego peccavi coram te, & coram omnibus sanctis tuis, in verbis, & in factis, in omnibus cogitationibus meis, quibus excogitare potui. Infelix ego homo! innumerabilia sunt peccata mea: miserere mei Deus, omnipotens Deus. Veniam peto coram te & sanctis tuis, de universis peccatis meis præteritis, præsentibus & futuris. Deus propitius esto peccatori, & da mihi licentiam in hac vita agendi pœnitentiam; per quam deleam omnia peccata mea, quia nescio ubi fugiam, nisi ad te Christe, quia tu es vita vivorum, & resurrectio mortuorum. Orate pro me

elesti Dei; orate pro me, ut Deus omnipotens illuminet vultum suum super me miserum, & misereatur mei. Qui vivit, & regnat, &c.

Alia.

Domine Jesu Christe, integritatis amator, mundi cor meum ab omnibus sagittis, & insidiis inimici, & extingue in me omne incendium libidinis, & ad veram humilitatem, & patientiæ tranquillitatem converte; pectus meum succende charitatis stimulis, ut odio habens omnem viam iniquitatis, possim cunctis diebus vitæ meæ tibi complacere. Qui vivis, &c.

Alia.

Tuam Domine clementiam precor, ut mihi famulo tuo remissionem cunctorum tribuas peccatorum, & omnibus pro quibus debitor sum exorare, vivis sive defunctis, misericordiæ tuæ munus impendas, ut ad æternam vitam tua gubernatione perveniant, & tuæ ubique gratiæ dona percipiant. Per, &c.

Alia.

Projectis nobis, Domine, in condemnationem operum nostrorum, da capiti nostro aquam, & oculis nostris fontem infunde lacrymarum, ut peccati maculas abluendo, ultrices pœnarum flammas fletuum ubertate vincamus. Et quia tibi, Domine, non sunt occulta quæ gessimus, concede, ut in nobis, non oris sit tantum confessio, sed etiam cordis, nec excusatio criminum, sed lamentatio peccatorum. Siquidem castos cordis nostri oculos lasciviæ violavit aspectus, sunt mores corrupti, disciplina violata, simulatio in vultu, fallacia in verbis, dolus in corde, volubilitas in lingua, operatio stulta, meos dubia, concupiscentia carnalis, sollicitudo terrena, oblivio animæ, negligentia sanctitatis, super hæc autem mortis timor increvit. Miserere nobis Domine, miserere nobis, & da de præteritis malis veniam, de præsentibus emendationem, & de futuris cautelam. Qui vivis, &c.

Alia.

Impellit me peccatorem ministrandi officium, hostiam salutarem offerre pro populi delicto: sed terret conscientia indebiti sacerdotii pro reatu, si a me omnium sacerdotum peripsemate sacrificium offertur, pollutæ conscientiæ crimen augetur. Si tantæ majestati, & universæ carnis judici non offertur, negligentiæ reatus adscribitur. Inter hæc tuæ omnipotens Deus libramen pietatis imploro, cujus ultionis diem accusante conscientia pertimesco, ne me indignum, quæso, misericordia tua judices, quem a tempore pœnitentiæ non excludis.

Suspende, precor, interventu istorum, & omnium sanctorum meritis securim, donec cultor vineæ admoveat cophinum stercoris ad radicem infructuosæ arboris. Parce mihi, Domine clementissime, pœnitenti, qui David post lapsum clementer ad veniam revocasti, qui Petri misericors amare flentis lacrymas respexisti; qui latronem in crucis patibulo tanti facinoris reum divina gratia illustrasti; cui mox obtinuit confessio propitium Dei Filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia sempiterna, dum confessor in cruce, possessor extitit paradisi propter crucem. Sed quia verba veniæ tuæ pietatis indigent, quæ indigni sacerdotis opera non commendant, saltem astantium vota suscipe, ut & mihi suis apud te precibus veniam, & eorum meritis sacrificia, nostrorum vulnerum nobis conferant medicinam. At quia omnipotens, pro omnium peccatis factus es hostia salutaris, adsis nobis justificatio pro delictis, Jesu Christe Salvator mundi. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas, &c.

Oratio pro semetipso.

Salva me Domine Rex æternæ gloriæ, qui potes salvare, & da mihi, ut valeam & operari, & perficere quæ tibi placeant, & mihi expediant: Domine sancte, Pater omnipotens, Deus da mihi in tribulatione auxilium, in persecutione solatium, & in omni tempore tentationis virtutem.

Domine sancte, piissime Pater, da mihi de præteritis delictis veniam, de præsentibus emendationem, de futuris largire custodiam, quia malum dimittere non possum, nec bonum facere, nisi succurrat mihi misericordia tua magna, ut te merear cognoscere, & timere, & amare ex toto corde. Domine Jesu Christe Redemtor omnium, qui es refugium pauperum & consolator tribulatorum, per tuam magnam misericordiam sis mihi consolatio in omnibus angustiis & tribulationibus meis, quia non habeo in aliam spem nisi in te, quia tu es refugium meum, & virtus in tribulationibus meis, quæ invenerunt me nimis. Propterea clamo ex toto corde ad te, ut exaudire me digneris, & hæc omnia, quæ indignus precor, clementia tuæ pietatis pietate, ac majestate tribue, quia tu es consolatio, & protectio vitæ meæ in omni tempore, &c.

Oratio in quacumque tribulatione.

Deus, qui contritorum non despicis gemitum, & mœrentium non spernis affectum, adesto precibus nostris, quas pietati tuæ pro tribulatione nostra effundere præsumimus; implorantes ut eas clementer suscipere digneris, tribuasque, ut quicquid contra nos diabolicæ, atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, & consilio pietatis tuæ allidas, ut nullis adversitatibus læsi, sed erepti de omni tribulatione, & angustia, læti tibi in ecclesia tua sancta gratias referamus per Christum, per quem te summe Deus rogamus, ut preces has attendas, & propitiabili dignatione ad hanc nostram orationem respicias, quam tibi pro ereptione ac revelatione a pressura nostræ infirmitatis offerimus. Jam Domine respice super nos vultu placabili, & misericordia singulari a nobis amove quod sævitia malorum promittit, quod inimicorum pravitas infert, quod pravorum in consiliis adversitas alligat, quod ex judicio imminet, quod ex sententia pendet, quod conspiratione machinatur, quod accusatione constringitur, quod propriæ merentur iniquitates, quod alienis fictionibus alligamur, quod pressuris dejicimur, quod cruciatibus premimur, quod angustiis angustiamur. Non justitiam tuam, quæsumus Domine, in injustitiis nostris exerceas, sed potius pietatem tuam in iniquitatibus nostris manifesta; non nos in persecutione dejicias, non per intollerantiam perdas; sed per tribulationem exerce, per pietatem attolle, per misericordiam rege, quo te protegente ab inimicorum jaculis tuti, a præsenti tribulatione exempti, te Dominum vivum in Trinitate consona laudemus voce. Qui cum Unigenito Filio tuo, sanctoque Paraclito Spiritu vivis, & regnas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Oratio Pastoris dicenda pro se, & pro subditis.

Dimitte Domine Deus omnipotens quicquid per intemperantiam mordacis linguæ incauta oris nostri increpatio momordit in subditos, quicquid minus de boni perfectione diximus parce, quicquid incongruum, vel minus temperate protulimus ignosce. Non incautum præsumtio puniat, sed agnoscentem me iniquitates meas, miserationis tuæ pietas absolvat. Et quia non mihi alibi est fiducia, nisi in misericordia tua, Tu & os meum præconio veritatis perarma, & opus pleniore ubertate sanctifica, ut & indignum salves, & commissum mihi gregem pro tua pietate sanctifices. Quidquid in illis vitiatum est sana, & quidquid in me vitiosum inspicis cura; si quæ vitio tepiditatis meæ, vel incuria contraxerunt delicta, propitius dimitte. Si quo etiam me ignorante, vel sciente ceciderunt in crimine; atque si exempli mei offendiculo proruerunt, manu misericordiæ tuæ inde eripe, & pro talibus culpis misero mihi non restituas ultionis vicem. His tamen, quibus increpationis visus sum adhibere judicium, increpatio proficiat ad salutem. Et oratio hæc interpellans commisso eos revocet ab errore, ut non perferant tartareos cruciatus, quibus utpote mortalibus pœnitentiæ indiximus leges, quo utrorumque incommodis parcens, & illorum iniquitatibus tribuas veniam, & meam contractam abluas de regendi incommoditate offensam. Præbe Deus aurem sacrificiis nostris, & me, mihique commissos tuis adscribe in paginis, quo cum grege mihi credito, & a cuncto eluar crimine, & ad te merear pervenire in pace. Pacatum redde Deus nostrorum cordium habitaculum, expulsione carnalium vitiorum; & quia in subditis conor summam exercere virtutum, pacatis mentium corporumque incomodis pacificus merear te judicante coronari cum angelis. Fac ergo quæsumus non pie Deus adspicientes in conspectu tuo flammescete tuæ gratiæ donum, ut zelus domus tuæ nos comedat, atque ita per vigorem Sancti Spiritus regentes subditos temperemus, ut ex disciplina nostri regiminis capiant lucrum, & illorum duritia frangatur, ac vita sanctificetur. Suscipe Domine nostrorum votorum libamina, & per hæc quidquid in subditos correctionis verbo, vel merito impertimur non ad discordiam nostri, sed ad dulcedinis perpetuæ gaudium, & nobis, & illis profecisse gaudeamus. Ablue nos omnipotens Deus, & alieno, & proprio delicto, ut in utroque & spiritualis gratiæ efficientiam capientes, fiducialius tuo nomini supplicemus. Per, &c.

Cum incensum ante Evangelium in thuribulum mittitur, dicat sacerdos:

Odore cælestis inspirationis suæ accendat, & impleat Dominus corda nostra ad audienda, & implenda Evangelii sui præcepta. Qui vivis, &c.

Benedictio ejusdem.

Deinde inclinanti se diacono dat benedictionem Dei, dicens:

Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus-sancti, descendat super te, & aperiat Christus Dominus os tuum ad digne idoneeque pronunciandum sanctum Evangelium suum. Dominus Deus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut nuncies competenter Evangelium pacis,

Diaconus accipiendo, vel osculando Evangelium dicet:

Da mihi Domine sermonem rectum, & bene sonantem in os meum, ut placeant tibi verba mea, & omnibus audientibus propter nomen sanctum tuum in vitam æternam. Amen,

Perlecto autem Evangelio, diaconus dicat:

Per istos sermones sancti Evangelii tui, indulge mihi Domine omnia peccata mea.

Et ceteri omnes dicant:

Pax tibi.

Tunc allato incenso, simulque Evangelio ad salutandum, dicant singuli.

Per istos sanctos sermones Evangelii Domini nostri Jesu Christi, indulgeat nobis Dominus universa peccata nostra.

Quando incensum offertur dicant singuli.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo Domine.

Tunc sacerdos incipiat Symbolum, idest.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium: Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum: Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu-sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas: Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem. Qui ex Patre, Filioque procedit: Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum: Et vitam futuri seculi. Amen.

Finito Symbolo Apostolorum, dicat sacerdos:

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Deinde lavet manus, hanc orationem dicens:

Largire sensibus nostris omnipotens Pater, ut sicut hic exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, & crescat in nobis sanctarum augmentum virtutum, Per, &c.

Hæc prædicta oratio dicenda est a sacerdote cum manus lavat, sive ante Missam, vel interim, seu postea.

Tamdiu autem, quamdiu offertorium, & versus cantantur, has dicat Orationes.

Domine Deus omnipotens, fac me peccatorem hodie secundum magnam misericordiam tuam accedere ad sanctum Altare tuum, & præsta ut non sit mihi hoc sacrificium reatus ad pœnam, sed ablutio salutaris ad veniam, Per, &c.

Deus qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos; munda cor meum, & corpus meum ab omni cogitatione mala, & sorde peccati, & fac me digne, atque strenue sanctis altaribus ministrare tuis, & concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles offeram pietati tuæ pro peccatis, & offensionibus meis, & innumeris quotidianis excessibus. Et pro grege mihi commisso, & famulis, & famulabus tuis, qui mihi confessi sunt peccata sua, & suas eleemosynas largiti sunt. Et pro populo mihi subjecto, & omnibus circumstantibus, omnibusque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus odio execrabili insectantibus, & ecclesiæ mihi commissæ adversantibus, cunctisque simul fidelibus Christianis. Et per eum sit tibi meum votum atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit in sacrificium, qui est summus Sacerdos, & Pontifex, & solus sine macula peccati, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus, per omnia, &c.

Alia.

Majestatem tuam totis viribus, Deus piissime, humili prece deposco, & oro, ut remittas crimina, quæ caro misit: etiam reverti ad ea ultra non sinas, sed confirma me in justificationibus tuis, & perseverantiam mihi tribue in illis, & fac me dignum ante conspectum Majestatis tuæ astare, & sacrificium tibi, Domine, casto corpore, & mundo corde digne offerre. Per, &c.

Cum autem ornatum fuerit altare, antequam oblationes accipiat, has orationes humillime ante altare se flebiliter accusans dicat:

Ante oculos tuos, Domine, reus conscientiæ testis assisto, rogare non audeo, quod impetrare non merear; Tu scis, Domine, quæ aguntur in nobis, erubescimus confiteri quod non timemus admittere. Verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce, Domine, confitentibus: ignosce peccantibus: miserere te rogantibus: Et quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, & apud te non habent peccatores verba sine crimine, præsta, Domine, ut si ex nobis indignis, & peccatoribus duri cordis verba non suscipis, per temetipsum veniam largiaris. Qui vivis, & regnas, &c.

Alia.

Deus, qui te præcipis a peccatoribus exorari, tibique contriti cordis sacrificium offerri, hoc sacrificium, quod ego indignus famulus tuus confisus de tua misericordia, tuæ immensæ majestati offerre præsumo, acceptare dignare; & ut ipse tibi sacerdos, & ara, & templum, & sacrificium esse merear, propitiatus concede, quod per ministerii hujus exhibitionem peccatorum meorum adipisci merear remissionem, mihique & his omnibus, pro quibus offertur, tuam misericordissimam propitiationem concede. Per, &c.

Alia.

Conscientia quidem trepidi, Domine, ad altare tuum accedimus, sed fiduciam de tua misericordia retinemus, & licet ad celebranda sacrificia semper inveniamur indigni, tamen, si recedimus, veremur de inobedientia condemnanari, pro qua re pietate paterna, omnipotens Deus, atque placabili vultu cordis nostri interiora purgare digneris, precamur etiam, licet culpabiles simus, nostrorum tamen tibi sint placita mysteria consecrata.

Alia.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo, miserere mihi, Domine, homini peccatori, ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce mihi, Domine, præ ceteris capitalium criminum labe polluto, & non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: scilicet vitiis ac voluptatibus carnis aggravatus sum. Recordare, Domine, quod caro sum, in tuo conspectu etiam cœli non sunt mundi, quanto magis ego homo terrenus immundus sicut pannus menstruatæ? Indignus sum, Domine Jesu Christe, ut sim vivens; sed tu, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; mihi veniam in carne constituto, ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfrui merear in cœlis, &c. Qui vivis, &c.

Alia.

Altissime Deus ignosce mihi peccatori, quia totius vitæ meæ superavit me iniquitas; quo vultu te conspiciam, Domine, vel quibus verbis me coram tuis conspectibus excusabo? Nec enim potero abscondi ante te, qui secreta cordis consideras. Væ mihi peccatori, qui sancto altari tuo indignus assistens, nullum apud voluntatem tuam mentis ornamentum exhibui: sed tu, Domine miserator & misericors, qui creasti cuncta ex nihilo, qui me quoque immeritum formasti, & statuisti digne tibi servire, non me repellas a cœlesti tuo sacrario, nec confundas me ante conspectum tremendæ Majestatis tuæ.

Ego vero tibi servire, tibi Domine placere proposui, sed per meam negligentiam non implevi: ego ergo tam in terris, quam in cœlo destitutum & nudum me esse conspicio, quia mandatorum tuorum non custodivi præcepta. Non est igitur mihi spes salutis in operibus meis, sed anima mea in sola pietatis tuæ immensitate suspensa est, & in multitudine misericordiæ tuæ confidit, ut eam salvam facias, Domine Jesu Christe, qui non vis mortem peccatorum, nisi ut convertantur, & vivant. Respice secundum magnam misericordiam tuam super me miserum, & rumpantur funes peccatorum meorum, ut non peream. Respice in me Domine de sede Majestatis tuæ, & tenebras cordis mei radio tuæ lucis expelle. Protege me Domine scuto veritatis tuæ, ac fidei, ut me diaboli jacula ignita non penetrent: Et quicquid illud est, quod infelicitas mea a te petere non sapit, aut non præsumit, id tu, Domine, pro virtute tua tribue, quod animam meam sal-

num porrigas, & lumen ostendas, & illud indulge, quod feci, & concede ne amplius faciam. Amen.

Alia.

Ignosce quæso mihi, Domine, quem maculatæ vitæ conscientia trepidum, & criminum meorum confusio fecit esse captivum, & qui pro me veniam obtinere non valeo, pro aliis rogaturus assisto. Profero ad te, si digneris, Domine, captivorum gemitus, tribulationes plebium, pericula populorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria iuvenum, vota virginum, lamenta viduarum, desolationes ecclesiarum. Sed quoniam me eadem, quæ populum, catena peccati constringit; ideo omnes lugeo passiones. Non obsit, Domine, populo tuo oratio subjugata peccatis, per me offertur votum, per te, Domine, meum compleatur officium, quia vivis, & regnas, &c.

Tunc accedens ad altare, & illud osculando dicat:

Oro te, Domine omnipotens Deus, ut per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic continentur, eorum intercessionibus indulgere digneris mihi omnia peccata mea. Qui vivis, &c.

Tunc convertat se suscipere oblationes presbyterorum aliorumque. Quando quis oblationem in manu episcopi vel presbyteri affert, dicat:

Tibi Domine creatori meo offero hostiam pro remissione omnium peccatorum meorum, & cunctorum fidelium tuorum, vivorum ac defunctorum.

Pro semetipso, & pro cuncto populo Christiano.

Tibi Domino creatori meo offero hostiam placationis pro delictis meis, & populi tui: peto Domine, ut des nobis veniam omnium peccatorum nostrorum.

Pro Rege, & Antistite nostro, & pro cuncto clero, ac pro omni populo Christiano.

Tibi Domino creatori meo offero hostiam placationis & laudis, pro me, & pro Rege nostro, & Antistite nostro, ac pro cuncto populo Christiano: peto Domine, ut des nobis vitam æternam.

Episcopus vero, vel presbyter, oblationes accipiens, dicat:

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus N. & præsta, ut in conspectum tuum tibi placens ascendat, &c.

Post acceptas oblationes a clero, vel plebe, accipiat diaconus de manu subdiaconi oblatam, ita dicendo:

Acceptum sit omnipotenti Deo, & omnibus sanctis ejus sacrificium tuum.

Veniensque diaconus ante episcopum offerat dicens hoc offertorium.

Suscipe, Domine sancte Pater, hanc oblationem, & hoc sacrificium laudis in honorem nominis tui, ut cum suavitate ascendat ad aures pietatis tuæ. Per, &c.

Et episcopus accipiens oblationem a diacono, dicat:

Acceptabilis sit omnipotenti Deo oblatio tua.

Tunc puro corde offerat Domino oblatam ita dicens:

Suscipe, sancte Pater omnipotens, æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus tibi offero Deo meo vivo, & vero, quia tu pro æterna salute cunctæ Ecclesiæ tuæ supplicitas auxero. Pas, &c.

Alia.

Suscipe, clementissime Pater, hostias placationis, & laudis, quas tibi offero ego indignus famulus tuus, quia tu scis figmentum meum, quia peccavi in conspectu tuo, & non sum dignus tibi hostiam offerre, sed tu clemens, & misericors indulge mihi, & indulgentiam quærentem placatus suscipe Clementissime. Qui vivis, &c.

Istæ orationes cum oblationes offeruntur ad altare dicendæ sunt, & est hæc prima quotidiana, & generalis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honorem Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum hic nomina, & reliquiæ habentur, ut proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per, &c.

Pro semetipso.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi dias, pro salute corporis & animæ meæ, ut hic tu donante mandata tua custodiam, & in futuro præmia æterna consequi merear. Per, &c.

Alia pro semetipso.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & miserrimo omnium hominum, & pro meis peccatis innumerabilibus, quibus peccavi coram te in dictis, in factis, in cogitationibus, ut præterita mihi dimittas, & de futuris me custodias, & pro sanitate corporis, & animæ meæ, & pro gratiarum actione de tuis bonis, quibus quotidie utor. Domine averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Apologia sacerdotis.

Suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ, Domine Deus meus, quia peccavi in lege tua in cogitationibus, in verbis, in factis, & multa sunt peccata mea, & negligens sum de opere Dei, & de ordine meo, quia peccavi de vana gloria, de superbia, de detractione, de fornicatione, de furto, de falso testimonio, de perjurio, de adulterio, de opere Dei, quod ego neglexi feci, de concupiscentia carnali, de risu, de audito, de visu, de gula, de crapula, vel de omnibus malis meis; quæ ego negligenter commisi, veniam inde peto Domine, quia culpabilem me recognosco.

Alia.

Deus, qui per os David locutus es, Vovete, & reddite Domino Deo vestro, te suppliciter exoro, ut me famulum tuum vigilanter custodias, & oblationem, quam tibi pro memetipso offero, interveniente Beata Maria semper Virgine, clementer accipias, qui vivis &c.

Alia.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam ego indignus, & peccator famulus tuus tibi offerre præsumo pro absolutione peccatorum meorum, quatenus te Domino miserante remissio, & indulgentia peccatorum concedatur.

Pro familiaribus, ac fratribus, & sororibus.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & nostræ congregationis salute, & pro omnibus in Christo fratribus, & sororibus nostris, & pro omni populo christiano, & pro omnibus eleemosynas nobis facientibus, & pro his etiam qui se commendaverunt in nostras orationes, & qui nostri memoriam in suis orationibus habent, ut hic veniam recipiamus peccatorum, & in futuro præmia consequi mereamur æterna.

Pro Rege, & populo christiano.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro Rege nostro, & sua venerabili prole, & statu regni sui, & pro omni populo christiano, & pro eleemosynariis nostris, & pro his, qui nostri memoriam in suis continuis orationibus habent, ut hic veniam recipiant peccatorum, & in futuro consequi præmia æterna mereantur. Per, &c.

Pro ecclesia catholica.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam pro Ecclesiæ tua sancta catholica tibi offero, ut tibi grata sit, & ipsi salutaris semper existat. Per &c.

Pro salute vivorum.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro salute famuli N. tui, quatenus te donante percepta venia peccatorum, vitæ quoque sempiternæ immansa gaudia percipere mereatur.

Pro infirmis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro infirmo famulo tuo N. ut mentis, & corporis recepta sanitate, in ecclesia tua sancta tibi laudes referat, & de verbere tuo æterna præmia consequi mereatur.

Pro defuncto.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro anima famuli tui N. ut per hoc salutare sacrificium purgata sanctorum tuorum consortio condunari mereatur. Per, &c.

Pro defunctis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum, famularumque suarum, & requiem æternam dones eis inter tuos sanctos, & electos, ut in illorum consortio vita perfruantur æterna. Per, &c.

Alia.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi

requiem habeent, & a pœnis impiorum segregati, semper in tuæ laudis lætitie perseverent. Per, &c.

Pro omnibus universalis.

Suscipe sancte Trinitas hanc obletionem, quam pro Seniore nostro, & cuncte congregatione sancti Petri, meisque parentibus, fratribus, benefactoribus, fidelibus, amicis, meisque propinquis, & omnibus circumstantibus, cunctisque, qui se mihi commendaverunt, & qui pro me orant, seu pro quibus debitor sum exorare, tam vivis quam defunctis, tibi offero, quatenus te Domino miserante, eis & mihi remissio, & indulgentie peccatorum concedatur, & vite æterna condonetur. Per, &c.

Tunc imponat oblatam altari, & dicat:

Sanctifice Domine hanc obletionem, ut nobis unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi corpus fiet. Qui tecum vivit, &c.

Deinde diaconus accipiat a subdiacono vinum, & misceat cum aqua in calice, dicens:

Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti, da nobis quæsumus per hujus aquæ, & vini mysteria ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ dignatus est fieri particeps Jesus Christus.

Tunc diaconus calicem offerat super altare, & episcopo dicat:

Immole Domino sacrificium laudis, & redde altissimo vote. Sit Dominus adjutor tuus, mundum te faciat, & dum oràveris ad eum exaudiat te.

Et sacerdos calicem offerens dicat offertorium istud.

Offerimus tibi Domine calicem salutaris, & deprecamur clementiam tuam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

Sequitur Oratio.

Domine Deus Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ, de latere tuo sanguinem & aquam, unde tibi ecclesiam consecrares, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium altari tuo superpositum, & concede clementissime, ut pro redemptione nostre, & etiam totius mundi in conspectum Divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Qui vivis, &c.

Posita calice super altare, dicat sacerdos.

Obletum tibi Domine calicem sanctifica, ut nobis unigeniti tui D. N. Jesu Christi sanguis fiet. Qui tecum, &c.

Tunc benedicat utrosque elevata manu, & dicat:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sit signatum, ordinatum, sanctificatum, & benedictum hoc sacrificium novum.

Adjungat.

Veni sanctificator omnipotens, æterne Deus, & benedic hoc sacrificium tibi præparatum, Qui vivis, &c.

Postea accipiens episcopus thus a diacono, ponat in thuribulum, dicens:

Per intercessionem sancti Gabrielis Archangeli stantis a dextris altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud Dominus dignetur benedicere, & in odorem suavitatis accipere.

Hæc oratio dicenda est, dum incenso misso in thuribulum, ipsum thuribulum super panem & calicem circumducitur.

Memores sumus æterne Deus, Pater omnipotens, gloriosissimæ passionis Filii tui, resurrectionis etiam ejus, & ascensionis ejus in cœlum. Petimus ergo Majestatem tuam, ut ascendant preces humilitatis nostræ una cum incenso isto in conspectum tuæ clementiæ, & descendat super hunc panem & super hunc calicem plenitudo Divinitatis. Descendat etiam Domine ille sancti Spiritus incomprehensibilis invisibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat. Per eundem, &c. ejusdem, &c.

Circumiens autem altare cum incenso episcopus aut presbyter, dicat:

Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te Domine & descendat super nos misericordie tua.

Sequitur.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo Domine.

Quando odor incensi porrigitur sacerdoti & fratribus, dicat unusquisque eorum.

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, & flammam æternæ charitatis.

Tunc sacerdos humillime se convertat ad circumstantes, dicens;

Orate pro me peccatore fratres & sorores, ut meum, & vestrum sacrificium acceptum fiat Domino Deo omni-

& orationes tuæ ascendant in memoriam ante Dominum, ipseque te exaudiet, qui te constituit intercessorem pro peccatis nostris.

Orent pro te omnes Sancti, & electi Dei, memor sit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat.

Immola Domino sacrificium laudis, & redde Altissimo vote tue.

Exaudiet te Dominus orantem pro nostra omnium salute.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua.

Dominus sit in corde tuo, & in ore tuo, & suscipiat sacrificium sibi acceptum de manibus tuis, pro nostra omniumque salute.

Tunc conversus sacerdos ad altare fundat pro semetipso hanc orationem ante secreta.

Domine Jesu Christe, fides & fiducie nostra, & tota in hujus præsentis vitæ ærumna consolatio nostre, me indignum, & peccatorem propitius respice & placatus exaudi, & mitte sanctum Angelum tuum de cælis, qui hanc obletionem suscipiat & ante conspectum tuæ miserationis repræsentet in memoriam mei, ad laudem & gloriam nominis tui. Qui vivis, &c.

Tunc incipiat secreta, quibus finitis, & Præfatione dicta, quando alii Sanctus, sanctus, sanctus, *decantant, hæc oratio cursim dicenda est a sacerdote.*

Domine Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, me miserum, fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate, neque aspicias ad peccata & scelera mea, & immunditias turpesque cogitationes, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate, sed ad misericordias tuas & ad fidem, devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam deprecantur misericordiam, & quia me indignum inter te & populum tuum medium fieri voluisti, fac me talem, ut digne possim tuam exorare misericordiam pro me & pro eodem populo tuo.

Domine adjunge voces nostras vocibus sanctorum Angelorum tuorum, & sicut illi te laudant incessabiliter & infatigabiliter in æterna beatitudine, ita nos quoque eorum interventu te mereamur laudare inculpabiliter in hac peregrinatione. Per, &c.

Hac oratione finita, antequam sacramenta incipiantur, iterum se Domino commendet dicens:

Facturus memoriam salutaris hostiæ totius mundi, cum illius dignitatem & meam intuens fœditatem, conscientia torqueor peccatorum. Verum quia tu Deus multum misericors es, imploro, ut digneris mihi dare spiritum contribulatum, qui tibi gratum sacrificium revelasti, ut eo purificatus vitali hostiæ pias manus admoveam, quæ omnia peccata mea aboleat, & ea deinceps in perpetuum vitandi mihi tutelam infundat, omnibusque fidelibus vivis, & defunctis, pro quibus tibi offertur, præsentis vitæ, & futuræ salutis commercia largiatur. Qui vivis, & regnas &c.

Deinde cum summa reverentia incipiat, Te igitur *& ministri stantes in gradibus suis cantent istos psalmos, usque dum* Te igitur *finiatur.*

Exaudiat te Dominus.

Ad te Domine levavi animam meam.

Miserere mei Deus secundum magnam,

Domine refugium.

Qui habitat in adjutorio.

Deinde Preces.

Salvum fac servum tuum Domine, Deus meus sperantem in te.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Vitam petiit a te, & tribuisti ei Domine longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.

Exurge Domine adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Oratio pro sacerdote.

Gaudeat Domine quæsumus, famulus tuus beneficiis impetratis, & cui fiduciam sperandæ pietatis tribuisti, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum.

Alia communis.

Precibus nostris, quæsumus Domine, aures tuæ pietatis

Infra actionem.

In primis una cum famulo tuo Papa nostro N. & pro omnibus orthodoxis, atque Apostolicæ fidei cultoribus pontificibus & abbatibus, gubernatoribus, & rectoribus ecclesiæ sanctæ Dei, & pro omni populo sancto Dei.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, cunctorum scilicet consanguinitate mihimet, vel familiaritate, & amicitia conjunctorum, cunctorumque sua mihi peccata confitentium, meque in tuo nomine bonis reficientium, & omnium circumstantium.

Hanc etiam oblationem humilitatis meæ, & devotionis, quam tibi offero pro peccatis meis, & criminosis actionibus meis castigendis & dimittendis, pro cæca & lapidea cordis mei duritia dissolvenda & illuminanda, quæso Domine, ut placatus accipias, & sinum pietatis super me expandas, meque illumines, sensum aperias, spiritum corrigendi tribuas, & ad te mihi redeundi aditum per lamenta pœnitentiæ concedes. Per Christum Dominum, &c.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus.

Illud præter in eodem Canone, quando concilium vel consilium aliquod agitur: postquam dixeris

æterno Domino vivo, & vero.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro hujus negotii qualitate, de quo in præsentis disputationis actione ventiletur; ut benigne suscipias suppliciter deprecamur, quatenus, non humano, sed tuo sancto consilio æquoque judicio misericorditer terminatum, vel directum, justitiæ, veritatisque termino finiatur, atque secundum tuam voluntatem modis omnibus ordinetur, & compleatur. Per Christum Dominum nostrum.

Communicantes, & memoriam venerantes.

Pro semetipso.

Memento Domine, & miserere mei, multi enim & magni sunt languores mei, mali sunt & pessimi, sed major est misericordiæ tuæ multitudo. Miserere mei Domine qui venisti in multitudine misericordiæ, & sane languores animæ meæ, miserere mei Domine, & per hoc unicum mundi remedium aliquod stillicidium cœlestis gratiæ arido cordi meo infunde ad cognoscendum te.

Nobis quoque peccatoribus.

Pro semetipso, & pro debitoribus.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum N. N. Præcipue deprecor pro his qui memoriam mei coram te in suis precibus faciunt, vel qui se meis indignis precibus commendaverunt, quique etiam in tuo conspectu sua mihi delicta confessi sunt, & qui mihi vel congregationi tuæ aliquid, charitatis officio sive pietatis vel largitatis suæ studio impenderunt, quique etiam mihi propinquitatis, vel consanguinitatis, seu tuæ charitatis affectu conjuncti sunt; mihi quoque indignissimo famulo tuo propitius esse digneris, & ab omnibus delictorum offensionibus me emundare. Per, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

Item pro semetipso in eodem canone dicenda.

Memento etiam mei, quæso Deus, & miserere: & licet hæc sancta indignis meis manibus, tibi sancte Pater omnipotens, æterne Deus, offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum ac venerabile nomen tuum dignus sum, tamen, quæ in honore, laude, & memoria gloriosissimi filii tui D. N. J. C. offerunt, sicut incensum in conspectu Divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis accendantur. Per eumdem Christum Dominum, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

Item pro salute vivorum, & mortuorum.

Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, & beatissimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum tuorum intercedentibus meritis suppliciter quæsumus omnipotens Deus, ut famulos, ac famulas tuas, quorum eleemosynas accepimus, seu qui nobis familiaritate conjuncti sunt, large misericordiæ tua protegas, & ab omnibus impugnationibus defendas; ut tua ubique protectione salventur, & omnibus famulorum famularumque tuarum, videlicet omnium orthodoxorum, quorum commemorationem agimus, & quorum corpore hic, & ubique requiescunt, vel quorum nomina hic in libro vitæ scripta esse videntur, indulgentiam & remissionem omnium tribuas peccatorum, & in consortio electorum tuorum habere digneris.

Hic recites nomina quorum velis.

Istis, & omnibus in Fide Catholica quiescentibus, locum pacis, refrigerii, & quietis, ut indulgeas deprecamur N. N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas deprecamur. Per Dominum, &c.

Nobis quoque peccatoribus.

Expleta secreta, & oratione Dominica, cum dixerit.

Pax Domini sit semper vobiscum.

Misceatur corpus Dominicæ sanguini, & dicatur.

Hæc sacrosancta commixtio Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. fiat omnibus nobis sumentibus salus mentis & corporis, & ad æternam vitam capessendam præparatio salutaris. Per eumdem, &c.

Fiat commixtio & consecratio Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. omnibus accipientibus nobis in vitam æternam.

Non mittat episcopus in calicem partem oblata, ut presbyteri solent, sed expectet, donec finita benedictione episcopus communicare debeat: & tunc accipiens partem, quam antea fregerat, tenensque super calicem immittat dicens.

Sacri Sanguinis commixtio cum sancto Corpore D. N. J. C. prosit omnibus sumentibus ad vitam æternam.

Oratio.

Concede Domine Christe, ut sicut hæc sacramenta corporis & sanguinis tui, fidelibus tuis ad remedium contulisti; ita mihi famulo tuo indigno, & omnibus per me sumentibus, hæc ipsa mysteria non sint ad reatum, sed prosint ad veniam omnium delictorum. Per te Jesu Christe, &c.

Post hæc dicta osculetur altare, dicens:

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundum tuam voluntatem pacificare, & adunare digneris.

Deinde convertat se ad circumstantes, pacemque ferat dicendo.

Habete vinculum pacis, & charitatis, ut apti sitis sacrosanctis Mysteriis.

Et ipsi invicem se pacificando dicant.

Pax Christi & Ecclesiæ abundet in cordibus nostris.

Quando Corpus Dominicum sacerdos in manus accipit, dicat.

Panem cælestem accipiam, & nomen Domini invocabo.

Sequitur oratio.

Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quam indignus sumere præsumo, non mihi proveniat ad judicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamen mentis & corporis. Qui cum Patre, &c.

Alia.

Fiat mihi, obsecro Domine, hoc sacramentum tuum, quod indignus, & peccator præsumo percipere confisus de tua larga clementia ad viscera misericordiæ tuæ, & gratiam salutis, ad sanitatem animæ & corporis, remissionemque omnium peccatorum, ut non ad judicium, sed ad remedium illud merear percipere; Salvator mundi, &c.

Cum corpus sumitur.

Corpus D. N. J. C. sit mihi remedium sempiternum in vitam æternam.

Quando calicem in manus accipit sacerdos, dicat:

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.

Sequitur oratio.

Communicatio & confirmatio Corporis & Sanguinis D. N. J. C. prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum, & conservet me ad vitam æternam.

Alia ad utrumque.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc Corpus, & Sanguinem Filii tui ita sumere, ut per hoc merear remissionem omnium peccatorum accipere, & tuo sancto Spiritu repleri, quia tu es Deus, & præter te non est alius, cujus gloriosum nomen permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Cum sanguis sumitur.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat me in vitam æternam.

Post perceptam communionem.

Domine J. C. Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu-sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum Corpus, & Sanguinem

Alia.

Corpus tuum Domine quod accepi, & calix quem potavi, adhæreanr in visceribos meis, & præsta ut nulla ibi samaneat peccati macula, ubi tua sancta introierunt sacramenta. Qui vivis, &c.

Deinde presbyteris & diaconis Corpus in manus accipiensibus & communicantibus, dicitur singulis.

Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Alia.

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

Calicem vero cum sacrosancta commistione dando, unicuique dicat.

Hæc sacrosancta commixtio Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. prosit tibi ad vitam æternam.

Subdiaconis autem, ac alio clero communicet hoc modo dicens.

Perceptio Corporis & Sanguinis D. N. J. C. sanctificet Corpus & Animam tuam in vitam æternam. Aman.

Populo quidem communicando dicat.

Corpus & Sanguis D. N. J. C. prosit tibi in remissionem omnium peccatorum, & ad vitam æternam. Amen.

Interim dum communicant, dicat.

Ignosce Domine, quod dum rogare compellor, dum per immunda labia nomen sanctum tuum assumo, & immundorum actuum secreta confiteor, non habeo apud te verba sine crimine: tu enim conscientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta nosti, & immunditias meas tu solus agnoscis. Miserere mei Domine, miserere: mihi ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordiæ tuæ judices, quem pro aliis rogare permittis, & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ non recuses. Salvator miserere mei.

Post perceptam communionem.

Quod ore sumpsimus, Domine, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per, &c.

Oratio.

Obsecro etiam te piissime omnium auxiliator, ne ad damnationem æternam mihi proveniat, quod quotidie cum conscientia polluta nomen sanctum tuum præsumo invocare, Corpusque Christi Filii tui & Sanguinem indignus audeo accipere: quin magis per hoc me expurges sedulo, & munias ab omnium inimicorum jaculo, ac per eum in me habitare digneris, quem ad hoc misisti; ut redimeret nos ab omni inquinamento spiritus, & carnis. Per ipsum unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, nos omnes ab omni libera malo, & in omni bono conserva; qui tecum, &c.

Alia.

Conservent nos Domine munera tua, & æternam vitam tribuant nobis. Per, &c

Alia.

Custodi intra nos Domine gratiæ tuæ munus, ut adversus omnia præsentis & futuri sæculi mala, Eucharistiæ quam percepimus viribus & virtute muniamur. Qui vivis, &c.

Alia.

Præsta Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, ut qui Corpus & Sanguinem proprium pro nobis indignis datum edimus & bibimus, fiat nobis ad salutem, & ad redemptionis remedium sempiternum omnium criminum nostrorum. Per, &c.

Postquam diaconus dixit, Ite Missa est; *veniat sacerdos ante altare, & osculando dicat:*

Placeat tibi Sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta, ut sacrificium, quod oculis tuæ majestatis obtuli, sit tibi placens, mihique, & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Qui vivis, &c.

Finita Missa accedat ad Altare, & osculetur illud dicens.

Meritis, & intercessionibus Beatæ Mariæ semper Virginis, & illorum atque omnium Sanctorum suorum, misereatur nostri omnipotens Deus, qui vivit, &c.

Expletis omnibus, episcopus de altari ad sacrarium rediens cum diaconibus & cæteris quos voluerit, cantet Hymnum trium Puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino,
Laudate Dominum omnes gentes,
Laudate Dominum in sanctis ejus.

Postea.

Pater noster, qui es in cœlis.

Et preces.

Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Exultent justi in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

Non nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Sacerdotes tui Domine induantur justitiam, & sancti tui exultent.

Non intres in judicium cum servis tuis Domine: Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Domine Deus virtutum converte nos: Et ostende faciem tuam, & salvi erimus.

Benedicat nos Dominus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Domine exaudi orationem meam; Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, quem omnia opera benedicunt, quem cæli glorificant, quem Angelorum multitudo conlaudat, quæsumus te, ut sicut tres pueros de camino incendii, non solum illæsos, sed etiam in tuis laudibus conclamantes liberasti; Ita nos peccatorum nexibus obvolutos, velut de voragine ignis eripias, ut dum te pari benedictione laudamus, criminumque flammas, operumque carnalium incendia superamus, hymnum tibi debitum jure meritoque reddamus. Per Dominum nostrum, &c.

Alia.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium; concede propitius per intercessionem eorum, & merita omnium Sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, atque tormentorum. Per Dominum, &c.

Alia.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut omnis oratio, & cuncta nostra operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per, &c.

Explicit ordo de officio Missæ.

ORDO V.

Ex pervetusto codice insignis monasterii S. Dionysii in Francia circa tempora Caroli Magni exarato.

RESpice, Domine, per invocationem tui nominis, & per virtutem & honorem sanctæ crucis, & per merita & intercessiones sanctæ & perpetuæ Virginis Mariæ Genitricis Dei, & Domini nostri, omniumque sanctorum tuorum in orationem servi tui, & aures tuæ pietatis inclina supplicibus meis precibus secundum magnam misericordiam tuam, & concede ut dum adhuc tempus est famulis & famulabus tuis veniam dones, ut in die judicii concedas vitam æternam omnibus, quæso ad vitam æternam prædestinatis. Præcipue precor pro his qui memoriam in suis orationibus habent, & qui se indignis precibus meis commendaverunt, & qui mihi aliquid caritatis officium, aut pietatis studium impenderunt, vel qui mihi consanguinitatis, familiaritatis, sive compassionis effectu propinqui sunt, & pro quibus deprecari debitor sum, tam his qui consistunt in corpore, quam illis qui teguntur in funere; ut pius Pater hos gubernare digneris ne pereant, & illos visitare jubeas, ut absolutionem peccatorum percipiant. Per eum.

Alia.

Propitiare, Domine, iniquitatibus meis, & exorabilis esto tuo supplici, ut concessa venia quam precor perpetuo misericordiæ tuæ munere glorier. Per.

Item.

Sancti Dei omnes qui ab initio sæculi usque in præsens Deo placuistis, intercedite pro me miserrimo & infelicissimo peccatore, ut Dei pietas misereatur mei: per vestramque intercessionem præstet mihi in hac præsenti vita consequi veniam scelerum meorum, ut in futuro non me excruciari sinat cum impiis, sed aliquam particulam donet habere cum sanctis. Amen.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia sancti Spiritus illumina cor meum: ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere merear. Per.

Ad amictum.

Circumda me, Domine, lætitia & fidei ermis, ut ab iniquitatum erutus sagittis, valeam æquitatem & justitiam

Ad albam.

Conscinde, Domine, saccum meum, & circumda lætitia salutaris tui.

Ad cingulum.

Præcinge, Domine, lumbos meos & circumcide vitia cordis mei.

Ad stolam.

Disrumpe, Domine, vincula peccatorum meorum, ut jugo tuæ servitutis innexus, valeam cum timore & reverentia famulari: tu enim dixisti: jugum enim meum suave & onus meum leve.

Ad casulam.

Indue me, Domine, sacerdotali justitia, ut induci merear in tabernacula tua sempiterna: & fac me, quæso omnipotens Deus, ita justitiæ indui armis, ut in sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatinus emundatus ab omnibus sordibus vitiorum, consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum, meque tua misericordia e vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat.

Ad manipulum.

Præcinge me, Domine, virtute, & pone immaculatam vitam meam.

Preces.

Converte nos Deus salutaris noster.
Dignare Domine die ista.
Fiat misericordia tua Domine super nos.
Sacerdotes tui induantur justitiam.

Oratio.

Adsit nobis, Domine, virtus Spiritus-sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

Alia.

Aures tuæ pietatis, *ut supra.*

Intrans in Sancta Sanctorum.

Domine Deus omnipotens, qui es magnus & admirabilis Dominus: qui donasti nobis introitum in Sancta Sanctorum per Incarnationem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, obsecrantes postulamus benignitatem tuam, quia in timore sumus & tremore volentes accedere ante sanctum & gloriosum altare tuum, ut emittas super nos donum gratiæ Spiritus-sancti, & innoves animas nostras & corpora, ut mundo corde offeramus tibi sacrificium, donum fructiferum in remissionem peccatorum nostrorum, & populi tui per gloriam & humanitatem Jesu Christi Filii tui, qui tecum vivit & regnat.

Item.

Aufer a nobis Domine iniquitates nostras, ut mereamur puris mentibus introire ad Sancta Sanctorum.

Preces.

Induc me, Domine, in via tua, ut ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Voluntarie sacrificabo tibi. Confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.

Immolo Deo sacrificium laudis, & reddo Altissimo vota mea.

Judica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso eripe me.

Quia tu es, Deus, fortitudo mea, quare me repulisti, & quare tristis incedo dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua. Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Oratio.

Deus fons bonitatis & pietatis origo, qui peccantem non statim judicas, sed ad pœnitentiam miseratus expectas, quæso, ut facinorum meorum squalores abstergas, & me ad peragendum injunctum officium dignum efficies; ut qui altaris tui ministerium suscepi indignus, perago trepidus, ad id peragendum reddar strenuus, & inter eos qui tibi placuerunt inveniar justificatus. Per.

Oratio sancti Ambrosii ante altare.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ, Domine, reus adsisto, qui invocare nomen tuum sanctum præsumo. Miserere mihi Domine homini peccatori. Ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio tibi videtur offerri. Parce peccatorum labe præ ceteris capitalium polluto, & non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Sed licet vitiis ac voluptatibus carnis aggravatus sim, recordare quod caro sum: in tuo conspectu etiam cæli non sunt mundi, quanto magis ego homo terrenus & immundus sicut pannus menstruatæ. Indignus sum, Jesu Christe, ut vivam, sed tu qui non vis mortem peccatoris, da mihi veniam in carne

Quando altare deosculatur.

Oramus te, Domine, per merita & patrocinia omnium Sanctorum & eorum quorum reliquiæ hic sunt, & quorum festa hodie celebrantur, ut per eorum intercessiones nobis indignis indulgeas peccata nostra.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris altaribus adstare voluisti, & sacri nominis tui laudare potentiam, concede quæsumus per hujus sacramenti mysterium meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati digne ministrare merear.

Quando textus deosculatur.

Pax Christi, quam nobis per sanctum Evangelium suum tradidit, confirmet & conservet corda & corpora nostra in vitam æternam.

Confessio sacerdotis.

Suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ, Domine Deus meus, gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitia, accidia, somnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate ac superbia perditus sum; & omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus sensibus extinctus; sed tu, qui justificas impios, & vivificas mortuos, vivifica me & resuscita me Domine Deus meus. Amen.

Item.

Conscientia quidem trepidus, omnipotens Deus, ad altare tuum accedo, sed fiduciam de tuæ pietatis misericordia retineo. Et licet ad celebranda sacrificia invenior indignus: sed si recedo, vereor de inobedientia condemnari. Pro qua te, omnipotens Deus, dignare me pietate paterna placido vultu respicere, & cordis mei interiora purgare: Et si ego reatu culpabilis existo, mearum tamen precum obtentu tibi sint in omnibus placita mea ministeria. Indignum me, Domine, esse fateor tuis sacris, qui innumeris cotidie suscor peccatis: nam qui te blandis rogare præsumo, improbis sæpissime factis offendo. Tu enim mihi medicinam ingeris ægro: ego sanitati meæ indesinenter contraria ago. Legem tuam sacris inditam paginis lego; sanam vero disciplinam infelix negligo. Ad tuum quidem altare quasi devotus accedo, sed a præceptis tuis contumaci corde recedo. Quasi me dignum in oculis hominum ostendo, sed in tuo conspectu quem occulta non fallunt, diversis sceleribus pollutus sordeo. Sed tuum est, Domine Deus, dare peccatori cor compunctum, fontemque lacrymarum, quo digne valeam abluere multitudinem scelerum. Meum est, si donaveris, delicta deflere; tuum est, ea ut nubem cito delere. Et licet palmam amiserim innocentiæ inimico suadente; saltem per confessionem veniam merear te miserante, ut tibi sit gloria, laus, & honor cuncta regenti in sæcula sæculorum.

Alia.

Domine Deus omnipotens pius & misericors, cui nihil impossibile est, qui omnia moderaris & disponis secundum tuam beneplacitam voluntatem, Rex Regum & Dominus Dominentium, Creator cæli & terræ, maris & omnium quæ in eis sunt, qui dixisti pro tua pietate & tua magna misericordia, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; qui Chananæam & Publicanum & meretricem vocasti ad pœnitentiam, & latronem de cruce, & Petrum Apostolum, postquam te negavit: qui dixisti per prophetam tuum; in quacumque die peccator conversus fuerit omnia peccata ejus in oblivione erunt coram me. Ad te, Domine, supplex in confessione peto veniam & indulgentiam de universis meis malis & iniquitatibus: quicquid ab infantia mea usque in hanc horam in cogitatione, locutione, & operatione, & delectatione mala, & deliberatione turpissima in conspectu tuo peccavi. Multa, Domine, peccavi, & innumerabilia & graviora sunt super arenam maris. In omnibus malis miser sum; misericors es, miserere mei. Vulnera mea pando tibi. Medicinam tuam non deneges mihi. Deus propitius esto mihi peccatori.

Alia.

Ante oculos tuos Domine reus adsisto: conscientiæ testis rogare non audeo, quod impetrare non mereor. Tu enim scis Domine omnia quæ geruntur in nobis. Erubescimus confiteri quod non timemus admittere. Verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur: & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce, Domine, confitentibus; ignosce peccantibus; miserere te rogantibus, & quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, & apud te non habent peccatorea verba sine cri-

bis veniam larglaris, qui vivls & dominaris Deus in unitate Spiritus-sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Item.

Domine Deus omnipotens, qui es trinus & unus & ubique præsens, tibi confiteor omnia peccata mee, quæ, etsi non confiterer, te tamen latere, Domine, non poreraot: Quia peccavi nimis in cogitationibus, locutionibus, diversisque operibus malis & multis; & quia ego miser & miserabilis, Domine, propter duritiam cordis mei in ipsa peccatorum meorum morte perduro, propterea deprecor te, miserere mei. Qui vivis.

Item.

Domine Jesu Christe, Redemtor mundi, propitius esto mihi peccatori, omnibusque modis in peccato jacenti; quia tu solus Domine Deus noster, immortalis es, & sine peccato; indulge mihi miserrimo præsumenti stere ed sanctum altare tuum, & invocare te, quie peccavi ab infantia mea usque nunc coram te, & coram omnibus sanctis tuis, sed per illorum intercessionem tribue mihi divinam clementiam veniamque delictorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis.

Alia.

Domine Deus Pater omnipotens, sensuum illuminetor, & sacramentorum revelator, exaudi me peccatorem, & aperi oculos cordis mei, ut sciam & intelligam verba sacræ locutionis tuæ, & infunde in me intelligentiam sacramentorum tuorum, & depone a me velameo ignorantiæ, & pande mihi thesaurum sapientiæ & scientia tuæ, ut in veteri & novo testamento tuis instructus inteli....... voluntatem tuam faciam, & in finem usque perficiem. Per Dominum.

Item.

Dominator Domine, Deus omnipotens, in voluntate tua universa sunt posita: Tu nosti omnia antequam fiant. Aspice in nos & miserere nostri. Clementissime Deus, ne aspicias peccate nostra, sed memor esto miserationum tuarum quæ a sæculo sunt. Tu, Domine, qui hanc congregetionem ad glorificandum nomen tuum senctum in hunc locum adunare voluisti, & sanctorum tuorum reliquias hic reponi fecisti, da adjutorium tuum sanctum de cœlis servis tuis, meritis & intercessionibus eorumdem sanctorum quorum hic gloriam prædicamus, ne patiamur detrimentum animarum nostrarum, & ne des hanc hæreditatem tuam in dispersionem propter nomen tuum magnum, sed da nobis Rectorem & Petrem secundum cor tuum, qui faciat voluntatem tuam ad salutem nostram, qualiter te, Domine, mereemur habere pastorem, & in omnibus protectorem. De cunctis fretribus qui sub regimine ejus tibi deserviunt caritatem veram, ad invicem concordiem quæ tibi sit placita. Fiat, Domine, voluntas tua in omnibus nobis, ut te miserente pervenire mereamur ed gloriam regni tui.

Alia.

Deus misericordiæ & veritatis, clementiam tuam supplicirer deprecor, ut mihi misero innumerabilium veniam tribuas peccatorum, quibus iram tuæ potentiæ provocavi: quatenus te miserante in hec vita secundum tuam voluntatem purgatus ad æternæ beetitudinis purgationem pertingam, & cunctis etiam qui mihi spirituali vel cemeli conjunctione cohærent, & qui se mihi vel confitendo vel rogando commendaverunt; nec non & quorum pecunias vel eleemosynas suscepi, vel qui meam* negligentiem seu malitiem corrupti sunt, manum misericordiæ tuæ porrigas, & per ineffabilem largitatem tuem adoptatam eis indulgentiam peccatorum concedas, & ad requiem beatorum digneris perducere. Per.

Summe sacerdos, & vere pontifex, qui te obtulisti Deo Patri hostiam purem & immaculatam, &c. *at in vulgato missali Romano inter præporotiones ad missam celebrandam.*

Ad incensum in thuribulo ponendam
Oratio.

Odore cælestis inspirationis suæ ascendat Dominus & impleat corda nostra, ad audiende & implenda evangelii sui præcepta, qui vivit.

Benedictio.

In nomine Domini benedicatur istud incensum, & acceptabile fiat in udorem suavitatis.

Benedictio super diaconam.

Dominus sit in corde tuo & in labiis ad annuntiendum sanctum Evangelium.

Item.

scendat super te, & aperiat Christus os tuum ed pronuntiandum digne idoneeque sanctum Evangelium suum, & avertat spiritum elationis a te.

Quando se signant.

Crucis vivificæ signo muni, Domine, omnes sensus meos ed eudienda verba sancti Evengelii corde credenda, & opere complenda.

Post lectum Evangelium textum
deosculando dicit.

Ave sanctum Evangelium, salus & recreatio animarum nostrarum.

Item.

Ave verba sancti Evengelii, quæ totum mundum repiestis.

Item.

Per istos sanctos sermones Evengelii Domini nostri Jesu Christi, indulgeat nobis Dominus omnia peccata nostra.

Quando sacerdoti oblatio offertur,
dicat sacerdos.

Suscipiat sancta Trinitas oblationes tuas, & præstet ut sibi placeant, & ascendent in conspectu gloriæ suæ, in remissionem omnium peccatorum tuorum.

Quando manus suos abluit, dicat:

Largire sensibus nostris, omnipotens Pater, ut sicut hic abluuntur inquinamente manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, & crescet in nobis sanctarum augmentum virtutum.

Dominator, & vivificator, & omnium bonorum Domine dator, qui das omnibus beatam spem & æternam vitam Dominum nostrum Jesum Christum, dignare ut fiat nobis hoc mysterium divinitatis ad perficiendum ministerium tuum in senctificationem Corporis & Sanguinis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & nobis ad fruendem æternam beetitudinem. Per Dominum.

Alia oratio.

Largire mihi Domine munditiem lebiorum, puritatem & innocentiam cordis, rectitudinem operis. De mihi humilitatem, patientiam, abstinentiam, castitatem, prudentiam, justitiam, fortitudinem, sive temperantiam. Largire mihi Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis, atque timoris tui. Da mihi irriguum inferius & irriguum superius. Præbe mihi geminum caritatis affectum, fidem rectem, spem inconcussam. De mihi benedictionem de rore cæli, & de pinguedine terræ. Fac mihi toto corde meo, tota anima mea, tota mante mee exquirere semper faciem tuam: concede mihi in conspectu tuo cor habere contritum & humiliatum; tuæ caritati nihil præponere: tuo quandoque amore mundo funditus extingui. Fac ma in tuo sacrificio hostiam vivam fieri, tuæ clementiæ holocausta meduliata offerre. Summa, æterna, & ineffabilis sepientia, depelle e me cæcitatis & ignorantiæ tenebres. Summa & æterna virtus, libera me. Summa, æternaque fortitudo, adjuva me. Summa & incomprehensibilis lux, illumine me. Summa & infinita misericordia, miserere mei.

Item.

Ignosce, Domine, quod dum rogare compellor, dum per immunda labia nomen sanctum tuum assumo, & immundorum actuum secreta coofiteor, non habeo apud te verba sine crimine. Tu enim conscientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulte nosti, & immunditias meas tu solus agnoscis. Miserere mihi, Domine, mihi miserere. Ignosce mysterii tui secreta tractanti: nec indignum misericordiæ tuæ judices, quem pro eliis rogere permittis, & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ non recuses.

Alio.

Mordacis conscientiæ stimulis & delictorum nostrorum recordatione commoti te Dominum indulgentiæ deprecamur, ut quicquid dicto, facto, cogitatione, sive lubricæ ætatis impulsu, siva ignorantiæ errore commissum est, pietas Domini nostri Jesu Christi resolvere ec indulgere dignetur. Qui cum Petre & Spiritu-sancto.

Alia.

Deus boniteris eximię, fons pietatis, & origo misericordiæ, propitiare mihi famulo tuo, & qui cuidam mulieri quæ erat in civitete peccatrix sacrosancti corporis tui tactum non denegasti, hoc donum tuæ largitatis panis & vini da manibus meis quamlibet indignis suscipere digneris, quod mox in tuæ Carnis ec pretiosi Sanguinis mysterium operente Sancto Spiritu est consecrandum. Cujus opitulante gratia mihi meisque utriusque sexus consanguineis & amicis, atque cunctis fidelibus tuis veniam & remissionem peccatorum clementer largiri digneris cunctorum. & vi-

verbum tuum sanctum, descendat inæstimabilis gloriæ tuæ spiritus: descendat antiquæ indulgentiæ tuæ donum, ut fiat oblatio hæc hostia spiritalis in odorem suavitatis; & nos famulos tuos per sacratissimum Corpus & Sanguinem tuum tua manus invicta custodiat. Qui vivis.

Item oratio.

Concede, quæsumus omnipotens, & misericors Deus, ut hæc oblatio quam indignus tibi offerre præsumo in unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi Corporis & Sanguinis virtute Sancti Spiritus consecrandam mysterio, fit mihi & omnibus ad vitam prædestinatis æternam omnium peccatorum plena remissio, tuæque pietatis optata propitiatio. Per eumdem.

Quando oblationem Deo offert.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum tuorum qui tibi placuerunt ab initio mundi; & eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum hic nomina & reliquiæ habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.

Item.

In honore omnium Sanctorum.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi ego peccator offero in honorem Domini nostri Jesu Christi, & beatæ Mariæ Dei Genitricis semperque Virginis, & omnium Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Innocentium, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque Sanctorum qui tibi placuerunt ab initio mundi usque in hodiernum diem quorum hodie festa celebrantur, quorumque hic nomina & reliquiæ habentur: pro statu sanctæ Dei ecclesiæ: pro pace: pro fructibus terræ: pro omni populo christiano, præcipue pro his qui mei memoriam in suis continuis orationibus habent: pro peccatis meis innumerabilibus, quibus peccavi in cælum & coram te: pro incolumitate animæ meæ & corporis; pro gratiarum actione omnium bonorum tuorum, Domine, quibus quotidie utor: pro congregatione hujus sanctæ Ecclesiæ: pro peccatis omnium Christianorum tam vivorum quam defunctorum, ut vivis hic ad salutem & remissionem peccatorum, & defunctis proficiat ad requiem sempiternam, & vitam sempiternam.

Pro se.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro me miserrimo peccatore omnium hominum: pro meis peccatis innumerabilibus quibus peccavi coram te in dictis, in factis, in cogitationibus, ut præterita mihi dimittas, & de futuris me custodias: pro sanitate corporis & animæ meæ: pro gratiarum actione de tuis bonis quibus quotidie utor. Quid Domino retribuam pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam coram, &c. .... Vota mea reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.

Pro defunctis.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum famularumque tuarum, quorum vel quarum memoriam agimus, vel quorum anniva dies depositionis celebratur; ut requiem æternam dones eis inter sanctos & electos tuos, ut in illorum consortio vita perfruantur æterna.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es in sanctis tuis suavitatis odor & jocunditatis, ex quo dedisti nobis offerimus tibi incensum istud, tu hoc suscipe ex paupertate manuum nostrarum, & sit acceptum in conspectu tuo, ut fiat in odorem suavitatis, in remissionem peccatorum nostrorum, & populi tui.

Item.

Hoc incensum ad omnem putorem nocuum extinguendum Dominus benedicat, & in odorem suavitatis suæ accendat.

Item.

Dominus noster, qui suscepisti munera pueri tui Abel, Noe, Aaron, & omnium sanctorum tuorum qui tibi placuerunt, sic & de manibus meis indigni peccatoris suscipere digneris incensum istud, ut fiat tibi in odorem suavitatis, & nobis propitiatio pro peccatis. Per Christum.

Item.

Suscipe, quæsumus Domine, de manibus nostris peccatricibus incensum istud in odorem suavitatis, in remissionem peccatorum nostrorum & populi tui, sicut suscepisti munera Abel, Noe, Abrahæ, Samuel, Zachariæ, omniumque sanctorum tuorum, & libera nos ab omnibus malis, & conserva nos in omni tempore, ut possimus placere tibi, laudare, adorare, & glorificare te Deum Patrem omnipotentem cum unigenito Filio tuo, & cum Spiritusancto, nunc & semper, & per omnia secula.

Item.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es repletus omni odore suavitatis & jocunditatis, ex paupertate manuum nostrarum offerimus in conspectu tuo incensum istud, ut fiat acceptum in odorem suavitatis in remissionem peccatorum nostrorum & populi tui.

Item.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; & qui suscepisti munera Abel, Melchisedech nec non Aaron, David, omniumque sanctorum tuorum; sic de indignis manibus nostris digneris suscipere incensum istud in conspectu tuo, ut tibi placeat in odorem suavitatis in remissionem omnium peccatorum nostrorum.

Facturus memoriam salutaris hostiæ totius mundi, cum illius dignitatem, & meam intueor fœditatem, conscientia torqueor peccatorum. Verum quia tu Deus multum misericors es, imploro ut digneris mihi dare spiritum contribulatum quod tibi gratum sacrificium revelasti, ut eo purificatus, vitali hostiæ pias manus admoveam, quæ omnia mea aboleat peccata, & ea deinceps in perpetuum mihi cautelam infundat, & omnibus pro quibus tibi offertur præsentis & futuræ salutis commercia largiatur. Per.

Alia oratio.

Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen tuum sanctum, & munda cor meum ab omnibus vaniis & nequissimis cogitationibus, ut exaudiri merear deprecans pro populo quem elegisti tibi Domine.

Inclinatus ante altare, dicat:

In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur, Domine, a te, & sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie, & placeat tibi Domine Deus.

Rex Christe clementissime, tu corda nostra posside, ut tibi laudes debitas reddamus omni tempore.

Item.

Tibi Domino Deo Creatori hostiam offero pro remissione omnium peccatorum nostrorum & cunctorum fidelium tuorum.

Veni sanctificator, quæso, omnipotens æterne Deus, benedic sacrificium hoc præparatum tibi.

Item.

Deus une, Deus Trinitas sancta, respice propitius super hæc munera per nostræ humilitatis famulatum tibi oblata, & concede ut in oculis tuæ Majestatis sint grata & accepta, nobisque offerentibus, & his pro quibus ea tibi offerimus ad salutem animæ & corporis proficiant sempiternam.

Obsecratio ad populum.

Orate pro me, fratres & sorores, ut meum pariter & vestrum sacrificium sit acceptum in conspectu Domini.

Respondent circumstantes.

Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad tuam & nostram salutem, omniumque circumadstantium, & animarum omnium fideliuce defunctorum.

Item.

Accipiat Dominus sacrificium de ore tuo, & de manibus tuis ad salutem totius Ecclesiæ suæ, & pro tua, omniumque nostrum salute.

Item.

Exaudiat te Dominus orantem pro nobis: memor sit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet. Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

Item.

Spiritus-sanctus superveniat in te, & virtus Altissimi obumbret tibi.

Item.

Sit Dominus in corde tuo & in ore tuo, & suscipiat sacrificium acceptum sibi de manibus tuis pro nostra & omnium salute. Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua.

Precor vos sancti Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus & Potestates, Cherubim & Seraphim millia millium, & decies centena millia, qui adsistitis, & ministratis ante claritatem Dei vivi indefessis vocibus clamantes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, ut deprecemini pro me Dominum, ut indulgeat mihi peccata mea, & concedat vitam æternam.

Alia

Alia oratio.

Deus, qui te præcipis a peccatoribus exorari, tibique sacrificium contriti cordis offerri, hoc sacrificium, quod indignus manibus meis offero, acceptare dignare, & ut ipse tibi hostia & sacrificium esse merear, miseratus concede, quod per ministerii hujus exhibitionem, peccatorum omnium percipiam remissionem. Per Dominum.

Sequitur canon: Te igitur, *ut in Missali Romano, usque ad* Memento *pro mortuis, cui hoc præmittitur.*

Memento mei, quæso Domine, & miserere, licet hæc sancta indigne tibi sancte Pater omnipotens æterne Deus meis manibus offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum ac venerabile nomen tuum dignus sum; sed quoniam in honore, laude, & memoria gloriosissimi atque dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi offeruntur, sicut incensum in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis accendantur. Per eumdem.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. qui nos præcesserunt, &c. *Post orationem Dominicam.* Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris; & intercedente beata & gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, & beatis apostolis tuis Petro & Paulo atque Andrea & sanctis martyribus tuis Dionysio, Rustico & Eleutherio cum omnibus sanctis, da propitius pacem, &c. Per eumdem Dominum........ qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Hæc sacrosancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi dilectissimi Filii tui fiat mihi & omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam capessendam æternam præparatio salutaris, per eumdem Dominum nostrum.

Oratio ante communionem.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi Corpus & Sanguinem Jesu Christi Filii tui Domini Dei nostri ita sumere, ut merear per hoc remissionem peccatorum meorum accipere, & tuo Sancto Spiritu repleri, quia tu es verus Deus, & præter te non est alius, cujus regnum gloriosum permanet in secula seculorum. Amen.

Ad communionem.

Corpus Domini mei Jesu Christi sit mihi salus mentis & corporis, & remissio omnium peccatorum meorum in vitam æternam. Amen.

Item ad communionem.

Corpus & Sanguis Domini mei Jesu Christi sit mihi salus, &c. *ut supra.*

Oratio post communionem.

Domine Jesu Christe Fili Dei, vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu-sancto, &c.

Oratio post missam.

Placeat tibi, sancta Trinitas Deus, obsequium servitutis meæ, & præsta ut hoc tuum sacramentum, quod ego indignus oculis tuæ majestatis obtuli, sit tibi acceptabile, mihique & omnibus pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile per te Trinitas sancta, cujus gloriosum regnum permanet in secula seculorum.

Domine Jesu Christe, Fili Dei unigenite, qui es, & qui eras cum Patre & Spiritu-sancto unius essentiæ Deus, in quo solo est vera omnium peccatorum remissio, & per quem vita & salus præstatur æterna. Qui publicanum confitentem peccata sua justificasti, & Cananæam humilem te invocantem exaudisti, & Petrum negantem respexisti, flentem quoque amare recepisti, & latroni in cruce te confitenti veniam cum gloria Paradisi donasti, da mihi misero & infelicissimo peccatori cum timore & tremore confitenti peccata mea veniam & indulgentiam scelerum meorum, ut sacrosancti Corporis communionem & Sanguinis non ad judicium damnationis, sed ad remedium perpetuæ mihi concedas esse salutis. Amen.

ORDO VI.

Ex ms. Pontificali Prudentii Trecensis episcopi.

A*Ntequam sacerdos induat albam, dicat hunc psalmum.* Miserere mei Deus. *Quo finito, dicat:* Gloria Patri. *Deinde* Kyrie eleison. *Et tunc* Pater noster. *Et dicat hæc capitula:* Fac mecum, Domine, signum in bono. Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu. Non declines cor meum in verba malitiæ. Non veniat mihi pes superbiæ. Deduc me, Domine, in via tua, & ingrediar. Sit nomen Domini benedictum.

Oratio.

Deus cui proprium est parcere semper, & salvare, per intercessionem omnium sanctorum tuorum obsecro, esto mihi peccatori propitius, ut quicquid iniquitatis vel peccati ego impius negligenter commisi, tu pius, supplex deposco, clementer ignoscas. Per.

Alia.

Actiones nostras quæsumus, Domine, &c.

Item alia.

Concede quæsumus omnipotens Deus, cunctis viventibus veniam, defunctis indulgentiam, ut te largiente ad requiem pervenire mereantur æternam. Per.

Postea laves manus suas dicens.

Lavabo inter innocentes manus. Asperges me, Domine, hisopo & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.

Deinde ponat amictum, ita dicens:

Pone, Domine, amictum salutarem in capite meo, ad expurgandas & superandas diabolicas fraudes. Per.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, & indumento justitiæ circumda me semper. Per Dominum.

Ad zonam.

Præcinge, Domine, cingulo fidei in virtute castitatis, lumbos mei cordis & corporis, & exsiccando extingue in eis humorem libidinis, ut jugiter in eis sit honor totius castitatis. Per.

Ad tunicam.

Rogo altissime Deus Sabaoth, &c. *ut supra pag.* 177.

Ad stolam.

Redde mihi, Domine, obsecro stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis, & quia cum hoc ornamento accessi, quamvis indignus, ad tuum sanctum ministerium, præsta ut cum eo lætari merear in perpetuum. Per.

Item alia.

Stola jucunditatis circumda, Domine, cervicem meam, & ab omni corruptione cordis & corporis purifica Deus mentem meam. Per.

Ad manipulum.

Merear, Domine, deportari manipulum mentis & flentem cum patientia, ut cum exultatione deferendo, cum justis portionem accipiam. Per.

Ad casulam.

Jugum enim, Domine, tuum suave est, & onus tuum leve: præsta ut sic illud deportare valeam, qualiter consequi possim tuam gratiam. Per Dominum.

Orationes in ingressu missæ.

Altissime Deus, ignosce mihi misero, &c. Efficiat omnipotens Deus sancta Trinitas. Qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

Item alia.

Domine, rex omnipotens, memor fragilitatis humanæ, &c. humilem exaudire digneris. Qui vivis.

Oratio ante secreta.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ, &c. *ut supra pag.* 182.

Alia.

Ignosce, Domine, quod dum rogare compellor, &c. *ut supra pag.* 186.

Oratio ante altare priusquam sacrarium introeas ad induendum.

Sancti Dei omnes, qui ab initio seculi usque in præsens Deo placuistis, intercedite pro me miserrimo & infelicissimo peccatore, ut Dei pietas misereatur mei, per vestramque intercessionem præstet mihi in hac præsenti vita consequi veniam scelerum meorum, ut in futuro non me excruciari sinat cum impiis, sed aliquam particulam donet habere cum sanctis.

Cum amictum ponis dicito.

Conscinde, Domine, saccum meum, & circumda me lætitia spirituali, ut in æternum benedicam tibi, & circumda me fidei armis, ut ab omnibus iniquitatibus erutus, valeam æquitatem & justitiam custodire. Amen.

Cum albam induis dicito.

Indue me, Domine, lorica fidei, & galea salutis, & gladio Spiritus-sancti.

Cum te cingis dicito.

Præcinge me, Domine, virtute, & pone immaculatam viam meam, & præcinge lumbos meos, & circumcide vitia cordis mei. Amen.

Deinde accipiens stolam humiliata cervice impone, & dic:

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam, & ab omni contagione peccati munda cor meum, Domine, & disrumpe vincula peccatorum meorum, ut jugo tuæ ser-

ſervitutis innexus, valeam tibi ſemper cum timore & reverentia famulari. Amen.

Antequam caſulam induat, dicat tres pſalmos hos:

Quam dilecta. Benedixiſti. Inclina Domine. Pater noſter. Exurge Domine. Fiat miſericordia tua. Deus tu converſus. Oſtende nobis Domine. Non intres in judicium. Domine exaudi.

Poſtea induens caſulam dicat hanc orationem.

Fac me quæſo omnipotens Deus, ita juſtitia indui, ut in ſanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus ſordibus peccatorum, conſortium adipiſcar tibi placentium ſacerdotum; meque tua miſericordia vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conſcientię gravat. Per.

De ſacrario ad altare pergens dicito.

Deduc me, Domine, in via tua, &c. deſpexit oculus meus.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Oratio.

Domine, Deus omnipotens, qui es magnus & admirabilis, &c. & humanitatem Jeſu Chriſti Filii tui. Qui tecum vivit & regnat, *pag.* 178.

Alia.

Aures tuæ pietatis, inclina precibus meis, & gratia Sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis myſteriis dignos miniſtrare atque æterna caritate diligere te merear. Per.

Poſtquam eccleſiam intraverit, dicat has orationes ante altare.

Deus qui de indignis dignos, &c. *ut ſupra pag.* 182.

Alia.

Deus miſericordiæ & veritatis, clementiam tuam ſuppliciter deprecor, &c. *ut ſupra pag.* 179.

Deinde propius altare accedens dicat hanc confeſſionem.

Ante conſpectum divinæ majeſtatis, &c. *ut ſupra pag.* 182.

Hæc dicta, oſculetur altare, dicat.

Introibo ad altare Dei, &c. Pſal. Judica me Deus.

Orationes.

Aufer a nobis, Domine, cunctas iniquitates noſtras, & ad ſancta Sanctorum puris mentibus mereamur introire.

Antequam evangelium oſculetur.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui me peccatorem ſacris altaribus adſtare voluiſti, & ſacri nominis tui laudare potentiam, concede quæſumus per hujus ſacramenti myſterium meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majeſtati digne miniſtrare merear. Per.

Deinde cum evangelium oſculatur dicat.

Pax Chriſti, quam nobis per evangelium ſuum tradidit, confirmet & conſervet corda & corpora noſtra in vitam æternam. Amen.

Interim dum Gloria in excelſis Deo *canitur, dicat has orationes.*

Domine, Deus omnipotens, qui es trinus, &c. *ut ſupra, pag.* 177.

Alia.

Domine, Jeſu Chriſte, Redemptor mundi, propitius eſto mihi peccatori, &c. *ut ſupra pag.* 179.

Cum incenſum ponit in thuribulum, antequam legatur evangelium, dicit:

Odore cæleſtis inſpirationis ſuæ accendat Dominus, & impleat corda noſtra ad audienda, & implenda evangelii ſui præcepta. Qui vivit.

Deinde inclinanti Diacono ſignum crucis faciens dicat benedictionem:

Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut annunties competenter evangelium pacis.

Alia.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti deſcendat ſuper te, & aperiat Chriſtus os tuum ad pronuntiandum digne idoneeque ſanctum evangelium ſuum.

Poſt evangelium interim dum canatur offertorium, antequam ſuſcipiat oblata ſtans contra altare, dicat orationem.

Suſcipe confeſſionem meam, unica ſpes ſalutis meæ &c. *ut ſupra pag.* 178.

Alia.

Domine, Deus omnipotens, & miſericors, cui nihil impoſſibile eſt, qui omnia moderaris & diſponis ſecundum tuam beneplacitam voluntatem, Rex Regum, & Dominus dominantium, Creator cæli & terræ, maris, & omnium quæ in eis ſunt, qui dixiſti pro tua pietate & tua magna miſericordia, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat; qui Cananæam, & Publicanum, & meretricem vocaſti ad pœnitentiam, & latronem de cruce, & beatum Petrum poſtquam negavit; qui dixiſti per prophetam tuum: In quacumque die peccator converſus fuerit, omnia peccata ejus in oblivione erunt coram me; a te ſupplex in confeſſione peto veniam, ut indulgentiam de univerſis malis meis & iniquitatibus quidquid ab infantia uſque in hanc horam in cogitatione, locutione, & operatione, & delectatione mala, & deliberatione turpiſſima in conſpectu tuo peccavi. Multa, Domine, & innumerabilia & graviora ſunt peccata mea ſuper arenam maris, & in omnibus malis miſer ſum, miſericors es, miſerere mei, vulnera mea pando tibi, medicinam tuam ne deneges mihi, Deus propitius eſto mihi peccatori.

Item alia confeſſio.

Ecce ego, Domine, ecce ego miſer & infelix, qui dignus non fueram ingredi atria eccleſiæ tuæ, nec limina intrare domus tuæ; accedo ad miniſtrandum ſanctis altaribus tuis, & aſto reus & peccator ante conſpectum divinæ majeſtatis tuæ, ſine ullo ornatu boni operis, & ſine ullo fructu digno pœnitentiæ, & ſine ulla cogitatione munda. Indignus enim & ſceleratiſſimus ſum nimis; ſed de tua ineffabili pietate & miſericordia, & de meritis Sanctorum tuorum confiſus, tremens & pavidus præſumo accedere ad offerenda ſancto nomini tuo ſacrificia immaculata, & ideo, Domine creator piiſſime, te deprecor, Domine clementiſſime, qui omnem animam confitentem & pœnitentem magis vis emendare quam perdere, & qui non pro juſtis, ſed pro peccatoribus incarnari & pati voluiſti, atque latroni in cruce pendenti & majeſtatem tuam confitenti non ſolum peperciſti, ſed etiam tecum in paradiſum induxiſti; me miſerum & peccatorem confitentem & pœnitentem peccata mea, a tua non repellas pietate & miſericordia, nec fruſtra accipias fidem, ac ſpem atque fiduciam, quam in tua inæſtimabili clementia habeo; ſed ſicut omnibus criminoſis & peccatoribus in te credentibus ac de tua miſericordia confidentibus pepercisti, ita mihi miſero ad te confugienti atque ad te reverenti parcere & indulgere, atque ad celebrandum injunctum officium paterna pietate ſuſcipere digneris, & non aſpiciens ad iniquitates & ſcelera juventutis meæ, ſed ad miſericordias & miſerationes tuas multas, quibus humano generi ſemper miſereri conſueviſti, ſuſcipe preces & hoſtias, quas pro peccatis meis & pro peccatis fidelium tuorum tuam vivorum quam mortuorum majeſtati tuæ offerre præſumo. Recordare, Domine, quod caro ſumus, & quam fragili materia conditi ſumus. Etiam cæli non ſunt mundi in conſpectu tuo, & angeli tui reprobi inventi ſunt coram te, quanto magis nos homines terreni, indigni, & immundi ſicut pannus menſtruatæ, non poſſumus eſſe mundi, niſi a tua pietate & miſericordia quotidie corde & corpore mereamur mundari. Quapropter tu, Domine, qui intentionem & devotionem meam torpentem aſpicis, meque indignum & peccatorem miſerum ac pollutum ad Sacroſanctum altaris tui miniſterium accipiendum excitare, & ad miniſtrandum tibi dignatus es promovere, concede propitius, ut celebratio hujus ſancti myſterii, ad quod indignus, trepidus, & pavidus incedo, non ad judicium & condemnationem, ſed ad remiſſionem peccatorum, & ad ſalutem mihi proveniat ſempiternam. Amen.

Alia.

Ante oculos tuos, Domine, reus conſcientiæ, &c. *ut ſupra pag.* 182.

Quando aliquis offert oblationem, dicat orationem:

Tibi, Domine, creatori meo hoſtiam offero pro remiſſione omnium peccatorum meorum, & cunctorum fidelium tuorum.

Alia.

Hanc oblationem, clementiſſime Pater, defero ad manus ſacerdotis tui, ut offerat eam tibi Deo Patri omnipotenti pro cunctis peccatis meis, & pro totius populi delictis. Amen.

Presbyter tenens hoſtiam dicat:

Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus, & præſta ut in conſpectu divinæ * tibi placens aſcendat.

Diaconus vergens libamen in calicem dicat:

Acceptum ſit omnipotenti Deo ſacrificium iſtud.

Dum incenſum ponit dicat:

Hoc incenſum ad omnem putorem nocuum extinguendum Dominus benedicat, & in odorem ſuavitatis ſuæ accendat. Per.

Se-

* *Deeſt aliquid* ſ. majeſtatis.

Sequitur oratio.

Domine Deus noster, qui suscepisti munera Abel, Noe, Melchisedech, Aaron, Samuel, & omnium sanctorum tuorum; sic & de manu peccatorum suscipere digneris incensum istud in conspectu tuo in odorem suavitatis in remissionem omnium peccatorum nostrorum. Per.

Alia.

Suscipe quæsumus de manibus nostris peccatoribus incensum illud in odorem suavitatis, in remissionem peccatorum nostrorum & populi tui, sicut suscepisti munera Abel, Noe, Abrahæ, Samuel, Zachariæ, omniumque Sanctorum tuorum, & libera nos ab omnibus malis & conserve nos in omni tempore, ut possimus placere tibi, laudare, adorare, glorificare te Deum Patrem omnipotentem, cum unigenito Filio tuo, & cum Spiritu-sancto tuo nunc & semper & per omnia sæcula.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es repletus omni odore suavitatis & jucunditatis, ex paupertate manuum nostrarum offerimus in conspectu tuo incensum istud, ut fiat acceptum in odorem suavitatis in remissionem peccatorum nostrorum & populi tui.

Item alia.

Dominator Domine, Rex Regum, Rex gloriose, &c.

Alia.

Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen tuum, &c.

Alia.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem quam tibi offero in memoriam Incarnationis, &c. *ut supra pag.* 183.

Pro salute omnium.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem quam tibi offerimus pro Rege nostro, & sua venerabili conjuge, &c. *ut supra pag.* 183.

Sacerdotis specialis.

Suscipe, sancte Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, &c. *ut supra pag.* 183.

Pro fidelibus defunctis.

Suscipe, sancte Trinitas, hanc oblationem quam tibi offero pro animabus famulorum, &c. *ut supra pag.* 183.

Dum deponitur sacrificium antequam Presbyter se vertat ad populum.

Deus qui es trinus & unus, respice propitius, &c.

Deinde vertens se ad populum dicat.

Orate, fratres, ut meum pariter & vestrum in conspectu Domini nostri Jesu Christi sacrificium sit acceptum.

Responsio circumadstantium.

Suscipiat Dominus sacrificium istud de manibus tuis ad tuam & nostram omniumque salutem.

Item.

Orent pro te omnes sancti & electi Dei, memor sit Dominus omnis sacrificii tui immolando sacrificium laudis. Exaudiat te Dominus pro nobis orantem. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi Dominus omnia peccata tua, &c.

Oratio.

Gaudeat, Domine, famulus tuus, &c. *ut supra pag.* 184.

Deus qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, &c. *ut supra pag.* 184.

Alia.

Deus bonitatis eximiæ, &c.

Initio ejusdem codicis habetur ordo missæ sicut in libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ. Sed primum memento *ita exprimitur.*

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, omnium Canonicorum Monachorum nostræ ecclesiæ, parentum meorum, propinquorum & amicorum utriusque sexus simulque benefactorum, & eorum qui se in meis commendaverunt orationibus, & suas mihi largiti sunt eleemosynas, sueque mihi confessa sunt peccata. Et omnium circumadstentium, &c.

In Communicantes *post* Et omnium sanctorum *additur* Nec non & illorum SS. quorum hodie solemnitatis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus, quorum meritis, &c.

Reliquum canonis et in Missali Romano præter hæc quæ sequuntur. Post Agnus Dei.

Oratio quando miscitur corpus sanguini.

Hæc sacrosancta commixtio corporis & sanguinis D. N. J. C. fiat sumentibus salus mentis & corporis, & ad capiendam vitam æternam præparatio salutaris in sæcula.

Item alia.

Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi percipientibus nobis in remissionem omnium peccatorum in vitam æternam.

Ad Pacem.

Deus qui es Dominator omnium, fac nos pacificando digne operari in sancta hora ista, amator humanitatis, ut emundatos nos ab omni dolo & simulatione suscipies invicem in dilectione, in osculo sancto, in quo manet vera pacificatio & caritatis & unitatis conjunctio. Amen.

Quando sumitur corpus & sanguis Domini.

Ecce Jesu benignissime, quod concupivi jam video, ecce Rex clementissime, quod speravi jam teneo: hinc tibi quæso jungar in cœlis, quod tuum corpus & sanguinem quamvis indignus cum gaudio suscipio in terris.

Alia.

Ave in ævum sanctissime caro, mea in perpetuum summa dulcedo. Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quod indignus sumere præsumo non mihi proveniat in judicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum animæ & corporis. Amen.

Ad sanguinem Domini accipiendum.

Ave in æternum cælestis potus, mihi ante omnia & super omnia dulcis. Cruor ex latere Domini nostri Jesu Christi mihi indigno maneat ad salutem, & proficiat ad remedium animæ meæ in vitam æternam.

Post datam Eucharistiam.

Concede, Domine Jesu, ut sicut hæc sacramenta corporis & sanguinis tui fidelibus tuis ad remedium contulisti; ita mihi indigno famulo tuo & omnibus per me sumentibus hæc ipsa mysteria non sint ad reatum, sed prosint ad veniam omnium peccatorum. Amen.

Quando datur hostia sacra populo Christiano.

Corpus Domini nostri Jesu Christi maneat ad salutem, & conservet animam tuam in vitam æternam. Amen.

Ad sanguinem Domini.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi sanctificet corpus & animam tuam in vitam æternam.

Ad utrumque.

Perceptio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi prosit animæ tuæ in vitam æternam. Amen.

Item alia.

Corpus Domini nostri Jesu Christi quo pasti sumus, & sanguis ejus quo potati sumus, adhæreat in visceribus nostris, & non nobis veniat ad judicium, neque ad condemnationem, sed proficiat nobis ad salutem, & ad remedium vitæ æternæ. Amen.

ORDO VII.

Ex ms. codice insignis ecclesiæ S. Gatiani Turonensis annorum circiter 800.

Quando se lavat sacerdos ante missam dicit hoc:

LAvabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine. Asperges me Domine hyssopo & mundabor; lavabis me & super nivem dealbabor.

Quando mittit amictum.

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnendas diabolicas fraudes, & omnium inimicorum meorum persequentium me sævitiam superandam.

Quando albam induit.

Indue me, Domine, vestimento salutis, tunica justitiæ & indumento lætitiæ circumda me semper. Per.

Quando se cingit.

Præcinge, Domine, cingulo fidei & virtute castitatis lumbos mei corporis, & exsiccando extingue in eis humorem libidinis, ut jugiter in me maneat virtus castitatis. Per.

Ad stolam.

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

Ad casulam.

Domine, qui dixisti, jugum meum suave est, & onus meum leve, præsta ut sic illud deportare, in perpetuum valeam, qualiter tuam gratiam consequi merear Salvator.

Ad

Ad manipulum.

Redde mihi, Domine, manipulum meum mentis & corporis, & sic illud deportare valeam, qualiter possim tuam gratiam. *

Oratio sacerdotis ante altare, id est confessionem.

Veniam peto a te, Domine Jesu Christe, coram sanctis Angelis atque Archangelis tuis, cum omni agmine cæli, & omnibus sanctis Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, & Monachis, pro peccatis meis, quia injuste ego iniquitatem feci. Ego peccavi, ore, corde, opere. Ego omnibus miser inquinatus sum vitiis, ideo veniam peto; quia crimina cognosco, pœnitet me male egisse. dignemini pro me orare omnes sancti Dei, ut Dominus donet mihi indulgentiam de cunctis peccatis meis. Qui vivit.

Si diaconus legerit Evangelium illud dicat ei:

Corroboret Dominus sensum & labia tua, ut recte nobis pronunties eloquia divina.

Quando sacerdos miscet aqua cum vino.

Ex latere Christi sanguis & aqua exisse perhibetur, & ideo pariter commiscemus, ut misericors Deus ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur.

INCIPIUNT APOLOGIÆ.

ANte conspectum divinæ majestatis, &c. *ut supra pag.* 182.

Rogo te Deus Sabaoth, &c. *ut supra ibid.*

Ignosce, Domine, quod dum rogare compellor, &c. *ut supra pag.* 186.

Indignum me, Domine Jesu Christe, sacris tuis esse fateor, &c. *ut supra pag.* 179.

Deus qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos, munda cor meum & corpus meum ab omni agitatione & sorde peccati, & fac me dignum atque strenuum, & concede propitius, ut hoc altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles offeram pietati tuæ pro peccatis & affectionibus meis innumeris, & quotidianis excessibus, & pro famulo tuo Rege nostro ill. ac populo sibi subjecto & omnibus circumstantibus, omnibusque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus, me odio exsecrabili insectantibus & adversantibus, cunctisque simul fidelibus Christianis, & precum sit tibi meum votum atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit in sacrificium. Qui tecum.

Domine Jesu Christe, propitius esto mihi peccatori, quia tu es immortalis, & sine peccato solus, tu es benedictus, qui benedicis omnia, tu es sanctus qui sanctificas. Indulge mihi indigno famulo tuo ill. quia peccator sum & indignus & præsumo ante sanctum altare tuum invocare te, quia peccavi coram te & coram angelis tuis: sed tribue mihi indulgentiam omnium delictorum meorum, & confirma sanctam Ecclesiam tuam in fide orthodoxa, & doce me facere voluntatem tuam cunctis diebus vitæ meæ Salvator mundi, qui vivis.

INCIPIT CONFESSIO.

COnfiteor tibi Domine, rex cæli & terræ, & tibi frater, omnium peccatorum meorum scelera, quæ cogitando, loquendo, vel etiam operando, suadente diabolica fraude, ab ipso pubertatis meæ tempore usque in præsens coram Deo & angelis ejus negligenter commisi, seu & in religione professionis meæ, quæ memoriæ occurrunt & quæ subter scripta habentur. Peccavi enim per negligentiam mandatorum Dei. Peccavi per superbiam & elationem. Peccavi per fornicationem & adulterium. Peccavi per avaritiam & vanam gloriam. Peccavi per iram & tristitiam. Peccavi per acidiam & somnolentiam. Peccavi per invidiam & odium. Peccavi per sacrilegium. Peccavi per gulam & cupiditatem. Peccavi per vanam gloriam & per jactantiam. Peccavi per furtum & rapinam & mendacium. Peccavi per falsum testimonium. Peccavi per detractionem & murmurationem. Peccavi per ebrietatem & commessationem. Peccavi per luxuriam & libidinem. Peccavi per rixas & contentiones. Peccavi per juramentum & maledictiones. Peccavi per stultiloquium & per otiosas fabulas. Peccavi per pigritiam & amaritudinem. Peccavi per suspicionem & susurrationem. Peccavi per oblivionem & ignorantiam. Peccavi per adulationem & simulationem. Peccavi per malitiam & blasphemiam. Peccavi per curiositatem & æmulationes. Peccavi per vanam lætitiam & per tristitiam sæculi. Peccavi per suavitatem mentis & per desiderium carnis. Peccavi per inobedientiam & indignationem. Peccavi per impatientiam & lascivia joca. Peccavi per quinque sensus corporis mei, in visu, in auditu, in gustu, odoratu, & tactu in cogitatione & in locutione & in actione. Istis supra memoratis modis & aliis innumeris peccavi infelix in conspectu tuo, Domine, miserabiliter. Unde, frater, humiliter obsecro, ut pro meis reatibus Dominum depreceris, ut mihi indulgentiam meorum tribuat clementissime delictorum. Amen.

Oratio quando ponitur oblatio super altare, dicat sacerdos.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam incarnationis, &c. *ut supra pag.* 183. *A nonnullis tamen verbis additis.*

Quando clericus tractim hymnum angelicum * *id est* Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus. *Decantato a sacerdote eodem hymno, supplicans dicat:*

Deus qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, &c. *ut supra pag.* 184.

Oratio pro congregatione.

Domine Jesu Christe Salvator mundi, qui elegisti locum hunc ad serviendum tibi, & animas salvandas; da nobis in loco isto pacem, & sanitatem, & tranquillitatem. Da nobis rectricem secundum voluntatem tuam, qui te timeat, & tua præcepta custodiat: custodi istum gregem ab omnibus insidiis, ab omnibus peccatis, ab omni malitia, ab omni murmuratione, ab omni diaboli perturbatione; da nobis auxilium ut serviamus tibi, & tua præcepta custodiamus; & ne despicias peccata nostra, sed respice ad merita sanctorum, quorum reliquiæ in loco isto sunt. Adjuva nos per merita illorum secundum tuam magnam misericordiam, sicut vides necessitatem nostram. Qui vivis & regnas.

Sequitur canon missæ in quo desiderantur hæc verba. Et omnibus orthodoxis atque catholicæ fidei cultoribus.

Post S. Cyprianum commemorantur S. Mauritius, S. Dionysius, & post S. Anastasiam, S. Eufemie.

Post tertium Agnus Dei *sic habetur.*

Hic mittitur.

Hæc sacrosancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sit nobis omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam capescendam æternam præparatio salutaris. Per omnia.

Oratio ante sumtum Corpus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi ita digne sumere, ut merear per hoc remissionem peccatorum accipere, & sancto tuo Spiritu repleri, quia tu es Deus, & præter te non est alius, cujus regnum sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Post communionem.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate &c.

Alia.

Corpus tuum, quod sumsi, Domine Deus meus, Jesu Christe, & Sanguis tuus quo potatus sum, adhæreat, obsecro, in visceribus meis, & non sit mihi ad judicium & damnationem; sed sit mihi ad refrigerium, & ad salutem animæ & corporis, & proficiat mihi peccatori; & his omnibus pro quibus tibi obtuli, Salvator mundi, rex gloriæ. Qui cum Patre & Spiritu-sancto vivis.

Alia.

Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam meam in vitam æternam. Amen.

Alia.

Perceptio Corporis & Sanguinis, &c.

Initio canonis extat depicta Christi Domini crucifixi imago cum quatuor clavis & velo oblongo. Habet ad dextram B. Mariæ Virginis, ad sinistram S. Johannis Evangelistæ iconas.

ORDO IV.

Ex ms. lib. Sacramentorum Moysacensis monasterii nunc bibliotheca Colbertina num. 428. *annorum circiter* 800.

INCIPIT ORDO QUOMODO SACERDOS AD ALTARE ACCEDERE DEBEAT.

LAvabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine. Asperges, *usque* albabor.

Ad amictum.

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas diabolicas fraudes.

* *Adde* consequi, *aut quid simile.*

* *Adde* cantat.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, & indumento justitiæ circumda me semper. Per.

Ad zonam.

Præcinge, Domine, cingulo fidei lumbos mei corporis, & comprime, & extingue in eis humorem libidinis, ut jugiter maneat in eis tenor totius castitatis.

Ad manipulum.

Merear, precor Domine manipulum portare mente flebili cum patientia, ut cum exultatione illud deferendo cum justis, portionem accipiam. Per.

Ad stolam.

Redde mihi, Domine, obsecro stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis, & quia cum hoc ornamento accedo, quamvis indignus, ad tuum sanctum ministerium, cum eodem lætari merear in perpetuum. Per.

Ad casulam.

Jugum enim tuum, Domine, suave est, & onus tuum leve, præsta ut sic illud deportare valeam, qualiter consequi possim tuam gratiam.

Oratio post acceptam confessionem.

Aufer a nobis, Domine, spiritum superbiæ cui resistis; & da nobis cor contritum, & humiliatum, quod non spernis; ut mereamur puris mentibus introire ad Sancta Sanctorum. Per.

Oratio ante altare.

Deus qui de indignis dignos, de peccatoribus justos, &c.

Alia.

Deus qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, &c.

Orationes S. Ambrosii episcopi, quas solitus erat dicere, veniam pro se postulando, & pro suis peccatis, antequam missam celebraret.

Ante conspectum divinæ majestatis reus assisto, qui invocare, &c.

Alia.

Ignosce mihi, Domine, ignosce, quia dum rogare compellor, dum per immunda labia, &c.

Alia.

Projectis, Domine, nobis in condemnationem operum nostrorum, &c.

Alia.

Ante oculos tuos, Domine, reus conscientiæ testis assisto, &c.

Indignum me tuis mysteriis esse fateor, qui innumeris quotidie peccatis fuscor.

Oratio quando se signat post orationem.

Per virtutem sanctæ crucis, & per intercessionem B. Mariæ Virginis, & B. Petri apostolorum principis, & omnium Sanctorum, absolve, quæsumus Domine, nostrorum vincula delictorum, & quicquid pro eis meremur propitius averte, & ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue veniæ gaudentes. Per.

Oratio ad incensum.

Omnipotens Deus, qui suscepisti munera Abel, Noe, Melchisedech, Aaron, Samuel, & omnium Sanctorum tuorum, sic & de manu peccatorum suscipere digneris incensum istud in conspectu tuo in odorem suavitatis in remissione peccatorum nostrorum. Per.

Benedictio ad evangelium.

Corroboret Dominus sensum & labia tua, ut recte pronuncies nobis eloquia sancta sua.

Quando panem & vinum super altare ponit.

Hanc oblationem, quæsumus omnipotens, Deus, placatus accipe, & omnium offerentium, & eorum pro quibus offertur peccata indulge. Per.

Orationes quando se inclinat.

Suscipe, S. Trinitas, hanc oblationem quam tibi offerimus in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri J. C. & in honore omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festivitas celebratur, & eorum quorum nomina hic habentur & reliquiæ, ut illis proficiat ad honorem, &c.

Alia quotidianis diebus.

Suscipe, clementissime Pater, hanc oblationem quam ego indignus peccator tibi præsumo offerre ad honorem & gloriam nominis tui, in commemorationem Dei genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum, pro me indigno peccatore, & pro salute vivorum, & requie defunctorum: & per intercessionem sanctæ Dei genitricis Mariæ, & omnium sanctorum tuorum te deprecor, ut hæc oblatio accepta fiat in conspectu tuo, & placeat tibi Domine Deus. Qui vivis.

Alia mortuorum.

Suscipe, S. Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum famularumque tuarum, & omnium fidelium defunctorum, ut requiem æternam dones eis inter tuos sanctos, & electos, ut in illorum consortio vita perfruantur æterna. Per.

Quando se erigit.

In nomine sanctæ Trinitatis, & individuæ unitatis, descendat angelus benedictionis & consecrationis super hoc munus. Per.

Item alia.

Descendat, precamur omnipotens Deus Pater, super hæc, quæ tibi offerimus, Verbum tuum sanctum: descendat inæstimabilis gloriæ tuæ Spiritus: Descendat antiquæ indulgentiæ tuæ donum, ut fiat oblatio hæc hostia spiritualis in odorem suavitatis accepta, & nos famulos tuos per sacratissimum Corpus & Sanguinem Christi tui manus invicta custodiat. Per eumdem.

Deprecatio quando se convertit.

Obsecro vos, fratres, orate pro me, ut meum sacrificium & vestrum acceptabile fiat Domino.

Responsio.

Suscipiat omnipotens Deus sacrificium de manibus tuis, & dimittat tibi omnia peccata tua.

Ante offerenda.

Dominator & vivificator, bonorum omnium donator, Domine, qui das omnibus beatam spem, & æternam vitam Dominum nostrum Jesum Christum, dignare ut fiat nobis hoc mysterium divinitatis ad perficiendum ministerium in sanctificationem, & ad fruendam futuram beatitudinem. Per eumdem.

Quæ sequuntur altera sunt manu scripta sed tamen antiqua, annorum supra 600.

Dum Sanctus *canitur dicitur, oratio.*

Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen tuum. Mundaque cor meum ab omnibus vanis, & nequissimis cogitationibus, ut exaudiri merear deprecans populo tuo, quem elegisti tibi. Per.

Ad corporale induendum oratio.

In tuo conspectu quæsumus, Domine, hæc nostra munera tibi placita sint, ut nos tibi placere valeamus. Te præstante.

Alia oratio ad hostiam.

Acceptabilis sit majestati tuæ, omnipotens Deus, oblatio hæc quam tibi offerimus pro reatibus & facinoribus nostris, & pro stabilitate sanctæ Dei ecclesiæ. Per.

Ad calicem.

Offerimus tibi, Domine, Christi Filii tui Sanguinem, humiliter imploramus clementiam tuam, ut ante conspectum divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

Ad mixtum.

Ex latere Christi sanguis & aqua exisse perhibetur, & ideo pariter commiscimus, ut omnipotens Deus utrumque ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur.

Quando intrat diaconus ante altare.

Veniam peto ad te, Domine, tibi & omnibus angelis tuis, & omnibus sanctis tuis, vel quorum reliquiæ in ista continentur ecclesie de omnibus peccatis meis, ut tu piissimus Pater dimittas iniquitates omnes & scelera mea, & fac me digne sanctis altaribus tuis ministrum, effunde spiritum veritatis in os meum, ut dignus valeam nunciare sanctum evangelium te præstante Deus noster.

Quando panem & vinum super aram ponit.

Hanc oblationem, quæsumus omnipotens Deus, placatus accipe, & omnium offerentium, & eorum pro quibus offertur peccata indulge. Per.

Sequitur canon missæ prima manu scriptus cum rubrica quæ solet præmitti libro Sacramentorum S. Gregorii: In quo canone non fit mentio regis. Post hæc verba & omnium circumadstantium *additur.* Et omnium fidelium christianorum. *Post* Cosmæ & Damiani *additur:* Nec non & illorum quorum hodie sollemnitatis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus.

Post canonem qui triplici concluditur Agnus Dei, *in sequenti pagina hæ habentur orationes.*

Oratio cum conficis Corpus Domini cum Sanguine in calice.

Hæc sacrosancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu fiat mihi & omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam capessendam æternam præparatio salutaris. Per eumdem.

Item alia ubi Corpus in Sanguine mittitur.

Fiat nobis & omnibus sumentibus, quæsumus, Domine, commixtio, & consecratio Corporis & Sanguinis Domini no-

ni nostri Jesu Christi remissio omnium peccatorum, tutamentum quoque mentis & corporis, & ad vitam capescendam æternam præparatio salutaris. Per.

Ante osculum.

Quies omnium Deus, & dominator, fac nos pacificando digne operari in sancta hora ista amator humanitatis, ut emundatos ab omni dolo & simulatione suscipias nos invicem in dilectione, in osculo sancto, in quo manet vera pacificatio, & caritas, & unitatis conjunctio.

Oratio ante communionem.

Domine Jesu Christe, non sum dignus te suscipere, sed tantum, obsecro, propitius esto mihi peccatori; & præsta ut hæc vera Corporis & Sanguinis tui portio non sit mihi ad judicium, neque ad condemnationem; sed sit omnium peccatorum meorum optata remissio, animæque & corporis mei pia gubernatio, & potens ad vitam æternam introductio. Qui cum Patre & Spiritu-sancto vivis.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc Corpus & Sanguinem J.C. Filii tui Domini nostri ita sumere, ut merear per illud remissionem peccatorum meorum accipere, & tuo Sancto Spiritu repleri, quia tu es Deus benedictus, & præter te non est alter, cujus regnum & imperium sine fine permanet gloriosum per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Post perceptum Corpus Domini.

Corpus Domini nostri Jesu Christi quod accepi, & Sanguis ejus quem potatus sum, &c.

Perceptio Corporis & Sanguinis tui Domine J. C. quam ego indignus præsumo, &c.

Domine J. C. Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, &c.

Da quæsumus omnipotens Deus, ut tanti mysterii munus indultum non condemnatio sit mihi; sed sit medicina ad remedium animæ meæ, ut ad tuam magnificentiam capiendam divinis effectibus semper instruer, & per hunc sacrum Corpus & Sanguinem tuum ab omnibus imminentibus periculis liberes, & cunctorum mihi concedas veniam delictorum, ut cum mihi extrema dies finisque vitæ advenerit, emundatum delictis omnibus angeli tuæ sanctitatis me suscipiant. Per.

Oratio post missam.

Placeat tibi, &c.

O R D O IX.

Ex ms. monasterii S. Theoderici prope Remos.

Orationes ante missam.

ANte conspectum divinæ majestatis tuæ, Domine, reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo. Miserere mihi, Domine, homini peccatori. Ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe præ ceteris capitalium polluto, & non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Sed licet vitiis ac voluptatibus carnis adgravatus sim, recordare, Domine, quod caro sum. In tuo conspectu etiam cæli non sunt mundi, quanto magis homo terrenus & immundus sicut pannus menstruatæ? indignus sum JESU CHRISTE, ut vivam, sed tu, qui non vis mortem peccatoris, da mihi veniam in carne constituto, ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfrui merear in cælis per te JESU CHRISTE, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas.

Alia.

Ignosce, Domine, ignosce: quia dum rogare compellor; dum per immunda labia nomen sanctum tuum assumo, & eum pudenda actuum confiteor, non habeo apud te etiam verba sine crimine. Tu enim conscientiæ meæ vulnere, tu cogitationum mearum occulta nosti, & immunditias meas tu solus agnoscis. Miserere mihi, Domine, miserere mihi, ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordiæ tuæ judices, quem pro aliis rogare permittis, & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, Salvator mundi qui cum Patre.

Alia.

Si ante oculos tuos, Domine, culpas quas fecimus & plagas quas excipimus conferemus, minus est quod patimur, majus est quod meremur. Peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis fragilitas nostra frangitur, & iniquitas non mutatur, mens ægra torquetur, & cervix dura non flectitur. Vita in dolore suspirat, & in opere non emendat. Si expectas, non corrigimur; si vindicas, non duramus. Confitemur in correptione quod fecimus, obliviscimur in visitatione quod flevimus. Si impresseris manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non facimus; si ferias, clamamus ut parcas; si parcas, iterum provocamus ut ferias; si angustiæ veniunt, tempus petimus pœnitendi; si misericordia subveniat, abutimur pœnitentia quæ pepercit. Adhuc flagella illata vix præterit, & jam non recolit mens ingrevata quod pertulit. Si citius nos audias, ex misericordia insolescimus; si tardius, ex impatientia murmuramus. Te, Domine, volumus servare quod feceris, nec timemus negligere quod jusseris. Habes, Domine, confitentes reos, parce quia pius es. Novimus quod nisi dimittas recte nos punias. Sed apud te est multa miseratio & propitiatio perabundans. Præsta sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui rogarent. Clamantibus nobis ad te, Domine, miserere. Moveat misericordiam tuam vox fidelis & flebilis, atque illa de qua totum speramus, pietas non reputet quod offendimus, dum respicit quod rogamus, & cum grandis sit miseria esse nos reos, major tibi sit clementia esse nos miseros. Tuo supplices auxilio ante te & criminis nostri mala ponimus & dolores, a te precando misericordiam, quam peccando repulimus, expectamus; prævaletur his de indulgentia tua quod rogaris accipere: quos agnoscis fiduciam de sua justitia non habere. Erige nos, Domine Deus noster, & alleva in misericordia tua, ut communione salutis & gaudio caritatis dum ipsi salvari ex munere tuo cupimus, etiam fide & pace cunctarum gentium gaudeamus.

Alia.

Ante oculos tuos, Domine, reus conscientiæ testis assisto, rogare vix audeo, quod impetrare non mereor. Tu enim scis, Domine, omnia quæ aguntur in nobis. Verbis tantum obsequimur, cor dementimur, & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Parce, Domine, confitentibus, ignosce peccantibus, miserere, te rogamus. Et quia in Sacramentis tuis meus sensus infirmus est, præsta quæsumus, ut qui ex nobis duri cordis verba non suscipis, per te nobis veniam largiaris. Per Dominum.

Item alia.

Impellit ministrandi officium hostia salutaris populi pro delicto; terret conscientia indebiti sacerdotii pro reatu. Si a me omnium sæculorum peripsema sacrificium offeratur, pollutæ conscientiæ crimen augetur; si tantæ majestati universæ carnis judici non offertur, negligentiæ reatus ascribitur. Inter hæc tuæ omnipotens libramen pietatis imploro, cujus ultionis diem accusante conscientia pertimesco. Ne indignum, quæso, misericordia judices, quem a tempore pœnitentiæ non excludis. Suspende securim, donec cultor vineæ admoveat cofinum stercoris ad radicem infructuosæ arboris. Parce mihi, Domine clementissime, pœnitenti, qui David post lapsum clementer ad veniam revocasti, qui Petri amare flentis lacrymas respexisti, qui latronem in crucis patibulo tanti facinoris reum divina gratia illustresti, cui mox obtinuit confessio perspicue Dei Filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia sempiterna, dum confessor in cruce, possessor extitit paradisi post crucem. Sed quia verba venia tuæ pietatis indigent, quæ indigni sacerdotis opera non commendant, saltem adstantium vota suscipe, ut & mihi suis apud te precibus veniam, & eorum meritis sacrificia nostrorum vulnerum salubriter nobis conferant medicinam; ut quia omnipotens pro omnibus factus es hostia pro peccatis, adsis nobis sanctificatio in sacrificio pro delictis, Christe Salvator mundi, qui cum æterno Patre una cum sancto Spiritu.

Item alia.

Conscientia quidem trepidi, omnipotens Deus, ad altare tuum accedimus, sed fiduciam de tuæ pietatis misericordia retinemus, & licet ad celebranda sacrificia semper inveniamur indigni, sed si recedimus veremur de inobedientia condemnari, pro qua re dignare nos pietate paterna placato vultu respicere, & cordis nostri interiora purgare. Et si nos pondere peccatorum nostrorum ac reatu constringimur, nostrorum tamen precum obtentu tibi sint, quæsumus Domine, in omnibus placita mysteria consecranda. Per Dominum nostrum.

Item alia.

Rogo te, Deus Sabaoth altissime, Pater sancte, ut me tunica castitatis digneris accingere, lumbosque meos balteo tui amoris ambire, ac renes cordis mei igne tuæ caritatis urere, ut pro peccatis meis possim intercedere, & astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare, me quoque tibi audacter accedentem non sinas perire, sed dignare lavare, ornare, & leniter suscipere. Per.

Alia.

Ante æterni regis Christi præsentiam nostra accedunt præconia, quæ volunt populi impetrare delicta. Livore torquetur conscientia, quia sacris mysteriis offerendis se ingerit criminosam, & dum respicit admissa, terretur tuis conspectibus adstare confusa. Sed, quæso, humilis reus, qui ad te post lapsum redeo devius, jaceo saucius, in te valis respiro bone medice vulneratus, ut qui sacrificia altaribus tuis munda offerri præcipis, cum offerentium meritis sacerdotis indigni labia polluta sanctifices, qui indigere me miserum tua, Christe Salvator inclyta, misericordia recognoscis, qui vivis & regnas.

Alia.

Projectis, Domine, nobis in condemnationem operum nostrorum, da capiti nostro aquam, & oculis nostris fontem infunde lacrymarum, ut peccati maculas abluendo, ultrices pænarum flammas fletuum ubertate vincamus: quia tibi non sunt occulta quæ gemimus, sit in nobis non oris tantum confessio, sed & doloris, non excusatio criminum, sed lamentatio peccatorum. Cordis enim nostri oculos castos lasciviæ mundi violavit aspectus. Mores corrupti, disciplina vitiata, simulatio in vultu, fallacia in verbis, dolus in corde, volubilitas in lingua, operatio stulta, mens dubia, concupiscentia carnalis, sollicitudo terrena, oblivio animi, negligentia sanctitatis, super hæc autem morsuis timor increvit. Miserere nobis, Domine, miserere nobis, da præteritis veniam, præsentibus emendationem, futuris largire custodiam, Per Dominum nostrum.

Alia apologia,

Si tantum, Domine, reatus nostræ delinquentiæ cogitemus, deputatum nobis observantiæ ministerium non implemus. Grave est enim quod ad mensam tuam mundo corde & innocentibus manibus non venimus. Gravius est, si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus. Rarius sit necesse est qui ministret, sed semper non prohibendus est qui delinquit. Liceat igitur per indulgentiam tuam assistere pro remedio, immolare pro officio, rogare pro populo. Quæso, Domine, conforta quod trepidat, cura quod tædet, reconcilia quod discordat, remova quod cruciat, incide quod vulnerat, erige, quod laborat, castiga quod defluit, evacua quod corrumpit, humilia quod superbit, sit pia justitia, cedens correptio quæ peccatum coerceat, non quæ absorbeat peccatorem. Det in salutem disciplinam, non in mortem sententiam. Audiat precem qui visitat per dolorem, Per Dominum nostrum.

Item alia.

Mordacis conscientiæ stimulis, & delictorum nostrorum recordatione commoti, te Deum indulgentiæ deprecamur, ut quicquid dicto, facto, cogitatione peccatum est, sive lubricæ ætatis impulsu, sive ignorantiæ errore commissum, pietas Domini nostri JESU CHRISTI resolvere ac indulgere dignetur. Qui,

Alia.

Deus ad quem accedere mundi desideremus, ob cujus gloriam in honore tuorum martyrum expiari deposcimus, in vivam nos tibi præpara hostiam, cordium quoque nostrorum abdita omni crimina lava & spirituali reple lætitia. Quique coram te pro nostris & pro fratrum delictis ingemiscimus exaudiri a te quantocius mereamur, ut nec nostro puniamur nec alieno peccato, sed justitia & sanctitate vestiti, præsentemur tibi indemnes in die judicii, Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu.

Alia.

Indignum me, Domine, sacrificiis tuis esse fateor, qui innumeris quotidie peccatis fuscor. Quid ergo te blandis verbis rogare præsumo, quem improbis sæpissime factis offendo. Tu enim mihi medicinam ingeris, ego sanitati meæ contraria ago, legem tuam sacris inditam paginis lego, sanam vero disciplinam infelix negligo. Ad tuum quidem altare quasi devotus accedo, sed a præceptis tuis contumaci corde recedo. Da ergo mihi, Domine, cor compunctum, quo veraciter odio habeam peccatum. Meum est si donaveris delicta deflere, tuum est etiam nubem meam cito delere, ut qui hanc palmam amiserim, inimico fraudante, ad veniam saltem pertingam, te, Domine, miserante. Tibi enim est honor Deo regum Regi cunctorum per cuncta regnanti sæcula sæculorum. Amen.

Domine misericors, quem ecclesiæ tuæ populus una eademque petandæ misericordiæ voce, multis miserantium miserationum generibus interpellat, converte ad nos placatam faciem tuam, remittens iniquitatem plebis tuæ, ut ab ira justæ indignationis aversus, repleat innocentia sacerdotes, concordia gentes, amicitia reges, justitia judices, gratia cives, clementia divites, substantia inopes, temperantia mediocres, pœnitentes venia, errantes scientia, patientia debiles, medicina languentes. Lætificet libertas exules, mitiget pietas principes, ornet integritas virgines, caritas conjuges, castitas cœlibes, salubritas senes, honestas juvenes, sanctitas continentes, bonoque usui hominum imperio tuo innoxios aeris & intempestivos imbres. Necessarios solos ventis confoventibus, & blanda vicissim motis unguenta unguendo etiam cum opus est cœlum ministret. Tranquilla navigantibus freta subjaceant, itinere viantibus sint directa, copiosos laborantibus fructus terra parturiat, hoc super omnia & præ his omnibus Domine præsta; in te ultra omnia studeat colere, qui a te hæc omnia procul dubio desiderat obtinere. Per.

Expiat nos, quæsumus Domine, tuorum deprecatio sanctorum, & sicut per Moysem famulum tuum peccata populi dimisisti: ita per intercessionem sanctorum nostrorum omnium nostrorum jubeas relaxari peccata. Per Dominum nostrum.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri JESU CHRISTI, & in honore omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum nomina hic & reliquiæ habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris, Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Memoria Domini nostri Jesu Christi,
& Sanctorum ejus.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus pro rege nostro ill. & sua venerabili prole & statu regni Francorum, pro omni populo christiano, & pro eleemosynariis nostris, & pro his qui nostri memoriam in suis orationibus habent, ut hic veniam recipiant peccatorum, & in futuro præmia consequi mereantur æterna.

Suscipe sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore miserrimo omnium hominum, pro meis peccatis innumerabilibus, quibus peccavi coram te, in cogitationibus, in dictis, & factis, ut præterita mihi dimittas, & de futuris me custodias. Pro sanitate etiam corporis & animæ, & pro gratiarum actione de tuis bonis, quibus quotidie utor.

Quid retribuam Domine pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero. Per.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum famularumque tuarum ill. ut requiem æternam dones eis inter sanctos & electos tuos, ut in illorum consortio vita perfruantur æterna. Per Dominum.

Respice Domine Deus propitius per intercessionem omnium Sanctorum tuorum in orationem servi tui, & in aures tuæ pietatis, inclina & audi supplicem precem nostram secundum magnam misericordiam tuam. Dum adhuc tempus est, Domine, famulis tuis veniam dona, ut in judicio concedas vitam æternam. Pro omnibus obsecro prædestinatis, præcipue pro his qui memoriam mei in orationibus suis habent, & qui se indignis precibus meis commendaverunt, & qui mihi aliquid caritatis officio vel pietatis studio impenderunt, & qui mihi consanguinitate sive compassionis affectu propinqui sunt, & pro omnibus pro quibus deprecandi debitor sum, sive voluntarius, tam pro his qui consistunt in corpore, quam etiam pro illis qui teguntur in funere, ut pius pater hos gubernare dignetur ne pereant, & illos visitare jubeas, ut absolvas, Per Dominum nostrum Jesum.

„ Catholica est fide tenendum & omni devotionis stu-
„ dio fatendum, sanctos qui pro Dei agonizantes amore,
„ diversis temporum curriculis martyrium sumsere, vel
„ propria feliciter a præsenti sæculo sunt morte sublati,
„ regnum assecutos æternum. Et sicut quisquam in anni
„ circulo non continetur dies, quo natalitia non habean-
„ tur Sanctorum: ita nullus incuriose eximi debet, quo
„ festivitas eorum in missæ solemnitate apud fideles non
„ celebretur. Neque cunctandum fidelium est mentibus,
„ quod quanto devotius fragili licet officio honorem ac
„ memoriam illorum agimus in terris, tanto pro nobis il-
„ li apud Dominum intercedere dignentur in cælis. Et
„ ideo totis studendum est nisibus, ut sicut nullus deduci
„ potest dies, quo non vel levioribus implicemur culpis,
„ ita quisquam præteriri non debet, pro quo nostris reati-
„ bus patronos in cælesti prælatos gloria supplicare debea-
„ mus. Illos nempe studiosius, quos celsioris apud Domi-
„ num honoris arcem credimus obtinere.

Cre-

Ordo qualiter hæ missæ a Domino Alcuino collectæ per singulos septimanæ dies, & a nobis solemnitas celebratur sanctorum.

„ Die dominico ad missam. Dominica ipsius diei, de Trinitate, de Sapientia, & de S. Maria, Feria II, memoria S. Michaelis. Feria III. S. Johannis, Feria IV. S. Petri. Feria V. S. Stephani. Feria VI. S. Crucis. Feria VII. SS. Theodorici & Theodulfi; prælatos hos beatissimos ecclesiæ proceres, demum memoria omnium sanctorum cotidie festiva devotione in missarum solemnitate teneatur.

Deus bonitatis eximiæ, fons pietatis, & origo misericordiæ, propitius esto mihi famulo tuo peccatori, & qui cuidam mulieri quæ erat in civitate peccatrix sacrosancti corporis tui contactum non denegasti, hoc donum tuæ largitatis panis & vini de meis manibus quamlibet indignis suscipere non dedigneris, quod mox in tuæ sanctæ Carnis ac pretiosi Sanguinis mysterium, operante sancto Spiritu, est consecrandum, cujus opitulante gratia, mihi meisque utriusque sexus consanguineis & amicis atque cunctis fidelibus tuis veniam remissionemque peccatorum clementer largire cunctorum, & vitam æternam, qui cum Patre vivis & regnas Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti. Per.

Oratio ante altare post incensum.

Deus, qui es trinus & unus, respice propitius hæc munera per nostræ humilitatis famulatum tibi oblata, & concede ut in oculis tuæ majestatis sint grata & accepta, nobisque offerentibus, & his pro quibus ea tibi offerimus, ad medelam corporis & animæ proficiant. Amen.

Retro ad populum dicit:

Orate fratres, ut meum pariter vestrum in conspectu Domini acceptum sit sacrificium.

Oratio post Sanctus *ante immolationem.*

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, me miserum fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate, neque aspicias ad peccata & scelera mea, & immunditias, turpesque cogitationes meas, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate; sed ad misericordias tuas, & ad fidem devotionemque eorum, qui per me tuam expetunt misericordiam, & qui me indignum inter te & populum medium fieri voluisti, fac me talem, ut digne possim tuam exorare misericordiam pro me, & pro populo tuo, & adjunge voces nostras vocibus Sanctorum tuorum Angelorum tuorum, & sicut illi te laudant incessabiliter & infatigabiliter in æterna beatitudine: ita nos quoque eorum interventu te mereamur laudare inculpabiliter in hac peregrinatione. Per Dominum.

Oratio ante altare antequam initiatur missa.

Deus qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, & de immundis mundos, munda cor meum, & corpus meum ab omni contagione & sorde peccati, & fac me dignum ac strenuum sanctis altaribus ministrum, & concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles atque placabiles offeram pietati tuæ pro peccatis & offensionibus meis, & innumeris quotidianis excessibus & grege S. Mariæ & S. Theoderici ac populo sibi subjecto, & omnibus circumstantibus, omnibusque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus me odio execrabili insectantibus & ecclesiæ sanctæ Dei adversantibus, cunctisque simul fidelibus Christianis, & per eum sit tibi meum votum atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri obtulit sacrificium. Qui tecum vivit.

In Canone prætermittitur nomen regis. Primum vero memento, *& ita effertur.*

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, omnis congregationis B. Dei genitricis Mariæ, sanctorumque confessorum Medardi atque Eligii, omniumque propinquorum meorum, & quorum eleemosynas suscepimus, qui mihi confessi sunt, necnon & quorum nomina super sanctum altare tuum scripta habentur, & omnium circumstantium quorum tibi cognita fides est, & nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemtione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ, tibi reddunt vota sua æterno Deo & vivo.

Communicantes &c. Cosmæ & Damiani, Hilarii, Martini, Benedicti, Gregorii, Amandi, Medardi, Eligii & omnium sanctorum tuorum, &c.

Ante memento *pro mortuis.*

Memento mei, quæso Domine, & miserere, licet hæc sancta indigne tibi sancte Pater omnipotens, æterne Deus, meis manibus offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum ac venerabile nomen tuum dignus sum; sed quoniam in honore, laude, & memoria gloriosissimi dilectique filii tui Domini nostri JESU CHRISTI offeruntur, sicut incensum in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis accendantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Memento etiam Domine famulorum, &c.

Libera nos quæsumus, &c. atque Andræa, nec non & sanctis martyribus tuis Stepheno, Quintino, atque Nicasio, sed & beatis confessoribus tuis Gregorio, Medardo, atque Eligio, cum omnibus sanctis, da propitius pacem &c. *Post hanc orationem.* Pax Domini sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Agnus Dei *semel, & nihil præterea.*

ORDO X.

Ex ms. codice monasterii S. Theoderici prope Remos annorum circiter 800.

IN alio codice cujus initium deest habentur sequentes orationes.

Indignum me, Domine, tuis sacrificiis esse fateor, &c. *ut supra.*

Item alia.

Domine misericors, quem ecclesiæ tuæ populus &c. *ut supra.*

Item in commemoratione sanctorum.

Eripiat nos quæsumus, Domine, tuorum pia deprecatio, &c. *ut supra.*

Item alia.

Respice Domine Deus noster propitius, &c. *ut supra.*

Dicta Alcuini quibus diebus ebdomada quorum sanctorum memoria celebratur.

Catholica est fide tenendum & omni devotionis studio fatendum, &c. *ut supra.*

Item specialis exomologica sive apologica oratio.

Indignum me, Domine, esse fateor, &c. *ut supra paucis verbis mutatis.*

Item alia.

Deus qui de indignis justos, & de immundis mundos, &c. *ut supra.*

Item oratio dum accedit sacerdos ad altare.

Aperi Domine Deus os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum, mundaque cor meum ab omnibus variis & nequissimis cogitationibus, ut exaudiri merear, deprecans te pro populo, quem elegisti tibi. Amen.

Item alia.

Deus qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, me miserum fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate, neque aspicias ad peccata & scelera mea & immunditias, turpesque cogitationes meas, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate, sed ad misericordias tuas, & ad fidem devotionemque eorum, qui per me tuam expetunt misericordiam: Et quia me indignum inter te & populum medium fieri voluisti, fac me talem, ut digne possim tuam exorare misericordiam pro me & pro populo tuo, & adjunge voces nostras vocibus sanctorum angelorum tuorum, ut sicut illi te laudent incessabiliter & infatigabiliter in æterna beatitudine, ita nos quoque eorum interventu, te mereamur laudare inculpabiliter in hac peregrinatione. Per Dominum.

Oratio dum elevatur Sanctum a sacerdote.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri JESU CHRISTI, & in honore omnium sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum nomina hic & reliquiæ habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris. Per.

Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, benedic ✝ hoc sacrificium præparatum tibi. Amen.

Super panem & vinum.

Deus une, Deus Trinitas, respice propitius super hæc munera, per nostræ humilitatis tibi oblata famulatum, & concede ut in oculis tuæ majestatis sint grata, & accepta, nobisque offerentibus, & his pro quibus tibi offerimus, ad salutem corporis & animæ proficiant sempiternam. Amen.

Item alia.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro rege nostro ill. & sua venerabili prole, & statu regni Francorum, pro omni populo Christiano, & pro eleemosynariis nostris, & pro his qui nostri memoriam

in suis orationibus habent, ut hic veniam recipiant peccatorum, & in futuro præmia consequi mereantur æterna.

Item alia.

Suscipe, sancte Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore miserrimo omnium hominum, pro meis peccatis innumerabilibus quibus peccavi coram te in cogitationibus, in dictis, in factis, ut præterita mihi dimittas, & de futuris me custodias. Pro sanitate etiam corporis & animæ meæ, & pro gratiarum actione, de tuis bonis quibus quotidie utor. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero. Per.

Pro defunctis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum famularumque tuarum, & omnium fidelium defunctorum, ut requiem æternam dones eis inter sanctos & electos tuos, in quorum consortio vita perfrui mereantur æterna.

Ante altare post incensum oratio.

Deus qui es trinus & unus, respice propitius hæc munera per nostræ humilitatis famulatum tibi oblata, & concede, ut in oculis tuæ majestatis sint grata & accepta nobisque offerentibus & his pro quibus ea tibi offerimus, ad medelam corporis & animæ proficiant. Amen.

Retro ad populum dicit.

Orate, fratres, ut meum pariter ac vestrum in conspectu Domini acceptum sit sacrificium.

Oratio quam debet sacerdos dicere post Sanctus *&*
antequam incipiat sacrificium.

Deus bonitatis eximiæ, fons pietatis, & origo misericordiæ, propitius esto mihi famulo tuo peccatori, & qui cuidam mulieri quæ erat in civitate peccatrix sacrosancti Corporis tui contactum non denegasti; hoc donum tuæ largitatis panis & vini de meis manibus quamlibet indignis suscipere ne dedigneris, quod nos in tuæ sanctæ Carnis ac pretiosi Sanguinis mysterium operante Sancto Spiritu est consecrandum, cujus opitulante gratia, mihi meisque utriusque sexus consanguineis & amicis, atque cunctis fidelibus tuis, veniam remissionemque peccatorum clementer largire cunctorum & vitam æternam, qui cum Patre vivis & regnas in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus. Per.

Alia oratio.

Ita, Domine, immensi criminis rei, conscientia teste, confundimur, ut ad officium tuum nec securi possimus venire, nec liberi. Qui enim pensans peccatum suum, nec se e facie tua velit abscondere, si liceret tantæ majestatis oculos declinare, si aut evasurus lateret aut occultatus evaderet? aut quid non magis videre te caperet, si non jam hinc, quemcumque peccantem prospicis, plus timeret? Ergo quia tu ubique nos invenis, ad te confugimus quem fugere non valemus. Restat miseris non latebras inveniendo, sed lacrymas, foveat indulgentia quos tenerei offensa. Minetur potentia, sed misericordia consoletur. Ne te ait qui liberat, per te est qui excuset. Parce Pater omnipotens, & quos aspicis humiles per reatum afflictos munerare digneris in præmio. Et quos intelligis per confessionem miseros non facias in examinatione confusos. Pes.

Item alia oratio.

Ignosce Domine, commaculatæ vitæ conscientia sordido & criminum confusione captivo, qui pro me optinere nihil mereor, pro aliis rogaturus assisto. Profero ad te, si digneris Domine, gemitus captivorum, tribulationes plebium, pericula populorum, angustias pauperum, necessitates peregrinorum, inopias debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum, quo me eadem quæ populum tuum peccati cathena constringit, communes lugeo passiones. Non obsit populo tuo oratio subjugata peccatis, per quam tibi offertur votum, per te meum compleatur officium. Par.

Item alia oratio.

Dimitte, Deus, quicquid per intemperantiam mordacis, linguæ incauta oris nostri increpatio momordit in subditos, quicquid incongruum vel minus temperate protulimus ignosce. Non incautum præsumtio puniat, sed agnoscentem me iniquitates meas pietas miserationis tuæ absolvat. Et quis non mihi alibi est fiducia, nisi in misericordia tua, tu & os meum præconio veritatis perarma & opus pleniori ubertate sanctifica, ut & indignum me salves, & commissum mihi gregem pro tua pietate justifices. Quicquid in illis vitiatum respicis sana, quicquid in me vitiosum inspicis cure. Si quem vitio tepiditatis meæ vel incuria contraxerunt vel contrahunt labem omitte. Si quo etiam me ignorante vel cognito deciderunt in crimine, atque si exempli mei offendiculo proruerunt, ignosce. Et pro culpis talibus misero mihi ultionis non restituas vicem. His tamen quibus increpationis visus sum adhibere judicium, & increpatio ipsa eis proficiat ad salutem, & oratio hæc interpellans commisso eos revocet ab errore, ut non perferant tertereos cruciatus, quibus utpote mortales pœnitentiæ indicimus leges, quo utrorumque incommodis parcens, illorum iniquitatibus tribuas veniam, & meam abusus contractam de gerendi incommoditate offensam. Præbe Deus aurem sacrificiis nostris, & me mihi credito, & a cuncto eluar crimine, & ad te merear pervenire in pace. Pacatum redde Deus nostrorum cordium habitaculum expulsione carnalium vitiorum. Et qui in subditis conor summam exercere virtutem, pacatis mentium corporumque incommodis, pacificus merear te judicante coronari cum angelis. Pac ergo, quæsumus, nos pie Deus aspicientes in conspectu tuo flammescentes tuæ gratiæ dono, ut zelus domus tuæ nos comedat, atque ita per vigorem sancti spiritus regentes subditos temperemus, ut & disciplinis nostri regiminis obtineant lucrum & illorum duritia frangatur, ac vita sanctificetur. Suscipe Domine, nostrorum votorum libamina, & per hæc quicquid in subditos correctionis verbo vel merito impertimur, non ad discordiam nostri, sed ad perpetuum dulcedinis gaudium, & nobis & illis profecisse lætamur. Ablue nos Deus, & alieno & nostro delicto, ut in utroque spiritalis gratiæ efficientiam capientes, fiducialiter tuo nomini supplicemus. Per.

Hanc orationem debet sacerdos dicere pro se
dum accedit ad altare.

Conscientiæ quidem trepidi, omnipotens Deus, ad altare tuum accedimus, sed fiduciam de tuæ pietatis misericordia retinemus. Et licet ad celebranda sacrificia semper inveniamur indigni, sed si recedimus, veremur de inobedientia condemnari, pro qua re dignare nos pietate paterna placato vultu respicere, & cordis nostri interiora purgare, etsi nos pondera peccatorum nostrorum ex reatu constringimur, nostrarum tamen precum obtentu tibi sint, quæsumus Domine, in omnibus placita mysteria consecranda. Per.

Quando corporale ponitur super altare.

Dominator, & vivificator, & bonorum omnium Domine Deus dator, qui das omnibus beatam spem ad æternam vitam Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, dignare ut fiat nobis hoc ministerium in sanctificationem, & in remissionem peccatorum nostrorum, ad fruenda æterna beatitudine in sempiterna gloria. Amen.

Ad pacem.

Qui es omnium Deus & dominator Dominus, fac nos pacificando digne operari in sancta hora ista, amator humanitatis Domine, ut emundatos ab omni dolo & simulatione suscipias nos invicem in dilectione, in osculo sancto, in quo manet vera pacificatio, & caritatis & unitatis conjunctio Domine Deus noster. Amen.

Ad sumendum corpus Domini.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed invoco te cum B. Mariæ & omnium sanctorum meritis, quatinus in me venias & mansionem facias, & obsecro ut non intres ad condemnationem & judicium, sed ad salutem animæ meæ & corporis mei, & ad remissionem omnium peccatorum meorum. Et libera me per assumtionem Corporis & Sanguinis tui a cunctis iniquitatibus meis & fac me tuis obedire mandatis, & a te numquam in perpetuum separari.

Alia.

Da mihi, Domine, Corpus & Sanguinem tuum in hac hora, & in hora exitus mei ex hac præsenti vita, cum placita devotione & digna reverentia sic fideliter ac feliciter percipere, ut per hoc merear remissionem omnium peccatorum meorum habere, & tuo sancto Spiritu repleri & corpus & sanguis tuus sit mihi dux & viaticum, & lucerna lucens, & perducens animam meam usque ante conspectum misericordiæ tuæ. Amen.

Ad sanguinem dic.

Sanguis Domini nostri JESU CHRISTI, qui ex latere suo processit, salvet animam meam, & perducat in vitam æternam. Amen.

Singulos communicando dic.

Corpus & sanguis Domini nostri JESU CHRISTI custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

Sub finem codicis habentur septem missæ generales pro totidem haud dubiam hebdomadæ diebus quæ quia sunt singulares, hic eas exhibere operæ pretium duxi.

MISSA GENERALIS.

Domine Deus, Peter omnipotens, qui et verus, fan-ctus & Sanctorum omnium protector, tibi pio Domino devotis mentibus hostias laudis offerimus, in commemoratione B. Dei genitricis Mariæ, omniumque sanctorum tuorum pro cunctis fidelibus tuis, ut eis indulgentiam largiri digneris omnium peccatorum, & ne ad voluntatem ultra peccandi redeant, propitius eos muniendo custodias, defunctis quoque nostris veniam omnium peccatorum tribuas, & sanctorum tuorum propitius consortium concedas. Per.

Super oblata.

Quæsumus Domine Deus noster, spes vera credentium, gloria sempiterna sanctorum, cujus miseratione indulgentiam consequuntur peccatores, ut propitius respicias, & sanctifices sacrificia, quæ tibi offerimus pro cunctis fidelibus tuis, tam pro vivis, quam etiam defunctis, & quasi incensum flagrans in odorem suavissimum accipias, Per Dominum.

Præfatio.

✠ Æterne Deus, qui cum unigenito Filio tuo & Spiritu-sancto unus es Deus, unus es Dominus, non in unius singularitate personæ, sed in unius Trinitate substantiæ. Præsta itaque mihi famulo tuo usquequaque indigno, ut carens peccatorum squallore, gratuito gratiæ tuo dono tibi debitum oblationis munus valeam digne offerre, tuamque misericordiam jugiter implorare, ut sanctis omnibus tuis intercedentibus, jam scilicet solidatis beatitudine perennis vitæ in cœlestibus, jam te, qui es fons vitæ, perennites fruentibus, peregrinantis ecclesiæ clementer respicias corpus, tuaque membra tuearis propitius, infirma consolides, solidata corrobores, corroborata jugiter ad meliora incites, incitatis perseverandi auxilium præstes, & in omnibus cooperator existas, atque de omni angustia carnis & spiritus, qua ventilamur quotidie, nisi tu juvante, in deterius, exaudi misericorditer, subveni celeriter, succurre fortites, eripe potenter, nosque famulos tuos ab omnibus peccatis clementer eripias, & a cunctis inimicis indesinenter protegas, & ad gaudia æterna misericorditer perducas. Per Christum.

Infra actione.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, placatus accipias, suppliciterque precamur in fide S. Trinitatis corda in te credentium solida spe corrobora, caritate ædifica, peccatis mortifica, justitia vivifica, & in resurrectione filii tui Domini nostri JESU CHRISTI conresuscita, sanctorumque tuorum precibus ab omnibus nos angustiis libera; me quoque peccatorem facinoribusque nimis squallentem ab omnibus delictis emunda, crimina indulge, iniquitates dele, sceleribus ignosce, peccata dimitte, facinora relaxa, & juxta voluntatem tuam ad sacrificandum tibi placitum cor & idoneum præpara, gratuito quoque dono gratiæ tuæ misericordia tua præveniendo, comitando, & subsequendo, nos immeritos salva. Tentationes immundorum spirituum a nobis repella, castimoniam tribua, animam sanctifica, sensus nostros in bonis operibus semper restaura, pacem concede, tribulationes amove, pastores rationabilium ovium tuarum rege, gubernatores reipublicæ in cunctis periculis tuere, nosque propositi nostri compotes effice, sæcularia despicere, mundum contemnere, & te solum inviolabilites diligere. Consanguineos quoque nostros fratresque & amicos salva semper & protege, atque eleemosynariis nostris & familiaribus pro temporalibus æterna retribue. Omnem quoque christianitatem, nostram videlicet fraternitatem, tua semper protectione & virtute defende, prospera tribue, adversa depella, salutem confer, dilectiona muni, & ab omnibus diabolicis & humanis insidiis clementer & potenter custodi, diesque, &c.

Ad complendum.

Tuam omnipotentiam Domine Deus noster supplices petimus, ut intercessione Beatæ Dei genitricis Mariæ, omniumque sanctorum tuorum, cunctis fidelibus tuis indulgentiam tribuas peccatorum, misericordiam tuam & gratiam eis largiendo, opus eorum tibi acceptum facias, fide, spe & caritate eos repleas, mentes eorum ad superna desideria erigas, atque ab omni adversitate eos defendas, defunctis quoque fidelibus tuis requiem sempiternam tribuas. Per eumdem.

ALIA MISSA GENERALIS.

Omnipotens Deus, Trinitas in personis, Unitas in essentia, te suppliciter invoco cum B. Mariæ meritis, & sanctorum omnium spirituum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, ac virginum, omniumque electorum tuorum suffragiis, ut nos eorum intercessionibus protegas, omnium peccatorum veniam tribuas, atque ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire concedas, nobis etiam caritate & familiaritate atque affinitate conjunctos fratres nostros, omnemque populum christianum ab omni pravitate custodi, nec non & animabus omnium fidelium in te quiescentium requiem sempiternam misericorditer concede. Per.

Super oblata.

Oblationis hujus Domine Deus * placere clementer muneribus, & intercedente beata Dei genitrice semper Virgine MARIA, cum omnibus sanctis, cœlestium virtutum spiritibus, patriarchis, prophetis, apostolis, martyribus, confessoribus, & virginibus tuis, nos famulos tuos ab omni peccato propitius absolve, famulos etiam tuos & famulas tuas, pro quibus te precamur, a cunctis defende periculis, omnem populum christianum conserva, & animabus omnium fidelium defunctorum parentum & familiarium nostrorum, per hæc sancta sacrificia omnium remissionem tribue peccatorum. Per.

Præfatio.

✠ Æterne Deus. Sed quid tibi dignum offerat minister indignus, nisi hoc ipsum quod tantu indignus habetur officio, fidei pœnitentia fateetur? Sed tu multæ misericordiæ Deus, ne nos, quæsumus, oris proprii testimonio damnes, sed paternæ indulgentiæ consolatione corrobores, atque a peccatorum præcipitio tuis semper manibus revoces & reformes; Invocat te anima mea, qui fecisti me, ne non obliviscaris oblitum tuum, & deserentem te ne deseras. Vita quæ numquam moreris, qui novit te novit æternitatem. Caritas novit te, o æterna veritas & vera caritas, & cara æternitas. Deus une, Deus Trinitas, in cujus valde confido misericordie. Salus esto infirmitati meæ, & verus resuscitator animæ meæ, doce me patientiam ad sustinendum adversa, doce me scientiam scripturarum, ut sic loquar ne superbiam, sic taceam ne torpescam, sic continе ut non cadam; sic stringe, ut non dimittas. Tu es enim honor meus, & laus mea, & fiducia mea Deus meus, gratias ago tibi de donis tuis, sed tu ea serva. Ita enim servabis me, & augebuntur & perficiantur quæ dedisti mihi. Et eris mecum in omnibus, quia ut sim & quod sum ut dedisti mihi, qui tui nominis agnitionem & tuæ potentiæ gloriam in coæterna tibi sapientia revelare voluisti, ut tuam confitentes majestatem, & tuis inhærentes mandatis, te digne possimus laudare in sanctis tuis, quibus pro meritis suis immortalitatis præmia contulisti, quos, te custodiente, beatitudinis sinus intercludit, ubi perpetua semper exultatione lætantur. Petimus ergo, ut memores sint miseriarum nostrarum, & de tua misericordia nobis impetrent indulgentiam omnium peccatorum, ne pro nostra nos iniquitate condemnes, sed pro tua pietate in via recta semper disponas, nec sicut meremur delinquentibus irascaris, sed fragilitati nostræ invicta bonitate subvenias. Defunctis quoque fratribus nostris propinquis & familiaribus, cunctisque tuis fidelibus suppliciter petimus sanctorum tuorum consortium concedas. Per Christum.

Infra actionem.

Hanc igitur obletionem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, placatus accipias, & cordibus intercedentium tuæ sapientiæ lumen infundas ut possimus scire & agere quod acceptum sit coram te, Unigenitumque tuum Salvatorem scilicet nostrum velamus incessanter agnoscere, fideliterque diligere, ut inter ipsius membra annumerati, ejus efficiamur divinitatis consortes, qui nostræ humilitatis fieri dignatus est particeps, atque sanctorum tuorum precibus, a cunctis eripiamur malis imminentibus, me quoque miserrimum & infelicissimum peccatorem non judicio tuo punias, sed misericordiam tuam mihi concedas; manum porrige, & de profundo iniquitatis eripe, gratiam infunde, & prærogativam virtutum largire, dignumque sacerdotio fungi gratis & misericorditer perfice, ut tuam misericordissimam clementiam pro cunctis inopportunitatibus nostræ fragilitatis digne valeam exorare, pro quibus etiam modo indignus deprecor peccata nostra dimitte, veniam tribue, pacem concede, tribulationes amove, pestilentiam depelle, famem averte, inimicis nostris veram dilectionem & concordiam mnue, nos quoque, gratissima benedictione tua largiente, præsentia contemnamus, æterna præmia desideremus, ut professionis sanctæ propositum, quod te inspirante suscepimus, te gubernante custodiamus; nostris quoque fratribus, propinquis & familiaribus, & amicis impertiaris salutem mentis & corporis, cunctis fidelibus tuis compunctionem tibi placitam largire, & fragilitatem no-

* *l.* placare.

nostram in tentatione adjuva, in conversatione castiga, in virtute multiplica, in infirmitata releva, in anxietate lætifica, in prosperitate medica, in iniquitate emenda, in tranquillitate sublima, infunda gratiam, indulge offensam, tempere disciplinam, tibique placitam præceptorum tuorum dona obedientiam, diesque nostros.

Ad complendum.

Purificet nos, quæsumus Domine, divini libatio sacramenti, & gloriosa sanctæ Dei genitricis Mariæ oratio, omniumque sanctorum ecclestium spirituum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, & omnium electorum tuorum vanaranda intercessio, famulis etiam & famulabus tuis, & fratribus & sororibus, amicis & benefactoribus consanguineis, & familiaribus nostris, nec non & omni populo Christiano misericordiam tuam ubique prætende, atque animabus fidelium omnium in Christo quiescentium remissionem cunctorum tribue peccatorum, & æternæ beatitudinis regnum. Per.

ALIA MISSA GENERALIS.

DEus cui proprium est misereri semper & parcere, majestatem tuam supplicitar deprecor, ut mihi famulo tuo, precibus Dei genitricis Mariæ, veniam meorum largiri digneris peccatorum, & famulis & famulabus tuis vivis & defunctis, quorum quarumque commemorationem agimus, pro quibus tuam misericordiam exoro, interventu omnium supernorum civium, cunctarum propitius culparum indulgentiam, & plenitudinem æternorum largiaris gaudiorum. Per.

Super oblata.

Miserera, quæso elementissime Deus, mihi famulo tuo, qui hoc sacrificium laudis tuæ offero majestati, & præcibus B. Virginis Mariæ omnes iniquitates meas dele indulgentia tuæ propitiationis, nec plus apud te valeat offensio delinquentis, quam misericordia indulta precibus supplicantis, & quod devota mente pro peccaminum meorum absolutione gero, proficare mihi sentiam ad medelam, famulis quoque & famulabus tuis tam vivis quam & defunctis, quorum & quarum nomina tibi vivunt, pro quibus tuam misericordiam exoro remissionem omnium peccatorum & æternitatis gloriam tribue. Per Dominum.

Præfatio.

✠ Æterne Deus, qui septiformes ecclesiasticæ dignitatis gradus septemplici dono sancti Spiritus decoras; præsta itaque mihi indigno famulo tuo eumdem in sanctitate vitæ promereri Spiritum Paraclitum, quem unigenitus Filius tuus suis discipulis mittendum esse promisit: qui meo pectori inspirare dignetur catholicæ fidei firmitatem, & sanctæ caritatis tuæ dulcedinem, neque terrena despicere & amare cælastia doceat. Deprecor quoque majestatem tuam, quamvis indignus, ut fidelium tuorum vota suscipias, & ejusdem sancti Spiritus rore cogitationes nostras purifices, & igne tui amoris inflammes, ut tuæ majestati * digitemus semper & agamus, quatenus in omnium sanctorum tuorum meritis gloriosis te possimus conlaudare, benedicere, & prædicare, qui eos prædicantes contra antiqui hostis machinamenta & proprii corporis blandimenta, inexpugnabili virtute rex gloriæ roborasti: unde petimus elementiam tuam, ut quia illos tot meritorum donasti prærogativis, eorum nos & informes axamplis, & adjuves meritis: quo tibi rex cœlorum, rex regum, Deus Deorum, & Dominus Dominorum valeamus digne gratias agere, & laudis hostias immolare. Exaudi orationem & deprecationem famulorum famularumque tuarum, omnium orthodoxorum, auribus percipe lacrymas eorum. Abba pater, imple nominis tui officium super hanc congregationem tuam, atque super universam acclesiam tuam catholicam, quæ est per universum orbem terrarum in pace diffusa. Tu eos rege, omnipotens Pater, tu protega, tu conserva, tu sanctifica, tu guberna, tu castiga, tu consolare, sicut non es dedignatus congregare & vocare eos, ita tuo inflammentur amore, ut a te non despiciantur, clementissima & piissime Pater. Oramus te, Domine, ne pereat in nobis factura redemptionis & vocationis tuæ, sicut vocare dignatus es errantes: ita custodire digneris in hoc ovili habitantes atque convenientes. Animabus quoque defunctorum nobis familiaritate seu propinquitate conjunctorum, vel omnium fidelium ubiqua in Christo quiescentium, quæsumus, veniam concedas omnium peccatorum, atque sanctorum tuorum largiaris consortrem. Per Christum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, placatus accipias, petimusque suppliciter nobis concedas, ut Spiritus-sanctus tibi Filioque tuo consubstantialis & coæternus corda nostra in amorem tuum accendat, mentem humilitate & sapientia repleat, linguamque gubernet: quo tuo desiderio ardentes pariter & loquentes efficiat, atque in eodem Spiritu da nobis, Domine, recte sapere, scripturas tuas fideliter intelligere, memoria retinare, assidue meditari, discrate & humilitar proferre, opere viriliter complera, precibusque ac meritis omnium Sanctorum tuorum a malis omnibus eruamur, ut in laude tua semper vivamus, me quoque solve compeditum, quem vincula criminum meorum constringunt. Illumina cor cæcum, quod terræ peccatorum caligines obscuraverunt, & ejusdem S. Spiritus rore dele meorum facinora delictorum, & tibi ad sacrificandum perfice gratis idoneum. Hujus etiam gratia petimus, Domine, mentibus nostris compunctionem cordis, & lacrymas infundas, nosque a tentationibus, quibus impugnamur, eripias, peccata nostra dimittas, ecclesiæ tuæ pacem tribuas, pressuras tribulationum amoveas, pestem avertas, ubertatem omnium fructuum largiaris, nos quoque propositi nostri executores efficias, fratribus nostris propinquis, & amicis misericordiam tuam & gratiam gratis impendas, cunctosque christiano nomine insignitos, ab omni malo semper eripias, diesque nostros.

Ad complendum.

Tuam, Domine, deprecor clementiam, ut per hæc mysteria me famulum tuum interventu sanctæ Dei genitricis MARIÆ ab omni peccatorum labe propitius emendes, atque a cunctis adversitatibus protegas, & æternæ felicitatis consortem efficias; famulos etiam & famulas tuas, quorum & quarum nomina hic scripta habemus, pro quibus tuam misericordiam exoro, precibus omnium Sanctorum tuorum a cunctis iniquitatibus eruant, & ad sempiterna promissa perducant. Per.

ALIA MISSA GENERALIS.

PIetate tua, quæsumus Domine, nostrorum solve vincula omnium delictorum, & intercedente B. MARIA cum omnibus Sanctis tuis, pontificem nostrum & omnem congregationem ac plebem illi commissam, & nos famulos tuos atque locum nostrum in omni sanctitate custodi, omnesque affinitata & familiaritate nobis junctos, seu omnes christianos a vitiis expurga, virtutibus illustra, pacem & salutem nobis tribue, hostes visibiles & invisibiles remove, inimicis nostris caritatem largire, & omnibus fidelibus vivis & defunctis in terra viventium vitam & requiem æternam concede. Per.

Super oblata.

Deus, qui singulari corporis tui hostia totius mundi solvisti delicta, hac oblatione placatus, maculas scelerum nostrorum absterge, & omnium christianorum fidelium, vivorum atque mortuorum peccata dimitte eisque præmia æterna concede. Per.

Præfatio.

✠ Per Christum, per quem te ex toto corde humili prece deposco, ut hæc hostia fiat accepta in conspectu tuo, quatenus per hanc oblationem atque petitionem, & præterita quæ commisi crimina indulgeas, & futura committere non sinas, sed a cunctis inlusionibus immundorum spirituum liberetum eodem Domino nostro JESU CHRISTO protegente conservare digneris: tuam quoque misericordiam suppliciter obsecro, ut omnium supernarum virtutum coram tua majestate pro nobis non desit oratio, quatenus ipsarum interventu nobis omnium peccatorum tribuatur remissio, & deinceps jugis conferatur emendatio, ac indesinenter peccandi subtrahatur occasio, atque in hujus vitæ periculis administretur perseverans defensio. Precamus etiam te, Domine, in omnium Sanctorum tuorum commemoratione, ut sicut illis cælestis palmam triumphi, sic eis suffragantibus nobis emundationem ac veniam concedas peccati, ut in te exultemus in misericordia, in quo illi lætantur in gloria. Famulos quoque tuos quos sanctæ dilectionis nobis familiaritate vel consanguinitate conjunxisti, sive in unitate fidei aggregasti, facias tibi toto corde subjectos, ut tuæ caritatis Spiritu repleti, & terrenis mundentur cupiditatibus, & cælesti beatitudine te donante digni efficiantur; animabus etiam fratrum nostrorum omniumque fidelium tuorum tribuas misericorditer sanctorum tuorum consortium per Christum Dominum nostrum, per quem salus mundi, per quem vita hominum, per quem resurrectio mortuorum, per quem remissio peccatorum, per quem.

Infra

* *Adde* ita.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, placatus accipias, petimusque ut custodia sanctorum angelorum nos munias, & in hujus vitæ casibus administratoria defensione circumdes, omnique sanctorum tuorum precibus invicta bonitate subvenias, ut tuo munimine tuti, gratuita gratia tua & misericordia defensi, nec nostræ fragilitatis dejiciamur vitiis, nec immundorum spirituum succumbamus insidiis, sed sub umbra alarum tuarum protecti, tibi gratiarum actionem referamus læti; me quoque depressum mole criminum, sereno vultu, quæso, respicias, manum mihi porrigas, & de profundo iniquitatis eripias, & opere manuum suarum in me ipso custodias, atque idoneum per omnia ministrum voluntatis tuæ proficias. Et sicut me immeritum misericordia sua prævenisti, sic subsequenter ad tuam gratiam perducas, sed & ecclesiæ tuæ pacem concedas, adversa depellas, prospera tribuas, pressuras atque angustias tribulationum amoveas, dissensiones, & rixas, æmulationes & contentiones, invidiasque compescas, fidelibus tuis iter prosperum dones, infirmos nostros pristinæ sanitati restituas, nosque propositi nostri executores efficias, fratribus quoque nostris consanguineisque ac familiaribus in cunctis necessitatibus succurras, cunctæque christianitati munificentiam benedictionis tuæ in hac vita præstes, & in futuro ad vitam æternam misericorditer perducas diesque nostros.

Ad complendum.

Sumta, quæsumus, sacramenta omnia crimina nostra detergant, omnemque pravitatem & infirmitatem seu etiam hosticam rabiem, atque subitam mortem, meritis Sanctorum omnium a nobis procul repellant, & omnibus fidelibus vivis & defunctis prosit ad veniam, pro quorum tibi sunt oblata salute. Per.

ALIA MISSA GENERALIS.

SUscipe, Domine, hanc immolationem laudis & vota quæ reddo in honorem Domini nostri JESU CHRISTI, & in commemoratione B. Mariæ semper Virginis, omniumque Sanctorum tuorum pro me misero famulo tuo, pro pace simul ac stabilitate sanctæ tuæ ecclesiæ, & pro incolumitate regum nostrorum, & sanitate ac prosperitate totius populi, pro animabus etiam omnium fidelium tuorum, ut propitiatione tua, Domine Deus, immaculati ante conspectum majestatis tuæ valeamus pervenire. Per Dominum.

Super oblata.

Oblationes nostras, quæsumus Domine propitius intende quas tibi offerimus in honore Domini nostri JESU CHRISTI, & in commemoratione omnium Sanctorum tuorum, pro me famulo tuo, & pace, ac stabilitate sanctæ tuæ ecclesiæ, pro sanitate ac prosperitate regum nostrorum, atque totius populi tui, pro animabus quoque omnium fidelium suorum in Christo quiescentium, ut per sacrificium præsentis oblationis, ad refugium animarum, te miserante, perveniant. Per.

Præfatio.

✠ Æterne Deus, qui non existentem me creasti, creatum fidei firmitate ditasti, fidelem quamvis peccatis squallentem sacerdotii dignitate donasti. Tuam igitur omnipotentiam supplex exposco, ut me e præteritis peccatis emacules, & in hujus mundi cursu bonis operibus corrobores, atque in perseverentiæ soliditate confirmes, sicque me facias tuis altaribus deservire, ut ad eorum qui tibi placuerunt sacerdotum consortium valeam pervenire, & per eum sit tibi meum acceptabile votum, qui se tibi obtulit in sacrificium, qui est pontifex omnium, per quem discipulis Spiritus sanctus in terra datur ob dilectionem proximi, & de cœlo mittitur propter dilectionem tui, cujus infusio, petimus, ut in nobis peccatorum sordes exurat, tui amoris ignem nutriat, & dilectionem fraternitatis accendas, ut te in omnium honore velimus digne glorificare, qui & illi tribuisti beatitudinem sempiternam, & infirmitatis nostræ talia præstitisti suffragia, per quæ tua possimus adipisci subsidia, & pervenire ad præmia repromissa. Unde clementiam tuam petimus, ut eorum exemplis ad bene agendum informemur, meritis muniamur, intercessionibus adjuvemur, quatenus te annuente, valeamus quæ mala sunt declinare, & quæ bona sunt consequenter explere. Et quia nos fecisti ad tua sacramenta pertinere, tu clementer in nobis eorum munera operare, qualiter ad cæleste regnum, te opitulante, mereamur pervenire. Precamur etiam te, Domine, pro spiritibus omnium fidelium tuorum, ut propitius largiaris illis consortium sanctorum tuorum. Per Christum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, placatus accipias, petimusque tantam perfectæ caritatis dulcedinem, Spiritus-sancti gratia cordibus nostris clementer infundat, ut te diligamus plusquam nos, & non solum in te amicos, verum propter te sincera pietate amemus inimicos, quo fide radicati, spe fundati, caritate vestiti, sanctorum quoque tuorum precibus muniti, possimus apud clementissimam pietatem tuam obtinere, ut mores nostros componas, & ad agenda quæ tibi sunt placita semper instituas. Mea quoque crimina suppliciter deprecor ut dimittas, & ad ea me reverti ultra non sinas, sed in justificationibus tuis misericorditer confirmes, & perseverantiam in illis tribuas, dignumque ante conspectum tuum adstare perficias, sacrificiumque tibi casto corpore & mundo corde mihi clementer offerre concedas, cunctæ quoque fraternitati nostræ compunctionem tibi placitam lacrymasque infundas, peccata dimittas, pacem tribuas, angustias & tribulationes amoveas, dissensiones, & contentiones, adversitatesque compescas, confitentium tibi crimina sua & peccata misericorditer indulgeas, nobis quoque largiaris clementer, ut simus caritate unanimes, præceptis tuis obedientes, sobrii, simplices, & quieti, teque ante omnia & super omnia diligentes: precamur etiam te Domine, ut fratribus nostris, propinquis quoque, & amicis gratis in cunctis necessitatibus succurras, omnibusque te invocantibus, & tui nominis cognitionem habentibus invicta bonitate tua subvenias, & a cunctis angustiis salves semper & munias, diesque nostros.

Ad complendum.

Læti, Domine, sumsimus sacramenta cælestia, obsecrantes misericordiam tuam, ut intercedente beata Dei genitrice MARIA, omnibusque sanctis tuis, ad vitam regibus nostris, nobisque, & omnibus catholicæ fidei orthodoxis vivis atque defunctis fidelibus suis proficiant sempiternam. Per eumdem.

ALIA MISSA GENERALIS.

OMnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis, te suppliciter exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens adhuc sæculum in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, pietatis tuæ clementia delictorum suorum omnium veniam & gaudia consequi mereantur æterna. Per.

Super oblata.

Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus, tribue quæsumus, ut universorum quos in oratione commendatos suscepimus, vel omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber ascripta retineat. Per.

Præfatio.

✠ Per Christum Dominum nostrum, qui per passionem crucis mundum redemit, & antiquæ arboris amarissimum gustum crucis medicamine indulcavit, ac mortem quæ per lignum vetitum venerat, per ligni trophæum potenter devicit. Per hunc te, Domine, verum summumque sacerdotem deprecor humillime, carnem meam in ipsius cruce cum vitiis & concupiscentiis crucifige, clavisque ejus carnes meas confige, mihique mundum, & me mundo crucifixum perfice, quo delectationes carnis nequeant superare, cui concesseris crucem Domini sui jugiter bajulare. Corpus etiam ecclesiæ tuæ peregrinantis quod fluctibus hujus sæculi cotidie agitari sinis, quæsumus, misericorditer protege in omnibus periculis, clementer tuere in tentationibus cunctis, fortiter adesto in adversitatibus universis quo te gubernante ad portum perveniamus superæ felicitatis. Filium enim tuum Dominum nostrum firmiter tenemus esse pollicitum: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Idcirco quoniam eum mirabiliter & gloriose novimus exaltatum, suppliciter deposcimus te, Pater piissime, principem hujus mundi de cordibus electorum ejice, tyrannicam dominationem peccati expelle: Nos per eumdem Unigenitum tuum misericorditer attrahe, quo quandoque mereamur pervenire ubi pars corporis ecclesiæ jam tecum feliciter cognoscitur regnare. Unde tibi laudes referimus, & magnificentiam tuam supplices exoramus, ut omnium sanctorum tuorum, quorum summus memoriam venerantes, beatitudinis mereamur esse consortes. Imploramus quoque tuam misericordiam, Domine Deus virtutum, pro salute propinquorum & familiarium nostrorum, precamurque, largire illis indulgentiam omnium peccatorum, da eis agere quod est coram te placitum,

tribue

tribue fidei fundamentum, infunde spei firmamentum, inspira sanctæ caritatis augmentum, & post illius vitæ obitum in numero eos constitue electorum tuorum. Defunctis quoque nostris gloriæ tuæ ne patiaris pati detrimentum, nec majestatis tuæ conspectum illis subtrahas perpetuum, sed perfrui visione tui concedas, in æternum, ac Sanctorum tuorum suppliciter largire consortium. Per Christum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, placatus accipias, carnemque nostram cum vitiis & concupiscentiis a sæculi ambitione salubriter crucifigas, atque nobis memoriam facientibus Dominicæ passionis in remissionem peccatorum nostrorum id fieri concedas sanctorumque precibus ab omni adversitate defendas, orationes quoque meas dignanter intende, tribulationes cordis mei misericorditer aufer, placabilis vota suscipe, libens desideria comple, clemens peccata dimitte, crimina benignus absterge, flagella propitius retine, languores miseratus exclude, gratiam tuam multipliciter auge & misericordiam tuam incessabiliter largire. Respice etiam, Domine, ecclesiam tuam, & da nobis humilitatem veram, pacem & concordiam sinceram. Tribulationes amove, adversitates depelle, irreligiosos corripe, verum tamen non in furore tuo, & ad te propitius converte, inimicis nostris peccata dimitte, & caritatem infunde, omnes pro tuo nomine persecutiones patientes potenter defende, & ab injuriis inimicorum dignanter tuere, nos quoque compotes propositi nostri & efficaces consequenter tribue, fratribus nostris propinquis etiam & inimicis misericordiam tuam ubique prætende, atque omni christianitati gratiam tuam misericorditer largire, diesque nostros.

Ad complendum.

Pacificent nos quæsumus, omnipotens & misericors Deus, sacramenta quæ sumsimus, & præsta ut hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit vivorum atque mortuorum remissio omnium peccatorum. Per.

ALIA MISSA GENERALIS.

DEus qui es omnium sanctorum tuorum splendor mirabilis, atque lapsorum sublevator inenarrabilis, da me famulum tuum sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis MARIÆ, & omnium sanctorum tuorum tueri præsidiis, nec non familiaritate & consanguinitate mihi conjunctis, & omni populo Christiano, cunctis insidiis fallacis inimici depulsis, ad cælestem patriam redeundi concede aditum, ac defunctorum omnium sacri baptismatis unda renatorum animas quiete perfrui sempiterna. Per eumdem.

Super oblata.

Hostias, Domine, quas tibi offero, propitius suscipe, & me famulum tuum, nec non familiaritate & consanguinitate mihi conjunctos, omnemque populum Christianum ab omni pravitate defende, cunctisque fidelibus defunctis æternam requiem propitius largire. Per.

Præfatio.

✠ Per Christum, qui, te mirabiliter operante, Pontifex summus, sacerdos, & sacrificium pro nobis factus. Sit quæso fragilitati meæ propitius, & interpellet pro me tuam majestatem misertus, ut scelera mea non intendas iratus, sed hanc hostiam suscipias placatus, efficiasque meipsum vivam tibi victimam exoratus, vitiis atque peccatis mortificatum, justitiæ virtutibus vivificatum. Per ipsum te, Domine, benedicimus in operibus tuis, teque mirabilem Deum prædicamus & conlaudamus in sanctis tuis, in quibus mirabiliter gloriatus es omnis, per quos Unigeniti tui sacrum corpus exornas, & quibus ecclesiæ tuæ membra corroboras, atque ipso summo angulari lapide in fundamento posito jugiter superædificas, quam in beata Dei Genitrice semper Virgine MARIA mirabiliter inradiasti, in patriarchis præparasti, in prophetis prænunciasti, in apostolis condidisti, in martyribus confirmasti, in confessoribus elucidasti, in virginibus fortiter corroborasti. Nos ergo, in quos fines sæculorum devenerunt, te omnipotens Pater per ipsum Unigenitum tuum Deum & Dominum nostrum conditorem, ac redemptorem clementissimum cum interno fletu exoramus, ut intercessione beatissimæ Genitricis ipsius, sanctorumque patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, omniumque electorum tuorum nos ab omnibus peccatis emacules, ut depulsis carnalibus illecebris ad celebrandum sacrosanctum mysterium inveniamur idonei, atque ut hoc sacrificium acceptes, quod tibi offerimus, & nobis famulis tuis pietatis tuæ solatium concedas propitius. Tuum est, Domine, sanare contritos corde, tuum est consolari mœrentes. Placeat jam pietati tuæ eripere oppressos, lætificari in angustiis constitutos, atque ab hac carne solutos, in sorte electorum collocare fideles tuos, per Christum Dominum nostrum. Per ipsum te oramus summe Pater, per quem majestatem.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, placatus accipias, atque intercessione B. MARIÆ, omniumque sanctorum tuorum nos famulos tuos misericorditer protegas, & ab omni pravitate miseratus defendas, ac in bonis operibus perseveranter conserves. Me quoque miserum tibi placitum efficias, peccata dimittas, scelera abstergas, crimina indulgeas, misericordiam largiaris, tibique debitas gratias referre jugiter concedas, atque sacerdotes nostros justitia induas, omnemque gradum ecclesiæ administrandum tibi dignum atque idoneum tuam gratiam infundendo perficias. Fratribus quoque nostris propinquis & amicis jugem misericordiam benignus conferas, cunctisque fidelibus tuis dignanter placare, jam jamque misericorditer reconciliare. Parce oramus, parce criminibus, ignosce facinoribus, indulge sceleribus, propitiare plangentibus, miserere gementibus, precamur flentibus succurre per gratiam tuam lugentibus, da veniam pereuntibus, dimitte deposcentibus, januamque salutis non solum pulsantibus, sed gratis aperi cunctis credentibus, diesque.

Ad complendum.

Mensæ cælestis participatione refectus, quæso Domine, devotionem meam amore tuæ servitutis corroborari, cunctosque mihi consanguinea propinquitate ac familiaritate dilectione ascitos, atque universum populum sacro baptismate perfusum, tui suffragii fulciri munimine, omnibusque fidelibus defunctis sanctorum largiri consortium. Per Dominum.

ORDO XI.

Ex Corbejensi codice Ratoldi abbatis.

DOMINICA IN DIE PASCHÆ.

P*Rima antequam episcopus missam celebret, ingrediatur quoddam oratorium, & secundum cordis compunctionem seipsum libamine orationis Deo offerat. Dicat orationem hanc*

Via Sanctorum omnium Jesu Christe, qui ad te venientibus charitatis gaudium contulisti, introitum templi istius Spiritus-sancti luce perfunde: qui locum istum sanctorum tuorum Martyrum nomine, vel sanguine consecrasti: præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut omnes isti intercedentes obtineant veniam pro delictis, ab omnibus liberentur angustiis, impetrent quicquid petierint pro necessitatibus suis, placere semper prævaleant coram oculis tuis; quatenus per te & per S. Petrum militem tuum muniti mereamur aulam paradisi introire. Per.

Hora vero diei tertia erunt sibi deferentur sacerdotalia, quæ induet extra chorum sinistra partis in loco secretarii. Dum introierit in secretarium, dicet hanc orationem.

Omnipotens & misericors Deus, qui sacerdotum ministerio ad tibi serviendum, & supplicandum uti dignaris; quæsumus immensam clementiam tuam, ut quicquid modo visitamus, visites; quicquid benedicimus, benedicas: sitque ad nostræ humilitatis introitum, sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, angeli pacis ingressus. Per.

Primo quidem minister deferat caligas, usque ad genu tendentes: & dicat: Tu Domine, optamus, jubeas benedicier omnes. *Respondet episcopus.*

Totius honestatis auctor omnipotens Deus, ad reprimendas antiqui hostis versutias, per nostræ servitutis mysterium jube sanctificari has caligas: ut & in gressu resplendeat Evangelii veritas, & mente fidei exerceatur integritas. Per omnia.

Deinde minister det sandalia, & dicet, ut supra. Respondet episcopus.

Indue me, Domine, calceamentis justitiæ, quem Johannes vidit vestitum podere: ut possim tibi omni tempore cum timore servire. Per omnia.

Post hæc vero ornet se cæteris indumentis, & minister administret superhumerale, & dicat: Jube Domine benedicere. *Respondet episcopus.*

Vir-

Virtus summa Deus, cunctorum rector opimus,
Tu benedic nostrum, quo nunc ornamur, amictum:
Ut servire tibi valeamus corde pudico. Per omnia.

Postea ministret ei albam, & dicat, ut supra.

Vestibus angelicis induti, Rex pietatis,
Possimus libare pii libamen odoris,
Clemens & pravæ purges contagia mentis,
Ac citius delenda malæ contagia mentis. Per omnia.

Postea ministret ei cingulum, & dicat, ut supra.

Scrutator cordis, & castæ mentis amator,
Tu lombos præcinga meos, Deus intime judex,
Mortificans pravos in casto corpore gestus. Per omnia.

Postea detur ei baltheum pudicitiæ, & dicat minister, ut supra. Respondet Episcopus.

Rogo te, altissime Deus Sabaoth, Pater sancte, ut me castigare digneris, accingere, & meos lombos baltheo tui timoris ambire, & renes cordis mei tuæ caritatis igne urere: ut pro peccatis meis possim intercedere, & adstantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare, Per.

Tum minister offerat ei stolam jucunditatis, gerens vitam geminæ contemplationis. Et dicat ut supra. Respondet Episcopus.

Colla jugo subdenda tuo, Deus alme, sacrato,
Ad cujus dignum pretiosa morte sepulchrum,
Virtus Angelica confederat ordine mundo. Per omnia.

Super hac itaque ministretur ei tunica gyris in tintinabulis mirifica refecta, & dicat minister ut supra. Respondet Episcopus:

Sanctifica tunicam, qua nunc superinduor, istam,
Omnipotens æterne Deus: sine numine cujus,
Nil humana valet devoti concedere virtus.
Et qui me sacris voluisti vestibus uti,
Da servire tibi, judex pie, mente fideli. Per omnia.

Deinde ministretur ei aqua ad manus, & pecten ad caput, & dicat minister, ut supra. Respondet Episcopus.

Omnipotens & misericors Deus, precor clementiam tuam, ut me audaciter accedentem non sinas perire, sed dignare juvare, ornare, & leniter suscipere. Per omnia.

Tunc ministrentur ei manicæ, ut supra.

Digna manus nostras Christi custodia servet,
Ut tractare queant nostræ monumenta salutis. Per omnia,

Postea detur ei annulus in dextra manu desuper manicæ. Dicat minister ut supra. Respondet Episcopus.

Pignore me fidei signatum pacis & arra
Custodi dextra, Rex benedicte, tua. Per omnia.

Postea ministretur ei casula: tandem vero rationale cohærens junctim superhumerali. Et dicat minister ut supra. Respondet Episcopus.

Spes æterna Deus cunctorum certa, salusque,
Tu memor esto mei toto te corde petentis,
Exequar ut dignus cœlestis munia vitæ:
Dumque meis manibus tractatur mystica virtus,
Dispereat quicquid contraxerat ordo veternus. Per omnia.

Deturque manui lævæ manipulus castitatis: & dicat minister, Jube Domine benedicere. *Respondet Episcopus.*

Qui super astra sedes, qui regni sceptra tueris,
Summus adesto Deus, mihimet tua jussa sequenti.
Ac levem capiti complexibus adhibe dextram,
Auxiliumque mihi tribuas per cuncta benignus,
Ut valeam casta tibi sistere perpeti vita. Per omnia.

Cum omni quoque diligentia Episcopus veneretur a suis. Ea autem rationabiliter flamineata, accedat ordinatim omnis processio. VII. aut V. aut III. etsi non, Presbyter & Diaconus. Presbyter ad dextram & Diaconus ad sinistram. Subdiaconus vero ante oculos ejus teneat Evangelium: qui etiam stipatus sit duobus acolythis, aut pluribus cum candelabris & thuribulis, interim sane præparet se schola, & cantor coram medius, annuente Episcopo, inchoat Antiphonam. Resurrexi. *Psal.* Domine probasti me. *Properante Episcopo ad templi vestibulum, & ad ostium secretarii, osculetur Evangelium: & postea cum omni diligentia incedant. Finitoque introitu, ingrediatur medius Pontifex cum Collegio processionis. Eo autem adstante & orante, dicat hanc orationem.*

Suscipe confessionem meam, unica spes salutis meæ, Domine Deus meus: quia gula, ebrietate, fornicatione, libidine, acedia, somnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate, ac superbia perditus sum: & omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus sensibus extinctus, qui justificas impios & vivificas mortuos, vivifica me, resuscita me, & miserere mei, Deus meus.

Annuente Episcopo, incipiatur Psalmus a cantore, cum introitu reciprocante. Interim quoque osculetur omnes sibi circumdatos, incipiens sinistre, alternatimque veniens dextre.

Hoc autem expleto, Episcopus signo digiti sui, inchoet Cantor, Gloria Patri. *Et properet Episcopus ad altare stipantibus ministris, dicat hanc orationem.*

Indignum me, Domine, sacris tuis esse fateor, quia innumeris quotidie peccatis fuscor. Quid ego blandis te, Domine, verbis rogare præsumo, quem improbis sæpissime factis offendo? Tu enim.

Domine, mihi medicinam ingeris ægro, legem tuam, Domine, sacris paginis inditam lego: sanam vero disciplinam infelix negligo. Ad tuum quidem altare quasi devotus accedo: sed a præceptis tuis contumaci corde recedo. Da ergo mihi, Domine, quæso, cor compunctum, quod veraciter odio habeat peccatum. Meum est, si donaveris, delicta deflere, tuum est ea ut nivem cito delere. Et licet palmam amiserim inimico fraudante, ad veniam saltem perveniam te miserante. Tibi Deo est honor, regum regi sanctorum cuncta regnanti in sæcula sæculorum. Amen.

Mora quidem orationis facta, sicut ordinati sunt, alter alterutrum Presbyteri & Diaconi osculentur altaris cornua: Et ultimus Episcopus ministrantibus illis osculetur Evangelium ab ipsis elevatum & apertum, a Subdiacono scilicet in altaris medio positum. Et tunc canatur, Kyrie eleison. *Et ipsis ducentibus perveniat Episcopus ad solium. Et tunc incipiat,* Gloria in excelsis Deo. *Post hæc autem canatur Missa secundum sui usum. Et annunciat Episcopus.* Pax vobis. *Resp.* Et cum Spiritu tuo.

Oratio.

Deus qui hodierna die per unigenitum tuum, &c.

Exinde procedat Subdiaconus in ambonem, & legat epistolam. Expurgate. *Resp.* Hæc dies, alleluja. Pascha nostrum.

Incedat siquidem Diaconus cum thuribulo, aliusque minister cum thure genuflectentes ad genua sedentis Episcopi: & mittat incensum, fumum suavis odoris & dicat.

Mitto incensum in odorem suavitatis, in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

Et diaconus postulans inclinato capite benedictionem, & dicat. Jube Domine benedicere. *Respondet Episcopus.* Dominus sit in corde tuo, & in ore ad proferendam Evangelii Lectionem.

Accipiens ipse Evangelium & deosculetur eum & altare. Et ascendat in ambonem ad annunciandum verba æternæ felicitatis. Legatur Evangelium. Maria Magdalenæ. *Finito Evangelio, portetur Evangelium a subdiacono, ut osculetur Episcopus & omnes post illum. Et dicat Episcopus.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum Spiritu tuo. Oremus. *Tunc incipiat offertorium.* Terra tremuit.

Eo autem finito, & oblatione recepta, cum omni processione revertatur ad solium: & exuat manicas, lavetque manus, & sic ingrediatur propitiatorium, & omnis processio offerat sibi oblationem, & ad ultimum incensum, & dicat has orationes dum incensatur.

Domine Deus noster, supplici devotione deposcimus, ut sicut suscepisti munere Abel, Noe, Aaron, Zachariæ, & Samuel, & omnium Sanctorum tuorum, sic manu nostre peccatrice suscipere digneris incensum illud in odorem suavitatis, & remissionem omnium peccatorum nostrorum. Per Dominum,

Alia.

Placetur, Domine, hoc thymiamata furor tuus contra me, & contra locum istum, & contra populum istum; & præ-

& præsta propitius, ut sumus boni odoris tibi simus ad capiendam vitam æternam. Per

Postea vero ordinent se more Ecclesiastico, hoc est, Diaconi ante altare, Subdiaconi retro, Episcopus in medio, quia in ore duorum vel trium stat omne verbum, inclinantes capita quousque dicat. Per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. *Et dicat hanc orationem super oblata.* Suscipe, quæsumus Domine preces populi tui cum oblationibus hostiarum. *Require retro in Sabbatho sancto. Tunc vero post hanc erigunt se: Et Acolythi ministrent aquam ad manus* * Diaconum, *&* manutergium. Et *dicat Pontifex alta voce.* Per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. Sursum corda. *Resp.* Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. *Resp.* Dignum & justum est.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare. Te quidem omni tempore, *ut supra*.

Dum dicatur Sanctus, *inclinant se omnes, & Episcopus dicat hanc orationem interim.*

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, me miserum fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate: neque aspicias ad peccata, & ad scelera mea, & immundas turpesque cogitationes meas, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate: sed ad misericordiam tuam, & ad fidem devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam expetunt misericordiam. Et quia me indignum medium inter te & populum tuum fieri voluisti, fac me dignum talem, ut possim tuam exorare misericordiam pro me, & pro eodem populo tuo. Et adjunge voces nostras vocibus Sanctorum Angelorumque tuorum: ut sicut illi te laudant incessanter & infatigabiliter in æterna beatitudine; ita nos quoque eorum interventu mereamur laudare te inculpabiliter in hac peregrinatione. Per Dominum. Te igitur clementissime Pater.

Communicantes, & memoriam venerantes, *ut supra*.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, *ut supra*.

Antequam dicatur, per quem hæc omnia. *Benedictio carnis.*

Deus universæ carnis, qui Noe, & filiis ejus, &c.

Per quem hæc omnia, Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas.

Acolythus vero cum patena stet retro Diaconos inclinans se cum diaconibus, usque dicat Episcopus, Nobis quoque peccatoribus. *Diaconus igitur qui Evangelium legit, inde praecaveat quod super calicem Episcopus faciat signum crucis, & præveniat sibi sublevans calicem in conspectu Domini: & revertatur ad locum suum cito. Siquidem subdiaconi a retro altari. Ubi memoriam vel nomina vivorum & mortuorum nominaverant, vel recitaverunt, procedunt post Diaconum inclinantes capita. Dominica oratione finita, accipiat subdiaconus patenam de manu Acolythi, & dat Diacono, & ille deferat Episcopo: & post hæc stabiliantur in loca qua erant, antequam legerent Evangelium, quousque benedictio & pacis osculum fuerit finita. Deinde dum dicat Episcopus.* Per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. *Post Dominicam orationem dum finierint.* Libera nos a malo. *Annuente Episcopo, dicat Diaconus.* Humiliate vos ad benedictionem. *Et populus resp.* Deo gratias. *Et Episcopus dicat hanc benedictionem.*

Benedicat vos omnipotens Deus hodierna interveniente Paschali solemnitate, &c.

Et inde accipiens partem corporis Domini dicat; Pax Domini sit semper vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Et annuente Episcopo dicat Cantor.* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. *Interim osculetur Archidiaconum & ceteros. Inde vertens se ad altare dicat hanc orationem.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Hæc sacrosancta commixtio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus sumentibus salus mentis & corporis: & ad vitam capiendam æternam præparatio salutaris. Per Dominum.

Dum frangitur Corpus.

Emittere digneris, Domine, sanctum Angelum tuum ad sacrum & immortale mysterium, scilicet Corpus & Sanguinem tuum; nos enim frangimus, Domine, illud: tu dignare benedicere, & præsta, ut immaculatis sensibus, & manibus illud tractare valeamus, & digne sumere. Per Dominum nostrum. Emitte Angelum tuum, Domine, ut dignetur.

Post hec itaque communicent se omnes singillatim,
Episcopus quoque; eoque communicato,
dicat orationes has.

Perceptio Corporis & Sanguinis tui, Domine, quam ego indignus sumere præsumo, non mihi veniat ad judicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis, qui cum Patre in unitate.

Alia.

Domine Jesu Christe, & fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu-sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum corpus & sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus, & universis malis meis, & fac me tuis obedire præceptis, & a te nunquam in perpetuum separari. Qui cum Patre.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut merear per hoc remissionem omnium peccatorum meorum accipere, & tuo Sancto Spiritu repleri; quia tu es benedictus, & præter te non est alius, cujus regnum gloriosum permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Et Episcopus communicet Presbyteros & Diaconos cum osculo pacis, sicco tamen sacrificio: & subdiaconos, mixto sacrificio. Et Diaconi & Presbyteri summatim gustent cum calice tenente subdiacono, de ipso sanguine. Interim Cantor incipiat annuente Episcopo. COM. Pascha nostrum. Ps. Domine probasti me, *cum* Gloria. *Hac autem expleta sedeat Episcopus in solio, & lotis manibus tertio revertatur ad altare. Et dicat collectam.*

Ad Complendum.

Spiritum nobis Domine. *Postea dicat Episcopus conversus ad populum.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Annuente Episcopo dicat Diaconus.* Ite Missa est. *Resp. Ipse autem Episcopus deosculatur altare, cum silentio dicit hanc orationem.*

Oremus.

Placeat tibi sancta Trinitas. *Ad S. Joan. ad Vesp.* Concede quæsumus omnipotens Deus. *Ad fontes.* Præsta quæsumus omnipotens Deus. *Ad S. Andream*, Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui gratiam. *Hactenus Missa Paschalis.*

ORDO XII.

Editus ab eminentissimo Cardinali Bona ex codice Cardinalis Chisii.

INCIPIT ORDO QUALITER MISSA CELEBRARI DEBEAT.

In primis sacerdos dicat orationem ad calceandum se.

CAlcea, Domine, pedes meos, in præparatione Evangelii pacis, & protege me in velamento alarum tuarum.

Ad manus lavandas.

Largire sensibus meis, omnipotens Pater, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentis, & crescant in nobis sanctarum augmenta virtutum. Per Christum, &c.

Ad mappam.

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine pollutione mentis & corporis valeam tibi servire. Per Christum.

Ad amictum.

Obumbra, Domine, caput meum umbraculo sanctæ fidei, & pelle a me nubila ignorantiæ.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis.

Ad zonam.

Domine accinge in me custodiam mentis meæ, ne ipsa mens infletur spiritu elevationis. Amen.

Ad stolam.

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

Ad casulam.

Indue me, Domine, ornamento humilitatis, charitatis, & pacis, ut undique munitus virtutibus, possim resistere vitiis & hostibus mentis & corporis.

Ad manipulum.

Da mihi, Domine, sensum rectum & vocem puram, ut implere possim laudem tuam. Amen.

Deinde cantet cum circumstantibus clericis hos psalmos, Quam amabilia, *id est Psal.* 83. *qui sic incipit in versione Italica & propria Romana Ecclesiæ, de qua agit Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum Lib.* 2. *Cap.* 3. Benedixisti. Inclina Domine. Pater noster. *Vers.* Exurge Domine adjuva nos. Fiat Domine misericordia tua super nos. Deus tu conversus

* *l.* diaconi *aut* diaconorum.

versus vivificabis nos. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Non intres in judicium cum servo tuo. Propitius esto Domine peccatis nostris. Domine exaudi orationem meam.

Oremus.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis & gratia S. Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna charitate diligere merear. Per Dominum nostrum, &c.

Tum dicat apud se.

Rogo te, Deus Sabaoth altissime, Pater sancte, ut tunica castitatis digneris me accingere, & lumbos meos balteo tui amoris ambire, ac renes corporis mei igne charitatis exorere, quatenus pro peccatis meis te Dominum meum digne possim intercedere, & astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum tibi hostias immolare. Me quoque indignum audacter ad te accedentem non sinas perire, sed dignare me tua pietate mundare, lavare, ornare, tibique idoneum & dignum ministrum efficere leniter me ac benigne suscipere. Præsta mihi hoc, omnipotens Pater, per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit, &c.

Fac me quæso omnipotens Deus ita justitia indui, ut in Sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Per Christum, &c.

Deinde cum clerici inceperint Gloria *post Introitum, procedat, antecedente eum diacono, & ante eum subdiacono cum libro Evangelii, & ante subdiaconum acolytho cum thimiamate; ante quem duo alii acolythi præcedant cum candelabris & luminaribus, & sic ordinate exeant a secretario cum Antiphona.* Redime me, & miserere mei, ut in ecclesiis benedicam te Deus Israel: *& Psalmo* Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: *& at pervenerint ante altare incipiant Psalmum cum Antiphona* Introibo ad altare Dei. *Psal.* Judica me Deus & discerne causam meam, *cum* Gloria Patri *& repetitur Antiphona. Deinde inclinati faciant confessionem, diacono stante ad dexteram sacerdotis cum acolytho, & subdiaconus a sinistris teneat librum Evangelii contra faciem ejus.*

Sequitur confessio.

Confiteor Deo omnipotenti, & istis, & omnibus Sanctis ejus, & vobis fratribus, quia ego miser peccavi nimis in lege Dei mei, cogitatione, sermone, & opere, pollutione mentis & corporis, & in omnibus malis, quibus humana fragilitas contaminari potest, propterea precor vos, ut oretis pro me misero peccatore.

Precibus & meritis sanctæ Dei genitricis & Virginis Mariæ & omnium Sanctorum suorum, misereatur vobis omnipotens Dominus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, preterita, præsentia, & futura: liberet vos ab omni malo, conservet vos in omni opere bono, & perducat nos pariter Christus Filius Dei vivi in vitam æternam. Amen.

Indulgentiam & absolutionem & remissionem omnium peccatorum nostrorum, & spatium veræ pœnitentiæ per intercessionem omnium Sanctorum suorum tribuat nobis omnipotens, pius, & misericors Dominus Amen.

Vers. Converte nos Deus salutaris Noster.

Resp. Et averte iram tuam a nobis.

Dignare Domine die ista. Sine peccato nos custodire.

Fiat, Domine, misericordia tua super nos. Quemadmodum speravimus in te.

Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Aufer a nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Exaudi quæsumus Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per Dominum, &c.

Quibus expletis, subdiaconus apertum librum prebeat sacerdoti osculandum. Osculato autem Evangelio, quod eo die legendum est, dicat; Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, conservet & confirmet corda nostra & corpora in vitam æternam. Amen. *Et subdiaconus claudens librum ponat super altare in sinistro cornu. Cum vero inceperint in choro* Kyrie eleison, *acolythi deponant candelabra in pavimento. Diaconus vero accipiat thuribulum de manu acolythi & accedens osculetur altare, quem subsequitur sacerdos, & inclinatus oret prius hujusmodi.*

Ad te, plasmator meus, redemptor meus, salvator meus, ego miserrimus servus tuus ad te cordis devotione confugio. Tu quia pius es miserere mei, & suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ, Domine Deus meus: Nam gulæ, ebrietatis, & crapulæ vitiis quotidie sine intermissione deservio, & delector. Fornicationis, pollutionis, & libidinis stercoribus ab ipsa pene pueritia putrefactus sum: & omni spurcitia & immunditia libidinis intus exteriusque maculatus sum. Tristitia, accedia, somnolentia iracundia, concupiscentia, cupiditate, avaritia, invidia, malitia, odio, detractione, suspicione, simulatione, perjurio, falsitate, mendacio, negligentia, inobedientia, vana gloria, levitate, ac superbia perditus sum: & omni mala cogitatione, locutione, sive actione, atque omnibus malis & iniquitatibus extinctus sum. Sed tu qui justificas impios & vivificas mortuos, justifica me & resuscita me Domine Deus meus.

Deinde surgat & osculetur altare dicens:

Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris altaribus astare voluisti, & sancti nominis tui laudare potentiam, concede quæsumus per hujus sacramenti mysterium, meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati digne ministrare merear. Per, &c.

Et sic accepto thuribulo de manu diaconi, faciat incensum super altare, & reddat eidem diacono porrigens ei osculum. Diaconus vero faciat incensum circum altare, & reversus odorem prebeat sacerdoti, redditoque thuribulo acolytho, stet post sacerdotem, & subdiaconus retro post eum. Finitis in choro Kyrie eleison, *si tempus fuerit, dicat sacerdos:* Gloria in excelsis Deo. *Deinde versus ad populum, cum quo verti debet & diaconus, dicat* Dominus vobiscum, *& orationem. Qua dicta, subdiaconus contra altare legat epistolam, quam dum incipit, sacerdos & diaconus sedeant in sedilibus suis ad dexteram partem altaris, juxta quos & subdiaconus post lectam epistolam sedeat. Deinde canatur* Graduale, Alleluja, *vel Tractus, seu Sequentia. Interim vero dicantur a sacerdote vel ministris ista Orationes.*

Oratio.

Benignissime ac misericordissime, serenissime ac clementissime Deus, cui omnis angelica famulatur virtus, cuique quicquid sanctum ac mundum est obsequitur, ante conspectum divinæ majestatis tuæ assisto reus, sacrosancti mysterii usurpator satis indignus: quin & invocare sanctum ac venerabile nomen tuum non sum idoneus, quippe qui sum innumerabilibus criminibus prægravatus, superbia inflatus, cenodoxia turgidus, invidia demolitus, acedia anxiatus, libidine flaccidus, lascivia dissolutus, iracundia stimulatus, odio inveteratus, detractione perditus, protervia tumidus, ventris ingluvie, & gulæ appetitu immoderatus, fallacia repletus, immunditia sordidatus, amore sæculi nimis detentus, avaritia irretitus, jactantia elatus, hypocrisi subdolus, contentione pertinacissimus, discordia fraudulentus, susurratione promtissimus, rancore cordis & pusillanimitate affectatus, torpore ignavus, in jurando inconsideratus, scurrilitate assiduus, verbis otiosis & superfluis atque criminosis deditus, fornicatione tam spirituali quam corporali graviter pollutus, & in cunctis voluptatibus in quibus humana fragilitas labi potest miserrime præcipitatus; & omnibus omnino vitiis atque criminibus, in quibus cogitando, loquendo, & operando peccari potest, coram examine æquitatis tuæ me graviter peccasse & reum esse recognosco & confiteor. Sed tu piissime & misericordissime Deus, non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens, quippe qui est fœnum arescens, & corruptibilis caro, quotidieque ad non esse tendens omnino, Quis ergo potest mundum de immundo conceptum semine facere, nisi tu qui solus es Deus? Sicut enim pannos menstruatæ, sic immundi sumus ante majestatem claritatis tuæ Domine. In tuo namque conspectu nec ipsi cœli sunt mundi, quanto magis nos creati in carne corruptibili, atque homines terreni & immundi? Quid enim digne offerat mortalis immortali, corruptibilis incorruptibili, mutabilis incommutabili? Sed ut hoc valeret fieri, incarnatus es pro nobis, Fili Dei, mundus & incorruptibilis permanens sicut es. Sacramentum quoque Corporis & Sanguinis tui electis tuis tradidisti, quo efficeremur de immundis mundi, de peccatoribus sancti, de incestis casti, & de fœdirate nitidi, & quo possemus ante majestatem gloriæ tuæ apparere præclari. Ergo tu, Domine, sacerdos summe, sanctificator & sanctificatio sacerdotii, miserere mihi homini peccatori, parce indigno sacerdoti, ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordiæ tuæ judices, quem pro aliis rogare permittis, & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem creditæ non recuses dispensationis. Et fiat mihi hæc sacrosancti mysterii frequentatio omnium scelerum meorum indulta propitiatio, Salvator mundi. Qui vivis, &c.

Alia oratio.

Deus misericordiæ & veritatis, clementiam tuam suppliciter deprecor, &c. *Extat supra in Missa Illyrici pag. 179.*

Alia oratio.

Deus qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum. *Ut supra in Missa Illyrici.*

Sequitur Litania.

CHriste audi nos.
Pater cælis Deus, miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus, miserera nobis.
Spiritus sancta Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancte Sanctorum Deus, miserera nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
S. Dei Genitrix, ora.
S. Matar Domini, ora.
S. Virgo Virginum, ora.
S. Regina cœlorum.
S. Mater misericordiæ,
S. Michael.
S. Gabrial,
S. Raphael,
Omnes S. Angeli & Archangeli.
S. Joannes Baptista.
Omnes S. Patriarchæ & Prophetæ,
S. Petre.
S. Paula.
S. Andræa.
S. Jacobe.
S. Johannes.
S. Jacobe.
S. Philippe.
S. Bartholomæe.
S. Matthæe.
Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ,
S. Dionysi.
S. Stephana.
S. Corneli.
S. Cypriane.
S. Sebastiane.
S. Chrysanta.
S. Georgi.
S. Aureli.
S. Processe.
S. Januari.
S. Hermes.
S. Vita.
S. Mercuri.
S. Cæsari.
S. Pancrati.
S. Adelberte,
S. Cyriace.
S. Evarice.
S. Phocas,
SS. Joannes & Paula.
SS. Tiburti & Valeriane,
SS. Faustine & Jovita.
SS. Sergi & Bacche.
SS. Nazari & Celse.
SS. Felicissime & Agapite,
SS. Nicander & Marciane.
SS. Valentine & Hilari.
SS. Cirina & Maxime.
SS. Quadraginta Martyres.
S. Fortunate cum sociis tuis,
Omnes sancti Martyres.
S. Gregori.
S. Martine.
S. Ambrosi.
S. Paulina.
S. Maxime,
S. Felix.
S. Nicolae.
S. Remigi,
Omnes SS. Pontifices & Confessores,
S. Benedicta.
S. Maure.
S. Placide.
S. Severine,
S. Romane,
Omnes SS. Monachi & Heremitæ,
S. Scholastica.
S. Cæcilia.
S. Daria.
S. Catharina.
Omnes sanctæ Virgines.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei.
Propitius esto, Parca nobis Domine.
Ab insidiis dæmonum, Libera nos Domine.
A periculo mortis, Libera.
Ab immundis cogitationibus.

Pater noster. ℣. Converte nos Deus salutaris noster.
Dignare Domine die ista,
Miserere nobis Domine.
Fiat Domine misericordia tua super nos.
Delicta juventutis meæ & ignorantias meas.
Adjuva nos Deus salutaris noster.
A dominatu omnium vitiorum.
A cæcitate cordis.
Ab omni malo,
Peccatores, Ta rogamus audi nos.
Ut parcas nobis. Te.
Ut nobis spem certam donet.
Ut fidem rectam tribuas,
Ut charitatem perfectam conferas,
Ut cunctorum in nobis vitiorum monstra mortifices.
Ut omnium nos virtutum prærogativa vivifices.
Ut nobis per incarnationem tuam introitum in Sancta Sanctorum pandas.
Ut per hoc sacrosanctum mysterium animas & corpora nostra renoves.
Ut per hoc conscientias nostras purifices.
Ut hoc terribile mysterium non sinas nobis fieri ad judicium.
Ut istud ineffabile sacramentum mundis manibus tractemus.
Ut puris mentibus sumamus.
Ut indulgentiam omnium peccatorum per hoc consequamur.
Ut per hoc tibi semper inhærere valeamus.
Ut per hoc & tu in nobis, & nos in te manere mereamur.
Ut gratiam S. Spiritus cordibus nostris infundere digneris.
Ut cunctum populum christianum pretiosissimo Sanguine tuo redemtum conservara digneris,
Ut locum pœnitentiæ nobis concedas.
Non intres in judicium cum servo tuo Domine.
Domine non secundum peccata nostra facias nobis.
Non nobis Domine, non nobis,
Eaurge Domine adjuva nos.
Domine exaudi orationem meam,

Sequitur oratio.

Adjuva nos Domina Deus noster tuorum deprecatione Sanctorum, ut omnium beatorum Angelorum, Archangelorum, cunctorum spirituum supernorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, Viduarum, Innocentium, atque omnium fidelium tibi in cælo & terra ministrantium, quorum hodie festa geruntur per universum mundum, eorum nos peccatores & indigni, quod optamus & indigemus, opportuno tempore sentiamus auxilium. Par te Jasu Christe Salvator mundi. Qui vivis, &c.

Alia oratio.

Conscientia quidem trepida omnipotens Deus ad altare tuum accedo, sed si dimitto vereor de inobedientia condamnari. Parce ergo mihi, Domine, indigno famulo tuo, & licet ad tanta mysteria celebranda semper indignus inveniar, tamen fiduciam de tua misericordia retineo. Pro qua te Deus omnipotens dignare me paterna pietate, placidoque vultu respicere, & cordis mei interiora purgare; & si ego reatu culpabilis existo, beatæ tamen & gloriosæ semperque Virginis Mariæ, & omnium sanctorum tuorum obtentu sint tibi in omnibus placita mea ministeria. Qui vivis, &c.

Alia oratio.

Domine Deus omnipotens qui es trinus & unus, ubique præsens, ubique totus, tibi confiteor omnia peccata mea, quæ si non confiterer, ta tamen Domina, quem occulta non fallunt, latere non poterant: quia peccavi nimis in cogitationibus, locutionibus, diversisque operibus malis & multis. Et quia ego miser & miserabilis propter duritiam cordis mei, nisi tu adjuves me, in ipsa peccatorum meorum morte perduro, propterea precor te, miserere mei. Qui vivis & regnas in secula. Amen.

Alia.

Alia.

Deus, qui de indignis dignos, de immundis mundos, de peccatoribus efficis justos, munda cor meum & corpus meum ab omni sorde & contagione peccati, & fac me dignum sacris altaribus tuis ministrum, & concede propitius, ut in hoc altari ad quod indignus ministraturus accedo, hostias acceptabiles atque placabiles offeram pietati tuæ pro omnibus peccatis & offensionibus meis, & innumeris quotidianis excessibus, & pro omnibus qui se meis indignis precibus commendaverunt, sed & pro omnibus fidelibus Christianis, & pro omnibus circumstantibus, omnibusque mihi familiaritate vel consanguinitate conjunctis, & pro omnibus etiam qui mei memoriam in suis orationibus faciunt: & per eum sit tibi meum votum atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri obtulit in sacrificium Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum, &c.

Alia.

Indignum me Domine fateor tuis sacris, qui innumeris quotidie fuscor peccatis, *Extat totidem verbis in superiori Missa Illyrici.*

Alia.

Altissime Deus ignosce mihi, &c. *Extat etiam supra, aliquot verbis additis & immutatis.*

Alia.

Impellit me ministrandi officium hostiam salutarem offerre pro populi delicto, sed terret conscientia indebiti sacerdotii, &c. *Habetur item in superiori Missa.*

Cetera desunt.

O R D O XIII.

Ex ms. Pontificali Salisburgensi.

INCIPIT ORDO PONTIFICIS, QUANDO PRÆPARAT SE AD MISSAM.

Quando *lavat manus, dicat hanc orationem.*

Largire sensibus nostris, omnipotens Pater, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum; sic a te mundentur interius pollutiones mentium, & crescat in nobis sanctarum augmentum virtutum. Per.

Postea se incipit sandalia episcopus calciare, & dicit orationem hanc.

Calcia Domine pedes meos in præparatione evangelii pacis, & protege in velamento alarum tuarum.

Deinde cantet cum circumstantibus hos psalmos.

Quam dilecta. Benedixisti, Domine. Inclina Domine. *cum precibus.* Exurge Domine. Fiat misericordia tua, Domine. Deus tu conversus. Ostende nobis, Domine. Ne intres in judicium. Propitius esto peccatis nostris. Domine exaudi orationem.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia S. Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare valeam, ac te æterna caritate diligere merear. Per.

Oratio sacerdotis ad Missam præparandi.

Obumbra, Domine, caput meum umbraculo sanctæ fidei: & expelle a me nubila ignorantiæ, Amen.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis. Amen.

Ad zonam.

Domine accinge in me custodiam mentis meæ, nec ipsa mens inflectatur spiritu elationis. Amen.

Ad stolam.

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam: & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam. Amen.

Ad casulam.

Indue me, Domine, ornamento caritatis & pacis: ut undique munitus virtutibus possim resistere vitiis, & hostibus mentis & corporis.

Post quam ad manipulum.

Da mihi, Domine, sensum rectum, & vocem puram, ut implere possim laudem tuam.

Post quam intrat in ecclesiam, osculetur duos presbyteros, & duos diaconos, incipiens per se. Introibo ad altare Dei, *cum psalmo,* Judica me Deus. *Interim dum cantetur versus ad Introitum dicit has orationes.* Aufer a nobis iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mentibus * introire.

Alia oratio.

Omnipotens Deus, qui me peccatorem sacris altaribus astare voluisti, & sancti nominis tui laudare potentiam; concede, quæsumus per hujus sacramenti mysterium, meorum veniam peccatorum, ut tuæ Majestati digne ministrare merear. Per.

Deinde cum osculabitur, dicat.

Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet, & conservet corda nostra & corpora in vitam æternam. Amen.

Confessio sacerdotis ante altare.

Suscipe confessionem meam unica spes salutis meæ, Domine, Deus meus. Gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitia, accedia, somnolentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate ac superbia perditus sum, & omni cogitatione, locutione, actione, atque omnibus malis extinctus sum: sed tu, qui justificas impios, & vivificas mortuos, vivifica me & resuscita me, Deus meus.

Oratio sacerdotis ante altare priusquam Missam incipiat.

Deus propitius esto mihi peccatori: quia tu es Deus immortalis, & sine peccato solus: Domine Deus meus indigno mihi famulo tuo indulge: quia peccator sum & indignus, qui præsumo ad sanctum altare tuum accedere, & invocare te. qui peccavi coram te, & coram angelis tuis: sed tribue indulgentiam delictorum meorum, & confirma me in sancta Ecclesia tua, in fide orthodoxorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis.

Item oratio interim dum Gloria in excelsis Deo *cantatur.*

Domine Jesu Christe, Redemptor mundi, propitius esto mihi peccatori, omnibus modis in peccato jacenti, quia tu solus Domine Deus noster, immortalis es & sine peccato, indulge mihi miserrimo præsumenti accedere ad sanctum altare tuum & invocare te: quia peccavi ab infantia mea, usque nunc coram te, & coram omnibus sanctis tuis: sed per illorum intercessionem tribue mihi divina clementia veniam peccatorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis & regnas.

Post collectam usque ad Evangelium prout sibi videatur, dicit has orationes.

Deus, qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos, munda corpus meum, & cor meum ab omni contagione & sorde peccati, & fac me dignum sanctis altaribus tuis ministrum & concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo, hostias placabiles offeram pietati tuæ pro peccatis & offensionibus meis, & innumeris cotidianisque excessibus, & grege mihi commisso, & famulo tuo N. conjugeque, ac populo sibi subjecto, & omnibus circumadstantibus, omnibusque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus me odio execrabili insectantibus, & Ecclesiæ tuæ commissæ adversantibus, cunctis fidelibus simul Christianis. Et per eum sit tibi meum votum, atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri obtulit in sacrificium Jesus Christus Dominus noster.

Ignosce, Domine, quod te rogare compellor, dum per immunda labia mea nomen sanctum tuum assumo: ut cum pudendorum actuum meorum secreta confiteor, non habeo apud te verba sine crimine. Te enim conscientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta nosti, & immunditiam meam tu solus agnoscis. Miserere mihi, Domine, miserere mihi: Ignosce mysterii tui secreta tractanti: nec indignum misericordia tua judices, quem pro aliis rogare permittis: & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, Salvator mundi, qui vivis.

Cum incensum, antequam legatur Evangelium, mittit in thuribulum, dicat:

Odore cælestis inspirationis suæ accendat, & impleat Dominus corda nostra ad audienda & implenda Evangelii sui præcepta. Qui vivit.

Deinde inclinanti diacono, dicat sacerdos:

Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut annuncies competenter Evangelium pacis.

Perlecto autem Evangelio, afferatur ad salutandum episcopo, & dicat:

Per istos sermones sancti Evangelii Filii sui Domini nostri Jesu Christi indulgeat Dominus peccata nostra.

Cum autem ornatum fuerit altare, antequam suscipiat præsul oblationes presbyterorum & diaconorum, dum cantatur offertoria, ascendat ad altare, & humillime dicat hanc orationem.

Ante oculos tuos, Domine, reus, conscientiæ testis assisto. Rogare non audeo, quod impetrare non mereor. Tu enim scis, Domine, quæ aguntur in nobis. Erubescimus confite-

Tomo I. S 2

* *Adde* mereamur.

confiteri, quod non timemus admittere. Verbis tibi tentum obsequimur, corde mentimur: & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce, Domine, confitentibus, ignosce peccantibus, miserere te rogantibus. Et quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, & apud te peccatores non habent verba sine crimine: præsta, Domine, ut si ex nobis indignis & peccantibus duri cordis verba non suscipis, per temetipsum nobis veniam largiaris. Qui vivis & regnat Deus & semper & in æterna sæcula sæculorum.

Tunc convertat se ad suscipiendas oblationes offerentium presbyterorum vel diaconorum, & dicat unusquisque, hanc orationem.

Tibi Domino Deo Creatori meo hostiam offero pro remissione omnium peccatorum, & cunctorum fidelium tuorum.

Cum diaconus libamen calicis accipit, dicat:

Acceptum sit omnipotenti Deo sacrificium istud.

Tunc redeat sacerdos ad altare, & coram altari, antequam secretam dicat, accuset se prius flebiliter, & dicat hanc orationem.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo. Miserere mihi, Domine, homini peccatori, ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri, parce labe peccatorum præ ceteris capitalium polluto. Et ne intres in judicium cum servo tuo, scilicet vitiis ac voluptatibus carnis aggravato. Recordare, Domine, quod caro sum. In tuo conspectu etiam cœli non sunt mundi, quanto magis nos homines mortales. Indignus sum, ut sim vivens. Tu, qui non vis mortem peccatoris, da mihi veniam in carne constituto, ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfruar in cœlis per te, Jesu Christe.

Tunc puro corde offerat Domino oblatas altari superpositas dicens:

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & nostræ congregationis salute, & pro omni populo christiano, & pro omnibus eleemosynas nobis facientibus, & pro his etiam qui se commendaverunt in nostras orationes; & qui nostri memoriam in suis orationibus habent, ut veniam recipiamus peccatorum, ut in futuro præmia consequi mereamur æterna. Amen.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam offero imprimis, ut justum est, in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionisque Domini nostri Jesu Christi, & in honorem omnium sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & quorum nomina, & reliquiæ hic continentur, & eorum, quorum festivitas celebratur in terris, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro anima famuli tui, quatenus te donante, percepta venia peccatorum, vitæ quoque sempiternæ immensa gaudia percipere mereatur.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum tuorum, & famularum, ut per hoc salutare sacrificium purgatæ, sanctorum tuorum consortio mereantur adjungi.

Tunc diaconus calicem offerat Sacerdoti super altare, & dicat:

Immole Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Sit Dominus adjutor tuus, mundum te faciat, dum oraveris ad eum exaudiat te.

Et Episcopus calicem offerens Domino dicat:

Domine Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ de latere tuo sanguinem & aquam, unde tibi Ecclesiam consecrates, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium altari tuo superpositum; & concede, clementissime ut pro redemptione nostra, & etiam pro totius mundi in conspectu divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis tuæ ascendat, Jesu Christe.

Ad mittendum vinum cum aqua.

Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti, da nobis, quæsumus, per hujus aquæ & vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ dignatus es fieri particeps Jesu Christe.

Tunc elevata manu benedicat utrumque.

In nomine Domini nostri Jesu Christi sit sacrificium istud immaculatum, & a te Deo vivo & vero adunatum & benedictum.

Postea incensum accipiens ponat in thuribulum, dicens:

Per intercessionem sancti Gabrielis Archangeli stantis a dextris altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud Dominus dignetur benedicere, & in odorem suavitatis accipere.

Tunc ponat incensum super sacrificium, & in circuitu altaris dicat:

Incensum istud e te benedictum ascendat ad te, Domine, & descendat super nos misericordia tua. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Quando odor ejusdem incensi Episcopo vel ceteris porrigitur, unusquisque dicat:

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, & flammam æternæ caritatis.

Tunc Sacerdos humillime convertat se ad circumstantes & dicat:

Orate pro me misero peccatore ad Dominum nostrum Jesum Christum, ut meum sacrificium ac vestrum sit acceptabile in conspectu divinæ pietatis.

Tunc dicatur a singulis.

Orent pro te omnes Sancti Dei. Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, & holocaustum pingue fiat. Exaudiat te Dominus pro nobis orantem. Misereatur tui omnipotens Deus & dimittat tibi omnia peccata sua.

Postquam Sacerdos, Te igitur, *incipit, Diaconi & Subdiaconi cantent istos Psalmos.*

Exaudiat te Dominus. Ad te, Domine, levavi. Miserere mei Deus. Qui habitat. *Cum precibus*. Salvum fac servum tuum. Desiderium cordis. Vitam petiit a te. Oculi Domini super justos. Fiat misericordia. Domine exaudi orationem. *Oratio pro Sacerdote*. Gaudeat, Domine Deus, famulus tuus beneficiis impetratis: & cui fiduciam sperandæ pietatis tribuisti, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum. *Item pro omnibus oratio*. Precibus nostris, quæsumus, Domine, aures tuæ pietatis accommoda, & orationes supplicum, occultorum cognitor, benignus exaudi; ut te largiente ad veniam perveniamus æternam.

Expleta secreta, & oratione Dominica, cum dixerit: Pax Domini sit semper vobiscum, *misceatur Corpus Domini cum Sanguine.*

Hæc sancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus nobis mentis & corporis ad æternam vitam capescendam præparatio salutaris. Per.

Postquam autem benedictio Episcopalis expleta est accipiens partem, quam antea affregit, tenensque super calicem frangat, & dicat:

Sancti Sanguinis commixtio cum sancto Corpore Domini nostri Jesu Christi prosit omnibus sumentibus ad vitam æternam.

Quando Corpus Domini in manus accipit, dicat:

Panem cœlestem accipiam, & nomen Domini invocabo.

Ad sumendum Corpus Dominicum.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium & condemnationem, sed per tuam pietatem prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis. Qui vivis.

Quando calicem accipit, dicat:

Quid retribuam Domino, &c. *ut in Miss. Rom.*

Post sumptum, secrete;

Communicatio & confirmatio sancti Sanguinis tui, Domine Jesu Christe, prosit mihi in remissionem omnium peccatorum, & conservet me in vitam æternam.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante* Sanctorum per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum Corpus & Sanguinem tuum, quatenus non sit mihi ad judicium, neque ad condemnationem, sed ad remedium proficiat animæ meæ: & a cunctis iniquitatibus meis libera me Deus, & fac me tuis obedire mandatis, & e te, & a Sanctis tuis numquam in perpetuum separari. Qui vivis.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc Corpus & Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere; ut merear per hoc remissionem peccatorum accipere, & tuo sancto Spiritu repleri: quia tu es, & præter te non est alius, cujus gloriosum nomen permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde cum cœperit communicare clerum sive populum, dicat singulis:

Perceptio Corporis Domini nostri sit tibi vita & salus & redemtio omnium tuorum peccatorum.

Oratio sancti Gregorii Papæ.

Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit mihi in remissionem omnium peccatorum ad vitam æternam.

Finita Missa postquam Diaconus dicit: Ite Missa est, *veniat Sacerdos ante altare, & osculato dicat;*

Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præ-

* *Deest aliquod verbum.*

& præsta ut hoc sacrificium, quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, sit tibi placens, mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Qui vivis.

Alia oratio.

Meritis & intercessionibus omnium Sanctorum suorum misereatur nobis omnipotens Dominus.

Expletis omnibus, Episcopus rediens ad sacrarium cum Diaconibus & ceteris canist Hymnum trium puerorum, & Laudate Dominum in sanctis ejus. *Postea preces:* Confiteantur, Domine, omnia opera tua, & Sancti tui. Exultabunt justi. Exultent justi. Non nobis, Domine, non nobis. Sacerdotes induen. Ne intres in. Domine Deus virtutum. Benedicat nos Deus, Deus. Domine exaudi. *Deinde oratio.* Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius per interventum eorum, & omnium Sanctorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

O R D O XIV.

Ex libro Sacramentorum quem anno 1036. Halinardo abbati S. Benigni Divionensis, deinde archiepiscopo Lugdunensi dedit Himbertus episcopus Parisiensis.

INCIPIT ORDO QUALITER EPISCOPUS AUT PRESBYTER AD MISSAM SE PRÆPARARE DEBEAT.

E*Piscopus cum se ad missam parat, cantet tres psalmos, circumstantibus clericis, idest:* Quam dilecte. Benedixisti Domine. Inclina Domine. *Postea preces.* Exurge Domine. Fiat misericordia tua Domine. Deus tu conversus. Ostende nobis. Ne intres in judicium. Domine exaudi orationem.

Orationes.

Fac me, quæso omnipotens Deus, ita justitia indui, ut in Sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatinus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium Sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Per Dominum.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis & gratia sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere merear. Per.

Oratio dicenda ad missam.

Ante conspectum Divinæ majestatis tuæ, Domine, reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo. Miserere mihi homini peccatori, ignosce indigno Sacerdoti, per cujus manus hæc sacra oblatio Corporis & Sanguinis tui videtur offerri. Parce peccatorum labe præ ceteris mortalium polluto, & non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, qui licet vitiis ac voluptatibus carnis aggravatus sim, recordare, Domine, quod caro sum, in tuo conspectu etiam cæli non sunt mundi, quanto magis ego homo terrenus, & indignus sum, Jesu Christe, ut vivam; sed tu, qui non vis mortem peccatoris, da mihi ad te toto corde converti, & veniam in carne constituto ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfrui merear in cœlis. Per te, Christe Jesu, Salvator mundi.

Item alia.

Omnipotens mitissime Deus, qui de indignis dignos, de peccatoribus facis justos, de immundis mundos, qui me etiam squalentem peccatis ad honorem sacerdotii provehi voluisti. Concede mihi supplici famulo tuo veniam omnium reatuum meorum, & fac me strenuum dignumque ministrum sacris altaribus tuis. Præsta etiam, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo, placabiles atque acceptabiles hostias offeram pietati tuæ pro delictorum meorum & omnium familiaritate mihi conjunctorum, atque cunctorum simul fidelium Christianorum culpis abluendis, atque per eum tibi sit meum votum & obsequium acceptabile, qui se tibi pro nobis obtulit in sacrificium, qui est verus æternusque Pontifex, & solus sine peccati macula sacerdos Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui vivit & regnat.

Postquam ecclesiam intrat episcopus, dicat has orationes ante altare.

Conscientiæ quidem trepidi, omnipotens Deus, ad altare tuum accedimus; sed fiduciam de tuæ pietatis misericordia retinemus. Et licet ad celebranda sacrificia semper inveniamur indigni; sed si recedimus, veremur de inobedientia condemnari. Pro qua re dignare nos pietate paterna, placido vultu respicere, & cordis nostri interiora purgare. Et si nos reatu culpabiles existimus; nostrarum tamen precum obtentu tibi sint in omnibus placita nostra ministeria. Per Dominum.

Item alia.

Deus misericordiæ & veritatis, clementiam tuam deprecor, ut mihi misero innumerabilium veniam concedas delictorum, quibus iram tuæ potentiæ provocavi, quatenus te miserante in hac vita secundum tuam voluntatem purgatus, ad æternæ beatitudinis participationem pertingam. Cunctis etiam qui mihi spirituali vel carnali conjunctione cohærent, & qui se mihi vel confitendo vel rogando commendaverunt, nec non & quorum pecunias vel eleemosynas suscepi, vel qui per meam negligentiam seu malitiam corrupti sunt, manum misericordiæ tuæ porrigas, & per ineffabilem largitatem tuam, optatam eis indulgentiam peccatorum concedas, & ad requiem beatorum digneris perducere. Per Dominum.

Deinde has confessiones.

Domine Deus omnipotens, qui es trinus & unus, & ubique præsens, tibi confiteor omnia peccata mea, quæ si non confiterer, te tamen, Domine, latere non poterant, quia peccavi nimis in cogitationibus, in locutionibus, diversisque operibus malis & multis. Et quia ego miser & miserabilis, Domine, propter duritiam cordis mei in ipsa peccatorum meorum morte perduro, propterea deprecor te miserere mei, qui vivis.

Alia.

Indignum me, Domine, esse fateor tuis sacris, qui innumeris cotidie fuscor peccatis. Nam qui te blandis verbis rogare præsumo, improbis sæpissime factis offendo. Tu enim mihi medicinam ingeris ægro: & ego sanitati meæ contraria ago. Legem tuam sacris inditam paginis lego; sanam vero disciplinam infelix neglego. Ad tuum quidem altare quasi devotus accedo; sed a præceptis tuis contumaci corde recedo. Quasi dignum me in oculis hominum ostendo; sed in tuo conspectu, quem occulta non fallunt, diversis sceleribus pollutus sordeo: Sed tuum est, Domine Deus, dare peccatori cor compunctum fontemque lacrymarum, quo digne valeam abluere multitudinem scelerum. Meum est, si donaveris, delicta deflere; tuum est, ea ut nubem cito delere. Et licet palmam amiserim innocentiæ, inimico suadente; saltem per confessionem veniam merear te miserante, ut tibi sit gloria, laus, & honor cuncta regenti in sæcula sæculorum. Amen.

His dictis, osculetur diaconos & presbyteros II. Et incipiat per se Introibo ad altare Dei, *cum Psalmo* Judica me Deus, *cum venerit ad altare, dicat has orationes.*

Aufer a nobis, Domine, iniquitates nostras, ut ad sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Alia.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris altaribus astare voluisti, & sancti tui nominis laudare potentiam; concede quæsumus per hujus sacramenti mysterium meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati digne ministrare merear.

Deinde cum evangelium osculatus fuerit, dicat:

Pax Christi, quam nobis per evangelium suum tradidit, confirmet, & conservet corda & corpora nostra in vitam æternam. Amen.

Interim quando Gloria in excelsis Deo *canitur, dicat has orationes:*

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, me miserum fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate. Neque aspicias ad scelera mea, & immundas superas cogitationes, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate, sed ad misericordias tuas, & ad fidem devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam expetunt misericordiam. Et quia me indignum medium inter te & populum tuum fieri voluisti, fac me talem, ut digne possim tuam exorare misericordiam pro me & pro eodem populo tuo, & adjunge voces nostras vocibus sanctorum angelorum tuorum, ut sicut illi te laudant incessabiliter in æterna beatitudine; ita nos quoque eorum interventu te mereamur laudare inculpabiliter in hac peregrinatione. Per.

Alia.

Domine Jesu Christe, Redemptor mundi, propitius esto mihi peccatori, omnibusque modis in peccatis jacenti, quia tu solus, Domine Deus noster, immortalis es & sine peccato. Indulge mihi miserrimo præsumenti accedere ad sanctum altare tuum invocare te, quia peccavi ab infantia mea usque nunc coram te & Sanctis tuis. Sed per illorum intercessionem tribue mihi divinam clementiam, veniamque delictorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ.

Expleta missa, sacerdos de altari rediens cum diacono, &

ceteris, quibus voluerit, cantet hymnum trium puerorum, & Laudate Dominum in sanctis ejus. *Postea preces has* Confiteantur tibi. Exultabunt sancti. Exultent justi. Non nobis, Domine. Sacerdotes tui, Domine, Ne intres in judicium. Benedicat nos Deus Deus noster. Deus Deus virtutum. Domine exaudi orationem.

Oratio.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede per interventum eorum, & merita omnium sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

Alia.

Actiones nostras, quæsumus Domine, & aspirando preveni, & adjuvando prosequere, ut omnis oratio & cuncta nostra operatio, & a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per.

ORDO XV.

Ex ms. codice Stabulensis monasterii qui videtur olim fuisse ecclesiæ Virdunensis.

C*Um episcopus aut presbyter ad missam se præparat hos psalmos per se cum circumstantibus dicat:* Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine. Adpropinquet. Ad te levavi. *Preces* Deus tu conversus. Fiat misericordia tua Domine. Ostende nobis Domine. Ab occultis meis munda me Domine. Delicta juventutis meæ. Proba me Domine & tenta me. Ne perdas me cum iniquitatibus meis, neque in finem reserves mala mea. Domine exaudi orationem.

Has orationes composuit S. Ambrosius.

Ad ephot sive ad amictum.

Conscinde, Domine, saccum meum & circumda me lætitia.

Alia.

Humeros meos Spiritus sancti gratia protege Domine, renesque meos vitiis omnibus expulsis præcinge, ad sacrificandum tibi Deo viventi & regnanti in sæcula sæculorum.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, & circumda me lorica justitiæ & fortitudinis.

Circumda me, Domine, fidei armis, ut ab iniquitatum sagittis erutus, valeam æquitatem & justitiam custodire. Amen.

Item alia.

Omnipotens sempiterne Deus, te suppliciter exoro, ut fraude omnium obfuscatorum exutus, & alba veste indutus, te sequi merear ad regna, ubi vera sunt gaudia. Amen.

Ad zonam.

Domine, accinge in me custodiam mentis meæ, ne ipsa mens infletur spiritu elationis.

Alia.

Præcinge me, Domine, virtute, & pone immaculatam viam meam.

Alia.

Accinge, Domine, gladium tuum super femur tuum, potentissime, ut viriliter possim contra inimicos meos dimicare, spe firma veritatis tuæ.

Alia.

Circumcinge lumbos meos, Domine, zona justitiæ, & circumcide vitia cordis & corporis mei.

Ad stolam.

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

Alia.

Disrumpe, Domine, vincula peccatorum meorum, ut jugo tuæ servitutis innixus, valeam cum timore & reverentia tibi famulari. Amen.

Indue me, Domine, ornamento humilitatis, caritatis, ac pacis, ut undique munitus virtutibus, possim resistere vitiis & hostibus mentis & corporis per te Christe.

Alia.

Creator totius creaturæ, dignare me indignum famulum reum indumentis justitiæ & lætitiæ indui, ut pura mente ante conspectum tuum adstare merear præclarus. Amen.

Ad fanonem.

Da mihi sensum rectum, & vocem puram, ut implere possim laudem tuam.

Alia.

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine polutione mentis & corporis tibi servire valeam.

Post dicat has orationes.

Fac me, quæso omnipotens Deus, ita justitia indui, ut in sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus a sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Per.

Alia.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia S. Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna Karitate diligere merear. Qui vivis.

Rogo tu, Deus Sabaoth, altissime, Pater sancte, ut me tunica castitatis digneris accingere, balteo tui amoris lumbos ambire, renes cordis & corporis mei caritatis igne urere, ut possim pro peccatis meis digne intercedere, & astantis populi veniam promereri, & pacificas singulorum hostias immolare; me quoque audacter ad te accedentem non sinas perire, sed dignare me lavare, mundare, ornare, & leniter ac benigne suscipere. Per.

Alia.

Impellit me, Domine, ministrandi officium, hostias salutares offerre pro delicto populi, terret autem conscientia pro reatu indebiti sacerdotii, & si a me omnium sacerdotum peripsema sacrificium offertur, pollutæ conscientiæ crimen augetur. Si vero tantæ majestati & universæ carnis judici non offertur, negligentiæ reatus adscribitur. Inter hæc tuæ, omnipotens Deus libramen pietatis imploro, cujus ultionis diem, accusante conscientia, pertimesco, ne indignum misericordia tua judices, quem a tempore pœnitentiæ non excludis. Suspende, precor, securim, donec cultor vineæ admoveat cophinum stercoris ad radicem infructuosæ arboris. Parce mihi, Domine clementissime, pœnitenti, qui David in crimen lapsum clementer ad veniam revocasti, qui Petri misericors lacrymas amare flentis respexisti, qui latronem in crucis patibulo te confitentem tanti facinoris reum divina gratia inlustrasti, cujus mox obtinuit confessio perspicere Dei Filium, fides præmium, pœnitentia veniam, lamenta gaudia sempiterna, & dum confessor fuit in cruce, possessor extitit paradisi propter crucem. Sed quia verba veniam tuæ pietatis non merentur, quæ indigni sacerdotis opera non commendant, saltem adstantium vota suscipe, ut & mihi apud te precibus obtineant veniam, & eorum meritis sacrificia nostrorum vulnerum nobis salubriter conferent medicinam, quia omnipotens Deus pro omnibus factus es hostia.

Alia.

Altissime Deus ignosce mihi misero & infelici peccatori, quo enim vultu te respiciam, Domine, vel quibus verbis me coram tuis conspectibus excusabo? Nec enim potero abscondi ante te, qui secreta consideras. Væ mihi peccatori, qui sancto altari tuo indignus adsistens, nullos juxta tuam voluntatem mentis ornatus exhibui. Sed tu Domine Deus miserator & misericors, qui cuncta ex nihilo creasti, qui me quoque immeritum formasti, & statuisti digne servire tibi, concede ut merear cœlesti tuo sacrario dignus assistere. Ego vere tibi immortali Domino placere proposui, & per meam negligentiam minime implevi. Ego tam in terris, quam in cœlis me reum esse video, quia mandatorum tuorum præcepta minime custodivi, nulla mihi spes est in operibus meis, sed anima mea in sola tuæ pietatis immensitate suspensa est, & in multitudine misericordiæ tuæ confidit, ut eam salvam facias. Corripe me in misericordia tua, nec arguas me in ira tua, quod odis in me longe fac a me, & castitatis & continentiæ spiritum insere in me, vitium omne mortifica in me, & animam meam vivifica in te. Hoc da petere, ut te petendo non offendam. Hoc mihi præsta quod ipse custodias semper, omnipotens Deus, Trinitas sancta.

Alia.

Ante oculos tuos, Domine, reus, conscientia teste, existo, &c.

Tunc imponat incensum in thuribulum,
& dicat:

Benedic, Domine, hoc incensum vel thymiama a te creatum, & præsta, ut acceptabile sit tibi in odorem suavitatis.

Hoc facto, episcopus osculetur presbyteros & diaconos, & incipiat per se versum Introibo in domum tuam Domine, *cum psalmo* Judica me Deus & discerne. *Et cum pervenerit ad altare, dicat has orationes cum confessione.*

Aufer a nobis Domine iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris merear mentibus introire.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sa-

cris

cris altaribus adstare voluisti, & sancti tui nominis laudare potentiam, concede, quæso, per hujus sacramenti mysterium, meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati digne ministrare merear. Per.

Confessio.

Confiteor Deo omnipotenti & vobis sanctis ejus, quorum reliquiæ & nomina in hac basilica & ubique venerantur, quia peccavi nimis in cogitationibus, & operibus malis & nequissimis, in perjurio, in fornicatione, adulterio, in detractione, in superbia, in iracundia, in tristitia sæculi, in ebrietate, in avaritia, in negligentia, in mendacio, in luxuria, in concupiscentia tua, in somnolentia, in visu, auditu, gustu, odoratu & tactu, & in omnibus maximis peccatis & sceleratissimis, scioque me dignum pœna æternæ mortis, ideo imploro vos omnes sancti Dei, ut oretis pro me indignissimo famulo vestro ad vos clamante, ut intercedente pro sancta Dei ecclesia catholica, quam Dominus noster JESUS CHRISTUS dignatus est pretioso sanguine suo redimere, ut eam dignetur pacificare, custodire, adunare, & regere; pro papa etiam, & pro rege nostro, & antistite, & pro abbatibus, & congregatione nostra, & pro omni familia illorum, pro cognatis & amicis & inimicis, & pro his qui se in meas orationes commendaverunt, ut Deus ac Dominus noster mihi illisque omnibus tribuat pœnitentiam veram in hac præsenti vita de præteritis peccatis meis, & illorum de instantibus liberationem, & de futuris cautelam.

Alia.

Conditor ac redemptor meus Christe, unigenite Fili Dei omnipotentis, propitius esto mihi peccatori, quem redemisti tuo pretiosissimo sanguine, & da mihi tua inæstimabili misericordia peccata mea pleniter agnoscere, digne deflere, pure confiteri, veraciter pœnitere, dignos pœnitentiæ fructus agere, cunctorumque peccatorum meorum plenissimam indulgentiam mihi digneris quæso tua pietate tribuere, atque a malis omnibus liberatum sacris mysteriis tuis aptum efficere, omniumque sanctorum tuorum consortio sociare, omnibus quoque mihi familiaritate conjunctis, & quorum eleemosynis sustentor, vel quandocumque suscepi, & pro quibus orare debitor sum, dimitte, Domine, omnia peccata sua, libera eos ab omni malo, & conserva in omni bono, & perduc ad gaudia sempiterna. Illis vero, qui in me quocumque modo peccaverunt, perfectam remissionem omnium delictorum suorum concede, & ut eos secundum mandatum tuum diligere, illisque ex animo possim remittere, cor meum peto digneris tua pietate solita modificare. Cunctis etiam pro quorum salute exorare debitor sum, quorum tu, Domine, vocabula nosti, qui in libro vitæ sanctorum tuorum nomina scribis, omnibusque in tuo nomine defunctis humillime deprecor, per tuam misericordiam vitam largiaris æternam. Amen.

Deinde osculans evangelium super altare dicat:

Pax Christi, quam nobis per evangelium suum tradidit, confirmet & conservet corda & corpora nostra in vitam æternam. Amen.

Post hanc sequantur hæ orationes interim dum Kyrie eleison & Gloria in excelsis Deo *canitur, in quantum ei a Deo conceditur.*

Benignissime ac misericordissime, serenissime ac clementissime, Domine Deus, cui omnis angelica famulatur virtus, cui quicquid sanctum, castum, ac mundum est obsequitur sublimius, quicquid justitiæ, quicquid pietatis est adsistit propius, ante conspectum majestatis tuæ reus adsisto, sacrosancti misterii usurpator satis indignus, qui nec invocare sanctum ac venerabile nomen tuum sum idoneus, quippe criminibus multis sum prægravatus, superbia inflatus, xenodochia turgidus, invidia demolitus, acidia anxiatus, luxuria inquinatus, libidine fœtidus, lascivia dissolutus, ira creberrime obligatus, odio inveteratus, detractione obnoxius, protervia tumidus, veteri ingluvie immoderatus, fallacia repletus, immunditia sordidatus, amore sæculi valde detentus, avaritia irretitus, jactantia elatus, hypocrysi subdolus, contentione pertinacissimus, discordia fraudulentus, in susurratione promtissimus, rancore cordis adnihilatus, pusillanimitate adnullatus, torpore ignavus, in jurando inconsideratus, in scurilitate assiduus, fornicatione tam spirituali quam carnali graviter pollutus, & in cunctis voluptatibus miser, in quibus homo potest labi, miserrime sum præcipitatus, & in omnibus vitiis atque criminibus coram examine æquitatis suæ turpiter sum sordidatus. Ne igitur intres in judicium cum me peccatore, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quippe qui est fœnum arescens & corruptibilis caro quotidieque ad non esse tendens omnino. Qui ergo potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu solus qui es indulgentissimus & sine peccato? Sicut enim pannus menstruatæ, sic immundi sumus ante majestatem claritudinis tuæ. In tuo namque conspectu nec ipsi cæli sunt mundi, quanto magis nos creati in carne corruptibili atque homines terreni & immundi? Quid enim digne offerat mortalis immortali, corruptibilis incorruptibili? Sed ut hoc valeret fieri incarnatus es pro nobis, Fili Dei, mundus & incorruptibilis permanens sicut es. Sacramentum quoque Corporis & Sanguinis tui electis tuis tradidisti, quo efficeremur de immundis mundi, de peccatoribus justi, de incestis casti, & de omni fœditate nitidi, & quo possemus ante majestatem tuam apparere præclari. Ergo tu Domine sacerdos summe, sanctificator & sanctificatio sacerdotii, miserere mihi peccatori, parce indigno sacerdoti, ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordia tua judices, quam rogare pro aliis permittis, & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem non recuses credere dispensationis, ut fiat mihi hæc sacrosancti mysterii frequentatio, omnium peccatorum & scelerum meorum indulta propitiatio. Per te, CHRISTE JESU, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivis & regnas. Per.

Alia.

Si ante oculos tuos, Domine, culpas quas fecimus, & plagas quas excipimus conferamus, minus est quod patimur, majus est quod meremur. Peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis enim tuis infirmitas nostra vincitur, & iniquitas non mutatur, mens ægrota torquetur, & cervix dura inflectitur. Vita in dolore suspirat, & in opere non emendat. Si expectas non corrigimur; si vindicas, non duramus. Confitemur in correptione quod læsimus, obliviscimur in visitatione quod flevimus. Si impresseris manum, facienda promittimus; si suspenseris gladium, promissa non facimus; si ferias, clamamus ut parcas; si iterum peperceris, rursus provocamus ut ferias; si angustiæ veniunt, tempus petimus pœnitentiæ; si misericordia subvenit, abutimur patientia quæ pepercit. Adhuc plaga inlata vix præterit, & jam non recolit mens ingrata quod pertulit. Si citius nos exaudis, ex misericordia insolescimus; si tardius, ex patientia murmuramus. O Domine, si volumus servari quod feceris, non timemur negligere quod jusseris. Habes, Domine, confitentes reos, parce quia pius es. Novimus enim quod si non dimiseris, recte non punias, Sed & apud te est multa miseratio & abundans propitiatio. Præsta sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo eos qui rogarent. Clamantibus ad te, Domine, miserere. Moveat pietatem tuam vox fidelis & debilis, usque illam in quam omnes speramus pietas. Non reputet quod offendimus, dum respicit quod rogamus. Item grandis sit miseria esse nos reos, major tibi sit clementia erga nos miseros. Erige nos, Domine Deus noster, & alleva misericordia tua, ut in fide & pace semper perseveremus. Qui vivis & regnas Deus per omnia.

Alia.

Indignum me Domine, fateor tuis sacris, &c.

Item alia.

Deus qui de indignis dignos, de peccatoribus justos, &c.

Alia.

Deus misericordiæ & veritatis clementiam tuam suppliciter deprecor, ut mihi miserrimo innumerabilium veniam concedas peccatorum, quibus iram tuæ potentiæ provocavi, quatenus te miserante in hac vita secundum voluntatem tuam purgatus, ad æternæ beatitudinis participationem pertingam, cunctis etiam in corpore sive extra corpus viventibus, qui mihi spiritali vel carnali conventione cohærent, & qui se mihi vel confitendo, vel rogando commendaverunt, nec non quorum pecunias vel eleemosynas suscepi, vel qui per meam negligentiam seu malitiam corrupti sunt manum misericordiæ tuæ porrigas, & per ineffabilem bonitatem optatam nobis indulgentiam peccatorum concedere, & ad requiem beatorum digneris perducere.

Alia.

Domine Deus omnipotens, qui es trinus & unus, & ubique præsens, tibi confiteor omnia peccata mea, quod si non confiterer, te tamen latere non poterant. Confiteor quia peccavi nimis in cogitationibus, locutionibus, diversisque operibus malis & multis, & quia ego miser & miserabilis propter duritiam & nequitiam cordis mei, nisi tu, Domine, adjuves, in ipsa peccatoris mole perduro, propterea precor te, ut mei miserearis. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas.

Alia.

Alia.

Deus qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, &c.

Item alia.

Domine Jesu Christe, Redemptor mundi, propitius esto mihi peccatori, omnibus modis in peccatis jacenti, quia tu solus, Domine Deus noster, immortalis es & sine peccato. Indulge mihi miserrimo præsumenti accedere ad sanctum altare tuum te invocare, quia peccavi ab infantia mea usque nunc coram te & coram omnibus sanctis tuis, sed per illorum omnium intercessionem tribua mihl clementiam tuam, veniamque omnium delictorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ, præstante Domino nostro JESU CHRISTO.

Confessio.

Suscipe confessionem meam, unica spes salutis meæ, Domine Deus meus, gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitia, accidia, somnolentie, negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate, murmuratione, discordia, transgressione propositi mei, ac heu miser in omni cogitatione & locutione perditus sum & extinctus. Et Sodomorum & Gommorreorum iniquitatem meo scelere vici, ideo precor te, Domine, qui vivificas mortuos & justificas impios, ut digneris me justificare a peccatis, & ad vitam æternam perducere. Per.

De Sanctis.

Eripiat nos, quæsumus Domine, tuorum pie deprecatio sanctorum, & sicut per Moysem famulum tuum dimisisti peccata populi, ita per intercessionem sanctorum tuorum, quorum hodie memoriam celebramus, omnium nostrum jubeas relaxari peccata.

Alia.

Deus ad quem mundi accedere desideramus, & ob cujus gloriam in honore tuorum sanctorum expiari deposcimus, in vivam nos tibi præpara hostiam, cordium quoque nostrorum abdita ab omni crimine lava, & spiritali reple lætitia, quæ qua coram te pm nostris & fratrum nostrorum delictis ingemiscimus, exaudiri quantocius mereamur, ut nec pro nostro, nec pro alieno delicto puniamur, sed justitia & sanctitate vestiti præsentemur tibi indemnes in die judicii. Amen.

Mordacis conscientiæ stimulis, & delictorum nostrorum immensitate commoniti, te Deum indulgentiæ precamur, ut intervenientibus omnium sanctorum tuorum meritis, quicquid dicto, facto, vel cogitatione commissum est, sive lubricæ ætatis impulsu, seu ignorantiæ errore perpetratum, pietas Domini nostri JESU CHRISTI resolvere atque indulgere dignetur. Per.

Alia.

Largire, quæso Domine Deus omnipotens, per merita & intercessiones omnium sanctorum tuorum, & per tuam sanctam clementiam ac misericordiam benignissimam, concordiam sacerdotibus, regibus terræ tranquillitatem & pacem. Oro, Domine, pm universa ecclesia Catholica, pro viris & feminis, ac omnibus rectoribus, qui pro tuo sancto nomine laborant, ut perseverantiam boni operis obtineant. Præsta, Domine, virginibus castitatem, Deo dicatis sive devotis continentiam, conjugatis sanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam, viduis & orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus fidelibus portum, lugentibus consolationem, defunctis veniam, optimis, ut in bonitate consistant, bonis & mediocribus, ut meliores fiant, prave agentibus & delinquentibus seu negligentibus, ut cito se corrigant. Et quia, Domtue, inter omnes & per omnia me nimium peccatorem considero, tu clementissime, qui omnium misereris, non me patiaris a tua misericordia fieri alienum, sed qui inducias vivendi præstas, corrigendi devotionem concedas. Excita in me, Domine Deus, mentem quæ te sequatur, te desideret, te qui es super omnes & super omnia præ omnibus amet, te timeat, tuamque amet & faciat voluntatem. Præcipue deprecor, Domine, ut hos qui mei memoriam habent in suis orationibus, & qui se meis indignis orationibus commendaverunt, & qui mihi aliquod caritatis officium, vel pietatis studium impenderunt, & qui mihi consanguinitatis vel compassionis seu familiaritatis affectu juncti sunt aut juncti fuerunt, tam ipsos qui nunc consistunt in corpore, tam illos qui teguntur in funere, visitari jubeas, & absolvas ne pereant, nec non & magnopere supplico immensæ clementiæ tuæ, ut cum dies mortis meæ advenerit, tu ipse qui judicas, contra accusatorem meus defensor fias, qui es benedictus in sæcula.

Alia.

Sancti Dei omnes qui ab initio sæculi usque in præsens Deo placuistis, intercedite pm me miserrimo & infelicissimo peccatore, ut Dei pietas misereatur mei, & præstet mihi in præsenti consequi veniam scelerum meorum, ut in futurum non me excruciari sinat cum impiis, sed aliquam portiunculam donet mihi habere vobiscum in cælis. Amen.

Cum incensum in thuribulo ponitur ante Evangelium, dicatur.

Odore cœlestis inspirationis suæ accendat, & impleat Dominus corda nostra ad audienda & implenda sancti Evangelii sui præcepta.

Item alia.

In nomine Domini benedicatur incensum istud, & acceptabile fiat in odorem suavitatis.

Deinde inclinante se diacono ante episcopum, episcopus benedictionem dicat:

Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut competenter pronuncies Evangelium pacis.

Alia.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti descendat super te, & aperiat Christus Dominus os tuum, ad digne idoneeque pronunciandum sanctum Evangelium suum.

Perlecto Evangelio, dicat *sacerdos:* Pax tibi. *Allato Evangelio ad sacerdotem, osculetur dicens:* Per istos sermones Domini nostri JESU CHRISTI indulgeat nobis Dominus omnia peccata nostra.

Cum episcopus vel presbyter laverit manus, dicat:

Largire sensibus nostris omnipotens Pater, ut sicut hic abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius nostrarum pollutiones mentium, & crescant in nobis sanctarum augmenta virtutum. Per.

Cum autem ornatum fuerit a diacono altare, antequam suscipiat sacerdos vel episcopus aliorum oblationes, ascendat ad altare, & dicat has orationes.

Oratio.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ reus adsisto, qui invocare nomen sanctum tuum, Domine JESU CHRISTE, præsumo, miserere mihi Domine homini peccatori, ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe præ ceteris capitalium polluto, & ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et licet vitiis ac voluptatibus carnis adgravatus sim, recordare tamen, Domine, quia cinis & pulvis sum. In conspectu enim tuo cœli non sunt mundi, quanto minus ego terrenus & immundus sicut pannus menstruatæ? Indignus sum, piissime Deus, ut sim vivens, sed tu, qui non vis mortem peccatoris, da mihi veniam in carne constituto, ut per pœnitentiæ labores, vita æterna perfrui merear in cœlis per te, Christe JESU, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivis & regnas Deus per omnia sæcula.

Qui affert episcopo vel presbytero oblationem humiliter dicat:

Tibi Domino Deo creatori meo hostiam offero pro remissione omnium peccatorum meorum, cunctorumque fidelium defunctorum.

Presbyter vel episcopus suscipiens dicat:

Suscipe, Sancte Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus, & præsta ut in conspectum tuum tibi placens ascendat.

Diaconus hostiam altari imponens dicat:

Acceptum sit Domino Deo omnipotenti istud sacrificium altari suo superpositum.

Hostia altari imposita, dicat presbyter pro semetipso.

Suscipe, clementissime Pater, hostias placationis & laudis, quas tibi offero indignus famulus tuus. Tu enim scis figmentum meum, quia peccavi in conspectu tuo, & non sum dignus tibi hostias offerre. Sed tu clemens & misericors indulge mihi quia peccavi, & indulgentiam quærentem placatus suscipe clementissime Deus, qui cum coæterno tibi Filio & Spiritu-sancto vivis & regnas Deus. Per omnia.

Suscipe, S. Trinitas, hanc oblationem, quam ego indignus famulus tuus tibi offero Deo meo vivo & vero, pro mea æterna salute, & cunctæ ecclesiæ tuæ suppliciter exoro.

Item.

Suscipe, S. Trinitas, hanc oblationem quam tibi offero pro me peccatore omnium hominum miserrimo, pro meis peccatis innumerabilibus, quibus peccavi coram te

in

in dictis, in factis, in cogitationibus, ut præterita mihi dimittas, & de futuris me custodias, pro sanitate corporis & animæ meæ, pro gratiarum actione de tuis bonis, quibus quotidie utor; quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, laudans invocabo Dominum, & ab inimicis salvus ero.

De Sanctis

Suscipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero, in primis, ut justum est, in memoriam Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, divinitatisque Domini nostri JESU CHRISTI, & in honorem omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & quorum hic nomina vel reliquiæ habentur, & quorum hodie in conspectu gloriæ tuæ solemnis celebratur triumphus, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, & ut illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.

Pro se vel congregatione.

Suscipe, S. Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore & nostræ congregationis salute, & pro omnibus in Christo fratribus & sororibus nostris, & pro omnibus in Christo fraterna caritate nobis conjunctis, simul & pro omni populo christiano, & pro omnibus eleemosynariis nostris, pro his etiam qui se commendaverunt in nostras orationes, & qui nostri memoriam in suis orationibus habent, ut hic veniam recipiamus, & in futura præmia consequi mereamur æterna.

Item generalis.

Suscipe, clementissime Pater, hostiam placationis & laudis, quam ego peccator tibi offerre præsumo, ad honorem & gloriam nominis tui, pro rege & antistite nostro, & pro pastore & congregatione, & pro incolumitate omnium famulorum famularumque tuarum, ut cunctorum delictorum suorum veniam consequantur.

Pro uno defuncto.

Suscipe, S. Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro anima famuli tui N. ut per hoc salutare sacrificium purgatus, sanctorum tuorum consortio mereatur adunari.

Pro defunctis.

Suscipe, S. Trinitas, hanc oblationem quam tibi offero pro animabus famulorum famularumque tuarum, ut requiem eis dones æternam inter sanctos & electos tuos, & ut in illorum consortio vita perfruantur æterna.

Priusquam sacramenta incipiantur dicat orationem.

Facturus memoriam salutaris hostiæ totius mundi, cum illius dignitatem & meam intueor fœditatem, conscientia torqueor peccatorum. Verum quia tu Deus multum misericors es, imploro ut digneris mihi dare spiritum contribulatum, quod tibi gratum dixisti sacrificium, ut eo purificatus, vitali hostiæ pias manus admoveam, quæ omnia peccata mea aboleat, & ea deinceps in perpetuum vitandi cautelam mihi infundat, omnibusque pro quibus tibi offertur, præsentis & futuræ salutis commercia largiatur.

Presbyter calicem offerens dicat:

Domine JESU CHRISTE, qui in cruce passionis tuæ de latere tuo sanguinem & aquam, unde tibi ecclesiam consecrares, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium altari tuo superpositum, & concede clementissime, ut pro redemtione nostra, & totius mundi in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

Cum miscetur aqua vino dicat:

Acceptum sit tibi omnipotenti Deo sacrificium nostrum, qui humanæ substantiæ dignitatem & mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti, da nobis per hujus aquæ & vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ dignatus es fieri particeps. Qui tecum.

Tunc elevata manu benedicit utrumque.

In nomine Domini nostri JESU CHRISTI sit sacrificium istud immaculatum, & a te Deo vivo & vero adunatum & benedictum.

Postea cum incensum in thuribulum ponit, dicat:

Per intercessionem sancti Gabrielis archangeli stantis a dextris altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud Dominus dignetur benedicere, & in odorem suavitatis accipere.

Item alio modo.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Sit benedictum hoc incensum in odorem suavitatis Domino, & in remissionem omnium peccatorum nostrorum.

Tunc imponat incensum super sacrificium, & in circuitu aræ dicens:

Oratio.

Incensum istud a te benedictum ascendat ad te Domine, & descendat super nos misericordia tua. ℣. Dirigatur Domine oratio mea. ℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Item.

Placetur, Domine, hoc thymiamate vel incenso furor tuus contra me, locumque istum, ac populum tuum, & præsta propitius, ut bonus odor tibi simus ad capiendam vitam æternam. Amen.

Cum odor incensi porrigitur.

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris & flammam æternæ caritatis.

Quando sacerdos vel episcopus se ad populum convertit, humiliter dicere debet ita:

Oratio.

Orate, fratres, ut meum pariter & vestrum sit in conspectu Dei acceptum sacrificium.

Aliter.

Orate, fratres, ut me orantem pro vobis exaudiat Dominus.

Item.

Orate, fratres, pro me peccatore, ne mea peccata obsistant votis vestris.

Respondeant circumstantes, & dicant:

Orent pro te omnes Sancti & electi Dei. Exaudiat te Dominus orantem pro nobis. Immola Deo sacrificium laudis. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua. Dominus sit in corde tuo, & in ore tuo, & suscipiat sibi sacrificium acceptum de manibus tuis pro nostra, omniumque salute.

Postea dicant hos psalmos usque in finem.

Psal. Exaudiat te Dominus in die tribulationis. *Psal.* Ad te Domine levavi. *Psal.* Miserere mei Deus. *Psal.* Domine refugium. *Psal.* Qui habitat.

Preces.

Salvum fac servum tuum. Desiderium cordis ejus. Vitam petiit a te. Oculi Domini super te. Fiat misericordia tua Domine. Exurge Domine adjuva nos.

Sequitur oratio.

Gaudeat, Domine quæsumus, famulus tuus beneficiis impetratis, & cui fiduciam sperandæ pietatis tribuisti, optatæ misericordię præsta benignus effectum. Per.

Item alia.

Precibus nostris, quæsumus Domine, aurem tuæ pietatis accomoda, & orationes supplicum tuorum occultorum cognitor exaudi, ut te largiente ad vitam pariter perveniamus æternam. Per.

Expleta missa secreta, misceatur Corpus Sanguini dicendo:

Hęc sacrosancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI fiat omnibus sumentibus salus mentis & corporis & ad vitam æternam capescendam præparatio salutaris. Per eumdem.

Alia.

Fiat commixtio & consecratio Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI salus mentis & corporis nobis accipientibus in vitam æternam. Per.

Episcopus non mittat in calicem partem oblationis, ut presbyteri solent, sed expectet donec communicare debeat, & accipiens partem, quam antea fregit, super calicem frangat dicens:

Sancti Sanguinis commixtio cum sancto Corpore Domini nostri JESU CHRISTI prosit omnibus sumentibus ad vitam æternam.

Oratio ante communionem.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc Corpus & Sanguinem Filii tui Domini nostri JESU CHRISTI ita sumere, ut merear per hoc remissionem peccatorum percipere, & tuo sancto Spiritu repleri, quia tu es Deus, & præter te non est alius, cujus gloriosum nomen permanet in secula seculorum. Amen.

Alia.

Concede, Domine JESU, ut sicut hæc Sacramenta Corporis & Sanguinis tui fidelibus tuis ad remedium contulisti: ita indigno mihi famulo tuo & omnibus pro me sumentibus hæc ipsa Sacramenta non obsint ad reatum, sed prosint ad veniam omnium peccatorum.

His dictis, osculetur sacerdos altare sic dicens:

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, ne respicias peccata mea, sed ad fidem ecclesiæ tuæ, eamque secundum tuam voluntatem pacificare & adunare digneris.

De-

Deinde convertat se ad circumstantes pacem ferens oris & cordis & osculetur quos voluerit dicens:

Habete vinculum caritatis & pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis.

Et ipsi invicem osculantes dicant:

Pax Christi & ecclesiæ abundet in cordibus nostris.

Cum aliquis Corpus Christi accipit dicat:

Panem cælestem accipiam & nomen Domini invocabo.

Item.

Corpus Domini nostri JESU CHRISTI sit mihi remedium sempiternum in vitam æternam.

Sequitur oratio.

Perceptio Corporis tui, Domine JESU CHRISTE, quod indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis.

Alia.

Corpus tuum, Domine, quod ego peccator accipio, & Sanguis, quem indignus, poto, adhæreat visceribus meis ad sanitatem animæ & corporis, & præsta omnipotens Pater, ut ibi non sit peccati macula, ubi intrant hæc sancta & munda Sacramenta.

Item.

Fiat mihi obsecro, Domine, hoc Sacramentum tuum, quod indignus & peccator præsumo percipere, fisus de tua larga clementia ad viscera misericordiæ & gratiam salutis ac sanitatem animæ & corporis, remissionemque omnium peccatorum meorum, ut non ad judicium, sed ad remedium illud merear percipere, Salvator.

Cum Sanguis sumitur dicatur:

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.

Item.

Communicatio & confirmatio sancti Sanguinis tui, Domine JESU CHRISTE, prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum, & conservet me ad vitam æternam. Sanguis Domini nostri JESU CHRISTI conservet me in vitam æternam.

Percepta communione dicatur:

Domine JESU CHRISTE Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me & munda me per hoc sacrum Corpus & Sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus & universis malis, & fac me tuis semper obedire præceptis, & a te nunquam in perpetuum separari. Qui vivis & regnas.

Deinde communicet eos presbyter dicens:

Perceptio Corporis & Sanguinis Domini JESU CHRISTI custodiat te in vitam æternam.

Expleta missa, osculans aram dicat:

Placeat tibi Sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta, ut sacrificium, quod oculis tuæ majestatis obtuli, sit tibi placens mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, te miserante, sit propitiabile. Amen.

Item alia.

Meritis & intercessionibus istorum, & omnium Sanctorum suorum misereatur nostri omnipotens Deus, qui vivit.

Expletis omnibus, cantet presbyter vel sacerdos cum ministris hymnum trium puerorum, & Laudate Dominum in Sanctis ejus, & Te decet laus, &c. *Tunc preces* Confiteantur tibi, Domine. Exultabunt Sancti. Non nobis Domine. Sacerdotes tui. Ne intres in Judicium. Benedicat nos Dominus Deus noster.

Oratio.

Deus qui tribus pueris &c. Actiones nostras &c.

ORDO XVI.

Ex ms. codice annorum circiter 700. monasterii S. Gregorii in Valle Gregoriana diœcesis Basileensis.

P*Salmi.* Quam dilecta. Benedixisti. Inclina Domine. Domine Deus salutis meæ. Credidi propter. Domine exaudi. *Preces.* Exurge Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum &c. Deus tu conversus vivificabis nos; & plebs tua &c. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare &c. Ne intres in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur &c. Propitius esto peccatis nostris, Domine, propter nomen tuum.

Oratio.

Fac me quæso, omnipotens Deus, ita justitia indui, ut in sanctorum tuorum merear exultatione lætari; quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat.

Alia.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere merear. Per eumdem &c.

Quando manus lavat Presbyter ante missam dicat:

Largire sensibus nostris, omnipotens Pater, ut sicut hic exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, & crescat in nobis sanctarum virtutum augmentum. Per dominum &c.

Ad amictum induendum.

Sub velamento alarum tuarum, Domine, tua me cooperi pietate, ut tibi ministrem placita servitute & cordis humilitate. Per Dominum &c.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, & circumda lorica tuæ fortitudinis. Per Dominum &c.

Ad præcingendum se.

Præcinge me, Domine, zona justitiæ & constringe in me virtutem caritatis & pudicitiæ. Per Dominum &c.

Ad stolam.

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam, & ab omni pollutione peccati purifica corpus meum. Per Dominum &c.

Ad casulam.

Indue me, Domine, ornamento caritatis & concede mihi protectionem contra hostem insidiatorem, ut valeam puro corde laudare nomen tuum gloriosum in secula seculorum. Amen.

Ad fanonem.

Da mihi, Domine, sensum, & vocem, ut possim cantare laudem tuam.

Et cum processerit ad altare, incipiat antiphonam.

Confessio dicitur.

Introibo ad altare Dei. Judica me Deus, & discerne. Ne intres in judicium cum servo tuo.

Preces.

Deus, tu conversus vivificabis nos. Et Plebs tua &c. Exurge Domine, adjuva nos, & libera nos &c.

Oratio.

Aufer a nobis, Domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur introire mentibus. Per Dominum &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus misericordiam tuam nobis placatus impende, ut qui contemnendo culpam invenimus confitando veniam consequamur. Per Dominum &c.

Alia.

Deus misericordiæ & veritatis, clementiam tuam suppliciter deprecor, ut mihi miserrimo innumerabilium veniam concedas peccatorum, quibus iram tuæ potentiæ provocavi quatenus te miserante in hac vita secundum tuam voluntatem purgatus, ad beatitudinis æternæ participationem pertingam. Cunctis etiam in corpore, sive extra corpus viventibus, qui mihi spirituali vel carnali conjunctione cohærent, & qui se mihi vel confitendo vel rogando commendaverunt, nec non & quorum pecunias & eleemosinas suscepi; vel qui per meam negligentiam seu malitiam corrupti sunt; manum misericordiæ tuæ porrigas, & per ineffabilem largitatem tuam, adoptatam ais indulgentiam peccatorum concedas, & ad requiem beatorum digneris perducere. Per Dominum &c.

Alia Oratio.

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, me miserum fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate, neque respicias ad scelera mea & immunditias, turpesque cogitationes, quibus flebiliter a tua distinguor voluntate, sed misericordias tuae & fidem devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam expetunt misericordiam, & quia me medium inter te & populum tuum voluisti fieri, fac me talem ut tuam possim exorare clementiam pro me & eodem populo tuo, & adjunge voces nostras vocibus angelorum tuorum, ut sicut illi te laudant incessabiliter in æterna beatitudine, ita nos quoque eorum interventu te mereamur laudare inculpabiliter in hac peregrinatione. Per Dominum &c

Accusatio sacerdotis ante altare antequam Missam incipiat.

Domine Jesu Christe, redemptor mundi, propitius esto mihi peccatori omnibus modis in peccatis jacenti; quia

tu

tu solus, Domine Deus noster, immortalis es & sine peccato, indulge mihi miserrimo præsumenti accedere ad sanctum altare tuum invocare te, quia peccavi ab infantia mea usque nunc, coram te & coram omnibus Sanctis tuis: sed per illorum intercessionem tribue mihi divinam clementiam veniamque delictorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ.

Apologia sacerdotis ante missam.

Indignum me, Domine, esse fateor tuis sacris, qui innumeris quotidie fuscor peccatis: nam cor quo te blandis verbis rogare præsumo, improbis sæpissime factis offendo. Tu enim medicinam ingeris ægro, ego sanitati meæ indesinenter contraria ego; legem tuam sacris indictam paginis lego, sanam vero disciplinam infelix negligo; ad tuum vero altare quasi devotus accedo; sed a præceptis tuis contumaci corde recedo; quasi dignum in oculis hominum ostendo; sed in tuo conspectu, quem occulta cordis non fallunt, diversis sceleribus pollutus sordeo. Sed tuum est, Domine, mihi dare peccatori cor compunctum fontemque lacrymarum, quo digna valeam abluere multitudinem scelerum. Meum est, si donaveris, peccata deflere, tuum est ea ut nubem cito delere; & licet palmam amiserim innocentiæ inimico suadente, saltem veniam per confessionem merear te miserente, ut tibi sit gloria, laus & honor cuncta regenti in sæcula sæculorum amen.

Cum osculabitur Evangelium dicat.

Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet & conservet corda & corpora nostra in vitam æternam. Amen.

Cum incensum antequam legatur Evangelium in thuribulum mittit dicat.

Odore cœlestis inspirationis suæ accendat Deus & impleat corda nostra ad audienda & implenda Evangelii sui præcepta; qui vivit & regnat, &c.

Deinde inclinanti diacono signum crucis, dicit.

Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis ut nunties competenter Evangelium pacis.

Item alio modo.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti descendat super te, & aperiat Christus Dominus os tuum, ad digne idoneeque pronuntiendum sanctum Evangelium suum.

Perlecto autem Evangelio dicat. Pax tibi; *& ceteri dicant*: Per istos sermones sancti Evangelii Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, indulgeat nobis Dominus peccata nostra.

Cum ornatum fuerit altare, antequam suscipiat oblationem presbyterorum & diaconorum, dum cantabitur offertorium, ascendat ad altare, & humillime dicat hanc orationem.

Ante oculos tuos, Domine, Deus conscientiæ testis adsisto; rogare non audeo, quod impetrare non mereor. Tu enim scis, Domine, omnia quæ aguntur in nobis. Erubescimus confessi, quod non timemus admittere; verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur; & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce, Domine, parce confitentibus, ignosce peccantibus, miserere te rogantibus, & quia in sacramentis tuis sensus meus infirmus est, & apud te non habent peccatores verba sine crimine, præsta, Domine, ut si ex nobis duris & peccatoribus duri cordis verba non suscipis, per temetipsum nobis veniam largiaris. Qui vivis, &c.

Alia.

Deus qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos, munda cor & corpus meum ab omni cogitatione & sorde peccati, & fac me dignum sanctis altaribus tuis ministrum, & concede propitius ut in hoc altari ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles offeram pietati tuæ pro peccatis & offensionibus meis & innumeris quotidianis peccatis & grege mihi commisso, & famulo tuo N. conjugeque ac populo sibi subjecto, & omnibus circumstantibus omnibusque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus me odio execrabili insectantibus, & ecclesiæ mihi commissæ adversantibus, cunctisque simul fidelibus christianis; & per eum sit meum votum atque sacrificium, qui se tibi patri obtulit in sacrificium acceptabile, Jesus Christus Dominus noster, &c.

Ita dicenda est antequam dicatur super oblata.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo. Miserere mihi, Domine, homini peccatori, ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe præ cæteris capitalium criminum polluto, & non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Recordare, Domine, quod caro sum; in tuo conspectu etiam cœli non sunt mundi, quanto magis ego homo terrenus. Indignus sum, Domine Jesu Christe, ut sim vivens, sed tu, qui non vis mortem peccatoris, da mihi veniam in carne constituto, ut per pœnitentiæ laborem vita perfrui merear in cœlis, per Christum Dominum, &c.

Alia.

Ignosce, Domine, quod dum rogare compellor, dum per immunda labia nomen sanctum tuum assumo, & immundorum actuum secreta confiteor, apud te non habeo verba sine crimine; tu conscientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta nosti; tu immunditias meas solus cognoscis, miserere mihi, Domine, ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec me indignum misericordiæ tuæ judices, cum pro aliis rogare permittis, & in quo bonæ operationis testimonium non agnoscis, officium saltem dispensationis credere non recuses, Salvator mundi, qui cum Patre, &c.

Alia oratio.

Majestatem tuam, Deus piissime, humili prece deposco & exoro, ut remittas crimina quæ caro fragilis ac tentatione iniquorum spirituum nequiter admisit, & jam reverti ad ea non sinas; sed confirma me in justificationibus tuis, & perseverantiam mihi tribue in illis, & fac me dignum ante conspectum divinæ majestatis astare, & sacrificium tibi, Domine, casto corpore & mundo corde digne offerre. Per Dominum, &c.

Singuli sacrificantes dicant.

Tibi Domino Deo Creatori meo hostiam offerre præsumo pro remissione omnium peccatorum meorum, & cunctorum fidelium tuorum. Per Dominum. &c.

Alia.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerunt famuli tui, & præsta, ut in conspectum tuum tibi placens ascendat.

Ad offerendam oblationem.

Acceptabilis sit Deo omnipotenti oblatio tua.

Super calicem.

Deo omnipotenti sit acceptum sacrificium istud.

Tunc elevata supra in manibus sacrificio dicat.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honore B. semperque Virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum hic nomina & reliquiæ habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Per Dominum, &c.

Pro seipso.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerre præsumo pro me peccatore & miserrimo omnium hominum, pro peccatis meis innumerabilibus quibus peccavi coram te, in dictis, in factis, in cogitationibus; ut præterita mihi dimittas, & de futuris me custodias, pro sanitate corporis & animæ meæ, pro gratiarum actione de tuis donis quibus quotidie utor.

Pro infirmis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerre præsumo pro infirmis famulis & famulabus tuis, ut mentis & corporis sanitate recepta in ecclesia tua laudes referant, & de verbere tuo æterna præmia consequi mereantur. Per Dominum, &c.

Pro defunctis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offero pro anima famuli (famulæ) tui [tuæ] pro animabus omnium fidelium defunctorum, ut requiem æternam eis dones inter tuos sanctos & electos, ut illorum consortio vita fruantur æterna. Per Dominum, &c.

Pro se ipso & omnibus fidelibus vivis & defunctis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam ego indignus & peccator famulus tuus tibi offerre præsumo in honore omnium sanctorum tuorum, & pro omnibus fidelibus tuis vivis ac defunctis, & pro sanitate corporis & animæ meæ, ut omnium delictorum meorum veniam consequi merear. Per Dominum, &c.

Pro Rege, Regnique statu.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerre præsumo pro Imperatore nostro (vel Imperatrice nostra] N. & pro sua nobili prole, ac pro statu Regni, & to-

& totius sanctæ Ecclesiæ, & pro omni populo christiano, pro episcopo, & pro omnibus episcopis, & pro omnibus illis commissis, & nostræ congregationis salute, & pro omnibus in Christo fratribus & sororibus, & pro omnibus eleemosynas nobis facientibus, & pro his qui se commendaverint nostris orationibus, & qui nostri memoriam in suis orationibus jugiter habent, ut hic veniam recipiant delictorum, & in futurum præmia consequi mereantur. Per Dominum.

Calicem offerendo, dicat presbyter.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo. Offerimus tibi Domino calicem salutaris, & deprecamur clementiam tuam ut in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

Oratio.

Domine Deus, Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ de latere tuo sanguinem & aquam, ut idem tibi ecclesiam consecrares, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium altari tuo superpositum, & concede clementissime, ut pro redemptione nostra etiam totius mundi in conspectu divinæ majestatis tuæ sanctificandum recipiatur.

Tunc elevata manu, benedicat utramque & dicat.

In nomine Domini nostri J. C. sit coronatum sacrificium istud, & a te Deo vivo & vero sit adunatum, benedictum & sanctificatum.

Incensum mittens in thuribulum dicat,

Per intercessionem sancti Gabrielis Archangeli, stantis a dextris altaris incensi, & omnium electorum suorum incensum istud Dominus benedicere dignetur, & in odorem suavitatis accipere.

In circuitu altaris cum incenso eat & dicat.

Incensum istud benedictum ascendat ad te Domine, & descendat super nos misericordia tua. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Cum incensum singulis porrigitur, unusquisque dicat.

Accendat Deus in nobis ignem sui amoris & flammam æternæ charitatis.

Quando sacerdos pro se rogat orare, tunc respondent ei clerici cum istis precibus & dicunt.

Orent pro te omnes sancti & electi Dei; Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Memor sit Dominus sacrificii tui & holocaustum tuum pingue fiat. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Exaudiat te Deus orantem pro nobis. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua præterita, præsentia & futura. Sit Dominus Deus in corde tuo & in ore tuo, & suscipiat sacrificium sibi acceptum de manibus tuis, pro tua, nostraque omnium salute.

Postea clerici cantent ipsos psalmos cum presbyter dicit: Per omnia sæcula sæculorum:

Exaudiat te Dominus, &c. Ad te Domine levavi, &c. Miserere mei Deus secundum, &c. Domine refugium factus es, &c. *Cum istis precibus.* Salvum fac servum tuum, Deus meus sperantem in te. Vitam petiit a te, &c. Tribuisti, &c. Oculi Domini super justos, & aures ejus, &c.

Oratio.

Gaudeat Domine famulus tuus beneficiis impetratis, & cui fiduciam sperandæ pietatis indulges, optatæ misericordiæ tribue benignus effectum.

Expleta missa, secreta, & oratione Dominica cum dicit: Pax Domini sit semper vobiscum.

Quando a sacerdote miscetur corpus sanguini Dominico, dicitur.

Hæc sacrosancta commixtio corporis & sanguinis Domini nostri J. C. fiat omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad æternam vitam capessendam præparatio salutaris.

Non mittet in calicem partem oblationis, ut presbyteri solent, sed expectabit donec communicare debeat, & accipiens partem quam ante fregerat, tenensque supra calicem, frangat & dicat.

Sancti sanguinis commixtio cum sancto corpore Domini nostri J. C. prosit omnibus sumentibus in vitam æternam.

Alia.

Concede Domine Jesu Christe, ut sicut hæc sacramenta corporis & sanguinis tui fidelibus tuis ad remedium contulisti, ita mihi indigno famulo tuo, & omnibus per me sumentibus hæc ipsa mysteria non obsint ad reatum, sed prosint ad veniam omnium peccatorum.

Alia.

Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri J. C. ad remedium sempiternum omnibus accipientibus in vitam æternam.

Tunc osculetur altare dicens:

Domine J. C. qui dixisti apostolis tuis, pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis; ne respicias peccata mea sed fidem ecclesiæ, eamque secundum voluntatem tuam pacificare & adunare digneris.

Postquam autem circumstantibus dederit osculum dicens:

Habete vinculum pacis & caritatis, ut apti sitis sacris mysteriis.

Quando ad sumendum corpus & sanguinem Dominicum accedimus, dicimus:

Domine J. C. Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti..., *cætera desunt.*

ORDO XVII.

Ex ms. Pontificali Christiani Moguntini archiepiscopi in bibliotheca Regia num. 4213. asservato.

Sacerdos post offertorium accipiens calicem & patenam, primo benedicat dicens:

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.

Tenens autem calicem cum hostia dicit: In spiritu humilitatis, &c. *Hic sumat patenam cum hostia, & crucem faciens, interim quod ponit hostiam dicit:* Sanctifica, quæsumus Domine, hanc oblationem; & præsta ut nobis Unigeniti Filii tui Corpus fiat. Amen.

Similiter ponens calicem, & cum eo crucem faciens, dicit:

Oblatum tibi calicem quæsumus, Domine, sanctifice; & præsta ut nobis Unigeniti Filii tui Sanguis fiat. Amen.

Hic cooperiat solum calicem corporali & dicat:

Veni sanctificator omnipotens æterne Deus (*Hic signet utrumque*) benedic hoc sacrificium nomini tuo præparatum.

Hic inclinans se dicit:

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, S. Johannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, qui tibi ab initio mundi placuerunt, & quorum hodie festa celebrantur, & quorum nomina vel reliquiæ hic habentur, ut illis omnibus proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris. Per.

Dum sumit incensum dicit:

Incensum istud a te benedictum, &c.

Quando thurificat sacrificium dicit:

Dirigatur oratio mea, &c. Stetit angelus, &c.

Cum redolet incensum dicit:

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris & flammam æternæ caritatis.

Hic vertat se ad populum dicens:

Orate pro me peccatore, fratres, ut nostrum sacrificium acceptum fiat omnipotenti Deo. Amen.

Sequitur Secreta. Incipiunt præfationes per annum. Osanna in excelsis.

Hic sacerdos osculetur altare, deinde signum crucifixi sive textum dicens:

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Hic inclinet ante altare, & sic incipiat canonem: Te igitur, &c. uti accepta habeas & benedicas. *Hic erigat se, & signet utrumque.* Hæc † dona, hæc † munera, hæc sancta † sacrificia, &c. Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. *Hic recitent nomina vivorum.* Et omnium circumadstantium, &c. muniamur auxilio. Per. *Hic se inclinet.* Hanc igitur oblationem, &c. grege numerari. Per. *Hic erectus signet utramque.* Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, † benedictam, † adscriptam, † ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis † Corpus. *Hic signet solam hostiam.* Et Sanguis. *Hic signet solum calicem.* Fiat dilectissimi Filii tui Domini no-

nostri Jesu Christi, qui pridie quam pateretur. *Hic levet oblatam*. Accepit panem, &c. Hoc est Corpus meum. *Hic deponat hostiam*. Simili modo posteaquam cœnatum est. *Hic elevet calicem*. Accipiens, &c. mei memoriam facietis. *Hic ponat calicem, extendens brachia in modum crucis*. Unde & memores, &c. de tuis donis ac datis. *Hic signet utrumque simul*. Hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam. *Hic signet solam hostiam*, Panem † sanctum vitæ æternæ. *Hic signet calicem*. E, calicem † salutis, &c. immaculatam hostiam. *Hic inclinet se ad dexteram*. Supplices te rogamus, &c. divinæ majestatis tuæ. *Hic erigat se, & osculetur altare dicens*: Ut quotquot ex hac altaris participatione sacro-sanctum Christi Filii tui † Corpus. *Hic signet solam hostiam*. Et Sanguinem † sumserimus. *Hic signet calicem*. Omni benedictione † cœlesti. *Hic signet se*. Et gratia, &c. in somno pacis. *Hic nominentur mortui*. Ipsis, Domine, &c. deprecamur, Per. *Hic mutet vocem*. Nobis quoque peccatoribus, &c. semper bona creas. *Hic signet utrumque*. Sanctificas, † vivificas, † benedicis, † & præstas nobis. *Hic discooperiat calicem, & sumens hostiam, faciat duas cruces super calicem, tertiam in calice, alias duas in labro calicis dicens*: Per † ipsum, & cum † ipso, & in † ipso, est tibi Deo Patri †† omnipotenti in unitate Spiritus-sancti. *Hic tangat calicem cum hostia ad dexteram partem dicens*: Omnis honor & gloria. *Hic levans ambabus manibus hostiam cum calice dicat*: Per omnia secula seculorum. Amen. *Hic ponens cooperiat utrumque corporali, dicens*: Oremus. Præceptis salutaribus, &c. Sed libera nos a malo. *Hic dicat silenter*. Libera nos quæsumus, &c. Et omnibus sanctis. *Hic osculetur patenam*. Da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, & a peccato semper simus liberi. *Hic signet se cum patena*. Et ab omni perturbatione securi. *Hic dividat hostiam in tres partes dicens*: Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus. *Hic levet calicem parum & hostiam dicens*: Per omnia secula seculorum. *Hic faciat tres cruces cum tertia parte dicens*: Pax Domini, &c. Agnus Dei, &c. *Hic mittat tertiam partem hostia in Sanguinem dicens*: Hæc sacrosancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi & omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam æternam capessendam præparatio salutaris. Amen. *Pacem daturus osculetur altare, deinde textum dicens*: Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis, &c. *Dum dat pacem dicit*: Habete vinculum pacis & caritatis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis. Pax tecum. Pax Christi & Ecclesiæ abundet in cordibus nostris. *Hic inclinatus dicit*: Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, &c. *Dum sumit dicat*: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat me, & perducat ad vitam æternam. Amen. *Ad Sanguinem*. Ave Sanguis Christi, & sanctissima Caro, in quibus salus mundi est & vita. *Dum sumit dicit*: Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat me, & perducat ad vitam æternam. *Postquam sumsit dicat*: Quod ore sumsimus, &c. *Dum facit purgationem calicis & digitorum prosequitur sic*: Corporis sacri & Sanguinis pretiosi tui Domine Jesu Christe perceptio sit peccatorum meorum remissio: & præsta, piissime Jesu, ut ibi nulla lateat macula, ubi hæc sancta & immaculata intraverunt sacramenta. Qui vivis. Perceptio Corporis & Sanguinis, &c. *Hic inclinatus ante altare, dicat*: Placeat tibi, sancta Trinitas, &c. *Hic osculetur altare, & exiens se dicat*: Trium puerorum. Benedicite. Laudate Dominum in sanctis ejus. Nunc dimittis. Trium puerorum cantemus hymnum. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. Benedic anima mea Domino. Et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Benedic anima mea, &c. Et noli. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Qui redimit de interitu vitam tuam. Qui replet in bonis desiderium tuum: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Domine exaudi orationem. Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui tribus pueris, &c. Ure igne sancti Spiritus, &c.

ORDO XVIII.

Ex alio ms. Pontificali insignis ecclesiæ Moguntinæ.

EPISCOPUS PROCEDENS AD ALTARE QUALITER SE IN EO REGAT.

EPiscopus cum jam primum processit ad altare, dicat: *Introibo ad altare Dei*. *Ps. Judica me Deus, & discerne*. Episcopus dicat: *Confitemini Domino quoniam bonus, &c.* & mitra deposita dicat: *Confiteor Deo*. Et Minister dicat: *Misereatur tui*. Episcopus: *Amen*. Minister: *Confiteor Deo*. Episcopus: *Misereatur*. Episcopus *Indulgentiam*. Minister. *Amen*. Reponatur mitra. Deinde fiunt omnia consueto modo. Et deposita mitra, episcopus dicat: *Gloria in excelsis Deo*. Quo dicto, reponatur mitra. Et conversus ad populum, disjunctis & extensis manibus, dicat: *Pax vobis*. Ministri: *Et cum spiritu tuo*. Episcopus: *Oremus*, incipiens collectam, iterum deponat mitram, & dum perventum fuerit ad *Per Dominum* mitra reponatur. Et si duæ collectæ sub eodem *Per Dominum* concludendæ fuerint; usque ad finem secundæ collectæ mitra non reponatur. Et cum ad evangelium in missa perventum fuerit, diaconus flexis genibus benedictionem ab episcopo petit, dicens: *Jube Domine benedicere*. Episcopus: *Dominus sit in corde tuo &c.* Lecto evangelio, deportetur liber ad osculum episcopi, & ipse dicat: *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta, in nomine Domini. Amen*. Post hæc episcopus incipiat: *Credo in unum*. Quo dicto, reponatur mitra, & agatur missa usque ad secretam. Ubi dicto *Oremus*, deponatur mitra, & non reponatur ex tunc usquequo dici debeat: *Et pax ejus*, ubi diaconus conversus ad populum dicat: *Humiliate vos ad benedictionem*. Clerus: *Deo gratias*. Hic episcopus, resumtis mitra, annulo & baculo, & conversus ad populum dicat benedictionem pontificalem diei competentem. Qua dicta, iterum remotis ab eo mitra, annulo, baculoque, conversus ad altare dicat: *Et pax ejus sit semper vobiscum*. Sic perficiatur missa usque ad complendam. Ubi dicta communione, episcopus reinduat chirothecas, & superposita mitra, assumtis insuper annulo & baculo, conversus ad populum, dicat: *Dominus vobiscum. Oremus*. Quo dicto, perficiat complendam tantum, mitra deposita. Postquam dixerit complendam, ante *Per Dominum* reposita mitra & missa perficiatur more consueto.

Ex eodem Pontificali insignis ecclesiæ Moguntinæ.

REGULÆ OBSERVANDÆ IN OFFICIO PONTIFICALI.

SCiendum est quod episcopus in omni officio pontificali debet portare baculum in manu sinistra, propter benedictiones per manum dexteram dandas.

Item sciendum quod in officio missæ semper debet baculus sequi librum missalem, ita ut ante evangelium in parte dextra altaris, & post evangelium in parte sinistra teneatur.

Item sciendum est, quod in officio missæ, in vesperis & in matutinis, quando episcopus prædicta officia met fecerit solemniter, sedes pontificalis ante medium altaris locanda est & cum sedendum fuerit, episcopus verso vultu ad populum super ea debet sedere. Hic est sciendum quod in missa pro defunctis numquam dicitur *Pax vobis*, nec in missa pro defunctis datur benedictio pontificalis: sed in ipsa missa fiunt omnia ad modum simplicis presbyteri.

Item sciendum est quod etiam in quacumque alia missa tantum ad primam collectam, & semel in missa dicitur *Pax vobis*.

Item sciendum quod semper ad *Gloria in excelsis*, & ad inceptionem *Credo in unum Deum*, ad textum evangelii, sive in matutinis fuerit, semper episcopus mitram deponere debet.

Item idem faciat ad *Magnificat* in vesperis, & ad *Benedictus* in matutinis.

Item sciendum quod in vesperis & in matutinis quando episcopus met facit officium, ac etiam in reconciliationibus ecclesiarum & cœmeteriorum plenis pontificalibus ipsum indui non oportet; sed tantum alba, stola & manipulo & desuper pluviali, id est cappa, pro choro in præmissis poterit contentari.

Item sciendum quando episcopus in privato & sine solemnitate missam legit, indumentis presbyteralibus contentatur.

Item sciendum quod super altare ubi episcopus in privato vel solemniter missam dicit, illa die nullus presbyter simplex desuper missam celebrare debet, nec consuevit.

Item sciendum quod episcopus circa principium canonis debet deponere chirothecas, & anulum, & mitram usque ad locum illum, *Et pax ejus sit*. Tunc pro benedictione pontificali tantum anulus cum baculo & mitra resumitur. Data benedictione usque post ablutionem, anulus removetur.

Item sciendum quod post missam, vesperas & matuti-

num, ubi episcopus usque ad finem prædictorum præsens adest, dabit benedictionem in hæc verba; *Sit nomen Domini benedictum*. Adstantes: *Ex hoc nunc & usque in sæculum*. Episcopus: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. Adstantes: *Qui fecit cælum & terram*. Episcopus: *Benedicat vos divina Majestas, una Deitas, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus*. Clerus. *Amen*.

ORDO XIX.

Ex antiquo Rituali ms. insignis ecclesiæ S. Martini Turonensis.

SI festum septem candelabrorum venerit Dominica, fiat processio in cappis sericis. Ad missam debent priores esse revestiti in albis & in cappis sericis, & debet decanus se vestire in secretario, thesaurarius in thesauro, cantor in camera, subdecanus ante secretarium, magister scholæ & cellerarius in capitolo, decano tradit cappam præpositus *de Chastelleraut*, & præpositus *de Morigney*: decano redeunte illam recipit. In capitulo se debet revestire. Ordo missæ; & debet cantare decanus missam, præpositi epistolam & evangelium legere, duo septimanarii responsorium cantare, duo præpositi vel capicerii *alleluja*. Debent esse ad missam revestiti sex diaconi simplices & præpositus, qui legit evangelium; & sex subdiaconi, quinque de tercia statione, unus de quarta, qui portat tripodum, & præpositus qui legit epistolam & portat syon loco manipuli, & duo acolythi de secunda statione revestiti in cappis, septem clericuli in tunicis portantes candelabra cum cereis omnibus revestitis usque ad chorum, debent decanum homines sui sequi, scilicet præpositi & priores; & thesaurarium septimanarii, & capicarii, & eleemosynarius.

Missa incœpta, & tropis ad terram dictis, quando dicitur *Gloria Patri*, debet Ordo venire ad altare. Primo clericuli, post acolythi, post subdiaconi, magistro subdiacono stante in medio cum textu evangelii, & ante illum juvenis, qui portat tripodum, & ante tripodum alius de tertia statione, qui portat textum epistolæ; post veniunt diaconi, magistro diacono ante presbyterum veniente. Illis chorum intrantibus, sonat classicum campanarum chori. Post sacerdos, & diaconus, & magister subdiaconus altare B. Petri osculantes vadunt ante sepulcrum dicentes ibi *Confiteor*, & missæ introitum decantantes, & *Kyrie eleison*; aliis subdiaconis altare parantibus, clericulis ante altare cum candelis & cereis hinc inde stantibus. Hoc dicto, redeunt ab altari, dicentes psalmum *Deus misereatur*: & incœpto *Kyrie eleison*, diaconi & subdiaconi & clericuli ad altare & chorum inclinantes redeunt, scilicet clericuli in chorum, & alii omnes exceptis illis qui legunt epistolam & evangelium vadunt in capitulum, & ibi diaconi vestimenta deponunt, acolythis altare B. Petri, & alia in circuitu thurificantibus & clericulis ante altare candelas cum cereis relinquentibus.

Quando cantat missam episcopus vel decanus, *Gloria in excelsis Deo* eis a cantore offertur, & aliis a succentore. Et in omnibus festis cum cappis stat magister scholæ ad formam sinistri chori, cornu habens argenteum in manu, & incipit *Rex cælorum*, cantore ei prius inclinante, quando *Gloria in excelsis* triumphatur. Quo incœpto, vadit subdiaconus in pulpito ad epistolam, sed antequam legatur, celerarius cum juvenibus revestitis & clericulis, qui ab eo vineas habent, ante altare B. Petri incipit preces, scilicet *Christus vincit*, sicut sequitur: & debet cantor eum aliis de choro & clericulis respondere. Hoc dicto, dicitur epistola, & responsorium, & *alleluja*, & sequentia. Scilicet dum legitur epistola, ille qui portat tripodium affert per chorum butam cum hostiis, retro eum acolytho cum vinageriis veniente; quibus depositis, benedictione accepta a sacerdote genuflexo, redeunt non per chorum. Et nota quod sequentia, scilicet *Adest namque* cantatur, cantor stans in medio chori versus partem incœptoris incipit eam, & quando *regens gubernansque* dicitur, facit pneumas, & quando dicitur *Jam debitas*, vertit se in aliam partem chori, pneumas faciendo, & debent venire subdiaconi ad sequentiam in sinistro choro sicut sunt revestiti.

Quando vadunt ad evangelium, primo vadunt duo clericuli portantes candelabra, & in medio major eorum portans crucem, relicto candelabro ante sepulcrum, & alii quatuor vestimenta deponunt, & candelabra in camera portant. Post clericulos vadunt duo acolythi cum incenso, post ille qui portat tripodium, post magister subdiaconus portans pulvinar, post diaconus portans textum, tradens illum subdiacono ad exitum chori. Post legitur evangelium; & dum legitur, afferunt per chorum duo subdiaconi calicem, tenentes illum ante altare B. Petri donec evangelium finiatur. Quo finito, redeunt omnes per chorum, exceptis acolythis, quorum unus per extra chorum thuribulum portat ad altare S. Briccii, & alius vestimenta deponit, illo qui portat tripodium vestimenta similiter deponente. Diaconus vero inclinans in medio chori, & veniens ad altare accipit calicem a juvene, alio per chorum cum patena redeunte; duo autem clericuli ponunt candelabra ad altare S. Briccii, alio portante crucem, ea deposita, cum candelabro in camera redeunte, & vestimenta deponente. Subdiaconus vero pulpito textum auferens, illum offert prius sacerdoti deosculandum, & post per chorum in ordine prænotato.

Sed dum *Credo* dicitur, juvenes revestiti in choro cum pane & vino offerunt offerendas, juvene quartæ stationis post alios veniente in superpelliceo, & portante offerendam cristallinam cantori cum aqua, quæ significat temperanciam, & dum coram cantore veniunt, cantor illas distribuit prioribus per juvenes, quas offerre vadunt in ordine, cantore ultimo portante post alios offerendam, quarum vinum per Syon in calicem mittitur, quibus oblatis juvenes eas vacuas de manu diaconi accipiunt, & portant in camera ordine quo venerunt, prioribus redeuntibus ad loca sua & in medio chori inclinantibus. Hoc facto, venit magister subdiaconus cum aqua, & alius tertiæ stationis ante illum cum mappa, ad manus presbyteri abluendas. Quo peracto, juvenis redit per chorum cum buta hostiarum, prius genu flexo versus terram, trahens infulam sacerdotis; & subdiaconus defert præcentori in pelvim nummos missæ oblatos, quos mittit per clericulos clericis qui *alleluja* & responsorium cantaverunt. Dum offerenda cantatur, presbyter a diacono thuribulum accipiens, altare thurificat, post tradit illud diacono, qui altare B. Martini, & alia de circuitu thurificat, & post reddit acolytho, famulo matriculariorum semper ante diaconum cum baculo præeunte. Acolythus autem diacono, & aliis de ordine missæ stantibus in presbyterio dato incenso, per chorum redit in ordine dans incensum.

Quando dicitur *Per omnia sæcula sæculorum*, unus ex clericulis revestitis, alii inclinans suadet, & offert aquam, & alius mappam ad manus diaconi abluendas. Post veniunt subdiaconi in ordine sicut prius, & stant ante altare retro diaconum donec *Sanctus* incipiatur. Quo incœpto, pars eorum vadit ad altare B. Briccii, & alia ad altare S. Gregorii. Post venit acolythus in cappa serica portans patenam, stans ad januæ ostium a parte subdecani. Post incœpto *Per omnia*, redeunt subdiaconi, & stant in ordine sicut prius, deinde tradit acolythus patenam magistro subdiacono, & ille post eam diacono, & diaconus presbytero, alter alterius humerum deosculans. Quando *Pax Domini* dicitur, inclinant subdiaconi, & redeunt omnes excepto magistro subdiacono & alio tertiæ stationis, qui remanent in sinistra parte ante cornu altaris, clericulos duos habentes ante se cereos & candelabra tenentes in manibus, quæ erant super altare S. Briccii. Quando *Pax Domini* dicitur, cantor incipit *Agnus Dei*, & *Qui sedes*, & post pacem a sacerdote accipit, & dat decano, & magistro scholæ, & thesaurario, & aliis de stallo, & de quarta statione inter se. Postea sacerdote communicante, & manus in piscina lavante, clericuli incipiunt *Agnus Dei*, & acolythus de manu diaconi vinageria accipiens per chorum redit, & post vestimenta deponit, deinde tradit diacono eos deosculando, patenam subdiacono & calicem juveni, qui stant ante eum versus altare, clericulis stantibus ante illos. Et cum *Dominus vobiscum* dicitur, vertunt se versus chorum, & post orationem redeunt, sed non per chorum; & dicit diaconus *Ite Missa est*. Post altari cooperto diaconus presbyterum per manum accipiens, ducit eum per chorum Sextam canendo, & versus clericulos inclinando.

ORDO XX.

Ex antiquo Ordinario ecclesiæ Lugdunensis, ante annos 400. manu exarata.

RITUS IN MISSA DIEBUS DOMINICIS OBSERVANDI.

DUM cantatur Tertia, subdiaconus qui cantaturus est epistolam, progreditur ad majus altare præparandum: quo præparato, revertitur ad sacrarium, pulvinar & textum supra pectus deferens. Unus cereus de dimidia libra, quem solvit thesaurarius, ponitur in pertica retro altare, qui debet ardere in missa una cum illis qui ponuntur per hebdomadam. Finita Tertia, præcentor incipit introitum mis-

missæ: quo incœpto sacerdos præcedentibus clericulis tenentibus cereos, subdiacono tenente textum evangelii, & diacono ad altare procedit. Subdiaconus vero posito texto in sinistra parte super altare, revertitur ad sacerdotem, stans in sinistra, & diaconus in dextra. Et dicta confessione sacerdos convertit se ad chorum, inclinans caput: subdiaconus vero casulam sacerdotis sublevat recte supra brachia ponendo. Post versum psalmi custos chori iterum incipit introitum, & cantatur usque ad medium, postea custos chori incipit *Gloria Patri*. Post *Gloria Patri* custos chori iterum reincipit introitum. Cantato introitu, custos chori incipit *Kyrie eleyson*. Dum cantatur *Kyrie*, custos chori vadit ad sacerdotem, qui missam celebrat, & injungit ei *Gloria in excelsis* incipiendum, postea revertitur ad chorum, & injungit canonicis ℟. *alleluja*, vel tractum cantandum. Quando *Gloria in excelsis* non cantatur in missa, custos chori dum cantatur *Kyrie* assignat ℟. *alleluja*, vel tractum prædictos. Sacerdos cantato *Kyrie*, venit ad lectreolum in dextra parte chori, & incipit *Gloria in excelsis*. Custos chori stans in medio chori dicit *Et in terra pax*. Finita *Gloria*, sacerdos iterum venit ad lectreolum ad dicendas orationes. Interim subdiaconus qui lecturus est apistolam, ascendit pulpitum, & ibi legit apistolam: Et si sit indutus casula, illam deponit, antequam pulpitum ascendat, duo canonici subdiaconi, induti cappis sericis Responsorium in pulpito, dum canonici diaconi ibidem cantant *alleluja*, vel tractum. In prima Dominica Quadragesimæ & Dominica in Palmis cantant sex canonici tractum, scilicet duo sacerdotes, duo diaconi, & duo subdiaconi. Præcentor stans in choro iterat ℟. & *alleluja* cum sequenti pneumate. Si cantetur sequentia, præcentor illam incipit. Diaconus textum evangelii tenens, accepta benedictione ab episcopo, si episcopus præsens fuerit: si non præsens, accepta benedictione a sacerdote, qui missam celebrat, præcedentibus duobus clericulis cereos tenentibus, alio thuribulum, subdiacono supra pectus pulvinar deferente & textum evangelii, ascendit pulpitum, & ibi legit evangelium. Quando diaconus & subdiaconus ministrantes in missa casulis induuntur, dum legitur evangelium, subdiaconus casula induitur. Diaconus autem habet casulam positam supra sinistram scapulam, & taliter defert eam usque ad postcommunionem.

Lecto evangelio, sacerdos incipit *Credo*, & præcentor dicit *Patrem omnipotentem*. Diaconus vero & subdiaconus ferens supra pulvinar textum apertum descendentes de pulpito cum processione prædicta ad altare procedunt. Subdiaconus defert ad sacerdotem textum, sacerdos vero deosculatur textum prædictum. Deinde defert subdiaconus textum supra pectus per circuitum chori, & vadit primo ad dexteram partem chori, postea ad sinistram.

Interim diaconus veniens ad altare in sinistra parte debet invenire clericulum tenentem calicem pertectum patena; & corporale supra altare extendit. Tunc clericulus calicem cum patena ad dextram partem altaris defert; alius clericulus affert diacono hostiam, vinum, & aquam datas sibi a custode sacrarii. Diaconus accepta hostia, ponit eam super patenam, & infundit vinum & aquam in calicem: posita hostia supra patenam, ponit dictam patenam supra calicem, & offert utrumque sacerdoti. Subdiaconus accepto supra lectreolum missale cum manutergio ad sinistram partem altaris deportat. Clericulus qui defert thuribulum, apparat thus & ignem in thuribulo, & accepta benedictione a sacerdote, ponit thus in thuribulum, & offert illud diacono: Diaconus vero offert sacerdoti. Sacerdos accepto thuribulo incensat calicem protectum corporali, altare a parte anteriori a dextris & a sinistris, & postea calicem, ut prius. Diaconus vero accepto thuribulo, dictum sacerdotem genu flexo incensat, tenens casulam manu sinistra. Postea diaconus accedit ad lac B. Virginis incensandum, sive sit in armariolo reliquiarum, sive ad altare imaginum. Deinde vadit ad incensandum reliquias, altare ubi cantatur missa pro defunctis, armariolum ubi ponuntur calices, & tumulos episcoporum, & alia loca consueta. Postea reddit diaconus clericulo thuribulum; clericulus accepto thuribulo, primo incensat diaconum, deinde defert ad præcentorem chori, postea ad decanum, & deinceps vadit per chorum incensandum, primo a dextris, postea a sinistris.

Interim alius clericulus defert sacerdoti aquam ad lavandum manus cum manutergio, sacerdos manibus ablutis ad altare progreditur ad peragendum divinum officium, & debet ei diaconus assistere. Duo clericuli cum thuribulis incensant altare, unus a dextris, alius a sinistris, dum incipitur *Sanctus* usque ad communionem. Alii duo clericuli flexis genibus retro diaconum tenent duas torchias ardentes pro elavatione. Post præfationem & *Sanctus*, clericulus accepta patena a diacono, stat retro subdiaconum, & incepta oratione *Pater noster*, usque ad illum *Et in cælo & in terra*, clericulus defert patenam ad subdiaconum, subdiaconus tenet patenam elevatam in manibus usque dum dicat, *Sicut in cælo & in terra*, & tunc defert subdiaconus patenam diacono: dum chorus dicit, *Sed libera nos a malo*, diaconus eam offert sacerdoti. Sacerdos accepta patena, & facto ex ea crucis signaculo super altare eam reponit. Postea dicit sacerdos: *Per omnia sæcula sæculorum. Pax Domini, &c.* Præcentor incipit *Agnus Dei*. Interim diacons & subdiaconus pacem a sacerdote accipiunt, subdiaconus a diacono. Diaconus descendens de presbyterio fert pacem præcentori, si sit in in dextro choro, postea decano & aliis qui in dextra parte sunt. Subdiaconus fert præcentori, si sit in sinistra parte chori, & astantibus in eadem parte, nec datur pax alicui, nisi solum personis ecclesiæ, & canonicis presbyteris.

Facta perceptione, sacerdos manus abluit, & tunc præcentor incipit communionem, & abluendo manus sacerdotis, clericuli tenentes thuribula sacerdotem incensant, postea vadunt ad præcentorem incensandum, deinde ad episcopum; & si episcopus non sit præsens, vadunt ad decanum, postea ad incensandum chorum circumquaque, unus a dextris, alter a sinistris. Diaconus accepto calice a sacerdote, dat eum subdiacono ad abluendum, desiccandum, & ponendum in armariolo; a diacono corporale replicatur, & in vasculo suo reponitur: quo reposito, dat clericulo cum patena calicis ad deferendum in armariolum. Et tunc diaconus si indutus sit casula, eam de scapula deponit, & eam induit. Sacerdos dicit orationes. Quando in missa cantatur *Gloria in excelsis*, diaconus dicit in fine missæ *Ite missa est*; si vero non sit in missa *Gloria in excelsis*, diaconus dicit *Benedicamus Domino*. Cantata missa, sacerdos, præcedentibus duobus clericulis tenentibus cereos, subdiacono & diacono, qui in missa ministraverunt, revertitur ad sacrarium.

ORDO XXI.

Ex eodem ms. Ordinario Laudunensi.

RITUS MISSÆ SOLEMNIS IN NATALI DOMINI ALIISQUE ANNUALIBUS, UT AJUNT, FESTIS,

AD missam cantor & succentor incipiunt *Puer natus est nobis*. Interim episcopus exiens de sacrario stat ante ostium presbyterii cum processione in hunc modum ordinata. Procedunt duo clericuli cum cereis, duo cum thuribulis, quatuor subdiaconi bini & bini, quinto subsequente & textum deferente. Postea quatuor diaconi bini & bini, quintus evangelium lecturus subsequitur. Et si fuerit dies Dominica, septem sunt subdiaconi, & septem diaconi, ad ultimum episcopus cum duobus sacerdotibus præeuntibus & abbate S. Vincentii. Psal. *Cantate Domino*, & dum incipitur *Gloria Patri*, sic ordinati presbyterium ascendunt, clericuli cereos deponunt, episcopus ante altare remanens cum abbate, presbyteris, diaconis & subdiaconis, in dextra & sinistra astantibus. Et dicta confessione, diaconus stans ultimus in dextro latere, primo osculatur episcopum, deinde alius in sinistro, & sic omnes in ordine deinde sacerdotes, ad ultimum abbas. Episcopus inclinato capite cum præcedentibus convertit se ad clerum, His completis, diaconi & subdiaconi procedentes recedunt, episcopus cum presbyteris & abbate ad altare progreditur. Post *Gloria Patri* cantatur Psal. *Mærenti*, Cantor *Kyrie fons bonitatis*. Dum cantatur *Kyrie*, episcopus ad episcopalem cathedram deducitur. Dicto *Kyrie*, cantor dat episcopo *Gloria in excelsis Deo*, & in fine dicitur psalm. *Sedentem*. Oratio *Concede quæsumus*. Dicta oratione, duo canonici cappis sericis induti canunt laudes episcopo, stantes juxta aliam cathedram: Et hoc ex præcepto cantoris & succentoris. Finitis laudibus, vadunt ad episcopum, & ipse dat utrique duodecim nummos bonæ monetæ. Subdiaconus ascendit pulpitum deferens librum & cochlear argenteum in sinistra, & legit epistolam: *Multifarie*. Duo subdiaconi cappis sericis induti cantant ibidem. ℟. *Viderunt*. ℣. *Notum fecit Dominus*. Interim subdiaconus remeans in chorum, inclinato capite dextrorsum & sinistrorsum, vadit pro nummis ad episcopum. Duo diaconi cantant ibidem *alleluja*. *Dies sanctificatus*. Cantato responsorio, duo primi vadunt pro nummis, similiter & alii post *alleluja*. Sequentia *Lætabundus*, Evangelium legitur in pul-

in pulpito: *In principio erat verbum*. Dum legitur evangelium, episcopus cum prædictis redit ad altare. Lecto evangelio, diaconus alta voce clamat: *Humiliate vos ad benedictionem*. Chorus respondet, *Deo gratias*. Episcopus dat benedictionem super clerum & populum. Data benedictione revertitur episcopus ad altare, & dicit *Credo in unum Deum*. Interim diaconus, cantor, & succentor & alii ministreles nummos ab episcopo recipiunt. Offertorium *Tui sunt cœli*. Duo de procedentibus subdiaconis administrent aquam & manutergium episcopo. Præfatio dicitur de Nativitate, & sic per octaves. Communio *Viderunt*. Postcommunio, *Præsta quæsumus*. Diaconus *Ite missa est*.

ORDO XXII.

Ex antiquo Rituali ms. insignis ecclesiæ Suessionensis.

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEM.

POst Tertiam pulsatur missa, quam etiam succentor in medio chori stans cum cappa de pallio incipiet. Interea supra dictus sacerdos exeat de sacrario, indutus omnibus indumentis suis cum ceroferario uno, ac thuribulo uno, subdiacono ferente evangelium, & diacono indutis dalmatica & tunica. Decantante autem choro introitum missæ, sacerdos cum ministris suis ad ascensum presbyterii expectet donec succentor incœperit psalmum super introitum. Quo incœpto, vertat se subdiaconus ad diaconum, osculumque pacis ex evangelio diaconus accipiens vertit se ad sacerdotem, porrigens ei manum suam sinistram, super quam sacerdos dextram suam ponens, statim ascendit ad altare pompatice, super quod subdiaconus mox mittat evangelium, & tunc ordinent se ante altare dicentes *Confiteor*, *&c.* Diaconus ad dextram, subdiaconus ad sinistram clericuli vero ad ascensum presbyterii redeuntes, ibi stant donec succentor incipiat *Kyrie eleison*, ceroferarius ad dextram presbyterii, reliquus cum thuribulo ad sinistrem. Incœpto *Kyrie eleison*, ponat clericulus candelabrum suum in medio duum, quæ die ac nocte sacrosancto altari accensa deserviunt: reliquus clericulus cum thuribulo redeat ad sacrarium.

Post *Confiteor* ascendat sacerdos ad altare, quod suppliciter & humiliter deosculans, cum ministris suis introitum missæ voce supplici debet repetere. Interea injungatur ei a succentore *Gloria in excelsis Deo*; quo incœpto, adsistent diaconus & subdiaconus ad dextram sacerdotis donec finiatur inter eos. Et postquam dixerit sacerdos *Dominus vobiscum*, versus ad populum, statim adsit subdiaconus ante eum, flexisque genibus, & inclinato capite, tecte infula sacerdotis, iterum surgat, incœptaque collecta, iterum ascendat in ambonem, ferens librum ad legendum epistolam. Nec prætereundum est quod ad magnam missam numquam consuevimus post primam collectam ullam aliam dicere, sicut multis in locis plures consueverunt, nisi fecerimus memoriam de festo alicujus sancti, vel octavæ, vel necessitate cogente clamaverimus ad Deum, pro pace videlicet, aut aeris serenitate, pro pluviæ postulatione, pro infirmis, pro iter agentibus, & aliis hujusmodi, pro quibus sancta mater ecclesia orare consuevit.

Post epistolam duo clericuli ℟. in ambonem, duo subdiaconi similiter cum cappis de pallio *alleluja*. Quæ dum cantantur, super quoddam altare retro magnum ministret subdiaconus diacono panem & vinum & aquam. In oblatione enim aqua miscetur vino. Per vinum significatur Christus, per aquam populus: & si vinum offertur sine aqua, videtur significari quod Passio Christi nihil profuerit humano generi. Si autem aqua sine vino, videtur significari absque Christi Passione populum salvari potuisse. Utrumque ergo miscetur simul, ut intelligatur, sine Christi passione mundum salvari non potuisse. In commixtione autem vini & aquæ dicitur a diacono hæc oratio, *Deus qui humanæ substantiæ*, *&c.* Post hæc ponat diaconus patenam cum hostia super calicem, totumque postea [a] paula mundissima tegatur. Cantantibus autem subdiaconis *alleluja* in ambone sumat diaconus evangelium, & stans ante sacerdotem, dicat *Jube domne benedicere*. Deinde sacerdos *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis ad pronunciandum sanctum Evangelium, in nomine Patris*, *&c.* Et tunc ascendat diaconus in ambonem, & ante evangelium defertur lumen cum incenso & subdiacono ferente temperalia. Post evangelium dicitur *Credo in unum Deum*, & tunc referat subdiaconus evangelium usque ad sacerdotem cum lumine & incenso, qui de libro aperto osculum pacis accipiens, dicet: *Ave sanctum Evangelium, salus & consolatio animarum nostrarum*. Et exinde cum incenso ferat subdiaconus evangelium clausum in choro, succentori & ceteris in ordine cum osculo pacis ad salutandum.

Post *Credo* dicente sacerdote *Dominus vobiscum*, prosternat se diaconus ante pedes ejus ad infulam pertrahendam. Quo facto, surgat, & abluet manus suas, atque ad mensam propositionis, ubi proposuit ea quæ ad opus sacrificii præparavit. Tunc enim summo honore afferat ea, cereo præferente usque ad sacrosanctum altare, offeratque ea sacerdoti, manum illius deosculans. Et antequam oblatio ista fiat a sacerdote & subdiacono paula adhuc plicata, tunc super altare extendatur; acceptoque calice, sacerdos gratias agens dicat: *Suscipe, S. Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus, & præsta ut in conspectum tuum tibi placens ascendat. Per Christum*. Deinde ponet sacerdos calicem super corporalem expansam, unde & statim cooperiatur.

His expletis offeret clericulus diacono thuribulum cum igne & acerram cum incenso. Quibus receptis, vertat se diaconus ad sacerdotem ponens thus in igne. Sacerdos autem dicat: *Ab ipso benedicaris in cujus honore cremaberis, in nomine*, *&c.* Tunc offerat sacerdoti diaconus incensum, manum ejus deosculans, qui accipiens illud offeret, & dicat: *Domine Deus noster, qui suscepisti munera Abel, Noe, & Aaron, & Samuel, sic & de manu peccatrice nostra suscipere digneris incensum istud in odorem suavitatis, & in remissionem omnium peccatorum nostrorum. Per*. Interea evangelium reportatum e choro ponatur a subdiacono in prospectu sacerdotis erectum super altare in facie illa quæ respicit ad Aquilonem. Oblato itaque incenso super sacrosanctum altare, & circa calicem per circuitum denotato, reddatur diacono incensarium: qui accipiens illud incenset sacerdotem, ac deinde omnia cornua altaris, & Eucharistiam sanctam, quæ super altare dependet. Interea dicat hunc psalmum: *Domine, clamavi ad te, exaudi me*. Et postea eat ad alia altaria, atque ad crucifixum, & ejus altare. In reditu vero incenset succentorem in medio chori. Et tunc reddat clericulo thuribulum, qui cum eo defert acerram in ministerio, qui & omnem chorum in ordine incenset, ac postea referat thuribulum ad sacrarium.

Interea abluat sacerdos manus suas: clericuli vero ministrent ei aquam cum manutergio. In ablutione autem dicat hanc orationem: *Largire sensibus nostris omnipotens Pater, ut sicut exterius abluuntur sordes & inquinamenta manuum, sic per te mundentur interius pollutiones mentium, ut crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum*. Cetera prosequantur sicut in missalibus inveniuntur. Et cum dixerit sacerdos *Orate fratres*, *&c.* vertat se ad chorum, qui respondeat, *Spiritus-sanctus superveniat in te & virtus Altissimi obumbret tibi, suscipiatque Dominus sacrificium de manibus tuis & de ore tuo ad utilitatem suæ sanctæ ecclesiæ*.

Præfatio nulla dicatur nisi quotidiana. Post *Sanctus* accipiat diaconus patenam super altare, & bajulet eam acolytho involutam induto palliolo serico, qui tenens eam, ita ut videri possit a clero & populo, removeat se tantum ab altari, quod diaconus & subdiaconus possint stare inter ipsum & sacerdotem. Et cum sacerdos dixerit *Per omnia*, & ceperit calicem, accedat illuc diaconus, & stans ad dextram ejus teneat pedem calicis, manus subtus ponens, quousque sacerdos illum in loco suo reponat. Deinde recedit diaconus ab altari, scapulam sacerdotis dextram deosculans & paulo post cum dixerit *Panem nostrum*, offerat acolythus subdiacono patenam: & post orationem Dominicam, & orationem *Libera nos*, offeratur diacono patena, quam & ipsa statim offerat sacerdoti, manum ejus dextram deosculans; factoque signo crucis sacerdos de patena in facie sua subdiaconus & acolythus plicent pallulam illam unde patena fuit involuta: & tunc inclinet diaconus ad subdiaconum, subdiaconus ad acolythum, acolythus ad chorum.

Interea prosequatur sacerdos usque ad communionem. Et tunc afferat diaconus vasculum, quod super altare dependet, in quo Eucharistia a Dominica in Dominicam reservatur, sacerdoti: qui accipiens illud, ponat intus hostiam nuper consecratam, & reservatam accipiat, unde & communicet. Diaconus vero reportet vasculum cum hostia recenti ad locum suum.

Nec prætereundum est quod tertium *Agnus Dei* debet clericulus incipere. Pax quoque affertur a subdiacono succentori in choro, deinde ad dextram & ad sinistram. In hora denique communionis cantet chorus communionem. Ideo enim vocatur communio, quia in hora communionis cantatur. Ad complendum itaque salutis nostræ misterium fundet vinum in calicem subdiaconus. In ablutione ma-

[a] *idest* palla.

manuum ministrent clerici aquam cum pelvibus: ablutio quoque illa mittatur in piscinam, quæ ad usum magni altaris reservatur. Diaconus ad ultimum desiccato calice, plicet corporalia & panniculos, qui ad calicis usum ornatumque pertinere videntur. Quibus expletis, cum sacerdos dixerit *Dominus vobiscum*, flectat genua sua acolythus ante eum ad casulam pertrahendam, & postea surgat, finitaque post communione, recedant e ministerio acolythus & subdiaconus, & post *Ite missa est*, accipiat clericulus candelabrum, quod a fine evangelii retro magnum altare accensum permansit, & antecedat diaconum & sacerdotem redeuntes ad sacrarium. Oratio sacerdotis antequam recedat ab altari. *Placeat tibi sancta Trinitas, &c.*

ORDO XXIII.

Ex ms. Pontificali Guillelmi Durandi Mimatensis episcopi, quod olim usui fuit insigni ecclesiæ Catalaunensi.

QUI MINISTRI ET QUÆ ORNAMENTA PONTIFICI MISSAM SOLEMNITER CELEBRANTI SUNT NECESSARIA.

CElebranti missam Pontifici necessarii sunt hi ministri, videlicet capellanus, diaconus, subdiaconus, quatuor acolythi ad minus: unus qui mitram servet, alius qui sit thuriferarius, & duo ceroferarii, & etiam alii quot necessarii fuerint cum superpelliciis servitores. Indumenta vero sibi per ordinem necessaria sunt hæc, videlicet caligæ, sandalia, amictus, alba, cingulum cum subcinctorio, quod habet similitudinem manipuli, & dependet a cingulo in latere dextro, crux pectoralis si quis ea velit uti, stola, tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta, manipulus, mitra, anulus pontificalis, cambuca seu baculus pastoralis, & pallium cum tribus spinulis aureis, si sit metropolitanus. Sunt etiam ad ejus ministerium necessaria toballia collo ejus, quando pectitur circumponenda, pelves sive bacilia ad manus lavandas, & alia toballia, quæ dum lavat ad tergendum manus super ejus gremium extenditur, faldistorium cum scabello, cussinus faldistorio supponendus, pannus de serico ad ipsum faldistorium & cussinum tegendum, tapetia ante altare, & in loco ubi se induit sternenda, & tertia toballia pulchra quæ ante eum tenetur cum procedit, & super ejus gremium extenditur quando sedet.

PONTIFICE MISSAM SOLEMNITER CELEBRANTE, QUÆ TAM AB EO QUAM A MINISTRIS AGENDA SUNT.

POntifex missam solemniter celebraturus, hora congrua ecclesiam ingreditur, & coram altari ubi celebrare debet inclinans breviter orat dicens illud psalmi lxvi. *Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea*, & alia sicut voluerit. Deinde intrat cum clericis suis vestibulum seu sacristiam vel alium locum ad se induendum accomodum præparatum, & ibi dicit Tertiam vel aliam horam, quæ secundum diei proprietatem sit ante missam dicenda. Interim diaconus & subdiaconus se sacris vestibus præter manipulos induunt, & acolythi thus, thuribulum, & prunas parant.

Dicta autem Tertia, antistes super faldistorium residens, ad orientem, vel aquilonem, aut ubi secundum loci dispositionem magis accomodum fuerit, respiciens, incipit plane antiphonam *Ne reminiscaris*, & cum clericis suis prosequatur Ps. *Quam dilecta*, & alios tunc dici solitos; & cum dicitur in psalmo *Inclina Domine*, versus ille, *Fac mecum signum, &c.* producit ante faciem signum crucis. Et interim unus de servitoribus suis accedens sibi detrahit communia calceamenta, incipiens a dextro pede, & subdiaconus genuflectens uno acolytho eum juvante calciat illum caligas & sandalia, a dextro pede similiter inchoando.

Pontifex ergo calciatus, finitis præmissis psalmis, & dicta prædicta antiphona, surgens stans junctis ante pectus manibus dicit preces solitas & orationem *Aures tuæ pietatis, &c.* & alias consuetas: quibus dictis, deponit cappam vel superpelliceum, si illud portat, remanens in camisia linea, quam semper celebrare volens, sive sit sæcularis, sive religiosus, super communes vestes habere debet. Et tunc eo iterum super faldistorium residente, diaconus tobalia circa ejus collum circumducta, pectit decenter & leviter caput ejus, vel si necesse sit capellanus ejus vice hoc agat. Quo facto, unus acolythus genuflectens aliam tobaliam super genua pontificis extendit, & pontifex detractum anulum, quo communiter utitur, porrigit capellano servandum. Et mox ipse capellanus utramque pelvem accipiens fundit aquam flexis genibus super manus ejus, assistentibus interim flexis similiter genibus, * diaconus a parte dextra, & subdiaconus a sinistra & tobaliam ipsam tenentibus hinc & inde.

Lotis itaque ac tersis manibus, diaconus imponit amictum super caput ejus sedentis, & tunc ipse facto ante se crucis signo se erigens super scabellum stans alligat amictum. Diaconus vero & subdiaconus a sinistris assistunt, induentes eum, capellano juvante, sacris vestibus juxta ordinem in præcedenti tractatu positum ab acolythis porrigendis. Et quamquam inferiores presbyteri debeant orarium in modum crucis ante pectus reflectere: in episcopo tamen decet illius capita recte anterius deorsum dependere.

Sane dalmatica induta, iterum super faldistorium residet; & acolytho chirothecas afferente, diaconus immitit primo unam in dextra manu, & postea aliam in sinistra. Semper enim ille vel capellanus eas immittere vel detrahere debent, & mox surgens induitur planeta, & pallium, si utatur, imponitur, & postea manipulus cum osculo manus. Quidam tamen tunc datum cum confessio coram altari fit manipulum imponunt, amictus quoque de capite deponitur, & circa colum aptatur; & diaconus accipiens mitram per anterius cornu cum sinistra; & per initia fimbriarum sive dependentium linearum cum dextre imponit capiti mitram. Sic enim debet semper imponi & detrahi. Et diaconus debet semper stare a sinistra parte pontificis detrahendo & imponendo. Capellanus pluviali indutus immittit ejus digito anulum pontificalem cum osculo manus, quam semper debet osculari illum immittendo, & etiam detrahendo, & generaliter quotiescumque aliquid illi porrigit & recipit ab ipso. Sed etsi pontifex longe ab altari induitur, capellanus tunc ei cum osculo manus cochlear thure porrigit, quod ille cum crucis signo in thuribulo mittit dicens: *In cujus honore cremaberis, ab illo benedicaris*. Si vero juxta altare induitur, sufficit illud demum facta confessione in thuribulo poni priusquam dicat: *Deus tu conversus, &c.* Eo itaque induto, diaconus & subdiaconus recipiunt manipulos, & etiam planetas super humeros complicatas, si tempus requirit.

His peractis, choro inchoante post introitum *Gloria Patri, &c.* Pontifex processionaliter & solemniter ad altare cum ministris procedit, in qua processione præcedit thuriferarius, & post eum duo ceroferarii, deinde subdiaconus cum libro evangeliorum, & post eum aliquis ferens crucem, post quos sequitur pontifex deducentibus eum capellano a dextris & diacono gerente cambucam in sinistra manu a sinistris, & tobaliam pulcram ante eum tenentibus. Is vero qui mitram servat, & alii clerici superpelliciis induti subsequuntur. Incipiens autem præcedere, inchoat & cum ministris prosequitur ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini. Introibo ad altare Dei.* ℣. *Judica me Deus*, qui totus dicitur cum *Gloria Patri*. Eis ergo ante altaris gradus pervenientibus, Pontifex repetit prædictum ℣. *Introibo*, & mox dicit ℣. *Confitemini Domino quoniam bonus*. Dum autem hic versus dicitur, diaconus stans a sinistris pontificis, tradens cambucam ei qui mitram servat, deponit mitram de illius capite, accipiens eam, ut præmissum est, per anterius cornu, & si necesse fuerit, complanans ei capillos cum manu, & amotam tradit ei qui eam servat, resumens cambucam. Mitra itaque deposita, pontifex mediocriter inclinatus facit confessionem, assistentibus sibi capellano a dextris, subdiacono in gradu altaris stante librum evangeliorum clausum coram illo tenente.

Illud autem notandum est, quod in præcipuis festivitatibus ad præfatos ministros superaddi potest unus de canonicis ecclesiæ, vel alius qui de mitra serviat, indutus pluviali, sicut & capellanus; & tunc ille debet pontificem cum capellano quocumque procedit, a parte sinistra deducere, & ei in faciendo confessionem in parte sinistra assistere, & semper mitram imponere & amovere, excepto quod quando primo in vestibulo mitra imponitur, hoc debet diaconus facere, & quando pontifex accesserit ad altare, tam in principio missæ, quam post evangelium, & quando redit post missam ad vestibulum, ipse debet eam amovere. Quando autem ille superadditus pontificem deducit, tunc diaconus debet immediate præcedere, & quando ipse superadditus stat juxta pontificem confessionem facientem, vel in sede sua residentem,

* l. diacono, & subdiacono.

tunc dieconus debet stare in dextra parte post capellanum. Item iste superadditus debet pontifici de sede sua surgente manus porrigere, & eum ad surgendum juvare; & dum pontifex stat ad altare, ipse debet post eum in deetra parte diaconi stare: ipse etiam tenet ac pontifici porrigit primum tersorium post communionem. Hoc etiam sciendum est, quod iste de mitra serviens utitur pluviali, & nihilominus debet esse ejus superpelliceo indutus, qui mitram amotam servet, & imponendam tradat.

Confessione facta, escendit ad altare, & procedit in missa, pro ut in nostris Constitutionibus synodalibus plenius diximus, ubi de missa tractatur, & eum osculabitur evangelium quod dici debet, tunc dicatur: *Per hos sermones S. Evangelii Domini nostri Jesu Christi Filii sui indulgeat nobis Dominus omnia peccata nostra. Amen.* Altari autem thurificato, quod semper mitra deposita fieri debet, ipso enim ante medium altaris recto stante, & manus super altare deponente, imponitur sibi mitra, sicque faciendum est quot ante altare mitram resumit.

Resumte itaque mitra, junctis ante pectus manibus, capellano & diacono eum hinc inde deducentibus, & tobaliam ante ipsum tenentibus, accedit ad faldistorium sibi ad dextrum altaris latus paratum, ibique super scabellum stans versus ad populum, facto ante faciem signo crucis, inchoat & dicit cum ministris Introitum & *Kyria eleison*. Quo dicto, sedet ad popolum respiciens, & quandocumque se ad sedendum ponit, diaconus & subdiaconus hinc inde eum coadjuvant sustentando, & tunc quandocumque sedet, unus acolythus tobaliam pulcram, quæ ante eum dum procedit tenetur, vel aliam super gremium ejus expandit.

Finito autem a choro *Kyria elaison*, diaconus vel etiam capellanus, si necesse sit, accipiens oram tobaliæ cum utraque manu, flexis genibus, coram illo extendit manus suas, & mediante ipsa toballa reverenter accipit manus episcopi, eum adjuvans ad surgendum, quod semper debet fieri, quandocumque surgit. Eo igitur surgente, si *Gloria in excelsis Deo* dici debet, reducitur ab eisdem capellano & diacono, hinc inde eum deducentibus & tobaliam ante eum tenentibus ad altare. Sic enim ab eis deduci debet quandocumque ab altari accedit ad sedem, vel sacristiam, vel ad prædicandum, vel alio, vel a sede reducitur ad altare. Eo itaque coram medio eltaris existente, mitra deposita, incipit *Gloria in excelsis Deo* juxta modum in nostris Constitutionibus tactum, & responso a cantoribus: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ipse quasi legendo prosequitur sequentia cum ministris usque in finem. Deinde mitra resumta, junctis ante pectus menibus, reducitur ad sedendum. Semper enim debet manus ante pectus jungere, quando ab altari ad sedem, vel e converso procedit, & quandocumque ad populum illum salutans se convertit.

Dicto autem a choro *Glorie in excelsis Deo*, vel si illud non debeat, finito *Kyrie eleisan*, surgit, & mitra deposita, stens super scabellum, elevatis & super populum eetensis manibus, dicit alta voce *Pax vobis*, si dici debear, vel *Dominus vobiscum*; quod dicendo jungit manus ante pectus; & mox ad orientem conversus, manibus in altum eleveris, & eepansis, dicit in eadem voce *Oremus*, & prosequitur collectas dicendas, quibus expletis, dicens in fine *Per omnia secula seculorum*, jungit manus ante faciem suam, & dicit tacite collectas, per se, vel alias pro ut voluerit. Et postee resumta mitra, versus ad populum sedet. Dum autem dicit collectas, capellanus tenet librum ante faciem ejus & collectas dicendas ei præsentat, uno acolytho eum juvante, & diacono e dexteris & subdiacono a sinistris sustentantibus ipsum.

Dum autem evangelium legitur, ipsa mitra deposita, stet super scabellum tenens in manibus dependentem tobaliam ante pectus. Quo finito, si debet popolo prædicare, immediate procedit coram altare, inclinans ibi reverenter, & breviter capite detecto orans; quo finito, diaconus rediens offert ei librum evangelii ad osculandum, & post thurificet eum, & tunc imposita sibi mitra, procedit ad locum ubi debet prædicare. Prædicatione finita, fit confessio generalis, vel per diaconum, vel per sacerdotem ministrum, populo devote genue flectente, & eadem tacite dicente. Confessione facta, concedit indulgentiam; & demum mitra sibi per diaconum deposita, facit absolutionem, dicendo clara voce, elevatis & super populum extensis manibus: *Precibus & meritis, &c. Indulgentiam, &c.* Et si velit moe benedicit populo simplieiter dicens: *Et benedictio Dei omnipotantis Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, descendat super vos, & maneat semper.* ℟. *Amen.*

His eepeditis, mitra reposite redit ad faldistorium, & stans super scabellum se ad orientem convertit, incipiens mitra deposita jueta modum in Constitutionibus traditum, *Credo in unum Deum*, si dici debeat, & responso a cantoribus *Patrem omnipotentem*, ipse eum ministris prosequitur sequentia quasi legendo. Vel si dici non debet, dicit *Dominus vobiscum*, ad populum reversus, & moe ad orientem conversus dicit *Oremus*: quo dicto, iterum reposita mitra sedet. Expleto autem *Credo* a choro, surgens elevatis & super populum extensis manibus, dicit mitra deposita, *Dominus vobiscum*. Quo dicto, mox ad orientem conversus, elevatis iterum manibus, dicit *Oremus*; & deinde resumta mitra, versus ad populum stans dicit offertorium eum ministris, & postea iterum sedet, & detractis sibi annulo pontificali & chirothecis, lavat manus dicens; *Largire sensibus nostris omnipotens Deus, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius cogitationes cordium, & crescat in nobis sanctarum virtutum augmentum. Per Christum.* ℟. *Amen.*

Deinde tersis manibus, & resumto anulo pontificali, surgens reducitur ad altare; & mitra eum pervenerit deposita, procedit in missa, & postquam thurificaverit secundum modum in nostris Constitutionibus synodalibus traditum, ubi de missa tractatur, lavat iterum summitates digitorum & labia ad dextrum cornu, dicens: *Lavabo inter innocentes, &c.*

Deinde factis cum hostia super sanguinem crucibus, dicendo verba illa *per ipsum, & cum ipse, & in ipsa, est tibi Deo Patri omnipotenti in virtute Spiritus-sancti, &c.* Hostia in loco suo reposita, diaconus calicem tegit, & immediate altare & deinde dextrum humerum Pontificis osculatur. Sed & postquam Pontifex dedit pacem * capitulo, mox ille reverenter inclinans pectus pontificis osculatur. Item quando pontifee finita ultima postcommunione ad latus altaris dicit coram medio altaris *Per Dominum nostrum*: tunc cepellanus osculatur altare, & post ejus humerum dextrum.

Ceterum dicto post *Pater noster*, *Per omnia secula seculorum. Amen.* Solemniter benedicit, ut dicetur in titulo quando & qualiter solemnis episcopalis benedictio dari debet.

In præcipuis autem festivitatibus pontifee sedet post eltare, faciens ibi quæ ipsum facere debere diximus, quando in aliis solemnitatibus ad dextrum latus sedet elteris.

Missa itaque finita, resumta mitra, deducentibus eum * capitulo & diacono cum cambuca tobaliam ante eum tenentibus, pergit ad locum ubi se exuere debet, dicendo cum ministris antiphonam *Trium puerorum* cum psalmo & precibus consuetis, præcedentibus eum duobus ceroferariis & subdiacono cum cruce. Ad locum ipsum perveniens, stat super scabellum ante faldistorium paratum; Et si pallium habet, ecolythi accipiunt spinulas pallii, & diaconus deponit ei mitram, & capellanus detrahit anulum pontificalem, quem ecolytho tradit. Deinde diaconus & subdiaconus positis tantum manipolis suis, exuunt eum omnibus vestibus sacris, acolythis recipientibus illas, & quando pallium amoeetur eb ipso, osculatur crucem pallii posteriorem. Similiter osculatur stolam & crucem pastoralem, quando sibi imponuntur, & quando amoventur ab ipso. Depositis itaque vestibus saeris, eo in camisia linea remanente, capellanus accipit pelves, fundens flexis genibus aquam super manus ejus. Lotis igitur & tersis manibus & labiis unus de famulis imponit ei cappam vel superpelliceum, si tunc utatur, & capellanus, vel alius qui servavit, restituat sibi quotidianum annulum cum osculo manus.

Finitis autem psalmis, & precibus, ac orationibus post missam dicendis, incipit & eum ministris prosequitur Sextam vel aliam horam pro tempore post missam dicendam. Et interim sedet super faldistorium, & subdieconus indutus sicut in missa fuit absque manipulo, tamen eum uno de acolythis, & detrahit ei sandalia, & caligas, & mox unus de famulis imponit ei communia calceamenta, incipientes a pede dextro, qui calceetus surgit, & horam inceptam finit. Interea vero diaconus & alii ministri se exuunt, acolythi tamen non debent superpellicea deponere donec recollegerint & complicaverint vestes sacras, & pontifee priusquam recedat, ante eltare ubi celebravit, prostratus reverenter oret. De præmissis singulis & aliis in Rationali nostro posuimus rationes.

PON-

* f. cappellano.

* f. capellano.

PONTIFEX MISSAM ALICUJUS SACERDOTIS AUDIENS QUID AGERE DEBEAT.

Pontifex missam auditurus, sacerdote parato, veniens coram altari, stare debet contra medium altaris. Sacerdos vero stat ad sinistram ejus, & incipit pontifex: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. ℟. *Qui fecit cœlum & terram*. Deinde incipit, & cum sacerdote more solito prosequitur psalmum *Judica me Deus* cum *Gloria Patri*. Quo dicto, pontifex dicit: *Confitemini Domino quoniam bonus*. ℟. *Quoniam in sæculum misericordia ejus*. Et facit confessionem & dat absolutionem. Qua data sacerdos dicit ℣. *Introibo ad altare Dei*. ℟. *Ad Deum qui lætificat*. ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. ℟. *Sit nomen Domini benedictum*. *Judicium pro peccatis meis*. Et pontifex injungit illi *Pater noster* vel *Ave Maria*, vel aliud. At sacerdos idipsum, vel aliud pontifici; & mox pontifex accedit ad sedem suam & postea sacerdos dicit: *Deus tu conversus*, & alia quæ dicenda sunt.

Sane pontifex in ingressu missæ post confessionem ponit cum signo crucis thus in thuribulo sibi allato dicens: *In cujus honore cremaberis, ab illo benedicaris*. ℟. *Amen*. Et ante evangelium, dicens: *Odore cælestis inspirationis accendat Dominus corda & corpora nostra ad audienda, & implenda evangelii sui præcepta*. ℟. *Amen*. Et post offertorium, dicens: *Per intercessionem B. Michaelis archangeli, &c.* Et tunc sacerdos has benedictiones dicere non debet. Ceterum dum introitus inchoatur & repetitur, producit episcopus ante faciem signum crucis. Et sacerdote inchoante *Gloria in excelsis Deo*, debet episcopus jungere devote manus ante pectus, ad cælum oculos elevando, & dum collectæ & postcommuniones dicuntur, debet accumbere ad orationem super faldistorium, quod semper quando missam audit coram se debet esse paratum, & junctis manibus devote accumbens manere. Item lecta epistola, nisi sit missa pro defunctis, qui eam legit, ferens librum in quo eam legit ante pectus clausum, debet genuflectere coram episcopo; ipse vero dextra manu super librum posita, quam ille reverenter osculetur, mox illi benedicit. Hoc tamen quidam non servant, nisi quando episcopus celebrat. Item sacerdos evangelium lecturus inchoans episcopo petit benedictionem dicens: *Jube domne benedicere*. Ille vero producens super eum signum crucis dicit: *Dominus sit in ore tuo, &c.* Item evangelio lecto, nisi sit missa pro defunctis, acolytho thuribulum afferente, ab uno ex canonicis thurificatur; & mox idem canonicus restituto thuribulo acolytho, vel prior aliquis, vel abbas, si adsit, librum evangeliorum apertum præsentat pontifici ad lectum evangelium dicit: *Pax Christi, quam vobis per evangelium suum tradidit, confirmet & conservet vos in vitam æternam. Amen*, producens ante faciens signum crucis. Et si dicitur *Credo in unum Deum*, dum dicitur ibi: *Et Homo factus est*, debet devote flectere genua; dum vero dicitur *Crucifixus etiam*, & generaliter quandocumque de cruce vel passione fit in divinis officiis mentio, debet ante faciem producere signum crucis, & prædicat, si velit, & demum facta confessione generali concedit indulgentiam, prout in capite præcedenti dictum est.

Item sacerdos aquam in calicem missurus, urceolum manu levans, & Pontifici ostendens, dicit *Benedicite*: Et ille benedicit dicens: *Ab illo bene † dicatur, cujus Spiritus super eam ante mundi exordium ferebatur*. Post hæc sacerdos patenam cum hostia superposita collocat super calicem: & se ad pontificem vertens calicem & patenam simul elevatis manibus illi ostendit dicens: *Benedicite*. Ille vero benedicit dicens: *Bene † dictionis & consecrationis angelus virtute sanctæ Trinitatis descendat super munus*. Quo facto, sacerdos totum super altare deponit, & postea offert primo hostiam cum patena, & postea calicem cum vino & aqua, & solito more in missa procedit. Item semper episcopus offert aliquid ad manum sacerdotis, & immediate facit sibi coram facie signum crucis. Item sacerdote se ad populum volvente & dicente *Orate fratres*, vel *Obsecro vos fratres*, tunc Pontifex voce submissa dicit: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua; ipseque tuus pius & misericors adjutor exauditor existat. Mittat tibi auxilium de sancto. Et de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque ecclesiæ suæ sanctæ*. Et hoc dicendo accumbit ad orationem, orans devote junctis manibus, donec sacerdos sumserit sacramentum. Ubi quando Corpus Domini elevatur; quia tunc surgens genuflectit in terra ante scabellum devote parum incurvatus, adorato Christi Corpore: & mox ter tonso pectore, terram vel scabellum post depositam hostiam osculatur. Et deinde adorato sanguine, & deposito calice facit signum crucis ante faciem suam, & tundit semel pectus, & iterum accumbit, & nisi quando recipit pacem; quia tunc similiter se erigit. Dicto itaque *Agnus Dei*, aliquis de honorabilioribus canonicis, vel abbas, vel prior aliquis, si adsit, recepta pace a sacerdote, defert episcopo, inclinans illi prius reverenter, vel genuflectens coram illo, & recipiendo pacem dicit: *Pax Christi & Ecclesiæ sit semper vobiscum*. Et respondet ille: *Et cum spiritu tuo*. Et statim pace recepta, iterum accumbit intuens reverenter, capite revelato, Corporis & Sanguinis sumptionem. Postquam autem sacerdos perfundere cœpit, surgens ab accubitu, sedet donec sacerdos dicat *Dominus vobiscum*. Et illo incipiente postcommunionem iterum accumbit usque ad finale. *Per Dominum*.

Item semper missa finita, si non sit pro defunctis, benedicit dicens: *Sit nomen Domini benedictum, &c.* Et mox sacerdos sacris vestibus indutus, accedit junctis manibus ad episcopum, & osculatur manum illius, Et ille benedicit ei. Tunc ille rediens ad altare incipit, si velit, *Salve sancta parens, &c.* quibus dictis, pontifex, si velit, dicit Sextam vel Nonam. Omnibus autem expletis dicit: *Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace*. Et mox dicit tacite *Pater noster*. Quo dicto, dicit: *Dominus nos bene † dicat, & ab omni malo defendat: & ad vitam perducat æternam*, faciendo interea ante faciem signum crucis,

QUANDO EPISCOPUS MISSAM PRO DEFUNCTIS CELEBRAT QUÆ OBSERVARI DEBENT.

Circa missam, quam Pontifex solemniter celebrat pro defunctis, hæc consideranda sunt, quoniam postquam diaconus post offertorium thurificaverit pontificem & altare, nullus alius thurificari debet. Item epistola & evangelium non debent tunc in ambone seu in altiori pulpito legi, sed in ipso presbyterio prope altare. Item lecta epistola, subdiaconus non venit ad reverentiam & osculum manus; sed lecto evangelio, fertur episcopo liber evangeliorum ad osculandum. Quidam tamen non osculantur, sed quando missam alterius audit, tunc non defertur ei liber ad osculandum. Item dum evangelium legitur, stans ad dextrum cornu manet altaris. Item postquam dixerit *Agnus Dei*, non debet dicere illam orationem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis*, nec osculari altare, nec pax datur. Item non debet tunc solemnis benedictio dari. Item cum in hac missa debeat omnis solemnitas cessare, ideo quidam pontifices in ea sandaliis non utuntur, sed solum mitra simplici & baculo pastorali.

QUANDO, UBI, ET QUALITER LAUDES SIVE ROGATIONES SEQUENTES DICUNTUR.

Laudes sive rogationes sequentes dicuntur in præcipuis solemnitatibus, videlicet in diebus illis in quibus pontifex sedet post altare, quod fit hoc modo: Precentor cum quatuor bonis cantoribus & cum totidem pueris bene cantantibus immediate post *Kyrie eleison*, incipit post altare alta voce *Christus vincit*, *Christus regnat*, *Christus imperat*, & chorus respondet idem in eodem tono. Et cantores *Gloria nostra*. Chorus *Christus vincit, &c.* Et immediate Pontifex incipiat *Gloria in excelsis Deo*.

Quando GLORIA IN EXCELSIS DEO *dicendum sit vel non*.

Gloria in excelsis Deo non dicitur in prima Dominica adventus, nec in sequentibus Dominicis usque ad festum Nativitatis Domini, neque in Dominica septuagesimæ, neque in sequentibus Dominicis usque ad Pascha. In aliis vero Dominicis totius anni dicitur, Non dicitur etiam in festis in quibus dicuntur novem psalmi & tres lectiones tantum, quæ veniunt in præmissis temporibus, licet tunc dicatur *Te Deum laudamus*. Alio vero tempore sic. In ecclesia tamen Mimatensi, cui auctore Deo præsidemus, dicitur tempore adventus quando dicuntur IX. psalmi, & tres lectiones. Non dicitur etiam in quatuor temporibus, nec in vigiliis in quibus jejunium celebratur, nec in missa pro defunctis, nec in missis jejuniorum, nec in missis quæ dicuntur pro quacumque tribulatione vel afflictione, nec in diebus profestis, nec quando celebratur in honore B. Virginis, vel S. Spiritus, vel S. Crucis in diebus profe-

professtis. In ecclesia tamen Mimatensi, in qua ex institutione quolibet sabbato, quo aliud festum non occurrit, fit solemne officium in honore B. Virginis, dicitur tunc *Te Deum laudamus* & *Gloria in excelsis*, præter quam in præmissis temporibus adventus & septuagesimæ. Idemque observatur ibi quando in feria V. fit officium de B. Privato, cujus corpus in ipsa ecclesia requiescit, alio festo tunc non occurrente.

Dicitor autem in feria V. Cœnæ Domini, si tunc Chrisma conficiatur, & in dedicatione ecclesiæ, & in anniversario festo dedicationis ecclesiæ, sive in adventu, sive in septuagesima evenerit, & in sabbato sancto, & in sabbato Pentecoster, licet tunc jejunetor, & in sabbato ipsum festum proxime sequante, licet tunc sint quatuor tempora. Et generaliter dicitur omnibus diebus solemnibus a Nativitate Domini usque ad septoagesimam, excepto festo Innocentium, nisi illud in Dominica die occurrat, & a Pascha usque ad adventum, & quandocunque in matutino officio dicitur *Te Deum laudamus*, & in omnibus festis duplicibus, & IX. lectionum, sive in tempore adventus, sive in septuagesima, sive quocumque alio tempore evenerit, & hoc secundum ordinem Romanum. Nam secundum Ordinem ecclesiæ Mimatensis non dicitor a Septoagesima usque ad Pascha, nisi solum in festivitatibus B. Mariæ, & in suprascriptis diebus. Dicitur & in octavis illarum festivitatom, in quibus dicitur octavas habentium, qoando fit officiam de octava, etsi in plerisque ecclesiis non fiat.

Quando debet dici PAX VOBIS.

EPiscopus in Pontificalibus solemniter celebrans debet dicere ad populum versus *Pax vobis* statim post *Gloria in excelsis*, quandocumque dicitur, *Gloria in excelsis*. Et quando illud non dicitur, nec istud debet dici.

Quando CREDO IN UNUM DEUM *dicatur*.

CRedo in unum Deum dicitur in omnibus Dominicis diebus, etsi tunc de festo aliquo missa fiat. In omnibus festis Domini, scilicet in Nativitate, in Epiphania, in Cœna Domini, in Pascha, in Ascensione, in Pentecoste, in Transfiguratione, in festo de Trinitate: in omnibus festis B. Mariæ, & Angelorum, & Apostolorum. In festis vero B. Lucæ & Marci Evangelistarum dicunt quidam non debere dici, quoniam Apostoli non fuerunt. Ecclesia tamen Mimatensis dicit. Dicitur autem in dedicatione ecclesiæ, & in anniversario festo dedicationis ecclesiæ, & in octava, & in festo omnium Sanctorum. Dicitur etiam in octava & infra octavam Epiphaniæ, Paschę Ascensionis, Pentecoster, Apostolorum Petri & Pauli, Assumtionis & Nativitatis B. Mariæ. Dicitur quoque in octavis SS. Johannis Baptistæ, & Laurentii, licet in eorum festivitate non dicatur. In quibusdam tamen ecclesiis dicitur in festo ipso S. Johannis Baptistæ: & bene. Quidam etiam dicunt in singulis diebus a Pascha usque ad Pentecosten. Item quidam dicunt illud in festo Magdalenæ, & S. Martini, & in principali festo cujuslibet ecclesiæ, seu oratorii non tamen in octavis illorum. Non dicitur autem quando in diebus profestis celebratur in honore B. Mariæ vel S. Crucis, vel S. Spiritus, vel hujus.

QUANDO ET QUALITER SOLEMNIS BENEDICTIO EPISCOPALIS DARI DEBET.

SOlemnis episcopalis benedictio dicitur, & datur ad missam in Dominicis diebus, in festivitatibus Domini, B. Mariæ, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, in dedicationibus ecclesiarum & altarium, in anniversario dedicationis eorum, in consecrationibus episcoporum, & benedictionibus Virginum, in ordinibus Clericorum, & in aliis solemnitatibus; quod fit hoc modo: Nam post orationem Dominicam dicto *Per omnia sæcula sæculorum*, & responso a choro *Amen*. Pontifex subsistit, & tunc particulam hostiæ, quam inter digitos super os calicis tenet, super patenam cauta deponit; & mox inclinans reverenter junctis manibus Corpori & Sanguini Domini, patenam cum omnibus hostiæ particulis calici superponit, & totum simul cum palla corporali decenter operit, & post mitram resumit. Sane dum hæc fiunt, statim dicto *Per omnia sæcula sæculorum*, & responso *Amen*, diaconus ad populum conversus cambucam in manibus tenens, dicit alta voce *Humiliate vos ad benedictionem*. Et chorus respondet *Deo gratias*. Vel in majoribus sollemnitatibus regentes chorum, vel aliqui alii ante gradus per quos ascenditur in presbyterium constituti, statim responso *Amen* cantant alta voce *Princeps ecclesiæ pastor ovilis, tu nos benedicere digneris*. Tunc diaconus ad illos versus tenens cambucam in manibus dicit cum mansuetudine & caritate: *Humiliate vos ad benedictionem*. Quo dicto, totus chorus dicit humili voce clamantes, atque dicentes: *Deo gratias semper agamus*. Quibus dictis, pontifex mitratus convertit se ad populum ante medium altaris: tunc capellanus minister a dextris ejus, & diaconus tenens cambucam in sinistra manu a sinistris inclinat se profunde versis dorsibus ad altare. Subdiacono coram episcopo librum benedictionum apertum tenente, pontifex vero manibus in altum extensis imponit cubitus suos super scapulas dictorum ministri & diaconi, inchoans benedictionem solemnitati congruentem, pro ut in libro benedictionum per nos ordinato habetur, prosequens illam in tono solito usque in finem. Cum autem pervenerit ad locum illum: *Et benedictio Dei Patris omnipotentis*, producit signum crucis super populum in meridionali parte ecclesiæ manentem: Dicendo vero *Et Filii*, producit illud coram se super populum in parte occidentali constitutum: Et dicendo, *Et Spiritus-sancti*, producit a parte aquilonari. Quo facto & dicto, manus & cubitos reducit ut prius. Dictis autem verbis illis, *Descendat super vos & maneat semper*, mox jungit ante faciem suam manus, sicque manibus junctis revolvitur a parte dextra ad altare: & statim mitra deposita, diaconus vel ipse amovens pallam corporalem desuper calice, & inclinans Corpori Domini, reverenter reponit patenam cum particulis hostiæ super altare in pristino loco, resumtaque illa hostiæ particula, quam prius, super os calicis iterum reductam dicit in pristino tono: *Et pax ejus; &c.* Quod dicendo facit solito more in fundo calicis tres cruces cum particula ipsa; & dicens *Fiat commixtio &c.* dimittit illam in calice & missam solito more prosequitur. Has autem benedictiones ecclesia Romana non habet in usu; sed in fine missæ dicunt: *Sit nomen Domini benedictum, &c.* Quando vero hæc solemnis benedictio datur, tunc non est necesse in fine missæ iterum solemniter benedici. Sed quando episcopus solemniter audit altius missam, ipse semper in fine missæ, & etiam post vesperas, & post matutinum benedicit dicens: *Sit nomen Domini benedictum, &c.*

Quando dicitur, ITE MISSA EST.

ITe missa est semper dicitur, quando dicitur *Gloria in excelsis Deo*. Et quandocumque *Gloria in excelsis* non dicitur; tunc dicitur *Benedicamus Domino*, præterquam in agenda defunctorum.

QUIBUS COLORIBUS IN DIVINIS OFFICIIS SIT UTENDUM.

IN divinis officiis albo colore utandum est in festivitatibus confessorum, virginum, quæ martyres non sunt, angelorum, Beatæ Mariæ, Omnium Sanctorum. Et sic servat ecclesia Romana: quidam tamen tunc rubris utuntur: & non male, S. Johannis evangelistæ in principali ejus festo, Conversionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, a Vigilia Natalis Domini usque ad Octavas Epiphaniæ inclusive exceptis festivitatibus martyrum intermediis, in Nativitate S. Johannis Baptistæ, in Cœna Domini, a Sabbato sancto in officio Missæ usque ad octavas Ascensionis inclusive, quandocumque officium de tempore illo agitur, præterquam in diebus Rogationis, & præterquam in diebus festis martyrum intermediis. In Dominicis diebus quæ sunt intra octavam Epiphaniæ & Septuagesimam, & inter Pentecosten & Adventum. In Dedicatione ecclesiæ, & altaris, & in anniversario Dedicationis ecclesiæ & altaris, in consecratione Pontificis, quando missa fit de consecratione. Cum propter pontificis consecrationem non consuevit officium missæ mutari, utendum est indumentis secundum quod conveniunt proprietati ipsius diei: quamvis ipse qui consecratur semper albo colore utatur: in octavis præmissorum festorum octavas habentium qoando agitur de octavis.

Rubeo colore utendum in solemnitatibus apostolorum, evangelistarum, martyrum, præterquam in festo Innocentium, ut jam dicitur: In festis SS. Crucis. Nonnulli tamen asserunt & non male, tunc albis utendum esse. A vigilis Pentecostes in missa usque ad sabbatum sequens ipsum festum inclusive, in Decollatione S. Johannis Baptistæ, in festivitate ejus qui simul est martyr & virgo, in festo Omnium Sanctorum secundum quosdam, ut præmissum est in octavis præmissorum festorum octavas habentium, quando agitur de octava.

Nigro

Nigro colore utendum feria sexta in Parasceve, in diebus efflictionis, & abstinentiæ pro peccatis, in Rogationibus, & in processionibus, quas Romanus Pontifex facit in orbe nudis pedibus, in missis pro defunctis, e prima Dominica Adventus usque ad vigiliam Nativitatis, e Dominica Septuagesimæ usque ed sabbatum Paschæ, in festo Innocentium quando illud eatra Dominicam occurrit. Si vero in Dominica, tunc rubro est utendum, quamquam nonnulli in ipso festo semper rubro indistincte utantur. In octava autem ejusdem festi semper rubro est utendum.

Violaceo colore uti in diebus, in quibus est usus nigri coloris inconveniens non est: unde Romana ecclesia utitur violaceo colore a Dominica prima Adventus usque ad missam vigiliæ Natalis Domini inclusive, e Dominica Septuagesimæ usque ad officium vigiliæ Paschæ exclusive, quandocumque in ipsis temporibus fit officium de tempore, excepta feria v. Cœnæ Domini, in qua albo, & feria seata in Parasceve, in qua nigro utitur. Sed nec in festivitatibus Sanctorum, quæ in dictis temporibus veniunt, nigris vel violaceis est utendum. Et est sciendum quod in Sabbato sancto in toto officio quod agitur ante missam utendum est nigro vel violaceo colore, hoc excepto quod diaconus cereum benedicens, & subdiaconus sibi ministrans albo colore utuntur: qua benedictione cerei completa, diaconus remota dalmatica planetam nigri vel violacei coloris assumit, & tenet usque dum missæ officium inchoetur; subdiaconus vero vestes non mutat. Nonnulli etiam in Dominica Ramis Palmarum albis utuntur in processione in ramorum benedictione dum evangelium legitur, & dum *Gloria laus* cantatur. Ecclesia tamen Romana tunc semper violaceo colore utitur, Quidam in festo Ypapantis in processionem quæ fit ante missam utuntur violaceo vel nigro colore. Romana quoque ecclesia violaceo colore utitur. In quatuor temporibus Septembris, in vigiliis SS. in quibus est jejunium, quando missa de vigilia, in diebus Rogationum, in missa quæ dicitur in die S. Marci de officio letaniæ.

Viridi vel croceo colore utendum est in diebus ferialibus & communionibus inter octavas Epiphaniæ, & Septuagesimæ, & inter Pentecosten, & Adventum, quando Dominicale agitur officium, nec est incoveniens etiam in Dominicis illorum temporum illo uti. Rationes autem de præmissis singulis in nostro Rationali patte 3. poteris reperire.

QUANDO BACULO PASTORALI ET SANDALIIS SIT UTENDUM.

Baculo pastorali & sandaliis pontifex utitur quandocumque in pontificalibus & solemniter celebrat, & quandocumque mitra utitur, baculo utitur. Quando vero illa non utitur, nec baculo uti debet. In missa quoque pro defunctis, & quando erit ebsolvere in cœmeterio, de more quorumdam ecclesiarum mitra simplici & baculo utitur; & bene. Sandaliis vero uti non debet, quia tunc omnis solemnitas cessare debet.

QUIBUS DIEBUS SIT MITRA AURIFRISIATA VEL SIMPLICI UTENDUM.

Mitra aurifrisiata utendum est in toto tempore paschali, in omnibus Dominicis a Pascha usque ad Dominicam primam Adventus exclusive, & a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam exclusive, in omnibus festis duplicibus & ix. lectionum totius anni, in festo S. Marci in officio tantum, in feria v. majoris hebdomadæ in officio missæ tantum, in Sabbato sancto in officio missæ tantum, & generaliter quandocumque *Gloria in excelsis Deo*, & *Te Deum laudamus* dicuntur. In aliis vero temporibus regulariter non aurifrisiate, sed simplici & albi coloris mitre utendum, videlicet a Dominica prima Adventus inclusive usque ad Natale Domini. Romanus tamen pontifex utitur aurifrisiata in Dominica *Gaudete*. A Septagesima usque ad Sabbatum sanctum excepta feria v. majoris hebdomadæ, ut præmissum est, nisi quod Romanus pontifex utitur aurifrisiata in Dominica *Lætare Jerusalem*: quamvis tunc indumentis violacei coloris utatur, & in festis 3. lectionum. Et in omnibus vigiliis quibus jejunium celebratur, in quatuor temporibus, in Rogationibus, in officio defunctorum, in festo Innocentium, quando illud eatra Dominicam occurrit. Et nota quod quando pontifex causam populi apud Deum agit, ut quando illum salutat, & quando ad altare oraturus accedit, & quando in altari assistit, & quando vota & orationes ad Deum effundit, baculum & mitram deponit. Quando vero causam Dei populo allegat, ut quando ad populum se convertit, ut illi prædicet vel benedicat, prædicta insignia communicationis resumit. Generaliter autem quotiescumque pontifex episcopalia exercet, mitra uti debet.

QUIBUS DIEBUS METROPOLITANUS PALLIO DEBET UTI.

Usus pallii metropolitano est generaliter interdictus. Potest autem illo uti in diebus qui in suæ ecclesiæ privilegiis continentur. In festivitatibus Natalis Domini, S. Stephani, S. Johannis evangelistæ, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ramis palmarum, Cœnæ Domini, Sabbati sancti, in tribus diebus Resurrectionis Dominicæ, Ascensionis, Pentecostes, S. Johannis Baptistæ, B. Mariæ, Angelorum, Omnium Sanctorum, Apostolorum, S. Martini qui fuit par apostolis, in principali festo ecclesiæ pallio decoratæ, in Dedicatione ecclesiæ vel altaris, in anniversario Dedicationis eorum, in consecrationibus episcoporum, in ordinationibus clericorum, in anniversario consecrationis palliati. Quidam addunt dies Dominicos, quod tamen in usu non est, & festum cujuslibet sancti, cujus corpus in sua provincie requiescit, si tunc illuc declinare contingat. In exsequiis defunctorum, vel in benedictionibus nubentium, vel quando benedicit abbates vel abbatissas vel moniales non licet uti, nisi id in privilegio suo continetur expressum. Et notandum quod metropolitanus non potest uti pallio eatre suam provinciam, nec etiam intre eam nisi infra ecclesiam, & in divinis officiis. Unde si forte personaliter, vel ad prædicandum, vel ad aliquid hujusmodi eum ecclesiam eaire contigerit, cum pallio non exibit. Si quis autem renunciat archiepiscopatui, ulterius pallio nequit uti. Sed & palliatus ad aliam ecclesiam translatus non potest ibi uti pallio in priori ecclesia obtento, & cum pallio in secunda ecclesia sibi concesso sepeliendus est. Nec potest quis uti pallio prædecessori suo concesso. Prius tamen quam in metropolitam pallium susceperit, non debet concilium convocare, chrisma conficere, clericos ordinare, pontifices consecrare, ecclesias dedicare, nec se archiepiscopum nominare.

ORDO XXIV.

Ex ms. Ordinario insignis ecclesiæ Bajocensis.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Finita processione, induitur sacerdos incipiens *Introibo*, & prosequitur cum suis ministris usque *Pater noster*. Diaconus & subdiaconus casulis, sed sacerdos more sacerdotis; alii autem suas in parte aliqua * non levantes. Officium iteratur ,...... Cum autem inchoatur *Gloria Patri*, defert subdiaconus textum apertum ad deosculandum sacerdoti; & sic, quoties fit cum festo duplici .... post hoc procedit sacerdos cum ministris ante altare, & dicit sacerdos vel episcopus ibi accedens ad eosdem, *Et ne nos*. *Confitemini Domino*. Sequitur *Confiteor*. Quo dicto, absente episcopo, versus altare omnibus inclinatis, convertant se sacerdos & diaconus cum ceroferariis ad plebem, & dicat sacerdos *Absolutionem*, *&c.* Subdiacono interim sacerdotis casulam flexis genibus coram eo versus terram trahente & osculante. Dehinc omnibus versis iterum ad altare, episcopus si celebret, osculetur primo diaconum, postea subdiaconum: postea accedunt ad altare: episcopo, si præsens est & non celebret, ad sedem suam redeunte. Subdiacono igitur in sinistra parte altaris, & diacono in parte deatra constitutis, ipsi adornent altare debitis indumentis: sacerdote interim officium quod sibi incumbit prosequente. Deinde conveniant omnes tres ad deatrum cornu altaris, & dicent introitum missæ & *Kyrie eleison*.. Et decantato a choro, conversus sacerdos cum diacono ad populum dicit *Dominus vobiscum*: subdiacono procedente, & flexis genibus limbum casulæ versus terram protrahente & deosculante. Et sic per omnem missam. Item quoties sacerdos in missa convertit se ad populum, & diaconus similiter convertit se præterquam in fine orationis ultimæ post communionem; tunc enim procedit ipse ad casulam sacerdotis, & facit sicut modo diximus de subdiacono. Sequitur oratio: *Excita, quæsumus Domine*. Finita collecta, sedenti in cathedra sacerdoti offert puer unus manutergium pulchrum & mundum, & flexis genibus ponit illud super genua, & deosculatur genu ejus. Item dum dicit sacerdos collectam, eanit se subdiaconus casula

retro

* *f.* nonnihil.

retro altare, & sumens epistolarium vadit, & inclinato capite versus altare procedit in majus pulpitum, ubi super angulum legitur epistola quoties fit cum festo: & archichori vadunt similiter in pulpitum. Qui archichori, lecta epistola, incipiunt Graduale ... Lecta epistola *Scientes quia hora*, regreditur subdiaconus, & veniens coram episcopo, si præsens est, genuflexus petit benedictionem, dicens: *Benedicite*. Et episcopus signans eum, dicit: *Benedictus tu, & sermo oris tui, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*. Tunc si præsens est episcopus, & non celebrat, vadit ad sinistram partem altaris, & ibi deponit librum, in quo ipse epistolam legit, alioqui antequam petat benedictionem a sacerdote deponit librum, ut dictum est, & tunc mittit parvum pulpitum super cornu altaris sinistrum, & ponit missalem super illud. Et si præsens non fuerit episcopus, vel si præsens fuerit, & celebret, vadit ad eum, vel ad alium sacerdotem, qui celebrat & petit benedictionem, ut prædixi, & deosculatur genu ejus. Quo facto, ipse lavat manus, pueris altari assistentibus ministrantibus sibi aquam & manutergium. Postea portat ipse solemniter super altare benedictum corporalia non nuda, sed panno ad hoc debite involuta, & sensim deponit ea, & ibi relinquit ea nuda, quæ dum sic deferuntur, debent omnes ad altaria inclinare paululum assurgendo. Pannum vero in quo erant involuta dimittitur in sinistra parte altaris, & tunc regreditur ad locum ubi sumsit ea, & denudatis calice & patena, & attentius mundatis, linteaminibus etiam quibus erant involuti, seorsim positis involutis, ministrans ponit super patenam panes tres, si fuerit Dominica; aliis vero diebus unum tantum, nisi necesse fuerit plures poni. Deinde mittit in calicem vinum & aquam: Sic de aqua ne vinum colorem amittat vel saporem. Quo facto, patena calici superposita, cooperiat totum sindone ad hoc dedita, & totum offerat de loco in quo ipse stat benedicendum sacerdoti sive episcopo, si præsens fuerit. Et post reponat totum in loco ubi prius erat calix, & resumta casula, sedeat juxta diaconem.

Dum autem cantatur sequentia, diaconus deposita casula & plicata, resumat eam more stolæ suæ; & tunc lavet manus suas & extendat corporalia super altare more consueto. Pueris illis ministrantibus in eum cochlear, & ignem in thuribulo, ipse flexis genibus coram sedente in cathedra sacerdote, sumensque in cochleari de incenso dicit *Benedicite*, & signans sacerdos benedicat dicens: *Ab ille benedicaris in cujus honore cremaberis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*. Tunc ponat ipse diaconus thus in igne, & surgens accipiat librum evangeliorum, & vadat ad cornu altaris, & elevans decenter librum versus caput suum dicat: *Jube domne benedicere*. Surgens igitur sacerdos, det signans de loco suo benedictionem, dicens: *Dominus sit in corde tuo, &c.* Si autem præsens fuerit episcopus, extensis corporalibus, ut prædixi, sumit subdiaconus etiam pulviner & textum evangeliorum, & præcedentibus coram ipso cerofer. & thurif. subdiacono & diacono, dat ipse benedictiones, ut dictum est. Tunc vadunt ordinate ad majus pulpitum, subdiaconus pulvinar, & diaconus textum clausum deferentes. Legitur evangelium: *Cum appropinquasset Jesus, &c.* super aquilam, & similiter in omni missa cum festo.

Incipit sacerdos in omni Dominica: *Credo in unum Deum*. Tunc regrediuntur de pulpito, textum apertum super pulvinar subdiacono bajulante. Ut autem ante altare perventum fuerit, incensat diaconus sacerdotem, & subdiaconus porrigit ei evangelium ad deosculandum. Primo autem eodem modo traditur episcopo, si est præsens. His gestis, procedant diaconus cum texto clauso, & puer ante eum ferens thuribulum cum incenso in chorum. Et puer primo incensat archichorum ex parte decani, & tunc datur ei textum ad deosculandum. Inde intrat stalla altiore ex parte decani post introitum stalli sui, & similiter incensatur, & deosculantur textum secundum ordinem in quo sedent omnes quotquot inveniuntur in illis stallis procedendo a stallo decani usque ad stallum episcopi: quo peracto omni, eodem modo & ordine incensantur & deosculantur textum, primo archichorus, & deinde omnes qui sunt in stallo superiori ex parte cantoris usque ad stallum thesaurarii. Et nota quod textum datur deosculandum sacerdotibus apertum, ceteris vero clausum. Hoc completo redeunt ad dextrum cornu altaris subdiaconus, & puer thuriferarius antecedent.

Cantando igitur offertorium *Ad te levavi*, vel etiam dum adhuc cantatur, acolythus transverso pallio præindutus afferat ibidem subdiacono calicem solemniter, sicut ipse subdiaconus illum diviserat sindone supertectum: quem subdiaconus discooperiens, reverenter accipiat in manibus cum suis ...... manipulum, patenam oblata. Quoniam eadem diaconus accipiat de manu ejus cum suo similiter manipulo, & tradat eam sacerdoti. Tandem subdiaconus sumens de manu acolythi calicem cum sindone, ipso acolytho deosculante manum ejus, tradat eum diacono dicens totum, & osculatur ipse subdiaconus manum diaconi. Tunc procedens acolythus, stet ante majus candelabrum. Recipiens igitur calicem cum syndone tradit illum sacerdoti dicens totum, & osculatur manus ejus. Tunc sacerdos signans calicem accipiat sine sindone, & ponat eum in loco debito. Deinde diaconus accipiens patenam cum sindone tradat eam subdiacono, qui deosculans manum ejus cum sindone accipiat eam, & tradat eam acolytho, ubi ipse stat, parte sindonis superposita ipsi patenæ, & parte alia eamdem procegente, & osculetur acolythus manum ejus in recipiendo. Tunc calice a sacerdote incensato primo ter in modum crucis, deinde ter in circuitu, incensata etiam parte altaris anteriori, ab eodem sumens diaconus thuribulum de manu ejus, incensat ipsum sacerdotem ter, & post flexis genibus attrahit versus terram limbum casulæ ejus anteriorem, & surgens incenset capsas quæ super altare sunt, deinde ipsum altare in parte sinistra, deinde in parte dextra, deinde armariolum in quo Corpus Domini reponitur, postea altare Beatorum Raveni Rasiphi, & SS. reliquias prope altare existentes. Et fit hujusmodi incensatio in omni missa, & illa aguntur. Si sint qui offerant, recipiat sacerdos oblationes, & post lotis manibus prosequatur officium missæ, diacono retro eum, & subdiacono retro stantibus: & dum convertit se sacerdos ad populum serviat ei subdiaconus sicut ante primam collectam. Secreta *Hæc sacra nos, Domine*. Dum autem incipit primum *Per omnia*, puer ad hoc deditus incenset primo diaconum, deinde subdiaconum, & postea acolythum cum patena ter: & sic ad omnem missam. Et si sit festum duplex cum quatuor cappis, incensant bini, & postea totum chorum ordine quo dictum est superius, excepto quod ceroferarii non incensantur ad missam, nisi steterint in choro cum aliis, quando vero sine si ... numquam incensatur chorus.

Cum igitur perventum fuerit ad *Sanctus*, procedunt diaconus & subdiaconus ad cornu altaris dextrum, & ibi cum sacerdote dicant *Sanctus, &c.* usque in finem. Postea diaconus lotis manibus suis revertatur ipse & subdiaconus ad loca sua in quibus stabant prius. Et videat ut sit promptus vertere folia missalis, cum opus fuerit, & juvare sacerdotem in quibus potuerit & sibi licuerit .... Videat etiam diaconus ut cum sacerdos venerit ad illum locum: *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, sit juxta latus ejus dextrum; & cum dixerit sacerdos *& præsta nobis*, sublevet ipse diaconus duobus digitis dextrum corporalis, quo calix tegitur, donec sacerdos resumet illud, & iterum cooperiat calicem. Tunc osculetur diaconus dexterum humerum sacerdotis & postea altare, & sic redeat ad locum suum.

Dum igitur sacerdos incœperit *Pater noster*, & dixerit *Sicut in cælo & in terra*, retro recedat subdiaconus, & capiat de manu acolythi patenam discoopertam cum sindone, & osculetur acolythus manum ejus, & eat retro altare. Ferat itaque subdiaconus sic patenam ad diaconum; quo accipiente eam, osculetur subdiaconus manum ejus: sed & similiter eat diaconus ad dextrum latus sacerdotis, & tenens in alto patenam, cum petierit tradet eam sindone retenta, & osculetur manum ejus. Tunc diaconus sindonem plicatam more consueto deponat in parte sinistra altaris, reverso subdiacono ad locum suum.

Cum dixerit sacerdos, *Pax Domini, &c.* inchoatur *Agnus Dei*, ab eo cujus interest .... diacono & subdiacono procedentibus ad altare, sicut processerunt ad *Sanctus*, & juvent sacerdotem in prosecutione *Agnus Dei*: quo ter dicto ab eis, redeat uterque ad locum suum. Post igitur *Agnus Dei* terminato in choro succinente hora debita procedat diaconus ad dextrum cornu altaris, & dum obtulerit sacerdos recipiat pacem ab eo, & det episcopo, si est præsens: deinde in dextro ostio gradum in introitu chori det ipse pacem congregatis ibidem, primo rectori chori ex parte decani, deinde alii ex parte alia, & postea revertens det subdiacono, & subdiaconus circumstantibus. Tunc autem det aliquis ex pueris ministrantibus altari librum apertum osculandum diacono, & postea feminis si aliquæ sunt præsentes, pueris autem non datur pax. Archichori ergo, pace recepta a diacono, ferant pacem, unus decano vel ei qui fuerit propior sedi ejus in stallo superiori; alius autem det similiter cantori, &c. Si fuerint quatuor archichori, duo primi dent subarchichoris & duo archichori decano & cantori, subarchichori cancellario & thesaurario. Postea incipiat cujus interest *Agnus Dei*, secundo & tertio communionem:

Acoly-

Acolythi est in omni missa ministrare in altari sacerdoti vinum post communionem, & tunc detinere urceolum vinarium protecta manu sua pallio quo eum indui jam prædixi. Hac ministratione peracta, reponat ipse acolythus urceolum in armariolo, & procedat sicut est indutus pallio ad cornu altaris sinistrum, & stet ibi. Diaconus autem ferat missalem & manutergium super dextrum cornu ipsius altaris, subdiacono pulpitum super quod erat missale amovente, qui statim redeat ad partem sinistram altaris inter sacerdotem ipsum & acolythum & stat ibi. In omni Dominica autem dum communicat sacerdos, sumat diaconus sindonem in sinistra parte altaris repositam, & duobus ceroferariis præcedentibus efferat in pyxide alte cum magna reverentia Corpus Dominicum de loco suo super dextrum cornu altaris: quo sumto a sacerdote, & ab ipso repositis duabus hostiis innovatis, referat diaconus cum eadem solemnitate pyxidem cum Corpore ad locum ubi prius erat, & postea sindonem in sinistrum altaris, & ipse stat ibi inter sacerdotem & subdiaconum.

Celebrata igitur communione, & expiatione facta, lotis etiam manibus sacerdotis, pueris qui in altari serviunt aquam sibi & manutergium ministrantibus reverenter, diacono vero interim corporalia replicante, & eadem loco suo reponente, tradita etiam ab eodem patena nuda acolytho, qui eam recipiat cum reverentia inter manus suas cum pallio quo induitur, & tradito per eumdem calice cum suppositis corporalibus subdiacono, qui ea recipiat manibus suis sindone sæpe dicta protectis, sinistre ejus ipsi calici supposita, dextre vero tam calicem quam corporalia protegente, dicant & ipsi inter se communionem. Tunc diaconus casula sua se induit, sicut prius, & redeat: & tunc cum sacerdos dicturus *Dominus vobiscum* se convertit puer thuriferarius habens adhuc manutergium, quo sacerdos tersit manus suas, super humerum suum, flexis genibus coram ipso trahat versus terram oram casulæ, & osculetur eam, & interim procedant subdiaconus cum corporalibus & calice, acolythus cum patena, & diaconus ante altare in eodem gradu, uno ceroferario ad dexteram diaconi, & altero ad sinistrem acolythi stantibus, tenentibus candelabra cum candelis accensis. Et cum sacerdos cum facta conversione dixerit *Oremus*, subjungat postcommunionem *Suscipiamus Domine misericordiam*. Et tunc procedant primo ceroferarii, deinde subdiaconus & acolythus ad locum ubi calix & corporalia reponi consueverant: & reponat subdiaconus calicem primo, & patenam super illum, & postea corporalia super patenam cum reverentia & honore, prius bene tersis & munde involutis pannis ad hoc deditis, tam calice quam patena, & omnia sindone supradicta optimo protegantur, ita tamen quod pars ipsius sindonis pedi calicis superponatur. . . . . His gestis ante altare redeat subdiaconus ad locum suum, & ceroferarius unus ad dexteram, & alius ad sinistram, in ordine subdiaconi. Et dum sacerdos post ultimam postcommunionem, si plures dicantur, vertet se ad populum, procedat diaconus, & serviat ipsi sacerdoti sicut de acolytho nuper diximus. Et surgens stet ad dextrum cornu altaris, & dicat *Benedicamus Domino*, vel *Ite missa est* . . . . Peractis missæ solemniis, redeat in sacrarium, præcedentibus ceroferariis, quos sequantur diaconus, & subdiaconus, & sacerdos diaconum.

ORDO XXV.

Ex antiquis Cartusiensium Statutis parte 1. cap. 43.

DE OFFICIO SACERDOTIS, DIACONI, ET SUBDIACONI.

SAcerdos missam celebraturus quando ad præparandum se accedit, ad gradum altaris flexis genibus dicit, *Pater noster*: Deinde induitur in ecclesia non assistente conventu: cum conventus adest induitur in vestiario: casula tamen semper foris induitur, excepto primo die Nativitatis ad primas duas missas, & prima Paschæ & Pentecostes, & Cœna Domini. In diebus quoque jejuniorum post preces dum *Miserere mei* dicitur, casula induitur; inclinatusque ad sinistrum cornu altaris dicit orationem, & facit confessionem: in festis vero casula induitur cum dixerit *Benedicamus Domino* post orationem quam dicit ante librum ad dextram partem altaris.

In missis matutinalibus indutus sacerdos, dum pulsatur ad missam, expectat donec ultimus adesse possit, nec non priorem, nisi nimiam moram faciat. Deinde stans ad sinistrum cornu altaris, inclinatur ad confessionem.

Die itaque Dominico sacerdos tempore congruo ad ecclesiam reversus induitur . . . . Diaconus cum incipiunt psalmos *Memor esto*, intrat vestiarium, cuculam induit, & redit ad sedem suam. Cum ultimum *Sicut erat* dicitur, surgit sacerdos, & finita antiphona, vertit faciem ad orientem, dicit capitulum, & inclinat, præparat altare, juvante diacono, & iterum inclinat, redit ad sedem suam ad dicendas preces. Dum preces dicuntur, diaconus ponit missale super dextrum cornu altaris, & portat thuribulum ad lectorium, & candelas accendit. Cum dicitur *Pro omnibus nobis bona facientibus*, surgit sacerdos ad dicendam orationem: qua finita, juvante diacono induit casulam, & diaconus redit ad sedem suam.

Stant autem sacerdos ad sinistrum cornu altaris juxta lectorium, ubi semper a celebratore fit confessio, versa facie ad cathedram, jungit manus, inclinatur ad confessionem. Qua facta, inclinatus junctis manibus, dicit ante faciem altaris orationem Dominicam: deinde osculatur altare, signat se, & accedens ad librum dicit vel auscultat introitum in dextro cornu altaris. Ibidem, &c. *Gloria in excelsis*, ad quam non expandit manus, &c. *Dominus vobiscum* dicit. Si vero aliquid secrete vult dicere ad altare, sic submisse dicat, ne chorus audiat vocem ejus.

Finitis orationibus, & posito missali in sinistro cornu altaris, inclinat in medium altaris & redit ad sedem suam. Cum positurus est incensum in thuribulum, surgit; mittendo nihil dicit. Diaconus præparato thuribulo, lecturus evangelium, inclinans de gradu altaris, ab episcopo, si adsit, alias a sacerdote petit benedictionem, quam sacerdos talem dat: *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut recte nobis pronuncies evangelium pacis*. Vel ita: *Corroboret Dominus sensum tuum, & labia tua, ut recte nobis pronuncies evangelium pacis*. Qua dicta vertit se ad orientem, sic manens donec ipse & alii se signaverint. Tunc enim vertit se ad evangelium. Dum tamen *alleluja Veni sancte Spiritus* dicitur, non vertit se ad orientem donec finiatur.

Cum evangelium finitur, accedit ad medium altaris, & inclinat: ubi semper incipitur *Credo in unum Deum*, & dicitur *Dominus vobiscum* ante offertorium.

Quando diaconus lecturus evangelium accipit stolam, data sibi benedictione, adjuvante eo qui defert thuribulum in diebus festis; in ceteris vero juvante sacerdote, ponit stolam super humerum sinistrum, & per dextrum latus receptam involvit pro manipulo in sinistra manu, osculatoque altari legit evangelium. Quo lecto, si præsens sit episcopus, statim sacerdos dicit *Dominus vobiscum*, vel incipit *Credo in unum Deum*, inclinato interim Diacono sub gradu altaris: quo facto, fertur episcopo liber ad osculandum, deinde fertur sacerdoti; postea ipse diaconus osculatur; quod numquam facit, nisi post sacerdotem. Non præsente episcopo, sacerdos nihil dicit, donec oblatus sibi fuerit liber ad osculandum. Quando pro defunctis cantatur, non fertur liber episcopo, nisi ipse celebret. Cum *Credo in unum Deum* non dicitur, stamus omnes donec libro ab episcopo osculato, diaconus gradum ascenderit altaris. Cum *Credo in unum Deum* non dicitur, surgit diaconus ad ministrandum cum ultima collecta incipitur. Cum *Credo in unum Deum* cantatur, tunc præparat oblationem; & dum dicitur: *Et Homo factus est*, flexis genibus ad gradum altaris sumit veniam, & nos prosternimur terram osculantes. Quod numquam hac vel alia causa fit a sacerdote, dum stet ad altare; sed stans osculatur altare.

Deinde oblatione præparata, mox aquam dat sacerdoti diaconus ad manus abluendas, & corporalia tradit. Cumque finito *Credo in unum Deum* dicitur *Dominus vobiscum*, stat diaconus ad dextrum cornu altaris, tenens calicem, quem, dicto *Oremus*, offert sacerdoti, osculans manum ejus. Et dum offerenda cantatur, diacono fundente aquam in calicem, dicit sacerdos: *De latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis & aqua in remissionem peccatorum*. Quo dicto, vertit se cum calice superposita patena, cum hostia, ad episcopum, si adest, ut signet: moxque oblaturus dicit: *In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur a te, Domine, & sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie, & placeat tibi, Domine Deus*. Et faciens crucem cum ipso calice dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen*; ponit eum super corporalia; dispositisque hostiis seu hostia, si plures non sint, & patena suis locis ut oportet, & calice cooperto, mittit incensum in thuribulum, quod accipit de manu diaconi qui osculatur manum ejus, & tenet casulam ne impediat thurificantem. Tunc sacerdos dicto: *Dirigatur, Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*, thurificat semel super calicem in modum crucis dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*. Et postea semel in modum

dum cornu: deinde ad crucem semel, semel ad dextrum, semel ad sinistrum cornu, ter ante faciem altaris: & reddito thuribulo diacono, lotisque digitis & extersis, ac præparato missali, expectat donec diaconus qui interim altare circuit, terque ad crucem & ad Corpus Domini thurificat, ad gradum revertatur altaris. Quo reverso, vertit se ad populum dicens in silentio: *Orate, fratres, pro me peccatore ad Dominum Deum nostrum*. Tunc diaconus trahit ei sinistra manu casulam, & dextre thurificat. Quo dependente post altare, vel sub gradu altaris thuribulum, sacerdos incipit secretas dicens: *Oremus* & cetera, non præmisso *Domine exaudi*.

Sacerdos in canone, quantum vitare potest, moram non debet facere tædiosam: & sciendum quod quot collectas dicit audiente conventu, tot tantummodo dicit secretas, & eodem ordine. Dicta prima secreta dicit: *Per Dominum nostrum*, & cetera usque ad *Amen* quod non dicit: Deinde non præmisso *Domine exaudi*, sed *Oremus*, incipit secundam. Finiens extremam levat manus, sed cum dicit: *Per omnia sæcula sæculorum*. Sciendum vero est quod orationes quæ ad vesperas & laudes sub una clausula dicuntur, ut Fabiani & Sebastiani & similium, sub una etiam clausula dicuntur ad missam tam collectæ, quam etiam secretæ & completæ.

Per totum autem canonem missæ tenet sacerdos manus levatas & expansas usque fractionem hostiæ, nisi cum se inclinat ante faciem altaris, vel cum chartham vertit, aut forte manutergium sibij necessarium assumit. Tunc enim jungit digitos illos quibus hostiam tenuit, vel tenere debet.

Dicta præfatione, inclinatur sacerdos ante faciem altaris, & dicit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & cetera, *Te igitur* & cetera usque *benedicas*. Tunc erigit se, & facit cruces sicut dispositæ sunt in missali. Ad *Qui pridie quam pateretur*, cum dicit: *Accepit panem*, accipit hostiam utraque manu, elevat parum, & suo loco benedicit. Si autem plures sint hostiæ, dicendo *Benedixit*, uno signaculo signat tam ipsam quam tenet, quam ceteras. Dicto autem *Hoc est Corpus meum*, elevatur hostia, ita ut possit videri, & pulsatur campana uno ictu aut pluribus in missis tantum conventualibus. Porro in elevatione hostiæ, si stantes oramus, ad terram prosternimur, sicut quando dicitur: *Et homo factus est*, nec surgimus donec calix deponatur. Idem facimus quando super formas oramus. Sciendum vero quod si duæ sint hostiæ, eam quæ a dextris est tractamus: si tres, eam quæ in medio: si plures, ut in Pascha & in Pentecoste, & Natale Domini, dividimus eas hinc inde, & eam, quam debemus recipere in medio collocamus.

Ad *Simili modo* cum dicitur *Accipiens & hunc præclarum calicem*, accipit calicem utraque manu, elevat parum, primum retractis paulisper corporalibus & restrictis inter digitos & oram calicis, ne decidant; dicto *Gratias agens*, deponit, sed manum sinistram non removet. Facta autem cruce ad *Benedixit*, iterum resumit utraque manu calicem, & elevat parum, elevatum tenet usque *unde & memores Domine*.

Quotiens post consecrationem tenet hostiam, ea deposita, excutit digitos super calicem, ne forte de ipsa hostia aliquid in eis inhæserit. Ad *Supplices te rogamus*, cancellatis ita quod sinistra inferior sit, inclinatur ante faciem altaris, & dicens: *Quotquot ex hac altaris participatione*, osculatur altare semel, & erectus locis suis signat Corpus, Sanguinem, & seipsum. Dicens: *Nobis quoque peccatoribus*, & in silentio sicut cetera, vertit manum ad pectus, tangit illud semel, ita quod sonitus non audiatur. Ad *Per quem hæc omnia, Domine*, factis sicut dispositum est in missali primis tribus crucibus, discooperit calicem, ponensque manum sinistram super pedem calicis, & dextra accipiens hostiam, facit cruces super calicem, dicens: *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso*. Facta autem tertia cruce, & remanente manu cum hostia super calicem, jungit & sinistram, tenensque utraque manu hostiam & calicem dicit, *Est tibi Deo Patri*, &c. Dicens: *Per omnia sæcula sæculorum*, levat calicem & hostiam; cum dicit *Amen*, deponit utrumque. Dicendo *Oremus*. *Præceptis salutaribus*, cooperit calicem, ad *Libera nos*, cum dicit *& intercedente beata & gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria*, patenam accipit. Dicens *Et beatis apostolis tuis Petro & Paulo*, signat se cum patena, cum qua tangit hostiam dicens *Da propitius*. cum dicit *pacem*, pacem accipit de patena: dicens *ut ope misericordiæ tuæ adjuti*, levat hostiam super patenam: cum dicit *& a peccato simus semper liberi & ab omni perturbatione securi*; discooperit calicem, accipit hostiam, non tamen per medium, ponitque minorem partem cum dextra manu super patenam; dicens *qui tecum vivit & regnat Deus*, frangit per medium portionem alteram, & partem, quam sinistra tenet, cum eadem manu deponit in patenam. Dicendo *in unitate spiritus sancti*, utraque manu tenet tertiam partem & calicem, & levat eam parum dicendo *per omnia sæcula sæculorum*, deponitque calicem cum respondetur *Amen*. Tenens manum sinistram super calicem ac dicendo *Pax Domini sit semper vobiscum*, de prædicta parte facit tres cruces infra ambitum calicis, ipsam, cum respondetur *Et cum spiritu tuo*, deponens in Sanguinem. Cooperto vero calice, & osculato altari, dat pacem diacono; & inclinatus ante faciem altaris dicit orationem *Domine Jesu Christe fili Dei vivi*. Qua finita, Corpus accipit de patena, nec reservat umquam de Sanguine diacono. Sumto etiam Sanguine, sacerdos omni tempore statim primam sumit ablutionem, nullo intervallo interjecto.

Interim vero diaconus post *Agnus Dei*, sumtam a sacerdote pacem fert priori, & ei qui in sinistro choro primum tenet locum, & laicis ad ostium chori; infirmo autem, si est ad ostium ecclesiæ, fert eam monachus vicinior illi. Quo facto, regressoque diacono, prostrati in terram oramus, Diaconoque in festis vel dominicis diebus communicato, statim surgimus, licet unus vel plures communicaturi sint. Primo surgente qui incepturus est *Agnus Dei*, quod statim non incipit donec ultimus communicatus sit. Diaconus autem de quocumque sit choro, semper data pace, vel cum dicitur *Agnus Dei* cum pax non accipitur, ad locum servitoris in dextro choro reveniens, orat prostratus, donec finita perceptione, ministret sacerdoti. Diebus vero Dominicis sumta venia a dextro latere altaris, diaconus hostiam quæ precedente Dominica servata est super patenam deponens, & alteram pro illa integra in capsula reponens, & capsulam in loco suo restituens, dum prædicta hostia genibus flexis communicat ad dextrum cornu altaris. Quicumque vero & quandocumque capsulam ubi est Corpus Domini accipit, accipiendo retro altare sumit veniam. Similiter & in occurentibus super hebdomadam solemnitatibus candelarum, de integra hostia diaconus communicat, exceptis sanctorum Stephani, Johannis, Innocentium, & tribus diebus Paschæ & Pentecostes. Tunc vero scilicet infra hebdomadam, non mutatur hostia quæ est in capsula. Si tamen propter infirmum fracta fuerit, mutare licebit, Communicaturus autem diaconus ad gradum altaris genua flectit, ubi omnes genua flectimus, quando vel omnes, vel aliqui communicamus. Ante quem etiam gradum, & *Flectamus genua*, & *Humiliate capita vestra*, & *Benedicamus*, & *Ite missa est*, quando *Gloria in excelsis* dicitur, idem diaconus pronunciat, & diebus quibus venia sumitur, veniam accipit post missam. Ibidem veniam accipit qui fallit in evangelio legendo.

Cum sacerdos aqua digitos abluit, incipitur *Agnus Dei*. Diaconus bis casulam trahit, scilicet cum post offertorium dicitur *Orate fratres*; & cum post communionem dicitur *Dominus vobiscum*. Omni tempore quo missa cantatur, ipse qui sacerdotem adjuvat sive communicet, sive non, accipit calicem, vino lavat, & sumit tantummodo quando communicat: alias vinum dimittitur in sacrarium, & calix sicut in aliis missis revecsatur super patenam.

Finita missa, statim sacerdos inclinatus ante faciem altaris dicit orationem: *Placeat tibi sancta Trinitas*, &c. vel incipit horam, si statim cantanda est in conventu. Qua incœpta, prædictam dicit orationem. Cum autem post missam dicitur nudum officium, non dicitur in eo *Sanctus*, neque *Agnus Dei*, nec se vertit sacerdos ad populum cum dicit *Dominus vobiscum*. Denique peractis omnibus, depositis sacerdotalibus vestibus ad gradum altaris flexis genibus dicit *Pater noster*.

ORDO XXVI.

Ex ms. missali Fiscamnensis monasterii ad usum ecclesiæ Rotomagensis ab annis circiter 400. exarata.

INCIPIT OFFICIUM MISSÆ.

Sacerdos induat se roqueta, dicens:

Oremus.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando preveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio & a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per.

Postea lavet manus, dicens:

Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.

Postea

Postea discooperto altari & præparato, administret super patenam, & vinum & aquam in calicem, dicat:

De latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis & aqua pariter in remissionem peccatorum.

Item ponendo de aqua, dicat:

Commistio vini & aquæ pariter fiat. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Postea induat se amictu, dicens:

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo.

Postea induat se alba, dicens:

Indue me, Domine, vestimento salutis, & tunica justitiæ circumda me semper.

Postea cingat se, dicens:

Præcinge, Domine, cingulo fidei & castitatis lumbos cordis & corporis mei.

Postea ponat manipulum in manu sinistra, dicens:

Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Postea ponat stolam super collum suum & super pectus ejus, dicens:

Indue me, Domine, stola: jucunditatem & exultationem thesauriza super me.

Postea accensis luminaribus, accipiat casulam cum duabus manibus, & stans ante altare, induat se dicens:

Indue me, Domine, veste nuptiali.

Postea incipiat antiphonam.

Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Psal.* Judica me Deus *totum psal.* Gloria Patri. Sicut erat. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Ego reus & indignus sacerdos confiteor Deo cæli, & Beatæ Mariæ Virgini, & omnibus sanctis ejus, & vobis fratres & sorores, quia ego miser peccator peccavi nimis contra legem Dei cogitatione, locutione, tactu, visu, verbo, mente, & opere, & in cunctis aliis vitiis meis malis, Deus, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideo deprecor te, piissima Virgo Maria, & omnes Sancti, & Sanctæ Dei, & vos fratres & sorores, ut oretis pro me miserrimo peccatore apud Dominum Deum nostrum omnipotentem, ut ipse misereatur mei.

Clerici respondeant: Misereatur tui, &c. *Sacerdos respondeat:* Amen. *Postea dicat:*

Per gratiam Sancti Spiritus Paracliti, & per intercessionem B. & gloriosæ semper Virginis Mariæ, & per merita Beatorum Apostolorum tuorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum & Sanctarum, misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet & confirmet vos in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum, & spatium veræ pœnitentiæ, & emendationem morum, & vitæ gratiam & consolationem S. Spiritus, cor contritum & vere pœnitens, munditiam mentis & corporis, perseverantiam in bonis operibus, vitam bonam, & exitum bonum tribuat nobis & vobis omnipotens Pater, pius & misericors Dominus. Amen.

Deus tu conversus vivificabis nos.
Et plebs tua lætabitur in te.
Ostende nobis Domine, misericordiam tuam,
Et salutare tuum da nobis.
Sacerdotes tui induantur justitiam.
Et sancti tui exultent.
Ab occultis meis munda me, Domine,
Et ab alienis parce servo tuo.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aufer a nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum mereamur puris mentibus introire. Per.

Conscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster Jesus Christus cum omnibus sanctis paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum.

Deinde osculetur altare: postea aperiat librum, & ad locum ubi imago Christi est respiciat cum devotione, dicat:

Antiph. Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum. ℞. Omnis terra adoret, Deus, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.

Oremus.

Perpetua, quæsumus Domine, pace custodi, quos per lignum sanctæ crucis redimere dignatus es, Salvator mundi. Qui cum Patre & Spiritu-sancto vivis.

Et osculetur pedes crucifixi. Postea dicat:

Adjutorium nostrum in nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.

Tunc incipiat officium missæ.

Sequitur benedictio incensi.

Benedicite. Deus. Ab illo sanctificeris, in cujus honore cremaris. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

Benedictio ad legendum evangelium.

Diaconus dicat: Jube, Domine, benedicere.

Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ad pronunciandum sanctum evangelium pacis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Sacerdos post offertorium tenens calicem in manibus suis cum pane, vino, & aqua, elevatis sursum oculis, dicat orationem sequentem, & oratione dicta, collocet super altare diligenter. (a)

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionisque Domini nostri Jesu Christi, & in honore B. Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, & illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Quando celebratur pro defunctis dicitur oratio sequens:

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum famularumque tuarum N. & omnium in Christo quiescentium, ut requiem æternam dones eis inter sanctos & electos tuos, ut in illorum consortio vita perfruantur æterna: quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit. [b]

Post ablutionem manuum, dicat sacerdos:

In spiritu humilitatis, & in animo contrito, suscipiamur a te, & sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie, & placeat tibi Domine Deus.

Hic erigat se dicens;

Domine Deus omnipotens, bene † dic & sancti † fica hanc oblationem ad laudem & gloriam nominis tui præparatam, & parce peccatis populi tui, & aufer a me iniquitates meas, & exaudi orationem meam.

Quando sacerdos vertit se ad populum dicit:

Orate, fratres & sorores, pro me miserrimo peccatore ut meum ac vestrum pariter in conspectu Domini sit acceptum sacrificium.

Clerici respondeant:

Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. (c)

Pro defunctis.

Orate, fratres & sorores, pro cunctis fidelibus defunctis, ut habeant vitam & requiem sempiternam.

Clerici respondeant:

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

(*Sequitur præfatio & canon, in quo post tertium* Agnus Dei, *hæc leguntur.*)

Hic mittat partem hostiæ in calicem, dicendo:

Hæc sacrosancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi & omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam capescendam æternam sit præparatio salutaris. Amen.

Hic detur pax. Postea dicatur oratio ad Patrem.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc Corpus & Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita digne sumere, ut merear per hoc remissionem omnium peccatorum meorum accipere, & me Sancto-Spiritu repleri: quia tu es Deus, & præter te non est

(a) In alio missali ecclesiæ Rotomagensis: *Elevatis sursum oculis, primo dicat:* Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Oremus. Suscipe sancta Trinitas, &c.

(b) In alio missali: *Deinde dicat totum hymnum:* Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, &c. *Post ablutionem manuum, &c.*

(c) Aliud missale: Spiritus-sancti gratia illuminet cor tuum & labia tua, & accipiat Dominus hoc sacrificium de manibus tuis digne pro nostra omniumque salute.

Alia Responsio: Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. *Vel alia:* Spiritus-sanctus superveniat: &c.

alius, cujus regnum gloriosum permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, &c.

Hic sumat Corpus Domini.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus & animam meam in vitam æternam. Amen.

Hic sumat Corpus & Sanguinem.

Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sint mihi in remissionem omnium peccatorum meorum in vitam æternam. Amen,

Hic administret se.

Perceptio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi & omnibus sumentibus salus mentis & corporis in vitam æternam,

Postea dicat.

Quod ore sumsimus pura mente capiamus, & de Corpore & Sanguine Domini fiat nobis remedium sempiternum. (*d*)

Placeat tibi sancta Trinitas, &c.

ORDO XXVII.

Ex ms. missali Fiscannensis monasterii, annorum 300.

Sacerdos se praeparans ad missam cantandam dicat ad manus abluendas;

Oratio.

Concede mihi, omnipotens Deus, ita manus lavare, ut puro corde possim Dominicum Corpus & Sanguinem tractare, qui vivis in Trinitate Deus. Per omnia.

Post manuum ablutionem oratio.

Largire sensibus nostris, omnipotens Pater, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic interius a te mundentur pollutiones mentium, & crescat in nobis sanctarum augmentum virtutum. Per.

Ad amictum.

Concede, Domine, galeam salutis capiti meo ad expugnandas & superandas diabolicas fraudes. Per.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, & tunice justitiæ circumda me. Per.

Ad cingulum.

Præcinge me, Domine, cingulo fidei, & virtute castitatis lumbos corporis mei, & extingue in eis humorem libidinis. Per.

Ad stolam.

Redde mihi, Domine, obsecro stolam immortalitatis quam perdidi in prævaricatione primi parentis; & quamvis indignus accessi cum hoc ornamento ad tuum sanctum mysterium; præsta, quæso mihi, ut cum eo sine fine merear lætari. Per.

Ad manipulum.

Da mihi, Domine, manipulum in manibus meis, ad extergendas sordes cordis & corporis mei, ut sine pollutione tibi Deo omnipotenti merear servire. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ad casulam.

Indue me, Domine, vestimento humilitatis, & da mihi protectionem contra hostem insidiantem, ut valeam puro corde laudare nomen tuum gloriosum in sæcula sæculorum. Amen.

Ad altaris accessum cantet psalmum cum sequenti antiphona: Judica me Deus. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juveniutem. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.

Preces.

Ego dixi, Domine, miserere mei. Sana animam meam quia peccavi tibi.

Converte nos Deus salutaris noster. Et averte iram tuam a nobis.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos. Quemadmodum speravimus in te.

Sacerdotes tui induantur justitiam. Et sancti tui exultent.

Protector noster aspice, Deus. Et respice in faciem Christi tui.

Exurge, Domine, adjuva nos. Et libera nos propter nomen tuum.

Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio. Aufer a nobis, Domine, iniquitates nostras, &c.

Actiones nostras, &c.

Cum autem pervenerit ad altare humiliter vultu dimisso in terra, dicat:

Oratio.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ, Domine Deus, reus adsisto; & non sum dignus accedere ad altare ad invocandum nomen sanctum tuum, & sacrum mysterium celebrandum; sed tu, Domine Deus miserator & misericors, patiens & multæ miserationis, & clemens, cunctis meis criminibus & peccatis clementer ignosce; & effice me tibi idoneum & dignum ministrum indulgendo crimina & peccata, & gratiam tuam misericorditer largiendo. Per.

In cujus expletione se erigens, deosculetur altare, & det confessionem; cui subjungat; Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit cælum & terram. Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc nunc & usque in sæculum. *Postea celebret missam.*

Ad dandam benedictionem diacono ante evangelium:

Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis ad pronuntiandum evangelium suum.

Quando suscipit hostias dicat: Acceptabile sit Deo omnipotenti sacrificium nostrum. *Et adjungat*: Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, & bene † dic, & sanctifica hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum.

Quando sacerdos post evangelium offert incensum, dicat:

Aufer a nobis, Domine, iniquitates nostras, & ignem Sancti Spiritus in nobis clementer accende. *Et thurificans præparatum sacrificium subjungat:* Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Postea simpliciter se inclinans, dicat:

In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur, Domine, a te; & sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie, & placeat tibi, Domine Deus.

Sequitur oratio in festis.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri Jesu Christi; & in nomine beatæ Dei genitricis Mariæ, & omnium sanctorum qui tibi placuerunt ab origine mundi, & in eorum quorum hodie festivitas celebratur, quorum hic nomina & reliquiæ habentur: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem; & illi omnes intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris: quod ipse præstare digneris, qui in Trinitate perfecta vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.

Alia oratio pro defunctis.

Suscipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus pro animabus famulorum famularumque tuarum N. & pro animabus utriusque sexus omnium fidelium defunctorum, ut requiem æternam dones eis, & inter tuos sanctos & electos, & in illorum consortio vita fruantur æterna: quod ipse præstare dignetur, qui in Tvinitate.

In harum orationum expletione vultum erigens, osculetur tertio altare, & versa facie ad populum obsecret orari pro se dicens:

Orate, fratres carissimi, pro me misero peccatore, ut meum & vestrum sacrificium acceptabile sit apud Deum Patrem omnipotentem.

Oratio populi pro sacerdote dicentis hos versus:

Mittat tibi Dominus auxilium de sancto. Memor sit omnis sacrificii tui. Tribuat tibi secundum cor tuum.

Si-

(*d*) Aliud missale. *Postea lavet manus ad piscinam dicendo*; Lavabo inter innocentes, &c. *usque ad finem psalmi. Deinde sequitur*; Nunc dimittis, &c. *Postea accedat ad altare, & dicat communionem, & orationes ad officium pertinentes. Quibus dictis, vertat se ad populum & dicat*: Dominus vobiscum. *Clerici respondeant*: Et cum spiritu tuo. *Deinde dicat*; Ita missa est, *vel* Benedicamus Domino *secundum tempus. Clerici respondeant*: Deo gratias. *His peractis, humiliet se ante altare dicendo tacite*: Oremus. Placeat tibi S. Trinitas, &c. *Sequitur benedictio super populum.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum. Oremus. Benedicat vos divina Majestas, & una Deitas, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Amen. *Sequitur initium S. Evangelii secundum Joannem, cum* orationibus, Protector. Ecclesiam. *Quibus dictis, licentiato sacerdote, dicat pro se Ps.* Benedicat, &c.

Sive istam: Spiritus-sanctus superveniat in te, & holocaustum cotam Deo fiet acceptabile.

* *Oratio S. Augustini dicenda a sacerdote ante secretam.*

Summe sacerdos & vere pontifex qui te obtulisti Deo, *&c. ut in vulgatis missalibus Romanis in præparationibus ad missam.*

Oratio apologetica S. Ambrosii episcopi.

Si tantum, Domine, reatum nostræ delinquentiæ cogitamus, deputatum nobis observationis ministerium non implemus: grave est enim quod ad mensam tuam mundo corde, & innocentibus manibus non venimus, sed gravius est quod dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddimus. Licet igitur pro indulgentia petere, pro officio ministrare, pro remedio immolare, pro populo obsecrere. Quæso, Domine, conforta in me quod trepidat, cura quod tædet, reconcilia quod discordat, evacua quod corrumpit, humilia quod superbit. Sit pia justitia, clemens correptio, non quæ absorbeat peccatorem. Da in salute disciplinem, non in morte, sententiam. Exaudi peccatoris precem, qui visitas in dolore gementem. Amen.

Sequitur canon, sub cujus finem post Agnus Dei *legitur*

Oratio dicenda quando particulam Corporis Domini miscet Sanguini.

Hæc sacrosancte commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat mihi & omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam æternem promerendam præparetio salutaris. Amen.

Da pacem, Domine, in diebus nostris quia non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster.

Domine sancte, Peter omnipotens, æterne Deus, da mihi huc Corpus & Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita digne sumere: ut merear per hoc remissionem omnium peccatorum meorum accipere, & de tuo Sancto Spiritu repleri: quie tu es Deus solus, & præter te non est elius: cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Alia oratio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris per mortem tuam mundum vivificesti, libera me per hoc sanctum Corpus & Sanguinem tuum & fec me tuis obedire mandatis, & e te numquam separari permittas.

Alia oratio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu-sancto immeculatem carnem de sancte Maria Virgine sumere, & nos per signum sanctæ Crucis redimere dignatus es: da nobis ite Corpus & Sanguinem tuum suscipere, ut nobis & omnibus illis viventibus etque defunctis, pro quibus obletum est, proficiat ad animarum & corporum salutem. Qui vivis & regnas.

Item alia oratio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu-sancto per mortem tuam mundum vivificasti: Adoro & veneror hoc sanctum Corpus tuum & hunc Sanguinem tuum, quod traditum, & qui effusus est pro multis in remissionem peccatorum. Deprecor clementiam tuem, misericors Domine, per horum virtutem, fac me unum de illis multis, & fac me sic sentire per fidem & affectum, ut sentiam ea per salutis effectum; & libere, & absolve servos & encillas tuas, me & omnes qui mihi confessi sunt peccete, & pro quibus promisi, vel obnoxius sum orare, & qui se sperant vel petunt orationibus meis epud te adjuvari, eb omni peccato vel pœna peccati: Et fac ecclesiam nostram continua tua protectione & consoletione lætari. Qui cum.

Quando Corpus Domini accipit:

Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum in vitam æternam. Amen.

Quando Sanguinem Domini sumis, dic:

Sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum in vitam æternam.

Post perceptionem Corporis & Sanguinis Domini:

Corpus Domini mei Jesu Christi quod accepi, & Sanguis ejus quo potatus sum in hac hore, obsecro Domine, ut inhæreat in visceribus meis, & non veniat mihi ad judicium, neque ad condemnationem pœnę, sed proficiet mihi ad salutem & remedium animæ meæ in vitam æternam. Amen.

Item.

Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiamus, &c.

Post expletionem missæ sacerdos inclinato humiliter vultu ante altare, dicat: Placeat tibi sancta Trinitas, &c.

ORDO XXVIII.

Ex ms. missali Gemmeticensi, secundum usum ecclesiæ Ebroicensis, ante annos 300. exarato.

HIC INCIPIT ORDO MISSÆ.

PRimo antequam sacerdos accedat ad altare, genibus flexis dicat hanc antiphonam. Veni sancte Spiritus. ℣. Emitte Spiritum. *Oratio.* Deus qui corde. *De B. Maria.* Salve Regina. ℣. Post partum. *Orat.* Concede nos. *Postea de omnibus Sanctis. Antiph.* Sancti Dei omnes, *vel* Omnes electi. ℣. Lætamini. *Orat.* Infirmitatem nostram, quæsumus Domine, propitius respice, &c.

Sacerdos se erigat & osculetur altare, & induat se vestimentis sacerdotalibus ad celebrandam missam.

Primo dicat ad amictum.

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas & superandas diabolicas fraudes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento saluris & indumento lætitiæ circumda me semper in nomine Patris, &c.

Ad cingulum.

Præcinge, Domine, cingulo fidei & virtute castitetis lumbos corporis mei, & extingue in eis ardorem libidinis ut jugiter in me maneat tenor totius castitatis, in nomine Petris, & Filii.

Ad manipulum.

Da mihi, Domine, manipulum justitiæ in manibus meis ut sine pollutione tibi Domino omnipotenti semper merear deservire. Amen. In nomine Petris.

Ad stolam.

Redde mihi, obsecro Domine, stolam immortelitatis, quam perdidi in prævericatione primi parentis, & quia cum hoc ornamento accessi quamvis indignus ad tuum sanctum mysterium, præsta ut cum eo lætari merear in perpetuum. In nomine Petris.

Ad casulam.

Indue me, Domine, vestimento humilitatis & concede mihi protectionem contra hostem insidiaturem, ut valeem puro corde laudare nomen tuum gloriosum in sæcula sæculorum.

Sacerdos sacris vestimentis indutus ante altare dicat: Et introibo ad altare Dei. Judica me Deus, *totus psalmus*. Et introibo ad eltere Dei. Ad Deum qui. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Confitemini Domino quoniam bonum, quoniam in sæculum misericordia *ejus*.

Et ego reus sacerdos Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ Virgini, & omnibus sanctis, & vobis fratres quia ego miser peccator peccavi nimis contre legem Dei cogitendo, loquendo, operando, & in cunctis aliis vitiis meis melis mea culpa, mee colpe, mee mssime culpa; ideo deprecor beatissimem gloriosam Virginem Mariam, & omnes Sanctos, & Senctas Dei, & vos fratres, ut oretis pro me peccatore epud Dominum Deum nostrum omnipotentem, ut ipse misereatur mei.

Clerici dicunt Misereatur tui, & Confiteor *totum.*

Hoc dicto, sacerdos dicat:

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittet vobis omnia peccata vestra, & perducat vos ad vitam æternam. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium veræ pœnitentiæ, emendationem morum, & integram consolationem Sancti Spiritus tribuet vobis omnipotens Pater, pius & misericors Dominus.

Ora pro nobis sancta Dei Genetrix. Ut digni. Domine Deus virtutum. Converte nos. Et ostende. Fac nobis misericordiem tuam & salvi erimus. Domine exaudi. Dominus vobiscum.

Tunc accedat sacerdos ad altare junctis manibus inclinando se, & dicat istas quatuor orationes quæ sequuntur: Aufer a nobis, Domine, iniquitates nostras, ut mereamur puris mentibus introire ad Sancte Sanctorum. *Oratio.* Ure igne Sancti Spiritus, &c. Actiones nostras, &c. Conscientias nostras.

De cruce antiphona: Adoramus te, Christe, ℣. Omnis terra

* In alio missali ejusdem monasterii annorum 600. ubi idem ere missæ ordo habetur, hæc rubrica ita legitur: *Oratio specialis a sacerdote dicenda ante canonem.*

terra adoret te. Oremus. Adesto nobis, Domine, Deus noster, & quos sanctæ crucis lætari facis honore, ejusquoque perpetuis defende subsidiis. Per Christum.

Postea osculetur pedes crucifixi, & incipiat missam.

Adjutorium nostrum in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Sequitur introitus*, &c.

Dicto evangelio osculetur sacerdos evangelium, & dicat: Credo corde, & ore confiteor.

Accipiendo calicem cum vino & aqua, dicat:

Benedictus qui venit in nomine Domini Deus Dominus, & illuxit nobis. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo.

Et elevet calicem cum patena, & panis desuper & dicat hanc orationem.

Oremus.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & in honore sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum & Sanctarum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, & illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris, quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnet, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia oratio pro defunctis.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum famularumque tuarum N, & omnium in Christo quiescentium, ut requiem æternam dones eis inter sanctos & electos tuos, & in illorum consortio vita perfruantur æterna, Qui vivis.

Hoc facto, cum calice & patena & pane desuper patenam fiat signum crucis super altare. Quo facto, ponatur super corporalia ante calicem. Veni creator Spiritus mentes, &c.

Deinde accipiat patenam pro offerenda. Post offerenda dicat sacerdos Centuplum accipiatis, & vitam æternam possideatis *super populum.*

Postea vadat sacerdos ad dextram partem altaris lotum manus, & dicat: Lavabo inter innocentes, &c. Gloria Patri. Kyrie eleison, Christe eleison. Pater noster.

Quo dicto, dicat inclinando se ante medium altaris junctis manibus orationem: In spiritu humilitatis, &c.

Hoc dicto, osculetur presbyter altare in dextra parte, & signet calicem & seipsum signo crucis, dicens:

Domine Deus Pater omnipotens, bene † dic & sanctifica hoc sacrificium laudis, quod tibi oblatum est ad honorem & gloriam nominis tui, & parce peccatis populi tui, & aufer a me iniquitates meas, & exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Post hæc versa facie ad populum humiliter, dicat:

Orate pro me, fratres & sorores, & ego pro vobis, ut meum & vestrum in conspectu Domini acceptum sit hoc sacrificium.

Pro defunctis.

Orate pro me fratres & sorores, & pro cunctis fidelibus defunctis, ut habeant vitam æternam & requiem sempiternam.

(*Sequitur secreta præfatio, & canon ut in Romano Missali. In consecratione post hæc verba:* Hoc est enim Corpus meum, *additur hæc rubrica: Hic deosculetur hostiam & postea elevet. Post consecrationem calicis dictis his verbis:* In mei memoriam facietis. *Hic elevet calicem, deinde cooperiat de corporalibus, & extendat brachia in modum crucis dicendo:* Unde & memores. *Ad verba*: Nobis quoque peccatoribus. *Percutiat pectus semel vel ter.*)

Post orationem Dominicam sacerdos accipiat patenam de manu diaconi, sursum elevet eam cum dextra manu dicendo Amen. Libera nos....., & omnibus sanctis. *Hic accipiat patenam, & tangat corporalia & hostiam dicendo*: Da propitius. *Hic osculetur patenam dicendo*: Pacem in diebus &c.

Calice discooperto, accipiat hostiam, & fiat fractio in tribus partibus ita dicendo: Per eumdem.

Dicto Agnus Dei, *sacerdos mittat infra calicem particulam Corporis Christi, dicens:*

Hæc sacrosancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat mihi & omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam capescendam æternam præparatio salutaris. Amen.

Domine Jesu Christe, qui es vera pax, & vera concordia, fac nos tecum participari in hac hora sancta. Amen.

Hic osculetur hostiam dicendo:

Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

Hic detur pax dicendo:

Pax tibi frater & universæ ecclesiæ Dei.

Pater peccavi in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.

Ante perceptionem. Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc Corpus & Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, ita digne sumere, ut merear per hoc remissionem omnium peccatorum nostrorum accipere, & de tuo sancto Spiritu repleri, quia tu es Deus solus, & præter te non est alius, cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, &c.

Hic se communicet dicendo:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus meum & animam meam in vitam æternam. Amen.

Ad Sanguinem.

Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi non sint mihi ad judicium, sed ad remedium animæ meæ in vitam æternam. Amen.

Post perceptionem.

Perceptio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi prosit mihi famulo tuo peccatori ad salutem, & remedium animæ meæ in vitam æternam. Amen.

Oratio.

Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiamus & de Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, fiat mihi remedium sempiternum in vitam æternam.

Inclinato capite coram altari perget sacerdos letum manus dicendo orationem:

Gratias tibi ago, Domine Deus, Pater omnipotens, qui me refecisti de Sacratissimo Corpore & Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi, & precor ut non veniat mihi ad judicium, neque ad condemnationem animæ & corporis, sed prosit mihi ad vitam æternam. Amen.

Postea dicit: Nunc dimittis.

Post orationem: Placeat tibi sancta Trinitas.

Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit cælum & terram. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Postea signet populum de calice dicendo:

Benedicat vos divina Majestas & una Deitas, Pater † & Filius †, & Spiritus † sanctus, Amen. Dominus vobiscum. Initium S. Evangelii secundum Johannem. In principio.

Te invocamus, te laudemus, te glorificamus, o beata & gloriosa & sancta Trinitas. Sit nomen. Ex hoc nunc. Oremus. Protector in te sperantium. A subitanea & improvisa morte liberet, & defendat nos Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus.

Benedictio panis.

Benedic, Domine, creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut omnes gustantes de eo tam animæ quam corporis recipiant sanitatem & pacem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

(*Post missam eadem fere preces præscribuntur quæ nunc sunt in usu.*)

ORDO XXIX.

Ex Ordinario ms. insignis ecclesiæ Cabilonensis.

ORDO MISSÆ IN ADVENTU.

POst Tertiam stant ministri per Ordinem in exitu vestiarii, diaconus & subdiaconus infulati: diaconus cum textu evangelii, subdiaconus cum lectionario, & sic incipitur missa remissa voce *Ad te levavi*. Psal. *Vias tuas*. Iterum iteratur *Ad te levavi* cum duplo, a succentore incipitur *Gloria*. Ministri veniunt ante altare, & dicunt *Confiteor*, & tertio dicitur *Ad te levavi* in duplo, ministri intra se dicunt totum officium missæ. Dum autem incipitur *Kyrie eleison*, ceroferarii veniunt in choro in anteriori parte in secundo stallo, quia debent ministri servire in necessariis diaconi. Hic involvit infulam, & imponit super sinistrum humerum sicut & stolam. Non dicitur *Gloria in excelsis* per adventum, neque Dominicis, neque festis. Oratio, *Excita Domine potentiam*, Epistola, *Fratres hora est jam.* Notandum est quod omnibus Dominicis diebus & festivis per annum incipitur Responsorium ad missam, & cantatur ℣. a duobus de superstallis, similiter & *alleluja*. Hoc tertio duo incipiunt Responsorium *Universi*. Chorus similiter incipit & prosequitur totum. Illi duo canunt ℣. *Vias tuas*, in cujus fine chorus prosequitur, pneuma. Qui incœperunt reincipiunt ℟. *Universi*, chorο prosequente, *Alle-*

Alleluja ſimiliter a duobus, choro ſimiliter incipiente & pneuma proſequente. Ipſi duo ℣. cantant *Oſtende nobis*. Chorus ſimiliter finit, & pneuma proſequitur. Ab illis duobus repetitur *Alleluja*: Chorus tamen non proſequitur quia ſequitur proſa *Salus æterna*.

Dum hæc dicuntur, ſubdiaconus reſumta infule quam depoſuit ante epiſtolam, miniſtret ſuper altare B. Petri panem, vinum & aquam. Finita proſa, diaconus dicens, *Jube domne*, inclinato capite, recipit a ſacerdote vel ab epiſcopo, ſi fuerit præſens, benedictionem quemadmodum conſueverunt. Subdiaconus depoſita infula, accipit thuribulum, adſtantibus hinc inde ceroferariis ante diaconum: ubi a parte ſiniſtra ſuper pulpitum legit evangelium: *In illo tempore, cum appropinquaſſet Jeſus Jeroſolymam*. Finito evangelio, diaconus offert librum ad oſculandum epiſcopo, poſtea ſacerdoti, deinde oſculatur ipſe, ſubdiaconus tamen procedit, ut ante oſculum ultimum quemque incenſet. Sacerdote interim incipiente *Credo in unum Deum* chorus reincipit *Patrem omnipotentem*. Subdiaconus venit ad altare ubi ante miniſtravit, & depoſito thuribulo, induit infulam, accipiens intra manus cum devotione calicem & panem cum vino & aqua involuto etiam ſindone munda & honeſta; & cum dicitur *Cujus regni*, cum ceroferariis eſtantibus hinc inde venit ante altare, primo ſupplicans altari, ſecundo choro, tertio altari. Finito ſymbolo, accedit ad altare; & dum dicitur offertorium *Ad te Domine*, offert diacono oſculando manum ejus primo patenam cum pane, poſtea calicem cum vino & aqua. Eodem modo diaconus ſacerdoti. Sacerdos vero facit oblationem ſuam, & implicat in corporali, quod ante diaconum prius diſplicatum eſt, ſubdiaconus thuribulum tradit diacono deoſculando manum ejus. Diaconus eodem modo ſacerdoti, & ſic incenſat oblationem ſuam & altare, poſtea diaconus incenſet altaria, primo B. Mariæ, deinde S. Petri, & epiſcopum, ſi fuerit præſens, deinde ſubdiaconum, & ſubdiaconus diaconum, poſtea chorum, primo choriſtem vel choriſtas, ſi fuerint: alios autem ſicut conſuetum eſt, depoſita etiam infule. Et ſciendum quod diaconus, oſtendit ſacerdoti quidquid debet dicere, & quoties ſacerdos ſe vertit ad populum, diaconus ſervit ei genu flexo aptando ſibi infulam. Secreta *Hæc nos, Domine, ſecreto*. Subdiaconus infulatus recipit patenam de manu diaconi, & tenet eam involutam ſindone prope ipſum uſque dicatur *Pater noſter*, & dum incipit *Oremus præceptis ſalutaribus*, diaconus ad altare deoſculatur primo dextrum cornu altaris, deinde humerum ſacerdotis.

Et dum tenet in manibus calicem cum Euchariſtia & Sanguine, diaconus ſuſtentando manum ejus, ſervit ei uſque ad *Panem noſtrum*, & tunc recedens iterum deoſculatur primo humerum ſacerdotis, poſtea cornu altaris.

Poſt *Pater noſter* ſubdiaconus offert patenam diacono, deoſculando manum, diaconus ſacerdoti eodem modo. Deinde poſt *Agnus Dei* diaconus recipit oſculum pacis a ſacerdote, ſubdiaconus a diacono. Diaconus veniens in chorum dat pacis oſculum epiſcopo, ſi fuerit, & aliis perſonis, ſi quæ fuerint. Omnes in choro pacem recipiunt præter illos de ſubſtallum. Interim ceroferarii veniunt ante altare, ubi tenent candelabra, quouſque dicatur communio, quæ eſt *Dominus dabit benignitatem*, & poſtcommunionem, quæ eſt *Suſcipiamus Domine miſericordiam*. Et tunc ſubdiaconus recipit de manu diaconi calicem, & involvit ſindone, & factis inclinationibus ante altare ut ſupra reportat eum in veſtiario ſuper altare, ceroferariis hinc inde. Deinde redeunt ad altare & replicant miniſtri ornamenta altaris, ſolius tamen diaconi eſt plicare & diſplicare corporalia. Finita miſſa, non dicitur a diacono *Ite miſſa eſt* per adventum, ſed dicitur *Benedicamus Domino*. Finita oratione ſolita a ſacerdote, redeunt in veſtiario per ordinem ut venerunt. Diaconus & ſubdiaconus inter ſe plicant veſtimenta ſua, Meregularius præſtat auxilium ſacerdoti.

ORDO XXX.

Ex ms. Ordinario inſignis eccleſiæ Viennenſis in Gallia.

IN DIE NATALI DOMINI.

AD majorem miſſam ſuburbani ſex, diaconi ſex, quatuor de minori choro, duo de majori, & archidiaconus Viennæ, ſubdiaconi ſeptem, quatuor ſubdiaconi duo clericuli & ſubdiaconus canonicus. Dum claſſis pulſatur & Tertia canitur, archiepiſcopus in revaſtiario adornetur pontificalibus indumentis, & capellanus illius cappa ſerica. Suburbani vero induantur planetis ſive caſulis, diaconi & ſubdiaconi tunicis & dalmaticis, & alii de majori choro cappis ſericis. Clericuli portantes candelabra, induti albis deſcendant ſuper chorum ſubtus gradus, & ibi ſupplicent, deinde cum candelabris aſcendant ſuper chorum, & ibi ſtent tenentes præ manibus candelabra, & alii de choro cantantes introitum, & incœpto *Kyrie eleiſon* a cantoribus, deſcendant de choro, & deponant candelabra ſupra primum gradum chori, & redeant ſuper chorum majorem. Ad epiſtolam ℣. ℟. & *Alleluja* deſcendant in chorum minorem, & ibi ſedeant in ſtallis, & iterum aſcendant in chorum majorem dum cantatur Proſa, ſub fine cujus deſcendant, & cum candelabris in manibus eant obviam diacono pergenti ad ambonem ad pronunciandum evangelium: quo pronunciato, diaconus redeat ad altare, præcedentibus ceroferariis, & thuriferario, & ſociis diaconibus & ſubdiaconibus, ut infra dicetur.

Archidiaconus vero e parte dextra, & induti cum eo, & ſuburbani quilibet in loco, & ſubdiaconi & cum eo induti a parte ſiniſtra maneant cum archiepiſcopo faciente confeſſionem, omnes aſſiſtentes juxta altare reſpondeant celebranti.

Quando archiepiſcopus non agit officium, vicarius officians pro eo ſedeat, ſi voluerit, in faldiſtorio parato juxta altare e parte dextra per ſacriſtam, & ſtet uſque ad evangelium, & miniſtri induti ſedeant circumcirca altare quilibet a parte chori ſui.

Suburbani vero ſigna faciant durante miſſa ad modum epiſcopi, & ſic in omnibus aliis majoribus feſtivitatibus. Facta confeſſione, archiepiſcopus thurificat altare, tenentibus illum duobus diaconibus: det pacem levitis, ſuburbanis & capellano ſuo, poſtea aſcendat ad cathedram ſuam retro altare, & ibi dicat officium.

Si vicarius archiepiſcopi agat officium, quando cantatur ℣. *Adoramus te*, thurificet altare, archidiacono ſibi miniſtrante.

Dum dicitur *Gloria in excelſis*, ſubdiaconus cum aliis ſecum indutis accedat per locum majorem ad locum decani, vel juxta ſi decanus præſens fuerit. Alii vero ſtent in majori choro juxta clericulos indutos, & ibidem decantent uſque ad ℣. *Qui ſedes*, & tunc redeant ad altare ſubdiacono præeunte.

Poſt orationem duo milites, ſeu in eorum abſentia duo de majoribus capellanis laudes pronuncient *Chriſtus vincit*.

℟. Seu Graduale *Viderunt* cantent duo de antiquioribus coadjutoribus ad mandatum cantorum. Deinde ſubdiaconus antiquior de choro ſiniſtro indutus cum ſubdiacono canonico portat thuribulum & legat epiſtolam *Hæc dicit Dominus*, quæ legitur in tono epiſtolæ. *Alleluja*. *Multifarie*. Duo canonici de ſenioribus ad mandatum cantorum. Qui canonici ſubdiaconi & coadjutores, lecta epiſtola, cantatis ℟. & *Alleluja*, accedant ad archiepiſcopum, & ab eo recepta benedictione revertantur ad ſua ſtalla. Sic fiat in omnibus feſtivitatibus quando archiepiſcopus agit officium. Antequam proſa incipiatur, diaconi deſcendant ſubtus gradus chori, & verſo dorſo altari, ibi ſtent cum archidiacono, & ſubdiaconus deſcendat ad pulpitum, & ſtat ibi in medio cantorum donec finietur primus verſus proſæ, quo finito revertantur ad altare.

Quando canonicus legit epiſtolam, vel pronunciet evangelium, debet ſociari diaconus duobus diaconibus, & ſubdiaconus duobus ſubdiaconibus, & ipſi ſtent a dextris & a ſiniſtris eorum dum legitur epiſtola, aut pronunciatur evangelium. Alii ſubdiaconi aſcendant ſupra chorum, quilibet e parte chori ſui, & ibi maneant decantando proſam cum choro donec fuerit finita.

Dum cantatur proſa, accedat archidiaconus cui incumbit onus pronunciandi evangelium ad archiepiſcopum, & benedicto thure ab eo recipiat benedictionem ab eodem, & textum evangeliorum in ſiniſtra parte altaris ab eo ante poſitum accipiat, deinde accedat ad ambonem ipſe deferens dictum textum, præcedentibus ceroferariis, thuriferario, & ſubdiacono.

Quando dicitur evangelium, diaconi aſcendant juxta altare, quilibet a parte chori ſui ſtantes verſi ad pronunciantem evangelium, & ſic fiat in omnibus feſtivitatibus, quando faciunt illud officium. Evangelio perlecto, ſubdiaconus accipiat textum, & deferat archiepiſcopo ad deoſculandum, deinde cantoribus, poſtea ad dextrum, deinde ad ſiniſtrum chorum deoſculandum e clericis majoris chori.

Dicto offertorio, veniant cantores cum decano & canonicis & aliis ad offerendum. Poſtea offerat ſubdiaconus aquam archiepiſcopo, & archidiaconus calicem & thuriſicet. Quando archiepiſcopus pronunciabit *Orate*, tunc accipiat ſubdiaconus patenam & deſcendat ſubtus gradus, ſtanſque ibidem uſque dum dicatur *Sanctus*, & antequam

archiepiscopus incipiat *Per omnia sæcula* orationis Dominicæ, veniat subdiaconus cum sociis suis deferens patenam ante gradus chori majoris, & ibi stet usque ad hæc verba *sicut in cœlo*. Tunc accedat ante altare, afferens patenam archidiacono, qui eam tradit archiepiscopo, & aliis ibidem stantibus, & dimissis usque ad finem missæ, excepto dum dicuntur Laudes: quia tunc stare debent juxta altare quilibet in loco suo. Post Laudes vero revertantur quilibet ad dextrum locum.

ORDO XXXI.

Ex Missali Tullensi annorum circiter 300.

QUando præparat se sacerdos ad missam, dicat hos Psalmos: Quam dilecta, Benedixisti, Inclina, Credidi, Memento Domine, Kyrie eleison. Pater noster, Domine exaudi orationem. Et clamor meus. Oremus. Aures tuæ pietatis.

Ad exuenda vestimenta.

Exue me, Domine, veteri homine cum actibus suis, & indue me te novo homine, qui secundum Deum creatus es in justitia & sanctitate virtutis; per Christum.

Ad abluendas manus.

Largire sensibus nostris, omnipotens Deus, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te interiora mundentur pollutiones mentium, & crescant in nobis sanctarum augmenta virtutum. Per Christum.

Ad amictum.

Obumbra, Domine, caput meum umbraculo sanctæ fidei tuæ, & expelle a me nubila ignorantiæ.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis. Per Christum.

Ad cingulum.

Accinge in me, Domine, custodiam mentis meæ, ne ipsa mens infletur cum spiritu elationis & superbiæ. Per Christum.

Ad manipulum.

Da mihi, Domine, sensum rectum, & vocem puram, ut adimplere possim laudem tuam. Per Christum.

Ad stolam.

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam. Per Christum.

Ad casulam.

Indue me, Domine, indumento humilitatis, caritatis & pacis, ut undique munitus virtutibus, possim resistere vitiis & hostibus mentis & corporis. Per Christum.

Quando appropinquat se ad altare, dicat:

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ, Domine, reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo, miserere mihi Domine, homini peccatori; ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Sane labe peccatorum præ ceteris capitalium polluto, & ne intres in judicium cum servo tuo, vitiis ac voluptatibus carnis aggravato. Recordare, Domine, quia caro sum; In tuo conspectu etiam cæli non sunt mundi, quanto magis nos homines terreni. Indignus sum, Domine Jesu Christe, ut sim vivens. Sed tu qui non vis mortem peccatoris, da mihi veniam in carne constituto, ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfrui merear in cœlis, per te Jesu Christe, qui cum Patre, &c.

Ingreditur ad altare, ita dicendo.

Aufer a nobis, &c. Per Christum.

Oratio.

Conscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica, ut veniens Jesus Christus &c. Qui tecum vivit, &c.

Postea osculatur pedes imagini crucifixi in canone, dicendo.

Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris altaribus astare voluisti, & tanti nominis tui laudare potentiam, concede, quæso, per hujus sacramenti mysterium meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati digne ministrare merear. Per Christum Dominum nostrum.

Capiendo incensum dicat:

Incensum istud Dominus dignetur benedicere, & in odorem suavitatis accipere. Per Christum.

Projiciendo incensum dicat:

Odorem cælestis inspirationis suæ accendat Dominus, & impleat corda nostra ad audienda & implenda Evangelii sui præcepta. Qui vivit & regnat, &c.

Dando benedictionem diacono dicat:

Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis ut annuncies competenter Evangelium pacis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Mittendo aquam in calicem dicat:

Ex latere JESU CHRISTI exivit sanguis & aqua pariter, & in honore ipsius fiat hæc commixtio sancta & immaculata, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

Offerendo calicem cum hostia & patena dicat:

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero, & præsta ut in conspectum tuum tibi placens ascendat. Per Christum.

Elevando manus dicat:

In nomine JESU CHRISTI fiat hoc sacrificium a te Deo vivo & vero coadunatum, & benedictum in nomine Pa † tris & Filii, & Spiritus-sancti.

Ad manus abluendas:

Concede mihi, omnipotens Deus, ita manus meas lavare, ut puro corde possim Dominicum Corpus & Sanguinem digne tractare. Per Christum Dominum nostrum.

Hic inclinet se ante altare, & manibus junctis devota dicat:

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri JESU CHRISTI, & in honore omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hic nomina & reliquiæ continentur, & quorum hodie festivitas celebratur, ut illis omnibus proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per Christum.

Hic erigat se & levet manus ad cœlum dicendo:

Veni sanctificator, omnipotens, æterne Deus, & bene † dic hoc sacrificium nomini tuo præparatum. Per Christum.

Hic sacerdos convertat se ad populum dicens:

Orate fratres, pro me peccatore, ut auferat Deus spiritum elationis & superbiæ a me, ut pro meis & pro cunctis vestris delictis exorare queam. Per Christum.

Deinde respondetur ei ab omnibus:

Memor sit Dominus omnis sacrificii tui & holocaustum tuum pingue fiat. Exaudi Domine orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Oremus ..... *Præfatio*. Per omnia ..... supplici confessione dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt ... Benedictus ... osanna in excelsis.

Hic inclinet se ante altare, & manibus junctis devota dicat:

In spiritu humilitatis & in animo contrito, suscipiamur a te Domine, & sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie & placeat tibi Domine Deus.

Te igitur clementissime, &c.

Nulla fit mentio elevationis Corporis Christi, sed post consecrationem calicis legitur:

Hic elevat calicem dicens:

Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.

Hic extendat brachia in modum crucis:

Unde & memores Domine nos servi tui, &c. .... salutis perpetuæ.

Hic extendat ambas manus suas super calicem dicens:

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris. .. immaculatam hostiam.

Hic inclinat se ante altare manibus cancellatis.

Supplices te rogamus omnipotens Deus.

Legitur Amen *post primum memento tantum*. Per omnia sæcula sæculorum ..... oremus præceptis salutaribus moniti ... Pater noster ... sed libera nos a malo. Amen. Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis, &c. ... Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Pax Domini sit semper vobiscum & cum spiritu tuo.

Agnus Dei, &c. *ter.*

Hæc sacrosancta commixtio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi omnibus nobis sumentibus sit salus mentis & corporis, & ad vitam æternam capescendam & promerendam præparatio salutaris. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

Domine JESU CHRISTE, qui dixisti apostolis tuis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ... qui vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.

Pax Christi & ecclesiæ Dei abundet in cordibus vestris, habete vinculum caritatis & pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio.

Domine JESU CHRISTE Fili Dei qui ex voluntate patris, cooperante Spiritu-sancto per mortem tuam mundum vivificasti ..... in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc sacrum corpus & sanguinem Filii tui Domini

nostri

nostri JESU CHRISTI, ita sumere, ut per hoc merear remissionem peccatorum meorum accipere & tuo sancto Spiritu repleri, quia tu es Deus, & præter te non est alius, cujus gloriosum nomen manet in æternum. Amen.

Oratio.

Perceptio corporis tui Domine JESU CHRISTE, quam indignus sumare præsumo, non mihi provaniat ad judicium & condemnationem sed per tuam pietatam prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis. Amen.

Sumendo Corpus Christi dicat:

Corpus Domini nostri JESU CHRISTI conservet animam meam, & corpus meum in vitam æternam, Amen.

Discooperiendo calicem dicat:

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

Tunc accipiat calicem in manibus, & dicat:

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo; laudans invocabo Dominum & ab inimicis mais salvus ero.

Corpus & sanguis Domini nostri JESU CHRISTI conservet animam meam & corpus meum in vitam æternam. Amen.

Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum, Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hic dicat gratias lavando manus suas:

Agimus tibi gratias, &c. Nunc dimittis, &c. Lavabo inter innocentes, &c. Gloria Patri, &c. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater, noster, & ne nos.. .. Sed libera, &c. Domine exaudi orationem, & clamor meus.

Missa expleta dicat sacerdos primus:

Placeat tibi sancta Trinitas, &c.

Sacerdos dicat:

Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit, &c. Sit nomen Domini bened.... ex hoc nunc, ...

Oremus.

Benedicat nos divina majastas, & una Deitas, Pater & Filius, & Spiritus-sanctus. Amen.

Deinde dicat Evangelium Sancti Johannis.
Postea dicat tres psalmos qui sequuntur:

Benedicite, &c. Laudate Dominum in sanctis ejus, Nunc dimittis..... Gloria Patri. *Antiphona* trium puerorum.... Kyrie eleison. Pater noster. Confiteantur tibi, Domina, omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi...., Sacerdotes tui induantur justitia, & sancti tui exultent. Esto nobis Domine turris fortitudinis, a facie inimici. Domine exaudi orationem meam; Et clamor meus, &c. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

Deus qui tribus pueris......

Alia.

Da nobis quæsumus omnipotens Deus vitiorum nostrorum flammas extinguere.... Ure igne Sancti Spiritus.. ... Dominus vobiscum, & cum spiritu tuo, Benedicamus Domino, Deo gratias.

ORDO XXXII.

Ex ms. monasterii Sancti Gregorii in Vallu Gregoriana diœcesis Basileensis annorum circiter 300.

Hic incipit quomodo Dominus Abbas praparare se debet ad missam.

I*N primis indiget quod habeat omnia indumenta sacerdotalia & pontificalia, scilicet*

Sotulares & Caligas.
Amictum.
Albam.
Zonam.
Manipulum.
Stolam.
Tunicellam.
Dalmaticam.
Casulam. Cappam choralem.
Duo ornamenta pro ministralibus.
Mitram solemnem, &c.
Baculum Pastoralem.
Chirothecas.
Amitum parvum, &c.
Amitum Pontificalem.
Missale mixtum.

Unam Cathedram nudam cum uno tapeto, unum Cophinum ubi reponentur necessaria, unum manutergium pro tergendis manibus.

Duos Capellanos qui serviant ei.

Duo manutergia pro servientibus, & unum manutergium pro Abbate.

Modo sequitur hymnus & psalmus & antiphona & preces & collecta, Veni Creator Spiritus, *Hymnus.*

Psalmos.

Quam dilecta, &c. Benedixisti, &c. Inclina, &c. Fundamenta, &c. Credidi, &c. Laudate Dominum omnes gentes, &c. De profundis, &c. Ecce nunc, &c.

Antiph. Veni Sancte Spiritus. Kyrie eleison, Christe, &c. Pater noster. Et ne nos inducas, &c.

℣. Exurge Domine adjuve nos.
℟. Et &c.
℣. Fiat misericordia.
℟. Et &c.
℣. Deus tu conversus.
℟. Et &c.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et &c.
℣. Et ne intres in judicium cum servo tuo.
℟. Et &c.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et &c.

Oratio.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia sancti Spiritus illustra cor meum, ut tuis digne mysteriis ministrare, teque æterna charitate diligere merear. Per Christum.

Sequitur in lotionem manuum scilicet.

Lavabo, &c.

Et sequens oratio.

Largire sensibus nostris omnipotens Pater ut (sicut) hic exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te interius mundentur pollutiones mentium. Per Christum, &c.

Hic tergat manus.

Da, Domina, virtutem manibus mais ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine pollutiona mentis & corporis, casto corpore & mundo corde tibi ministrare merear, Per Christum, &c.

Hic exue vesti.

Exua me, Domine, vetarem hominem cum suis actibus, & indue ma novum hominem qui secundum Deum creatus est. Per Christum, &c.

Hic induit umbrulem.

Indue me, Domine, vestimento salutis & circumda me lorica fortitudinis tuæ. Per Christum, &c.

Ad albam.

Fac me, quæsumus, omnipotens Deus, ita justitia indui, ut mystariorum tuorum merear exultatione lætari; quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum; meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quam reatus propriæ conscientiæ gravat. Per Christum &c.

Ad cingulum.

Præcinge me Domine, zona justitiæ, & constringa in me dilectionam Dei & proximi. Per Christum, &c.

Ad manipulum.

Da mihi, Domina, sensum rectum, & vocem puram, ut possim adimplere laudem tuam. Per Christum, &c.

Ad stolam.

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam, & ab omni pollutione peccati purifica mentem meam & corpus meum. Per Christum, &c.

Ad casulam.

Indua me vestimento humilitatis & castitatis, & conceda mihi protectionem contra hostem insidiaturem, ut valeam puro corde & casto corpore laudare nomen sanctum tuum. Per Christum, &c.

Post hac Abbas indutis chirothecis, annulo, mitra, & accepto baculo, exeundo de sacristia procedit ad altare & dicat:

Introibo ad altare Dei. Ad Deum qui lætificat, &c. *Cum psalmo* Judica ma Deus, &c.

Quo finito dicat:

Confitamini Domino quoniam bonus, &c.
Abbas deposita mitra dicat: Confiteor, &c.
Minister dicat, Misereatur vestri, &c.
Abbas. Amen.
Minister. Confiteor.
Abbas. Indulgentiam.
Minister. Amen.

Respon-

Reponatur mitra, Abbas dicat:

℣. Adjutorium nostrum, &c.
℣. Non nobis Domine, &c.
℣. Ab occultis meis, &c.
℣. Domine exaudi, &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde Abbas flexis genibus dicat:

Oratio.

Exaudi, Domine, supplicum preces & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas & pacem. Per Christum, &c.

Quo dicto, diaconus prabet abbati plenarium ad osculandum. Postea accedat ad altare dicens:

Aufer a nobis Domine iniquitates nostras ut ad sancte sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum, &c.

Quo dicto abbas osculetur altare, deinde inclinat se abbas & dicat:

Oramus te, Domine, ut per merita sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt repositæ, & omnium sanctorum tuorum meritis, nostre nobis dimitte peccata. Per Christum, &c.

Deinde abbas accedit ad crucem ad osculandum dicens:

Tuam crucem adoramus, Domine, tuam gloriosam recolimus passionem. Miserere nobis qui passus es pro nobis, miserere.

Deinde accedat ad librum missalem & osculetur Evangelium officii, dicens:

Pax Christi, quam tibi per Evangelium suum tradidit, confirmet, & conservet corda & corpore nostra, in vitam æternam. Amen.

Post hac absolvat abbas populum dicens:

Auctoritate Dei qua fungor, absolvo vos e vinculo excommunicationis, & a peccatis vestris in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Deinde inchoetur missa, & cum perventum fuerit ad Gloria in excelsis, *deponatur mitra. Quo dicto reponatur mitra, & conversus ad populum disjunctis & extensis manibus dicat:*

Pax vobis. *Minister.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Incipiens collectam, iterum deponat mitram, & cum perventum fuerit ad Per Dominum, *mitra reponatur, duæ collecta vel plures sub eodem* Per &c. *concludendæ fuerint, usque finem ultimæ collectæ mitra non reponatur. Et cum ad Evangelium in missa perventum fuerit; diaconus flexis genibus benedictionem ab abbate petat dicens:*

Jube Domine benedicere.

Abbas. Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis ad pronunciandum Evangelium Jesu Christi in nomine † Domini. Amen.

Quo dicto, abbas deposita mitra, & accepto baculo, ponit se ad dextram partem altaris, donec lectum fuerit Evangelium. Lecto Evangelio reportatur liber ad osculum abbatis, & tunc dicat.

Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta in nomine Domini. Amen.

Postquam epistola finita est, subdiaconus cum libro vadat, flexis genibus, ad abbatem, & abbas manum imponit libro, & subdiaconus osculatur manum abbatis, & abbas benedicit eum.

Item ante Evangelium subdiaconus cum thure, & sacrista cum thuribulo veniunt ad abbatem flexis genibus, & abbas imponit mirram in thuribulo: & quando abbas recipit mirram, subdiaconus dat abbati osculum ad manum: & post receptionem iterum osculum ad manum, & hoc idem subdiaconus iterum & sacrista post offertorium facient, scilicet sicut modo prædictum est.

Post hac abbas incipiat, Credo in unum Deum. *Quo dicto reponatur mitra: & agatur missa usque post offertorium. Quo dicto, veniet diaconus cum calice praparato, videlicet hostia, vino & aqua, & cooperto panno serico, præcedente eo subdiacono, ambobus flexis genibus: & primo abbas versus altare elevatis manibus dicat.*

Ne reminiscaris, Domine, delicta mea, vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis.

Quo dicto, abbas convertit se ad diaconum. Subdiaconus tollit pannum sericeum de calice recipiendo patenam cum hostia: Convertendo se ad altare, deponendo hostiam cum cruce super corporale dicent.

† Sanctifica, quæsumus, Domine hanc oblationem & præsta ut nobis unigeniti Filii tui Corpus fiat. Per Christum, &c.

Item sequitur.

Acceptabile sit omnipotenti Deo sacrificium nostrum; Per Christum.

Post hac iterum abbas convertit se ad diaconum, & cum manu crucem facit super calicem dicens:

Oblatum tibi, quæsumus, Domine calicem sanctifica & præsta ut nobis unigeniti Filii tui Sanguis fiat. Per Christum.

Post hac abbas recipiendo calicem de manu diaconi convertit se ad altare, dicens:

Ad offerendum calicem.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo.

Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, & deprecamur immensam clementiam tuam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Per Christum, &c.

In nomine Domini nostri Jesu Christi sit sacrificium istud immaculatum, & a te Deo vivo & vero adu † natum & bene † dictum. Per Christum, &c.

Extendens manus.

Veni sanctificator omnipotens Deus, & benedic hoc sacrificium nomini tuo præparatum. Per Christum.

Hic inclinando legit.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerimus in memoriam sanctæ Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri JESU CHRISTI, & in honore sanctæ Genitricis Mariæ, & sanctorum Petri & Pauli istorum atque omnium sanctorum qui tibi placuerunt ab initio mundi, & quorum nomina vel reliquiæ hic continentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, & ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per Christum D. N.

Ad accipiendum thuribulum abbas dicat & faciat crucem cum manu:

Incensum istud Dominus benedicere dignetur.

Postea thurificat calicem & altare dicens:

Dirigatur, Domine, ad te oratio mea, &c.

Postea convertit se ad populum dicens:

Orate pro me misero, &c.

Postea deponit chirothecas & annulum & lavat manus dicens:

Lavabo inter, &c.

Postea accedat ad librum & agatur missa usque ad secretam, ubi dicto Oremus, *deponatur mitra, & non reponatur ex tunc usque quo dici debet:*

Et pax ejus sit semper.

Ubi diaconus conversus ad populum dicat:

Humiliate vos ad benedictionem.

Clerus. Deo gratias.

Hic abbas resumptis mitra, annulo & baculo, conversus ad populum dicat benedictionem pontificalem officio diei competentem: qua dicta iterum remotis ab eo mitra, annulo, baculoque; conversus ad altare dicat:

Et pax ejus sit semper vobis.

Minister. Et cum spiritu tuo.

Postea agatur missa usque post collectam.

Domine Jesu Christe qui dixisti Apostolis tuis, &c.

Ubi diaconus abbati porrigit tabulam pacis, dicens:

Accipe vinculum pacis, &c.

Postea dicat abbas:

Domine non sum dignus, &c.

Sic perficietur missa usque ad complendam, ubi dicta communione abbas reinduat chyrothecas, & superposita mitra, assumptis insuper annulo & baculo, conversus ad populum dicat.

Dominus vobiscum.

Oremus.

Quo dicto perficiat complendam tantum, mitra deposita. Postquam dixerit complendam ante per Dominum *reposita mitra, missam perficiat more consueto.*

Sequitur.

Panem cœlestem accipiam & nomen Domini invocabo: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus.

In faciendo crucem cum patena.

Corpus Domini nostri JESU CHRISTI proficiat nobis in vitam æternam.

Accipiendo calicem.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo.

Sequitur.

Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.

Se-

Sequitur.

Corpus tuum Domine, quod sumsi, & Sanguis quem potavi, adhæreat in visceribus meis & præsta, ut ibi nulla remaneat peccati macula, ubi intraverunt tam sacra sacramenta. Per Christum.

Faciendo crucem cum calice.

Corpus & Sanguis Domini nostri JESU Christi proficiat nobis in vitam æternam. Amen.

Postquam sumpseris lotionem primam, tenendo calicem in manibus.

Perceptio Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI prosit animæ meæ & corpori meo in vitam æternam. Amen.

Ad secundam ablutionem.

Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per Christum.

Sequitur.

Verbum caro factum est & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre plenum gratie & veritate.

Sequitur.

Lutum fecit Dominus ex sputo & linivit oculos meos, & abii, & lavi, & vidi, & credidi Deo.

Sequitur.

Nunc dimittis, *cum* Gloria Patri.

Finitis omnibus osculetur altare dicens:

Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta ut hoc sacrificium quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, sit tibi placens, mihique & omnibus pro quibus illud obtuli, te miserante sit propitiabile in vitam æternam. Per Christum.

Exuens se vestibus.

Benedicite. *Psal.* Laudate Dominum in sanctis. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant in camino ignis benedicentes Dominum, Kyrie, Christe, Kyrie, Pater noster.

Preces.

Confiteantur tibi Domine opera tua.
Exultabunt sancti in gloria.
Exultent justi in conspectu Dei.
Non nobis Domine, non nobis.
Domine exaudi orationem meam.

Oratio.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Christum, &c.

Alia oratio quæ sequitur.

Actiones nostras.

Sequitur.

Salve Regina cum collecta B. Virg.

ORDO XXXIII.

Ex Lugdunensi Missali Athanacensis Monasterii,

IN INCEPTIONE MISSÆ.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Et introibo ad altare Dei. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Pone Domine custodiam ori meo. Et ostium circumstantiæ labiis meis.

Confitemini Domino quoniam bonus. Quoniam in sæculum misericordia ejus.

Ego reus & indignus sacerdos confiteor Deo, & B. Mariæ Virgini, & B. Martino, & B. Benedicto, & omnibus Sanctis ejus, & vobis fratres, quia ego miser peccator peccavi nimis cogitatione, loqutione & opere, & in cunctis aliis vitiis meis malis, mea culpa, mea culpa, mea gravissima culpa. Ideo deprecor beatissimam gloriosam Dei genitricem Mariam, & omnes Sanctos & Sanctas Dei, ut oretis pro me ad Dominum Deum nostrum; ut ipse misereatur mei.

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, & perducat vos Jesus Christus Filius Dei cum suis Sanctis ad vitam æternam.

Absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens Pater, pius & misericors Dominus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit cælum & terram.

Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Pœnitentiam pro peccatis meis. ℟. *Pater noster.* *Deo gratias.* Et vobis. *Ave Maria.* ℟. *Deo gratias.*

Finito Pater noster, *osculetur altare, postea aperiat librum & ad locum, ubi est imago crucifixi, respiciens humiliter dicat:*

Adoramus te Christe & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Et osculetur pedes crucifixi postea dicat:

Adjutorium nostrum in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum.

Et dicat introitum & cetera per ordinem. Ante evangelium benedicitur incensum. Ille qui tenet thuribulum dicat, Benedicite. *Diaconus,* Dominus. Ab illo sanctificeris in cujus honore cremaberis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Benedictio ad legendum evangelium.

Diaconus. Domne jube benedicere. *Sacerdos.* Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut recte pronuncies verba S. Evangelii. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

In missis privatis, antequam sacerdos legat evangelium dicat in medio altaris:

Corroboret Dominus sensum meum & labia mea, ut recte pronunciem verba S. evangelii. Per Christum.

Dicto offertorio, junctis manibus, dicat sacerdos:

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. *Et accipiendo calicem dicat:* Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.

Cum duabus manibus sacerdos elevans calicem cum patena & corporali desuper dicat:

Hanc oblationem, quæsumus omnipotens Deus, ut placatus accipias, & omnium offerentium, & eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge. Per Christum.

Teneat sacerdos patenam cum hostia dicendo hanc orationem:

In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur Deus a te, & sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiamur hodie, & placeat tibi Domine Deus. Per Christum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

Ponatur hostia ante pedem calicis, & cooperto calice cum corporali lavet manus suas dicendo ps. Lavabo inter innocentes, *&c. usque in finem psalmi cum* Gloria Patri. *Et lotis manibus, veniendo ad altare dicat devote:* Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Ante medium altaris inclinato capite & corpore, junctis manibus dicat:

Suscipe S. Trinitas hanc oblationem quam tibi offerimus in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionisque Domini nostri Jesu Christi, Et in honore beatissimæ semperque Virginis Mariæ & omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum nomina & reliquiæ hic habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes Sancti pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea elevans se faciat crucem super hostiam dicendo:

In nomine Pa † tris, *super calicem,* & Fi † lii, *& signet se dicendo,* & Spiritus † sancti. Amen.

Deinde vertat se ad populum, & fixis in terram oculis, dicat:

Orate pro me, fratres, ut vestrum sacrificium acceptabile fiat ante conspectum Domini. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea versa facie ad altare dicat orationes secretas; & in fine ultimæ, si dicantur plures, dicat alta voce. Per omnia sæcula, &c.

Dicto Sanctus, *junctis manibus, se inclinet ante altare dicendo:* Te igitur, &c. accepta habeas. *Postea osculetur altare in medio dicendo:* Hæc do † na, hæc mu † nera, hæc sancta † sacrificia illibata. *Elevatis manibus & expansis dicat:* In primis quæ tibi offerimus, &c. Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum. *Junctis manibus, memoretur eorum maxime pro quibus tenetur orare. Et finito memento, expansis manibus dicat:* Et omnium circumadstantium, &c. *Parum genua flectat dicendo:* Communicantes, &c. *Et cum dixerit* Cosmæ & Damiani, *signet se super os suum. Et finito* communicantes, *extendat manus suas super calicem & hostiam, dicens:* Hanc igitur oblationem, *&c. Postea jungat manus super totum sacrificium dicendo:* quam oblationem, &c. ut nobis Corpus *signando hostiam,* & Sanguis *signando calicem, &c. tergat manus ad corporale, & accipiens panem dicat:* Qui pridie quam, &c. *& ad illud verbum agens bene † dixit signando hostiam, post consecrationem tunc elevet Corpus Christi cum duabus manibus,*

nibus, ut populus possit videre & adorare. Deinde reponat Corpus Domini super corporalia, postea flectit genua accipiendo calicem, & dicat: Simili modo posteaquam *faciendo crucem super calicem dicendo*; bene † dixit, deditque, &c. *Post verba consecrationis Sanguinis Domini elevet calicem dicens*: Hæc quotiescumque feceritis. *Reposito calice, extendat brachia quasi de se crucem faciens, & dicat*; Unde & memores, &c. de tuis donis & datis, *retrahat deinde brachia, & faciat tres cruces super totum sacrificium dicendo*: hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam, *supra Corpus* panem sanctum vitæ æternæ, *supra Sanguinem* & calicem salutis perpetuæ, *extendens manus suas dicat* supra quæ propitio, &c. immaculatam hostiam *inclinet se ante altare manibus cancellatis, quasi de se ipso crucem faciens, dicat*: supplices te rogamus; *& ad illud verbum* quotquot, *osculetur altare tribus vicibus, deinde fiat crux super hostiam sanctam dicendo*: Sacrosanctum Filii tui Cor † pus, *& super calicem dicat*, & Sangui † nem sumserimus; *& signet se signo crucis dicens*: Omni benedictione cælesti, &c. *Postea dicat*: Memento, &c. somno pacis. *Junctis manibus, in memoriam habeat defunctos, & pracipue eos pro quibus tenetur orare, flectat modicum genua dicendo*: Ipsis & omnibus, &c. *Manibus extensis, flectendo modicum genua, percutiat pectus suum semel dicendo*: Nobis quoque peccatoribus &c. *Et manibus junctis super totum sacrificium, dicat faciendo cruces*: Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis, *flectendo genua*, & præstas nobis, *discooperiat calicem, & de hostia faciat cruces super calicem dicens*, Per ipsum † & cum ipso † & in ipso † est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritussancti omnis † honor & glo † ria. *Ostendat populo hostiam de manu dextra flectendo se, & reponat in loco suo, & cooperto calice de corporali, expansis manibus, dicat alta voce*: Per omnia sæcula sæculorum, &c. *Finita oratione Dominicali, & responsa*, libera nos a malo, *accipiens patenam inter primum digitum & medium, elevans sursum dicat*: Amen, Libera nos, &c. *Et dicto* beatis apostolis tuis, *tangat de patena pedem calicis, dicendo* Petro, *medium*, Paulo, *super calicem; atque* Andrea, *ad os suum*; cum omnibus Sanctis, *ad oculos*, da propitius pacem *usque* perturbatione securi. *Accipiat de patena hostiam, & discooperto calice, dividat hostiam in tres partes, quarum una sit major aliis dicendo*. Per eumdem Dominum nostrum, &c. *Et ponat duas partes super patenam, & aliam partem teneat in manu faciendo cruces super calicem dicens*: Per omnia sæcula sæculorum. *Et dicto* Amen, *de parte hostia quam tenet faciat cruces super calicem dicendo*. Pax Domini sit semper vobiscum, *& responsa*: Et cum spiritu tuo. *Postea dicat* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. *In missa de defunctis dicat* Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem. *Ponat illam partem hostia, de qua facit cruces, in calicem, dicens*: Hæc sacrosancta commixtio Corporis. *Postea cooperiatur calix de corporali. Deinde flectendo aliquantulum genua, manibus junctis ante Corpus Domini, dicat*: Domine Jesu Christe, qui dixisti discipulis tuis: Pacem, &c. *Postea osculetur altare dicendo*: Habete vinculum pacis, & caritatis. *Deinde dicat orationes*: Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, &c. Domine sancte Pater omnipotens da mihi Corpus, &c. *Stando ut supra postea dicat versus sequentes, & in quolibet versu percutiat pectus suum*. ℣. Averte faciem tuam a peccatis meis, &c. ℣. Cor mundum crea in me Deus. ℣. Ne projicias me a facie tua, & spiritum, &c. *Deinde flectat genua usque ad terram tenendo manus super altare, dicendo versum*: Redde mihi lætitiam salutaris tui, &c. *Deinde accipiat patenam, & tenendo Corpus Christi cum duabus manibus supra patenam dicat*: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat me in vitam æternam. Amen.

Hic sumat Corpus Christi reverenter, signans se illo, postea accipiat patenam, & mundet cum digitis suis infra calicem. Deinde accipiat calicem, & tenendo dicat: Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat me in vitam æternam. Amen.

Post sumtionem Sanguinis dicat orationem. Perceptio Corporis & Sanguinis, &c. *Lavando digitos in calice dicat*: Quod ore sumsimus pura mente, &c. *Postea lavet iterum digitos de aqua in calice, & dicat*: Qui manducat meam carnem & bibit meum Sanguinem & Verbum caro factum est, &c. *Ps.* Nunc dimittis *totus cum* gloria, &c. *Postea dicat*: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem. *Si missa fuerit de defunctis*. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem. *Sequatur oratio, postea collecta, in fine* Dominus vobiscum. *Si fuerit dictum* Gloria in excelsis Deo, *dicatur* Ite missa est. *Et si non fuerit dictum, dicatur* Benedicamus Domino. *Pro defunctis*. Requiescant in pace. *Finita missa, inclinet se ante medium altaris, & dicat orationem*: Placeat tibi S. Trinitas, &c. *Qua finita, osculetur altare, capiens se casula, dicat* Dominus vobiscum. *Evang.* In principio erat Verbum *cum* ℣. *& oratione*. Protector in te sperantium, &c. *Postea dicat*: Benedicite sacerdotes Domini Domino, &c. *usque in finem psalmi*.

ORDO XXXIV.

Ex ms. Missali A. De Longeuil *episcopi Lemiensis*.

Ad amictum.

POne, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas & superandas diabolicas fraudes. Per

Postea induat se alba dicens:

Indue me, Domine, cingulo fidei & caritatis, lumbos cordis & corporis mei & præscindendo extingue humorem libidinis, ut jugiter maneat visceribus meis tenor totius castitatis. Per.

Postea ponat manipulum in manu sinistra. dicens:

Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Per.

Postea ponat stolam super collum suum & super pectus in modum crucis dicens:

Indue me, Domine, stola gloriæ: jucunditatem & exsultationem thesauriza super me. Per.

Postea accensis luminibus, accipiat casulam cum duabus manibus, & stans ante altare induat se illa dicens:

Indue me Domine veste nuptiali, & præsta ut taliter illam portare valeam, quod consequi possim gratiam tuam.

Postea junctis manibus, & inclinato corpore dic:

Introibo ad altare Dei, &c. Confitemini Domino quoniam bonus. Quoniam in sæculum misericordia ejus.

Et ego reus & indignus sacerdos confiteor Deo omnipotenti, & B. Mariæ Virgini, & omnibus Sanctis ejus, & vobis, fratres, me graviter peccasse per superbiam in lege Dei mei, cogitatione, locutione, pollutione, consensu, tactu, risu, visu, verbo, & opere, & in cunctis aliis vitiis meis malis: mea culpa, mea gravissima culpa. Ideo precor beatissimam gloriosissimam Virginem Mariam, omnes Sanctos & Sanctas Dei & vos fratres orare pro me. Amen.

Dicant assistentes. Misereatur tui omnipotens Deus. *Deinde dicat Sacerdos*.

Per gratiam Sancti Spiritus paracliti, per auxilium & signum sanctæ crucis, & per intercessionem gloriosæ semper Virginis Mariæ, per merita B. Apostolorum Petri, Pauli, B. Michaelis Archangeli, B. Johannis Baptistæ, B. Christophori, B. Catarinæ, B. Barbaræ, B. Margaritæ & omnium Sanctorum & Sanctarum misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet & confirmet vos in omni opere bono, & perducat ad vitam æternam, Amen.

Deus tu conversus vivificabis nos. Et plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Sacerdotes tui induantur justitiam. Ab occultis meis munda me, Domine. Domine exaudi. Dominus vobiscum.

Separatis manibus & positis super altare hinc inde, osculando altare in medio ante corporalia submissa voce dicat sacerdos eundo ad altare: Aufer a nobis, &c.

Eundo ad librum dicat submissa voce orationem. Conscientias nostras &c. *Hic libro aperto osculetur signum crucis in eodem loco existens, aut imaginem Dei dicendo*: Adoramus te Christe, &c. Oremus. Respice quæsumus, Domine, super hanc familiam, &c. Adjutorium in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum. *Ad dextrum cornu altaris Introitus*.

Ad evangelium portetur missale de dextra parte altaris ad sinistram, & eundo dicat sub silentio: Jube Domne benedicere. Deus sit in corde meo, &c. *Et hic nullum fiat signum crucis. Amota corporali desuper calicem, antequam incipiat evangelium dicat*: Dominus vobiscum. *Deinde signando se, & evangelium, & calicem, dicat*: Sequentia S. Evangelii, &c. *Quo finito, dicat submissa voce osculando evangelium*, Deo gratias, Credo & Confiteor. *Ad longum*. Per evangelica dicta deleantur nostra delicta. Amen.

Post offertorium dicat super calicem:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo.

Tum sumat calicem ambabus manibus patena & hostia su-

super existentibus, & elevet calicem ante pectus suum & dicat: Suscipe sancta Trinitas, &c. *Hic ponat calicem super corporalia dicendo:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. *Et hoc dicendo faciat crucem cum calice. Postmodum deponat patenam cum hostia. Tunc eadem hostia posita super corporalia, & patena ad dextram partem altaris contra panum mundum imposita cooperiat calicem cum corporali dicendo super calicem & hostiam cum cruce:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Ameo. *Et inclinato se junctis manibus ante medium altaris, eundo ad manuum lotionem dicat:* Lavabo inter innocentes, &c.

Lotis manibus, ante medium altaris, junctis manibus, dicat: Kyrie eleison. Christe aiaison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria. Veni sancte Spiritus.

Ante mediam altaris, inclinato corpore, & junctis manibus dicat: In Spiritu humilitatis, &c.

His ponat sacerdos ambas manus contiguas super sacrificium, dicendo: Veni sanctificator omnipotens ætarne Deus, & benadic hoc sacrificium tuo sancto nomini consecratum, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Hic sacerdos vertat se ad populum, dicendo submissa voce, manibusque junctis ante vultum, neminem respiciendo: Orate pro me fratres & sorores, & ego orabo pro vobis ad Dominom Deum nostrum, ut meum pariter ac vestrum coram Deo acceptum sit sacrificium.

Postea versa facie ad altare dicat secretam praponendo: Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Tua, Domine, propitiatione, & B. Mariæ semper Virginis intercessiona ad perpetuam atque præsentem hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem & pacem. Per.

His vadat ad canonem, & osculatur sacrificium: quo osculato, in medio altaris, elevatis brachiis, & extensis manibus, honorifice dicat: Per omnia sæcula sæculorum. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum & justum est. *Hic jungat manus & flectat genua modicum & dicat, & teneat manus & brachia ut prius* Vere dignum & justum est, &c.

Antequam elevetur Corpus Domini, inclinet sacerdos se cum reverentia ante ipsum, non sic tamen quod videri possit a retro stantibus. Tunc elevet Corpus, ita quod videri possit a retro stantibus. Quo facto, ponat illud in loco suo cum inclinatione. Postea discooperiat calicem decenter, illumque accipiat cum manu sinistra, & dicat: Simili modo posteaquam cœnatum est ... benedixit. *Hic accipiat calicem ambabus manibus: ita tamen quod digiti quibus tetigit corpus Domini jungantur.* Deditque discipulis suis dicens: accipite & bibite ex eo omnes. *Super os calicis hic dicendum est usque ad verbum* Facietis. Hic est enim calix Sanguinis mei ..... in mei memoriam facietis. *Hic elevet calicem cum Sanguine, & deinde discedat & cooperiat, & expansis manibus dicat:* Unde & memores, &c.

Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris; & intercedenta beata & gloriosa semper Virgine Dei Genetrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro. *Tangat hostiam subtus cum patena,* Paulo. *Et tangat pedem calicis,* Andrea. *Medium calicis,* Cum omnibus sanctis. *Tangat superiorem partem calicis,* Da propitius. *Tangat patena, os, oculos & frontem,* Pacem in diebus nostris .... adversitate securi. *Hoc dicendo signet se ante vultum cum dicta patena. Et deposita patena, & discooperta calica, accipiat hostiam & frangat eam in tres partes dicendo:* Per eumdem Dominum .... *Duas partes hostia teneat in manu sinistra, & tertiam in dextra dicens:* Per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Hic cum ista particula hostia quam in dextra manu tenet signet ter calicem, dicens:* Pax Domini sit semper vobiscum. Agnus Dei *ter.* Hæc sacrosancta commixtio, &c. Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis, &c. *Hic osculetur calicem dicendo:* Pax tibi, frater, & ecclesiæ sanctæ Dei. *In fine missæ evangelium S. Johannis:* In principio erat Verbum.

ORDO XXXV.

Ex veteri missali insignis ecclesiæ Sarisberiensis in Anglia.

AD missam dicendam dum sacerdos induit se sacris vestibus dicat hymnum: *Veni Creator Spiritus. ℣. Emitte Spiritum tuum. ℟. Et renovabis.*

Oratio.

Deus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut perfecte te diligere & digne laudare mereamur. Per.

Deinde sequatur antiphona. *Introibo ad altare Dei. Psal. Judica me Deus & discerne,* totus psalmus dicitur cum *Gloria Patri.* Deinde dicitur antiphona. *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.* His finitis, & officio missæ inchoato, cum post officium *Gloria Patri* incipitur, accedat sacerdos cum suis ministris ad gradum altaris, & dicat ipse confessionem, diacono assistente a dextris, & subdiacono a sinistris hoc modo incipiendo: *Et ne nos. Sed libera. Confitemini Domino quoniam bonus. Quoniam in sæculum misericordia ejus. Confiteor Deo, B. Mariæ, omnibus sanctis & vobis: peccavi nimis cogitatione, locutione, & opere, mea culpa. Precor sanctam Mariam, omnes sanctos Dei, & vos orare pro me.*

Ministri respondeant: *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet & confirmet in bono, & ad vitam perducat æternam.* Sacerdos. *Amen.* Et postea dicat: *Confiteor,* Quo dicto, dicat sacerdos: *Misereatur,* ut supra.

Deinde dicat sacerdos: *Absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium veræ pœnitentiæ, & emendationem vitæ, gratiam & consolationem Sancti Spiritus tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus.* Ministri ℟. *Amen.*

Et sciendum quod quicumque sacerdos officium exequatur, semper episcopus, si præsens fuerit, ad gradum chori dicat: *Confiteor, Misereatur,* & *Absolutionem.* Deinde dicat sacerdos ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit cælum & terram. Sit nomen Domini. Ex hoc nunc. Oremus.* Deinde finitis precibus, sacerdos deosculatur diaconum, & postea subdiaconum, ita dicens: *Habete osculum pacis & dilectionis, ut apti sitis sacrosancto altaris Domini ministerio.* Et hoc semper observatur per totum annum, nisi tantum in missis pro defunctis, & in tribus proximis feriis ante Pascha. His itaque peractis, ceroferarii candelabra cum cereis ad gradum altaris dimittant: Deinde accedat sacerdos ad altare, & dicat in medio altaris tacita voce, inclinatoque corpore, & junctis manibus. *Oremus.*

Aufer a nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Tunc erigat se sacerdos, & osculetur altare, & hoc in medio, & signet se in facie sua ita dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.*

Deinde ponat diaconus thus in thuribulum, & dicat prius sacerdoti *Benedicite.* Et sacerdos dicat: *Dominus. Ab ipso benedicatur hoc incensum, in cujus honore cremabitur: In nomine Patris, &c.* Tunc diaconus ei thuribulum tradens deosculetur manum ejus; & ipse sacerdos thurificet medium altaris, & utrumque cornu altaris. Primo in dextra, secundo in sinistra parte, & interim in medio: deinde ab ipso diacono ipse sacerdos thurificetur, & postea textum ministerio subdiaconi sacerdos deosculetur.

His itaque gestis in dextro cornu altaris cum diacono & subdiacono officium missæ usque ad orationem prosequatur, vel usque ad *Gloria in excelsis,* quando dicitur. Et post officium & psalmum repetatur officium, & postea dicitur *Gloria Patri* & *Sicut erat.* Tertio repetatur officium. Et hoc per totum observetur tam in Dominicis quam in festis Sanctorum, & in octavis & infra, quando chorus regitur, & in omnibus missis de S. Maria per totum annum observetur, nisi in Dominica Passionis Domini; & ab hinc usque ad Cœnam Domini, ad missam......

His finitis, & officio missæ inchoato, cum post officium *Gloria Patri* inchoatur, tunc accedant ministri ad altare ordinatim: primo ceroferarii duo pariter incedentes, deinde thuribularii, post subdiaconus, exinde diaconus, post eum sacerdos. Diacono & subdiacono casulis indutis, scilicet quotidie per adventum & a septuagesima usque ad Cœnam Domini quando de temporali dicitur missa, nisi in vigiliis & quatuor temporibus; manus tamen ad modum sacerdotis non habentibus: ceteris vero ministris, scilicet ceroferariis, thuribulario & acolytho in albis cum amictibus existentibus. In aliis vero temporibus anni quando de temporali dicitur missa, & in festis Sanctorum totius anni utantur diaconus & subdiaconus dalmaticis & tunicis, nisi in vigiliis & quatuor temporibus, & nisi in vigilia Paschæ & Pentecostes & Natalis Domini, si in Dominica contigerit, & excepto jejunio quatuor temporum quod celebratur in hebdomada Pentecostes, tunc dalmaticis & tunicis indui debent. In die Parasceves, & in Roga-

gatio-

gationibus ad missam jejunii & processionem & in missis Dominicalibus & Sanctorum, quæ in cap. dicuntur. Tunc enim albis cum amictibus utantur: ita tamen quod in tempore Paschali de quocunque dicitur missa, nisi in Inventione S. Crucis, utantur ministri altaris vestimentis albis ad missam. Similiter fiat in festo Annunciationis B. Mariæ, & in Conceptione ejusdem, & in utroque festo S. Michaelis, & in festo S. Johannis apostoli, in hebdomada Nativitatis Domini & per octavas, & in octavis Assumtionis & Nativitatis B. Mariæ, & in commemorationibus ejusdem per totum annum, & per octavam & in octava Dedicationis Ecclesiæ. Rubeis vero utantur vestimentis omnibus Dominicis per annum extra tempus Paschæ, quando de Dominica agitur, & in quarta feria in capite jejunii & in Cœna Domini, & in utroque festo S. Crucis, in quolibet festo martyrum, apostolorum & evangelistarum extra tempus Paschæ. In omnibus autem festis unius confessoris vel plurimorum confessorum utantur vestimentis crocei coloris.

Quo facto, sacerdos & sui ministri in sedibus paratis se recipiant, & expectent usque ad *Gloria in excelsis*, quod incipiatur semper in medio altaris. Post inceptionem *Gloria in excelsis*, divertat se sacerdos ad dextrum cornu altaris, & ministri cum eo prosequentes. Diaconus a dextris, & subdiaconus a sinistris submissa voce dicant idem.

Notandum est quod omnes clerici stare tenentur ad missam, nisi dum lectio epistolæ legitur, & Graduale & *Alleluja* vel tractus cantatur. In duplicibus tamen festis stare tenentur omnes dum a choro *Alleluja* canitur: pueri vero semper sint stantes ad missam in choro canente. Rectores vero chori, cum duo tantum habentur, sequantur per omnia regulam clericorum de secunda forma ad vesperem, matutinas & ad missam, nisi quod semper dum chorus canit *Alleluja* stare tenentur, & in inceptionibus cantuum ad missam ad altare se convertant. In duplicibus festis omnes rectores chori imitentur omnia ut supra.....

His ita peractis factoque signaculo crucis in facie sua, vertat se sacerdos ad populum, elevatisque aliquantulum brachiis, junctisque manibus, dicat hoc modo: *Dominus vobiscum*. Et chorus respondeat sub eodem tono. Et iterum revertatur ad altare, & dicat hoc modo: *Oremus*.... Deinde dicitur oratio: & si aliqua memoria habenda est, iterum dicat sacerdos: *Oremus*, ut supra. Et quando sunt plures collectæ dicendæ, tunc omnes orationes quæ sequuntur sub uno *Per Dominum* & uno *Oremus* dicuntur; ita tamen quod septenarium numerum excedere non debent secundum usum ecclesiæ Sarisberiensis.

Et semper dum stat sacerdos ad officium missæ, post eum stet diaconus directe in proximo gradu, & subdiaconus similiter modo directe in secundo gradu post diaconum: ita ut quotiens sacerdos ad populum se convertit, diaconus similiter se convertat. Subdiaconus vero interim genuflectendo de capsula sacerdotis aptanda subministret. Et si episcopus celebraverit, omnes diaconi in gradu diaconorum consistant, principali diacono medium locum inter eos obtinente. Simili modo in gradu subdiaconorum se habeant; ceteris omnibus diaconis & subdiaconis gestum principalis diaconi & principalis subdiaconi imitantibus, excepto quod principalis subdiaconus sacerdoti ad populum convertenti solus subministret.

Sciendum est autem quod quidquid a sacerdote dicitur ante epistolam in dextro cornu altaris expleatur, præter inceptionem *Gloria in excelsis*. Similiter fiat post perceptionem sacramenti. cetera omnia in medio altaris explentur, nisi forte diaconus defuerit; tunc enim in sinistro cornu altaris legatur evangelium.

Post introitum vero missæ unus ceroferariorum panem, vinum & aquam quæ ad Eucharistiæ ministrationem disponuntur, deferat; reliquus vero pelvim cum aqua & manutergio portet. Chorum licet ingredi usque ad completorium primæ collectæ......

Post offertorium vero porrigat diaconus sacerdoti calicem cum patena & sacrificio, & osculetur manum ejus utraque vice. Ipse vero accipiens ab eo calicem diligenter ponat in loco suo debito super medium altare, & inclinato parumper elevet calicem utraque manu offerens sacrificium Domino: dicendo hanc orationem:

Oratio.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam ego indignus peccator offero in honore tuo, B. Mariæ, & omnium sanctorum tuorum, pro peccatis & offensionibus meis, & pro salute vivorum & requie omnium defunctorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Acceptum sit omnipotenti Deo hoc sacrificium novum.

Dicta oratione, reponat calicem, & cooperiat cum corporalibus, ponatque panem super corporalia decenter ante calicem, vinum & aquam continentem, & osculetur patenam, & reponat eam a dextris super altare sub corporalibus parum cooperiendo.

Hoc peracto, accipiat thuribulum a diacono, & thurificet sacrificium: videlicet ultra ter signum crucis faciens & in circuitu & ex utraque parte calicis & sacrificii; deinde locet inter se & altare. Et dum thurificat dicat: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu majestatis tuæ*. Postea thurificetur ipse sacerdos ab ipso diacono: & subdiaconus deferat ei textum deosculandum: deinde acolythus thurificet chorum, incipiens a rectoribus chori: deinde superiorem gradum ex parte decani incipiens ab ipso decano vel a proximiori stallo, eo absente: postea superiorem gradum ex parte cantoris: eodem ordine secundas, exinde primas formas: ita quod ipse puer singulos clericos incensando illis inclinet, subsequente cum subdiacono cum textu ab omnibus deosculando. Si episcopus celebraverit, & duplex festum fuerit, duo venient cum thuribulis, & duo subdiaconi cum duobus textibus vel reliquiis. Si autem episcopus non celebraverit, & duplex festum fuerit, textum deferat acolythus ex parte cantoris. Primo autem thurificandus est cantor qui stat in medio chori cum ceteris rectoribus chori, scilicet in festis majoribus duplicibus tantum: deinde principales rectores chori ex utraque parte sui: exinde duo rectores secundarii: postea chorus more solito. Eodem vero ordine sequantur textus.

Quando vero non dicitur *Credo*, tunc immediate post *Oremus*, & offertorium accedat diaconus; & offerat sacerdoti calicem cum patena, & cetera solito more explicantur, & thurificet sacrificium more solito; sed chorus non thurificetur. Numquam enim incensatur chorus post evangelium ad missam, nisi quando dicitur *Credo*; sed tunc semper.

His ita peractis, eat sacerdos ad dextrum cornu altaris, & abluat manus dicens: *Munda me, Domine, ab omni inquinamento cordis & corporis nostri, ut possim mundus implere opus sanctum Domini.*

Deinde revertat se, & stans ante altare, inclinatoque capite, & corpore, junctis manibus dicat orationem: *In Spiritu humilitatis, & in animo contrito, &c.* Et erigens se deosculetur altare a dextris sacrificii: & dans benedictionem ultra sacrificium, postea signet se dicens: *In nomine Patris, & Filii, &c.* Deinde vertat se sacerdos ad populum, & tacita voce dicat:

Orate, fratres & sorores, pro me, ut meum pariterque vestrum aptum sit Domino Deo nostro sacrificium.

Responsio cleri privatim.

Spiritus sancti gratia illuminet cor tuum & labia tua, & accipiat Dominus digne hoc sacrificium laudis de manibus tuis pro peccatis & offensionibus nostris.

In missis vero pro defunctis post ablutionem manuum sacerdotis, statim incipiat sacerdos junctis manibus in medio altaris, conversus ad altare dicens: *Hostias & preces tibi, Domine, offerimus*. Et chorus cantando respondeat: *Tu suscipe pro animabus illis quarum hodie memoriam agimus: fac eas, Domine, de morte transire ad vitam.* Et interim dicat sacerdos: *In spiritu humilitatis*. Deinde statim dicat conversus ad populum tacita voce: *Orate, fratres & sorores pro fidelibus defunctis*. Responsio cleri cantando: *Requiem æternam dona eis, Domine; & lux perpetua luceat eis, quam olim Abrahæ promisisti & semini ejus.*

Notandum quod in omnibus missis pro corpore præsenti & in anniversariis cujuscumque fuerint, & in trigintalibus dicitur *Hostias & preces* cum ℣. *Requiem æternam* & *Quam olim*. In omnibus vero aliis missis pro defunctis non dicuntur, nec in die animarum.

Et reversus ad altare sacerdos secretas orationes dicat, juxta numerum antedictarum & ordinem ante epistolam, ita incipiens: *Oremus*. Quibus finitis, dicat sacerdos aperta voce *Per omnia secula seculorum*. Manibus non levatis, dicatur *Sursum corda*. Et tunc accipiat subdiaconus offertorium & patenam de manu diaconi, ipsam patenam tenendam quousque *Pater noster* dicitur; quam acolytho offertorio coopertam committat in gradu, scilicet post diaconum interim constituto. Quod etiam observetur in omni missa ad autenticum altare celebranda per totum annum, nisi tantum in missis pro defunctis: tamen in die animarum observabitur.

Sequitur præfatio & canon *Te igitur*, *&c.* Hic respiciat sacerdos hostiam cum magna veneratione dicens: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ*, *&c.* Hic iterum respiciat hostiam dicens: *Quam oblationem tu Deus*, *&c.* Hic erigat sacerdos manus & conjungat: & postea tergat digitos, & elevet hostiam dicens: *Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas & elevatis*

ocu-

scendit in cælum. Hic elevet oculos suos, *Ad te Deum Patrem omnipotentem*. Hic inclinet se & postea elevet paululum dicens: *Tibi gratias agens benedixit ac fregit*. Hic tangat hostiam, *deditque discipulis suis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc est enim Corpus meum*. Et debent ista verba proferri cum uno spiritu, & sub una prolatione, nulla pausatione interposita. Post hæc verba elevet eam supra frontem, ut possit a populo videri, & reverenter illud reponat ante calicem in modum crucis per eamdem factæ. Et tunc discooperiat calicem, & teneat inter manus suas non disjungendo pollicem ab indice, nisi dum facit benedictiones tantum ita dicens. *Simili modo postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi*. Hic inclinet se dicens: *Gratias agens bene † dixit, deditque discipulis suis dicens: Accipite & bibite ex eo omnes*. Hic elevet sacerdos parumper calicem ita dicens: *Hic est enim calix Sanguinis mei novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Hic elevet calicem usque ad pectus, vel ultra caput dicens: *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis*. Hic reponat calicem & elevet brachia in modum crucis, junctis digitis usque ad hæc verba *de tuis donis, &c. immaculatam hostiam*.

Hic sacerdos, corpore inclinato, & cancellatis manibus dicat: *Supplices te rogamus* usque *ex hac altaris participatione*. Et tunc erigat se deosculans altare a dextris sacrificii: & faciat signum crucis super hostiam & calicem, & in facie sua cum dicit: *Omni benedictione cælesti, &c. Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*. Hic sacerdos ter signet calicem dicens: *Sancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis, & præstas nobis*. Hic sacerdos discooperiat calicem, & faciat signaculum crucis cum hostia quinquies: primo ultra calicem ex utraque parte; secundo calici æquale, tertio infra calicem, quarto sicut primo, quinto ante calicem. *Per ip † sum, & cum ip † so, & in ip † so, est tibi Deo Patri omni † potenti in unitate Spiritus † sancti omnis honor & gloria*. Hic cooperiat sacerdos calicem, & teneat manus suas super altare usque dum dicitur *Pater noster*, ita dicens: *Per omnia secula seculorum. Amen. Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere*. Hic accipiat diaconus patenam, eamque a dextris sacerdotis extento brachio in altum usque *Da propitius* discoopertam teneat. Hic elevet manus sacerdos, dicens: *Pater noster, &c. Libera nos quæsumus, &c. cum omnibus sanctis*: Hic committat diaconus patenam sacerdoti deosculans manum ejus, & sacerdos deosculetur patenam: postea ponat ad sinistrum oculum, deinde ad dextrum, postea faciat crucem cum patena ultra caput; & tunc reponat eam in locum suum dicens: *Da propitius pacem in diebus nostris, &c. omni perturbatione securi*. Hic discooperiat calicem, & sumat Corpus cum inclinatione transponens in concavitate calicis retinendo inter pollices & indices, & frangat in tres partes dum dicitur: *Per eumdem Dominum &c.* Hic teneat duas fracturas in sinistra manu, & tertiam fracturam in dextra manu in summitate calicis, ita dicens: *Per omnia secula seculorum*.

Ad *Agnus Dei qui* dicendum, accedant diaconus & subdiaconus ad sacerdotem, uterque a dextris, diaconus propior, subdiaconus remotior, & dicant privatim *Agnus Dei, &c.* Hic cruce signando deponat dictam tertiam partem hostiæ in sacramentum Sanguinis sic dicendo: *Hæc sacro † sancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi, omnibusque sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam æternam promerendam & capescendam præparatio salutaris. Per*.

Antequam pax detur dicat sacerdos:

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc sacrosanctum Corpus & Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita digne sumere ut merear per hoc remissionem omnium peccatorum meorum accipere, & tuo Sancto Spiritu repleri, & pacem tuam habere: quia tu es Deus solus, & præter te non est alius, cujus regnum & imperium gloriosum sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

Hic osculetur sacerdos corporalia in dextera parte, & summitatem calicis, & postea diaconum dicens: *Pax tibi & ecclesiæ Dei*. Responsio: *Et cum spiritu tuo*. Diaconus a dextris sacerdotis ab eo pacem recipiat & subdiacono porrigat. Deinde ad gradum chori ipse diaconus pacem portet rectoribus chori, & ipsi pacem choro portent, uterque suæ parti, incipiens a majoribus. In festis vero & feriis quando chorus non regitur, pax a diacono choro apportatur per duos extremos de secunda forma, cetera sicut prius. Post pacem datam dicat sacerdos orationes sequentes privatim antequam se communicet, tenendo hostiam duabus manibus.

Deus Pater, fons, & origo totius bonitatis, qui ductus misericordia unigenitum tuum pro nobis ad infima mundi descendere, & carnem sumere voluisti, quam ego hic manibus meis teneo. Hic inclinet se sacerdos ad hostiam dicens: *Te adoro, te glorifico, & tota cordis intentione laudo, & precor ut nos famulos tuos non deseras, sed peccata nostra dimittas: quatinus tibi soli vivo & vero Deo puro corde & casto corpore servire valeamus. Per*.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, &c.

Corporis & Sanguinis tui, Domine Jesu Christe, sacramentum, quod licet indignus accipio, non sit mihi judicio & condemnationi, sed tua prosit pietate corporis mei & animæ saluti. Amen.

Ad Corpus dicat cum humiliatione antequam percipiat:

Ave in æternum sanctissima Caro Christi mihi ante omnia & super omnia summa dulcedo.

Corpus Domini nostri Jesu Christi sit mihi peccatori via & vita in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Amen.

Hic sumat Corpus cruce prius facta cum ipso Corpore ante se: deinde ad Sanguinem cum magna devotione, dicens:

Ave in æternum cælestis potus mihi ante omnia & super omnia summa dulcedo.

Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi prosint mihi peccatori ad remedium sempiternum in vitam æternam, Amen. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Hic sumat Sanguinem, quo sumpto, inclinet se sacerdos & dicat cum devotione orationem sequentem.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me refecisti de sacratissimo Corpore & Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi, & precor ut hoc sacramentum salutis nostræ, quod sumsi indignus peccator, non veniat mihi ad judicium, neque ad condemnationem pro meritis meis, sed ad profectum corporis mei & animæ saluti in vitam æternam. Amen.

Qua dicta, eat sacerdos ad dextrum cornu altaris cum calice inter manus, digitis adhuc conjunctis sicut prius. Et accedat subdiaconus, & effundat in calicem vinum & aquam, & resinceret sacerdos manus suas, ne aliquæ reliquiæ Corporis vel Sanguinis remaneant in digitis vel in calice. Cum vero aliquis sacerdos debet bis celebrare in uno die, tunc ad primam missam non debet percipere ablutionem illam; sed ponere in sacrario vel in vase mundo usque ad finem alterius missæ: & tunc sumatur utraque ablutio. Post primam ablutionem vel effusionem dicitur hæc oratio. *Quod ore sumsimus, &c.*

Hic lavet digitos in concavitate calicis cum vino infuso a subdiacono: quo hausto, sequatur oratio:

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, & cælestis remedii faciat esse consortes.

Post perceptionem ablutionum ponat sacerdos calicem super patenam, ut si quid remaneat stillet, & postea inclinando se dicat: *Adoremus Crucis signaculum, per quod salutis sumsimus sacramentum*. Deinde lavet manus: diaconus interim corporalia complicet. Ablutis manibus, & redeunte sacerdote ad dextrum cornu altaris, diaconus calicem porrigat ori sacerdotis, si quid infusionis in eo remanserit resumendum. Postea vero dicat cum suis ministris communionem. Deinde facto signo crucis in facie, vertat se sacerdos ad populum, elevatisque aliquantulum brachiis, & junctis manibus, dicat: *Dominus vobiscum*. Et iterum revertens se ad altare, dicat *Oremus*; deinde dicat postcommunionem juxta numerum & ordinem antedictarum orationum ante epistolam. Finita ultima postcommunione, factoque signo crucis in fronte, iterum vertat se sacerdos ad populum, & dicat *Dominus vobiscum*: deinde diaconus: *Benedicamus Domino*. Alio vero tempore, *Ite missa est*.

His dictis, sacerdos inclinato corpore, junctisque manibus, tacita voce coram altari in medio dicat hanc orationem: *Placeat tibi, Sancta Trinitas, &c.* Qua finita, erigat se sacerdos signans se in facie sua dicens: *In nomine Patris, &c.* Et sic inclinatione facta, eo ordine quo prius accesserunt ad altare in principio missæ, sic induti cum ceroferario & ceteris ministris redeant. Et statim post *Deo gratias*, incipiatur in choro hora Nona quando post missam dicitur: sacerdos vero redeundo dicat evangelium *In principio*. Cum vero sacerdos exuerit casulam, & alia indumenta sacerdotalia, dicat psalmos cum antiphona *Trium puerorum* psal. *Benedicite, &c.*

Et sciendum est quod in omni missa, quando de feria dicitur, fiat prostratio a toto choro statim post *Sanctus* usque *Pax Domini* per totum annum nisi a Pascha usque *Deus omnium Sanctorum*.

ORDO XXXVI.

Ex ms. codice Beccensis monasterii.

INTRODUCTIUNCULA AD SACRIFICIUM DOMINICUM.

Ad manuum ablutionem.

Largire sensibus nostris, omnipotens Pater, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur pollutiones mentium, & crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum. Per Dominum.

Ad benedictionem vini & aquæ.

De latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis & aqua in remissionem peccatorum; sanguis, ut redimeret; aqua, ut emundaret. Commixtio vini & aquæ pariter fiat in nomine Patris † & Filii, &c.

Oblatis pane & calice super altari sic oret,

Oremus.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus pro nostra omniumque salute. In nomine Patris, & Filii, &c.

Ad amictum.

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas & superandas omnes diabolicas fraudes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis & tunica justitiæ & indumento lætitiæ circumda me semper. Per Christum.

Ad cingulum.

Præcinge, Domine, lumbos mentis meæ, & circumcide vitia cordis & corporis mei. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Psalmus. Judica me, Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, a viro iniquo eripe me. Gloria Patri, &c.

Antiphona. Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, Et ne nos. Domine exaudi, Dominus vobiscum. Oremus.

Aufer a nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras: ut mereamur puris mentibus introire ad Sancta Sanctorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Ad manipulum.

Da mihi, Domine, sensum rectum & orationem puram, ut in spiritu seminando, de spiritu metam vitam æternam. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Ad stolam.

Stolam jocunditatis indue me, Domine, & coronam pulchritudinis pone super caput meum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad casulam.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Indue me, Domine, ornamento humilitatis contra fraudem inimicorum: ut valeam pura corde laudare nomen tuum gloriosum, qui es benedictus in secula seculorum. Amen.

Ante altare prostratus.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ, clementissime Pater, licet peccator [*Hic pectus tangat*] accedo: tuam ineffabilem pietatem supplex adoro, ut qui me sacerdotalis officii concessisti ministrum; facias me tibi semper esse placitum, & ad celebrandum tantum mysterium dignum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.

Ego reus & indignus sacerdos confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini & omnibus Sanctis ejus, quia ego miser peccator peccavi nimis contra legem Dei mei, cogitatione, locutione, & opere, & in cunctis aliis vitiis meis: Mea culpa, mea culpa, mea gravissima culpa, propterea vos precor orare pro me. Amen.

Misereatur vestri omnipotens Deus: dimittat vobis omnia peccata vestra: liberet vos ab omni malo, conservet & confirmet vos in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum, gratiam & consolationem Sancti Spiritus, & perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens Pater, pius & misericors Dominus. Amen.

Vertendo se ad populum.

Adjutorium nostrum in nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.
Sit nomen Domini benedictum.
Ex hoc nunc & usque in seculum.
Ora pro nobis sancta Dei genitrix.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

*Hic libri * Majestatem deosculetur.*

Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. ℣. Omnis terra adoret te, Deus, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo. Oremus.

Perpetua nos, Domine, pace custodi, quos per lignum sanctæ Crucis redimere dignatus es. Qui vivis & regnas.

Alia oratio.

Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium & crucis subire tormentum. Qui tecum vivit, &c.

Tunc perget ad officium de quo acturus est.

Ad evangelium.

Jube domne benedicere. Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis ad pronunciandum suum sanctum evangelium pacis in ecclesia Dei. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Post evangelium.

Deo gratias. Per evangelica dicta, nostra deleantur peccata. Amen.

Ad secundam manuum ablutionem hymnus.

Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, &c.

Prostratus ante altare junctis manibus dicat:

Oremus.

In spiritu humilitatis & in animo contrito, suscipiamur a te, Domine, & sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie, & placeat tibi Domine Deus. Omnipotens Pater, benedic † (*super panem & calicem*) & sanctifica hoc sacrificium laudis quod tibi oblatum est ad honorem & gloriam nominis tui, & parce peccatis populi tui, & aufer a me (*tangat pectus*) iniquitates meas, & exaudi orationem meam & clamor meus ad te veniat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Sese ad populum vertens.

Orate pro me, fratres, ut digne valeam sacrificium offerre Deo.

Revertendo ad altare.

Dominus sit in corde meo & in labiis meis, ut suscipiat hoc sacrificium de ore meo, & de manibus meis digne pro nostra omniumque salute. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Ad secreta perget, quæ ubi ad finem perduxerit, primum dicat: Per omnia secula seculorum. Amen, &c. Oremus. Te igitur Clementissime Pater. *Tunc accedat ad familiare colloquium primo* Memento *pro vivis* pro se suisque, pro N. pro nostro abbate & fratribus, pro magistris, pro patribus, matribus & matrinis, pro fundatoribus, benefactoribus & familiaribus, pro papa, pro rege, pro archiepiscopo, pro iis quibus tenemur, & etiam suis tenentur, pro omnibus prælatis & religiosis S. Benedicti, pro paganis & hæreticis, pro pace, pro tempore, pro bonis, pro peste & adversitatibus.

Poterit ad hunc modum orare pro vivis:

Domine Deus, Pater omnipotens, qui sola bonitate tua ex nihilo cuncta creasti, per immensam misericordiam tuam & pietatis abyssum, rogo ut dimissis omnibus peccatis præteritis, me a futuris præserves, & dignum efficias ministrum, qui solus de peccatoribus justos facis, ut tantum sacrificium tibi digne offeram, & sit tibi acceptum. Et per merita gloriosissimæ Virginis Mariæ, sanctorum Angelorum tuorum, beatorum Petri & Pauli, Benedicti, Barbaræ, Genovefæ, & quorum hodie memoriam agimus, totiusque cælestis exercitus. Concede hoc fieri ad gloriam & honorem nominis tui, ad memoriam mysteriorum Individuæ Trinitatis, ad remissionem omnium peccatorum meorum, ad salutem animæ & corporis mei; & me libera ab omni adversitate & peccato: utrumque parentem (*si adhuc vivunt*) omnesque aut sanguine aut consuetudine mihi conjunctos, & eos qui de me bene merentur, tibi commendo, famulum tuum papam, episcopos, abbates, omnes ecclesiæ rectores, eos potissimum qui me ad sacros ordines promoverunt semper custodi: hæreticos, paganos, participes effice cognitionis tuæ & cælestis glo-

riæ

* idest imaginem initio missalis positam, SS. Trinitatem repræsentantem.

riæ, ut juxta verbum tuum fiet unum ovile & unus pastor. Totam denique plebem tuam oculis misericordiæ tuæ respice, ut eam & ab omni inimicorum impetu liberes, & quæ necessaria sunt tribuas. Amen. Et omnium circumstantium.

In secundo Memento *orabit pro animi desiderio, primo pro amicis defunctis, pro fundatoribus, ac benefactoribus, quibusque tenetur. (Dicta oratione Dominica) tunc junctis manibus dicat prostratus.* Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, &c. *quam ubi ad exitum protenderit, ad fractionem veniens dicat:* Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Pax Domini sit semper vobiscum. Agnus Dei *una vice tantum. Postea dicat cum quodam silentio:* Fiat commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi omnibus accipientibus in vitam æternam. Amen. *Postremo dicat secundum & tertium* Agnus Dei, *cum oratione* Domine Deus Pater omnipotens, &c. *Statim ubi pacem deosculatus fuerit, subjiciat:* Pax tibi, frater, & universæ sanctæ ecclesiæ Dei.

Priusquam ad communionem accedat, orationes pro animi desiderio habebit:
Oratio.

Ave verum corpus natum de Maria Virgine. Vere passum, immolatum in cruce pro homine. Cujus latus perforatum mero fluxit sanguine. Esto nobis prægustatum mortis in examine. O Jesu dulcis, o Jesu pie, o Jesu fili Mariæ. Amen.

Alia oratio.

O panis angelorum, qui de cælo descendisti, ut te mihi viaticum præberes; conserve me in hac vita, ut tibi soli serviam, atque digne te Deo Patri sæpius offeram, per extremum illum dolorem quem mihi in cruce sustinuisti. Libera me in exitu ab inimicorum fraude, a peccatorum multitudine, securemque redde, & felicem, ut percepto tuo munere semper de tua misericordia bene sperem; & cum demum judex apparueris per tuæ genitricis sanctorumque omnium intercessionem me a pœnis libera, ut in cælis tua visione fruar in æternum. Amen.

Sumendo Corpus ad patrem.
Oratio.

Corpus Domini nostri Jesu Christi sit mihi, Domine, famulo tuo peccatori ad salutem & ad remedium in vitam æternam. Amen.

Ad Sanguinem.

Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit mihi in vitam æternam. Amen.

Post communionem.

Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiemus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum in vitam æternam. Amen.

Vertens se ad ministrum puerum.

Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

Versus altare.

Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis. Deo gratias.

Signando se calice dicat.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui-sancto. Sicut erat, &c.

Ante altare prostratus.
Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu-sancto, mirabiliter, &c.

Ad ultimam manuum ablutionem.

Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo, &c.

Auge in nobis, quæsumus Domine, fidem tuam, & Spiritus-sancti lucem in nobis semper accende.

Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil est sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.

Deus virtutum cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris ignem tui amoris; & præsta in nobis religionis augmentum, ut quæ sunt bona, nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita, custodias.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio e te semper incipiat, & per te cœpta finiatur; & pacem tuam nostris concede temporibus, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; & animæ famulorum tuorum requiescant in pace. Per Dominum.

Dominus vobiscum. Benedicamus Domino. Deo gratias. Benedicite. Dominus nos benedicat † & ab omni malo defendat, & ad vitam æternam perducat, & a subitanea & improvisa morte liberet nos Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Et beata viscera Mariæ Virginis quæ portaverunt æterni Patris Filium.

Gratiarum actiones.

Trium puerorum, &c. Benedicite sacerdotes, &c. Laudate Dominum in sanctis ejus, &c. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis. Domine Deus virtutum converte nos. Et ostende faciem tuam & salvi erimus. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Deus qui tribus pueris. Dominus vobiscum. Benedicamus Domino. Deo gratias.

ORDO XXXVII.

Ex veteri Breviario ad usum Rotomagensis S. Audoeni monasterii edito.

INCIPIT INTROITUS MISSÆ.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Et Introibo ad altare Dei; ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Ps.* Judica me Deus & discerne. *In fine.* Gloria Patri. Et introibo. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ quia pauperes facti sumus nimis.

Tunc debet accipere manipulum, dicendo.

Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Esto nobis Domine turris fortitudinis. A facie inimici. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Domine Deus virtutum converte nos. Et ostende faciem tuam & salvi erimus. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Tunc accipiat stolam, dicendo.
Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, & quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat.

Aufer a nobis Domine iniquitates nostras, ut mereamur puris mentibus introire ad sancta sanctorum.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros & cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus & mundo corde placeamus.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio & oratio a te semper incipiat & per te cœpta finiatur & pacem tuam nostris concede temporibus, & animæ famulorum famularumque tuarum requiescant in pace. Amen. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Benedicamus Domino. Deo gratias.

Quando vadit ad altare dicat.
Oremus.

Deus qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos, munda cor meum & corpus meum ab omni contagione & sorde peccati, & fac me dignum ac strenuum sanctis altaribus tuis ministrum; & concede propitius ut in hoc altari ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles atque placabiles offeram pietati tuæ pro peccatis & offensionibus innumeris & quotidianis excessibus meis & pro famulo tuo rege nostro & pro populo tibi subdito, & pro omnibus circumastantibus, omnibusque mihi in familiaritate conjunctis simul, & pro omnibus mihi adversantibus, & pro omnibus fidelibus christianis vivis ac defunctis. Et per eum sit tibi votum meum acceptabile, qui se tibi Deo Patri obtulit pro nobis in sanctum sacrificium. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Ego tuus & indignus sacerdos. Confiteor Deo omnipotenti & beatæ Mariæ Virgini & omnibus sanctis ejus: quia ego miser peccator peccavi nimis contra legem Dei mei cogitatione, delectatione, pollutione, consensu, tactu, risu, visu, verbo & opere, in transgressione ordinis

mei, & omissione servitii mei, participando aum excommunicatis: & in cunctis aliis vitiis meis malis. Mea culpa, mea culpa, mea gravissima culpa. Ideo precor te pussima Virgo Maria, & omnes sancti & sanctæ Dei, & vos fratres, ut oretis pro me peccatore apud Dominum Deum nostrum omnipotentem ut ipse misereatur mei. Amen.

Fratres per sanctam misericordiam Domini nostri Jesu Christi, per gratiam sancti Spiritus paracliti, per virtutem sanctæ crucis, & per intercessionem beatæ & gloriosæ semperque Virginis Dei genitricis Mariæ, & per merita beatorum Apostolorum Petri & Pauli, sancti Michaelis archangeli, sancti Johannis Baptistæ, sancti Romani, sancti Audoeni, sancti Benedicti, sanctæ Annæ, & sanctæ Catharinæ, sanctæ Barbaræ virginis & martyris, & omnium sanctorum & sanctarum misereatur vestri omnipotens Deus & dimissis omnibus peccatis vestris liberet vos ab omni malo, conservet & confirmet in omni opere bono, & perducat vos Jesus Christus Filius Dei ad vitam eternam. *Respondetur a populo*. Amen.

Indulgentiam, absolutionem & remissionem omnium peccatorum nostrorum, gratiam & consolationem sancti Spiritus, emendationem morum & vitæ, cor semper vere pœnitens & dignos fructus pœnitentiæ tribuat nobis omnipotens Pater pius & misericors Dominus. Amen.

Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit cælum & terram. Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc nunc & usque in sæculum. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Majestatem tuam adoramus, Domine, tuam gloriosam recolimus passionem. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Incipitur officium. Benedictio incensi. Benedicite. Dominus. Ab illo sanctificeris in cujus honore cremaris. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Quando incensatur altare dicitur. Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Benedictio vini & aquæ. Benedicite. Dominus. De latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis & aqua. Qui vidit testimonium perhibuit & scimus quia verum est testimonium ejus. Commixtio vini & aquæ pariter fiat. In nomine Patris, &c.

Jube Domne benedicere. Dominus sit in corde & ore meo & in labiis meis ad pronunciandum sanctum evangelium pacis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Quando dicitur evangelium sacerdos debet respondere. Gloria tibi Domine qui natus es de Virgine, cum Patre & sancto Spiritu, &c. *Post evangelium dicat*. Per evangelica lecta deleantur nostra delicta. Amen. *Quando osculatur textum dicat*. Ave sanctum evangelium pacis.

Postquam dicit offertorium incipiat. Veni Creator Spiritus *ad longum. Dum abluit manus suas dicat*. Inter innocentes lavabo manus meas & circumdabo altare tuum Domine. *Si sit abbas vel prior, debet ei dicere*. Misereatur vestri omnipotens Deus.

Post hæc intrat ante altare dicendo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur Domine a te, & sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie: & placeat tibi Domine Deus meus.

Tunc vertat se coram populo dicendo. Orate fratres carissimi pro me peccatore ut meum pariter ac vestrum in conspectu Domini acceptum sit sacrificium apud Deum omnipotentem pro salute & requie tam vivorum quam mortuorum. Oremus.

Tunc dicitur secreta. In fine. Per Dominum. *Quando dicitur*, Sanctus, *debet extendere brachia sua cruce signatis. Et postea facere crucem super se dicendo*. Benedictus qui venit.

Quando osculatur patenam dicat primo. Pax mihi Domine Jesu Christe & ecclesiæ sanctæ tuæ. Et tibi frater.

Post perceptionem dicat se inclinando ante altare. Perceptio corporis & Sanguinis tui Domine Jesu Christe, quam indignus sumere præsumpsi, non ad condemnationem mihi proveniat, nec in judicium, sed pro tua pietate prosit mihi ad indulgentiam & remissionem omnium peccatorum meorum, & ad vitam æternam. Amen.

Quod ore sumpsi Domine pura mente capiam, & de temporali conversatione fiat mihi munus æternum. Agimus tibi gratias rex omnipotens Deus pro universis beneficiis tuis, qui vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Nunc dimittis servum tuum Domine. *In fine*. Gloria Patri. *Deinde dicitur postcommunio. Post* Ite missa est. *Inclinat se ante altare dicendo*. Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta ut hoc sacrificium quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli tibi sit acceptabile, mihique & omnibus pro quibus illud obtuli sit te propitiante propitiabile. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Initium sancti evangelii secundum Johannem. Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine cum Patre & sancto Spiritu in sempiterna sæcula. Amen. In principio erat verbum &c. Plenum gratiæ & veritatis. Deo gratias. Te invocamus, te adoramus, te laudamus, o beata Trinitas. Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Oremus.

Protector in te sperantium, Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.

Ecclesiam tuam, quæsumus Domine, benignus illustra ut beati Johannis apostoli & evangelistæ illuminata doctrinis, ad bona perveniat sempiterna.

Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis veræ religionis augmentum, ut quæ sunt bona nutrias: ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias. Actiones nostras quæsumus Domine, &c. *In fine*. Dominus vobiscum. Benedicamus Domino. Deo gratias. Benedicite. Dominus. A subitanee & improvisa morte, & a damnatione perpetue liberet nos Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Et benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus-sancti descendat, & maneat super nos. Amen. *Dicet*. Et beata viscere Mariæ Virginis quæ portaverunt æterni Patris Filium. Amen. Benedicite sacerdotes. Laudate Dominum in sanctis ejus. *In fine*. Gloria Patri. Trium puerorum cantemus hymnum quem cantabant in camino ignis benedicentes Dominum. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui tribus pueris mitigasti flammas ignium concede propitius, ut nos famulos tuos non exuret flamma vitiorum. Per Dominum nostrum.

Deinde dicitur.

Gratias ago tibi, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me refecisti de sacratissimo Corpore & Sanguine Christi Filii tui Domini nostri & precor ut non veniat mihi ad judicium, neque ad condemnationem; sed ad proficium corporis & animæ, & ad vitam æternam, & illis omnibus qui a me miserrimo peccatore in tuo sancto nomine susceperunt cum omnibus credentibus vivis ac defunctis salus fiat in æternum.

Alia oratio.

Gratias tibi ego, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me indignum peccatorem satiare dignatus es Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, & precor ut hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit mihi armatura fidei & scutum bonæ voluntatis: sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio, caritatis, patientiæ, humilitatis, & obedientiæ, & virtutis augmentatio: contra insidias inimicorum tam visibilium quam invisibilium firma defensio: motus vitiorum meorum perfecta quietatio; in te uno ac solo Deo firme adhæsio atque finis felix consummatio: & precor ut ad illud ineffabile convivium me indignum peccatorem perducere digneris, ubi tu es ipse cum sanctis tuis lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum. Amen.

Alia oratio.

Sancta Maria, inclita Mater Domini nostri Jesu Christi: serenissima Maria regina cæli & terræ: quæ eumdem creatorem tuo sanctissimo utero digna fuisti portare: cujus hodie verissimum Corpus & Sanguinem sumpsi: sed ipsum pro me intercedere digneris: ut quidquid in hoc ineffabili sacramento ignoranter, negligenter, vel accidentaliter admisi, tuis sanctis precibus mihi indulgere dignetur. Qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DE OFFICIO DIACONI CARDINALIS FESTIVIS DIEBUS PAPÆ CELEBRANTI MINISTRANTIS.

Ex ms. bibliothecæ regiæ n. 4130.

DIaconus cardinalis lecturus evangelium, & serviturus Domino papæ in missis festivis papalibus, debet esse indutus & facere, ut sequitur. In primis pro suo indumento recipiat superpellicium amictum strictum, al-

bam,

bam, cingulum, stolam, tunicellam, dalmaticam illius coloris, ut festum requirit, cum mitra alba. Et papa calciato caligis & sandalibus, ipse cardinalis vadat ad latus dextrum mitra deposita; & cum acolythus tobaleam apportaverit, idem cardinalis ipsam recipiat ambabus manibus, & ponat eam super genua papæ; & stans sic a dextris papæ genuflexus extrahat anulum papæ. Deinde involvat cum dicta tobalea brachium papæ dextrum, & cum manu sinistra teneat partem tobaleæ sic involutam in brachio, quo usque papa lavarit sibi manus. Et ipso toto imponat sibi anulum, osculando manum & recipiendo & ponendo, & sic facit quandocumque aliquid recipit vel imponit in manu papæ, & surgens vadat ante papam. Et cum ipsa tobalea recipiat papam per brachia, & ipsum relevat, & tobaleam tradat alicui capellano papæ præsenti. Et deposito pluviali & stola papæ, apportatur alba, quam idem cardinalis semper a dextris stando cum subdiacono induat papam. Deinde recipiat cingulum cum subcinctorio quod porrigat subdiacono per partem posteriorem papæ, ita quod subcinctorium sit in parte sinistra papæ. Deinde stringat papæ cingulum, ut decet. Subsequenter recipiat crucem pectoralem & tradat papæ ad osculandum. Deinde cum cordula ibi infixa appendat ipsam crucem collo papæ, ita quod descendat usque ad medium pectus. Deinde recipiat fannonum cum ambabus manibus, & majorem partem ipsius fannoni cum manu dextra, & det papæ ad osculandum, & postmodum ponat super caput papæ, & quod in manu dextra tenet, ponat in brachio dextero papæ, & quod in sinistra in sinistro brachio papæ, ducendo paret dictum fannonum taliter super crucem pectoralem, quod bene possit postmodum trahi supra. Deinde stolam recipiat & det papæ primo ad osculandum, & postmodum imponat papæ, & cordulam illam quæ est in stola infigat, vel ponat in cingulo. Deinde recipiat tunicellam, & imponat papæ, & paret ut decet. Subsequenter dalmaticam. Deinde papa sedeat, & ipse cardinalis extrahit anulum papæ, & dat alicui existenti. Deinde recipit chirothecam dextram & genuflexus ponit in manu dextra papæ, & chirothecis impositis, idem cardinalis surgit, & per brachia juvat papam ad levandum. Deinde parat sibi fannonum, extrahendo & trahendo tantum ipsum fannonum, ut bene possit sub pallio in parte anteriori, idest sub cruce pallii poni. Quo bene parato, recipiat planetam, & imponat papæ, ut decet. Deinde recipit pallium cum ambabus manibus, & dat papæ ad osculandum, & subdiaconus recipit posteriorem partem pallii, & imponit papæ. Deinde ipse cardinalis recipit majorem acum, & infigit in pallio in cruce ante pectus papæ. Postmodum parat sibi planetam in brachio, & subsequenter parat pallium. Quo parato, pulcre parat fannonum attrahendo ipsum, ut potest, & ipsum fannonum de capite papæ tunc deponat, & in parte posteriori replicat ipsam, reducendo ipsum, ut decet, ante pectus papæ, ita tamen quod possit poni sub anteriori cruce pallii. Deinde recipiat mitram papæ, & imponat sibi. Quo facto, ipse recipiat mitram suam & manipulum, & processionaliter vadat ad altare in loco debito, cum aliis cardinalibus, & dicat psalmos speciales cum capellano suo, ut moris est. Et cum fuerit ad altare, & papa venerit ad ipsum altare, stando in parte dextra ipsius altaris, deponat mitram papæ, & tradat capellano. Stet juxta papam quousque fecerit confessionem. Deinde cum fuerit tempus vadat in ordine suo cum aliis diaconis cardinalibus ad osculum papæ oris & pectoris, & facta hujusmodi reverentia per diaconos cardinales, ut prædicitur, ipse cardinalis recipiat thuribulum cum incenso de manu acolythi, & ponat in manu papæ, ut decet. Et dum papa incensat ad altare, idem cardinalis teneat planetam sub dextro brachio papæ. Altari incensato per papam, ipse cardinalis recipiat thuribulum, & incenset papam, & trahat planetam a parte anteriori, & postquam papa ab altare recessit, ipse incensat altare, & reddit thuribulum acolytho. Deinde stans in medio altaris cum aliis diaconis cum papa incipit introitum & finit, ut decet, cum astantibus, *& Kyrie eleison*. Deinde recipit mitram, & sedet ante altare in medio cum aliis diaconis hinc inde, & prævideat evangelium, si voluerit, sic sedendo. Et lecta epistola, & cantato versu *alleluja*, deposita mitra, vadat ad reverentiam papæ, & osculetur pedes ipsius & revertatur ad altare, & genuflexus ad altare oret aliquantulum, & dicat: *munda cor meum & labia mea omnipotens Deus*, *&c.* Et surgens recipiat librum evangeliorum super altare positum ambabus manibus, & ponat ante pectus suum, & capite inclinato submissa voce petat benedictionem a papa, & ipsa recepta, vadat ad locum ubi evangelium debet legi, & legat evangelium suum. Quo lecto, osculetur librum, & revertatur ad altare ad locum pristinum, & prosequatur missam unam aliis, ut decet, quo usque venerit ad offertorium. Et cum papa dixerit ante offertorium *Dominus vobiscum*, & *oremus*. Ipse cardinalis lavet sibi manus, & deposita mitra, expandat tobaleam supra altare, etiam corporalia super tobaleam. Deinde expectet papam in dextro cornu altaris. Et cum papa venerit ante altare, ipse cardinalis deponat mitram papæ, & cum posita fuerit hostia in patena, idem cardinalis mediante manipulo cum ambabus manibus recipiat patenam prædictam cum hostia, & tradat papæ; & cum vinum cum aqua fuerit in calice positum, ipse cardinalis recipiat calicem manu dextra, & cum dicto calice faciat crucem super corporale, & ponat calicem juxta hostiam, & statim cooperiat calicem cum palla. Postmodum recipiat patenam & tradat subdiacono. Deinde recipiat coclear cum thure, & cum papa signaverit, ponat thus in thuribulo, & reddito cocleari, recipiat thuribulum & det papæ, ut incenset quæ supra sunt & ipsum altare super assistendo sibi, ut in alia incensatione. Subsequenter recipiat thuribulum, & incenset ipsum papam; & reddito thuribulo acolytho, paret ipsum papam, videlicet planeta, pallio & fannono, ut decet, si papa sustinere voluerit: alias papa altare incensato, & planeta aliquantulum tracta a parte anteriori, incenset altare, per consequens episcopum cardinalem qui librum tenet domino papæ; deinde duos diaconos cardinales qui assistunt papæ, postea reliquos diaconos cardinales; subsequenter episcopos & presbyteros cardinales, & alios prælatos pontificaliter paratos, & in fine episcopum non cardinalem, si serviat papæ, ut vidi fieri tam parando altare, quam eligendo hostiam per papam consecrandam, ac ponendo vinum & aquam in calice, & probam de illis fieri faciendo: deinde subdiaconum qui legit epistolam, & illum qui fuerit de mitra: & tradito thuribulo accolytho, stet in loco suo pristino. Et facta elevatione, cum papa pervenerit ad dicendum, *per quem hæc omnia, semper bona creas*, *&c.* Ipse cardinalis vadat juxta papam, & cum papa vult hostiam consecratam recipere, ipse cardinalis discooperiat calicem, & statim ponat manum dextram super pedem calicis, & sic teneat quousque papa cruces fecerit cum hostia consecrata infra calicem, & posita hostia in loco solito per papam, statim idem cardinalis cooperiat calicem, ut prius. Deinde osculatur altare, postea dextrum humerum papæ, & revertatur ad locum suum; & quando fuerit prope finem *Pater noster*, vadat idem cardinalis juxta papam, & cum ambabus manibus mediante manipulo recipiat patenam a subdiacono, & tradat eam papæ. Et dum papa capit hostiam, idem cardinalis discooperiat calicem, & manum dextram ponat super pedem calicis, & tamdiu teneat, quoadusque papa dixerit *Pax Domini sit semper vobiscum*. Deinde cooperiat calicem, & revertatur ad locum suum, & stet ibi quousque episcopos cardinalis papæ in missa assistens & serviens receperit pacem a papa, & postea ei paraverit planetam, pallium & fannonum; ac subsequenter osculum pacis dederit priori diacono cardinali, & postmodum ille prior duobus cardinalibus secundum gradum suum, altero a dextris, altero a sinistris priori assistentibus: ipse vero non recipiat pacem a cardinali, sed a papa, tunc cum de manu papæ receperit Corpus Domini, ut infra dicetur. Et postquam papa fuerit in sede sua, ipse cardinalis genuflectat ante altare, & oret per pausam, & surgens, cum omni reverentia, recipiat patenam cum hostia ambabus manibus, & ipsam relevet recta usque ad oculos vel circa. Deinde sic alte tenendo ipsam patenam, vertat se ad partem dextram competenter, & sic revertatur ad partem sinistram, & tradat ipsam patenam cum hostia subdiacono. Et postquam subdiaconus fuerit ad papam cum prædictis, facta reverentia per dictum cardinalem Sanguini Christi, ipse cardinalis recipiat calicem, & faciat ut de patena fecit, & ipsemet portet calicem papæ, & ponat ad sinistram partem papæ: & tunc recipiat partem tobaleæ quam tenet subdiaconus cum manu sinistra, & cum ipsa tobalea & manu sinistra teneat calicem per pedem in parte. Et cum papa receperit Corpus Christi, & suxerit de Sanguine cum calamo, idem cardinalis dimissa tobalea, duos digitos dextræ manus ponat in foraminibus illius calami, & cum sinistra manu bene teneat calicem. Et cum papa porrigit sibi Corpus, ipse cardinalis primo osculetur sibi manum, & postmodum recipiat Corpus: subsequenter osculetur papam. Deinde cum calice, & calamum sic tenendo, semper infra calicem, revertatur ad altare. Et posito calice supra altare, sumat de Sanguine cum illo calamo, sed non totum. Et cum venerit subdiaconus, idem cardinalis tenendo calamum ut prius, ponat in os subdia-

eoni ad sugendum de Sanguine, dicendo ipse cardinalis submissa voce: *Sanguis Domini nostri JESU CHRISTI custodiet animam tuam in vitam æternam*; & postmodum recipiat ipsum subdiaconum ad osculum pacis. Et postquam subdiaconus suxerit ex utraque parte calamum, idem cardinalis ponit calamum super patenam; & subdiaconus sumit postmodum quod est in calice. Deinde idem cardinalis vertit se ad episcopam cardinalem portantem ei persusionem quam papa fecerat postquam Corpus & Sanguinem sumsit, & illud recipit, & modicum bibit, residuum tradit subdiacono ad bibendum. Quo facto, idem cardinalis ponit calamum supre patenam, ut prius. Deinde elevatur calia & patena cum calamo supra altare, & cardinalis plicat corporelia, & deponit supre altare cum tobalea: quo facto, stans in dextro cornu altaris, expectat papam; & cum venerit, elevat sibi mitram. Deinde vadit ad locam suum; & missa completa, dicit *Ite missa est*.

Diebus vero quadragesimalibus, in adventu, vigiliis & quatuor temporibus, & in missis mortuorum, omnia fiunt, ut supra dictum est, infra scriptis exceptis; videlicet quod dictus diaconus cardinalis induitur superpellicio, amictu stricto, alba, cingulo, & sic paratus induit papam, ut superius dictum est, & ipso parato idem cardinalis recipit manipulum & planetam violacei coloris, quam debet elevare super brachia, ita quod quasi descendat infra; omnia autem faciat, ut supradictum est, excepto quod in officio mortuorum numquam datur pax, nec triduo ante pascha. Cum autem cantatur tractus, diaconus exuit planetam, & facit eam complicari in tres partes, ita quod sigium remaneat in medio; & sic complicata ponatur super patulam sinistram, & sub dextro brachio colligetur juxta cingulum, ita quod stet ad modum stolæ, & sic debet eam tenere cum legit evangelium, & per totam missam usque post communionem: & tunc antequam pontifex dicat orationes, debet eam reinduere sicut primo, & sic stare usque ad finem missæ, qua finita, debet deponere planetam, & postea redire ad cathedram, ubi duo diaconi cardinales, qui papæ in missa assisterunt, de altari debent papam reducere, & ibi papam exuat postmodum infrascriptum.

Excepto etiam quod cum papa venerit, orationem illam super populum, & dixerit *Oremus*, tunc idem diaconus debet dicere *humiliate capita vestra Deo*, bona voce. Completa missa, & facta benedictione, diaconus cardinalis qui dicit evangelium redit ad cathedram papæ, ubi papa prius steterat dum missa dicebatur. Et cum ibi papa venerit, & anulos episcopo qui ei de libro in missa servierat tradiderit, idem cardinalis diaconus devestit papam omnibus paramentis, quæ pro missa dicenda sumserat, & per ordinem dat papæ ad osculandum stolam, deinde fannonum, subsequenter crucem pectoralem. Et cum papa omnia paramenta deposuerit, dictus diaconus cardinalis dat papæ ad osculandum aliam stolam, quam papa in missa portaverat, & eam ad collum ejus ponit. Deinde tradit ei mantum, ultimo ponit mitram super caput papæ, non tamen illam solemnem quam papa in missa portabat, sed aliam quam primo portabat, dum mane venit de camera sua ad ecclesiam seu capellam ad dicendum missam; nisi in die Ramis palmarum, & in diebus quibus dum celebrat, portat mitram planam. In die vero Ramis palmarum, & aliis quibus dum celebrat portat mitram planam, supradicta differentia non fit. Tempore Quadragesimali si papa celebret, non dicit in prima oratione missæ *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*, exceptis die Jovis sancta, & vigilia paschæ, & festivitatibus specialibus, si in dicto tempore incidat. Dies vero Veneris sancta habet suum officium speciale. (Et est sciendum quod ipsa die Veneris sancta non incensatur altare nec papa, nec cardinales veniunt ad reverentiam solitam, nec ad osculum pacis, nec alii prælati ad reverentiam exhibendam alio tempore fieri consuetam; nec papa portat illa die cum venit de camera ad capellam pluviale nec mitram, sed cappam de scarleto rubeo, apertam a pectore usque ad pedes, & mitram planam.) Sciendum tamen est quod adveniente festo Annuntiationis B. Mariæ tempore Quadragesimali, die illo quo festum ejusdem Virginis celebratur, finita missa, papa redit ad sedem in qua steterat dum missa dicebatur, & immediate exuitur paramentis pontificalibus: & dum exuitur incipit idem dominus papa Vesperas cantando dicendo: *Deus in adjutorium meum intende*, *cum gloria Patri*, &c. Quo finito, incipit antiphonam primi psalmi vesperarum, hymnum & antiphonam psalmi *magnificat*. Dominus subdiaconus eos cantando præinceperit, & cetera omnia cantando per capellanos & cantores capellæ continuantur & perficiuntur, ut moris est, usque ad orationem, quam papa cantando dicit. Domini vero cardinales dicta missa deponunt paramenta, & recipiunt cappas quas deferunt equitando, nec habent incipere aliquam antiphonam in vesperis prædictis. Cardinalis autem episcopus qui papæ servivit in missa, non deponit paramenta, nisi in vesperis dictis, quia habet portare papæ navicutam cum incenso, & papa inde recipere coclear cum incenso, & ponere in thuribulo. Deinde idem cardinalis habet altare primo, & postea papam incensare, & librum papæ tenere, dum dicit cantando orationem prædictam. Finitis vero vesperis facit solitam benedictionem cantando. Supradicta fiunt per modum prædictum, quando diaconi cardinales non habent ibi pluvialia, petenam si haberent, ibi pluvialia parata reciperent & antiphonas inciperent, ut in aliis vesperis aliarum festivitatum est facere consuetum.

In vigilia Paschæ cardinales, dum papa venerit de camera ad capellam suam sive ad ecclesiam, & postmodum ad cathedram, non faciunt papæ reverentiam tunc temporis, in alia die tunc temporis fieri consuetam. Sed induitur ipse papa per diaconum cardinalem, qui habet facere benedictionem cerei, & ei in missa servire indumentis pontificalibus violacei coloris, & stat sic quamdiu fit officium dici. Quo usque incœpta fuerit letania, & perventum ad versum *Peccatores te rogamus*, *audi nos*; quo incœpto, discedit de loco, ubi genua flectendo stabat, dum cantando dicebatur letania, & redit ad cathedram, ubi primo receperat prædicta paramenta violacea, quibus tunc immediate exuitur per prædictum diaconum cardinalem & ipsum induit paramentis albis solemnibus, quo peracto, & incœpto *Kyrie eleison* per cantores, venit ad altare ad confessionem faciendam, & more solito cardinales veniunt ad reverentiam & osculum pacis, oris & pectoris, prout in aliis diebus dum papa celebrat in principio missæ est fieri consuetum. Item in fine missæ dicit diaconus *Ite missa est*, cum duplici *alleluja*, secundum aliquos, & secundum alios non dicitur *alleluja*. Die vero paschæ dicitur prosa *Victimæ paschali laudes*. Item paulo ante inchoationem præfationis, duo diaconi cardinales ultimo creati vadunt retro altare ad similitudinem repræsentationes angelorum monumentum custodientium, & ibi morantur erecti, versa facie ad papam usque ad inchoationem *Agnus Dei*, quo incœpto, redeunt ad loca sua pristina & non antea. Item dicitur *Ite missa est* cum duplici *alleluja*. Item in eadem vigilia paschæ, & in die, completa missa, & facta per papam benedictione, papa de altari non redit ad cathedram ad deponendum paramenta, sed paratus, ut in missa fuit, vadit præcedentibus capellanis papæ, portantibus cereos accensos, deinde crucem, & post eum omnibus cardinalibus paratis, ut in missa fuerunt, ac tenentibus mitras suas in capitibus, & secundum ordinem suum coram eo binis & binis incedentibus, minoribus tamen cardinalibus secundum ordinem suum procedentibus; & duobus cardinalibus diaconis qui in missa ei astiterant tunc etiam ei assistentibus ad cameram suam ubi debet esse parata cathedra & scabellum: & cum ibi papa venerit, diaconus cardinalis qui papæ in missa servivit, tradito prius per papam episcopo cardinali annulo qui de libro in missa servivit, devestit ipsam papam per modum prædictum.

Item sciendum est quod in die natalis Domini & in die paschæ, quibus omnes diaconi cardinales communicant, nec non notarii & capellani papæ, ac clerici & laici plures, diaconus cardinalis qui papæ in missa servivit, recepto corpore Christi de manu papæ per eum & subdiaconum, & postea sumto in altari sanguine Christi per eum & subdiaconum, & subsequenter recepta perfusione de manu episcopi cardinalis, dictam perfusionem ei in altari portantis, quam papa fecerat, postquam corpus & sanguinem Christi sumserat; & sumpta per eum & subdiaconum, ut supra dictum est. Idem diaconus cardinalis immediate supra patenam omnes hostias in altari per papam consecratas ponit & aptat cum quodam instrumento aureo quod ad hoc tunc debet esse paratum, quo facto, debet genuflectere, & aliquantulum orare, & postea surgere, & cum omni reverentia recipere patenam cum hostiis consecratis ambabus manibus, & ipsam elevare usque ad oculos vel circa. Deinde sic alter tenendo ipsam patenam, vertat se ad partem dextram competenter, & sic revertatur ad partem sinistram, & tradat ipsam patenam cum hostiis consecratis subdiacono, qui subdiaconus eam portet papæ, & ibi stet in parte dextra papæ tenendo patenam cum hostiis consecratis, quousque omnes diaconi cardinales & alii communicare volentes, bini & bini incedentes, corpus Domini nostri de manu papæ sumserunt. Papa vero tunc cardinalibus & aliis communicantibus, recepto per eum corpore Christi de patena, manum dat ad osculandum, & im-

immediata corpus Christi ponit in ore ipsorum, & ibidem quemlibet ipsorum cardinalium communicantium recipit ad osculum pacis, quo osculo recepto, quilibet prædictorum non cardinalium, quibus papa tunc non dat osculum pacis, vadit ad altare ad sumendum Christi sanguinem de manu diaconi cardinalis, qui papæ in missa servivit, & illis cum calamo quem teneat cum manu dextera in calice Christi sanguinem ministret, dicendo: *Sanguis Domini nostri JESU CHRISTI custodiat animam tuam in vitam æternam.* Quo dicto per eum, quemlibet ipsorum communicantium recipiat per ordinem ad osculum pacis, & cum omnes communicantes Sanguinem sumserint, dictus cardinalis diaconus det calamum ad sugandum ex utraque parte subdiacono, & postea calicem ad sumendum illud quod restat de sanguine Christi, quibus factis, dictus cardinalis diaconus plicet corporalia, & tobaleam super altari positam amoveat. Deinde papæ venienti de sede sua ad altare mitram deponat, & postmodum ad locum suum redeat. Die vero natalis Domini dicitur pro *Lætabunda*, sed tamen non inchoatur per papam.

In vigilia vero pentecostes, in vesperis papæ deposita ei mitra incipit cantendo hymnum *Veni creator Spiritus*, quo incœpto, papa descendit de seda sua, & vadit ad cathedram coram altari paratam, & ibi genuflectit, & stat genuflexus sine mitra in capite quamdiu dicitur primus versus hymni per eum cantando incœptus, quo primo versu finito, redit ad sedem suam. Sciendum tamen est quod si papa celebret in die pentecostes, quod ipse incipit tertiam dicendo: *Deus in adjutorium meum intende*, cantando antequam recipiat paramenta pontificalia, & postea hymnum *Veni creator Spiritus*. Subsequitur antiphonam postquam acolythus cantando eam coram eo præincepaus. Deinde cantando dicitur tertia, & ipse deposita mitra per diaconum cardinalem eidem a dextris assistantem, dicit orationem cantando, qua dicta reponitur ei mitra in capite per eumdem diaconum cardinalem, postea vero in missa incœpto alleluja Co. tt. & cantato, dum debet per cantores inchoari versus *Veni sancte Spiritus*, ipse descendit de sede sua, & venit ad cathedram coram altari paratam, ut supra dictum est, & ibi genuflectit, & deponitur ei mitra per diaconum cardinalem a sinistris assistentem, & ibi stat genuflexus sine mitra in capite, quamdiu dicitur versus *Veni* prædictus, quo finito, redit ad cathedram suam. Deinde vero dum debet incipi prosa *Sancti Spiritus*, papa surgit, & stans erectus super scabellum in sede sua, dum acolythus cantando eam perincipit, papa incipit dicera cantando *Sancti Spiritus*, deinde incipit sedere quousque prosa sit dicta. Est autem regulariter notendum, quod secundum curiam quandocumque pontifex vertit se ad populum, simul debent se vertere diaconus & subdiaconus. Et notandum semper est, quod *Ite missa est* semper debet dicere diaconus conversus ad populum; Sed *Benedicamus Domino* & *Requiescant in pace* semper debet dicere versa facie ad altare. Et notandum est, quando domino papæ plures diaconi cardinales serviunt, diaconus qui debet legere evangelium præcedit papam, quia alii duo sustentant eum. Sed si non esset nisi ipse cum alio, ipse sustentaret papam a parte dextra. Et si plures sunt diaconi cardinales, diaconus qui debet legere evangelium remanebit ante altare in medio, aliis diaconis cardinalibus a dextris & a sinistris secundum ordinem suum ei assistentibus; & si non est alius quam ipse, stabit juxta papam. Et est regulare quod cum diaconus cardinalis qui debet dicere evangelium, papam omnibus paramentis pontificalibus paraverit, papa de sede in qua fuit paratus discedit, & vadit, duobus diaconis cardinalibus ei assistentibus, ad altare; & cum est prope altare, vertit se ad tres presbyteros cardinales juniores paratos papæ tunc concurrentes, qui inclinantes se profunde, recipiunt pacem a papa secundum ordinem suam, & postea deosculantur eum in pectore super crucem pallii. Deinde vertit se ad altare: & tunc diaconus cardinalis qui debet dicere evangelium deponit mitram de capite papæ; deinde papa incipit *Introibo ad altare Dei*; & *Judica me Deus*, & facit confessionem: quibus dictis ascendit ad altare, & postea osculatur altare, & postea evangelium. Deinde existens ante altare in medio, vertit se ad diaconos cardinales, qui inclinentes se profunde recipiunt pacem a papa secundum ordinem antiquitatis, & postea deosculantur ipsum in pectore super crucem pallii: & facta hujusmodi reverentia per cardinales, diaconus qui debet dicere evangelium, immediate recipit thuribulum cum incenso de manu acolythi, & ponit in manu papæ, ut decet, ipsam etiam osculando, & postea alia faciet quæ superius continentur.

Judica me Deus & discerne causam meam, &c.
Domine, ne in furore tuo arguas me, &c.
Beati quorum remissæ sunt, &c.
Domine ne in furore tuo arguas me, &c.
Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam, &c.
Domine exaudi orationem meam & clamor meus, &c.
De profundis clamavi ad te, Domine, &c.
Domine exaudi orationem meam, auribus, &c.

Sciendum quod quando Dominus noster papa non celebrat, & audit missam cum nota, præsentibus omnibus vel saltem tribus dominis cardinalibus vel duobus, & portat pluviale & mitram, diaconus cardinalis a parte dextra papæ assistens, abstrahit ei mitram cum inchoatur evangelium; quo finito, & libro evangeliorum per papam ad osculum recepto, reponitur ei mitra per eumdem diaconum cardinalem a dextris papæ assistentem, si immediate fiat sermo, quia quando non fit sermo, stat papa capite discooperto, donec dixerit submissa voce totum *Credo in unum Deum*. Et istum modum servant duo diaconi cardinales in missa papæ assistentes, dum eidem mitra reponitur vel abstrahitur, & coram papa celebratur. Nam si papa celebraret, tunc diaconus cardinalis a parte sinistra assistens papæ, mitram abstrahit in missa, & non alias. Alius cardinalis diaconus a parte dextra papæ assistens eam capiti papæ reponit. Deinde vero dicto sermone immediate post evangelium, & cantando, dicto *Confiteor* per diaconum celebrantis, si per episcopum vel presbyterum cardinalem seu alium episcopum non cardinalem celebretur missæ officium coram papa, ille qui fecit sermonem, sicut cardinalis vel alius dat ex parte papæ indulgentiam. Quo facto, papa, abstracta primitus ei mitra per diaconum cardinalem, qui est a dextris, incipit dicere, non tamen cantando: *Precibus & meritis B. Mariæ semper virginis*, &c. Deinde det benedictionem, qua data, ei reponitur mitra per eumdem cardinalem. Postmodum dum ille qui celebrat incipit dicere *Credo in unum Deum*, papæ abstrahitur mitra de capite, quo usque dixerit totum, *Credo in unum Deum* submissa voce. Deinde reponitur ei mitra per eumdem diaconum cardinalem. Postea vero dum cantores dicunt, *Et incarnatus est de Spiritu-sancto ex MARIA Virgine*, iterum diaconus cardinalis abstrahit de capite papæ mitram, si papa tunc velit genua flectere & non aliter, nam secundum morem antiquum non consuevit papa tunc genu flectere; sed mitram tenendo in capite caput aliquantulum inclinare, pro ut dicit Dominus Neapoleo cardinalis, & dum præmissa verba compleverit, idem diaconus cardinalis papæ mitram reponit. Deinde quando ille qui celebrat vult facere elevationem corporis Domini nostri JESU CHRISTI, papa de sede sua discedit, & venit ad locum ubi debet esse cathedra coram altari, pro eo ad genuflectendum & appodiandum parata, & tunc eidem mitra per eumdem diaconum cardinalem qui a dextris est abstrahitur & reponitur: subsequenter abstrahitur mitra papæ aliquantulum antequam *Agnus Dei* per cantores incipiatur, videlicet post dictum *Pater noster*, Eum celebrans recipit corpus Domini, & ipsum super calicem incipit dividere in tres partes, & stat papa capite discooperto, ex tunc quousque dictum sit *Agnus Dei*, & ad osculum pacis receperit presbyterum cardinalem, ei dum missa cantatur assistentem & servientem, ac pacem portantem, & duos diaconos cardinales ei in missa assistentes & servientes; & ille qui celebrat sumserit corpus & sanguinem Domini: quo facto, papæ mitra reponitur per eumdem diaconum cardinalem qui est a dextris. Deinde post dictum *Ite missa est* & *Deo gratias*, abstrahitur per diaconum cardinalem, qui est a dextris, mitra papæ. Post dat benedictionem, quam tunc debet facere cantando, & incipere, *Sit nomen Domini benedictum*, &c. qua data, mitra ei reponitur per eumdem diaconum cardinalem qui est a dextris, regulariter cum coram papa celebratur. Aliis horis mitra papæ non abstrahitur, nisi quando post *alleluja*, immediate dicitur *Veni sancte Spiritus*, & etiam quando papa incipit *Sancti Spiritus*, vel nisi in quadragesimalibus diebus; quia tunc quando incipitur, & quamdiu dicitur versus *Adjuva nos Deus salutaris noster*, papa genua flectit, & eidem mitra abstrahitur, & post dictum versum reponitur. Et dum in fine ultimarum orationum missæ dictum fuerit *Humiliate capita vestra Deo*, abstrahitur mitra papæ in oratione quæ postea dicitur immediate, in qua oratione, dum dicitur, papa stat erectus. Qua dicta, mitra ei reponitur per eumdem diaconum cardinalem, quousque velit post dictum *Benedicamus Domino*, facere benedictionem, cantando & incipiendo, *Sit nomen Domini benedictum*, &c. & tunc dum vult facere benedictionem, abstrahitur ei mitra & reponitur per diaconum

cardi-

cardinalem, per ordinem supra dictum semper per eumdem diaconum qui est a dextris.

Ceteræ solemnitates quæ fiunt dum celebratur coram papa per ipsum dominum papam, vel per alios domino papæ, in antiquo libro ordinario super ceremoniis ordinario continentur infra rubricam quæ incipit: *De missis quæ celebrantur coram papa.*

In vesperis vero solemnibus dum papa vult præsentibus cardinalibus dicere vesperos solemnes, debet portare pluviale, & mitram solemnem, & cardinales omnes debent induere & portare superpellicium, amictum latum, pluviale & mitram; & papa cantando debet incipere vesperas, dicendo: *Deus in adjutorium meum intende*; & postea cantando & stando debet incipere primam antiphonam dum acolythus eam cantando præincœpit. Secundam vero antiphonam debet cantando incipere postquam eam cantando coram eo incœperit acolythus prædictus, diaconus cardinalis a dextris papæ assistens. Tertiam vero cardinalis a dextris papæ assistens, & in vesperis ei serviens. Quartam vero primus presbyter cardinalis qui stat in sedem secundum ordinem suum. Quintam vero diaconus cardinalis a sinistris papæ assistens. Deinde Dominus noster cantando incipit hymnum, dum acolythus coram eo præincœpit; & idem facit de antiphona quæ dicitur ad *Magnificat*. Episcopus cardinalis serviens eidem domino papæ præsentat ei thuribulum cum incenso & cochleari, & ponit in thuribulo. Postea incœpto psalmo *Magnificat*, statim vadit ad incensandum altare; quo facto osculatur altare; deinde vadit ad incensandum cophinum, ubi est corpus Christi coram quolibet in principio antequam incenset genuflectendo, assistentibus sibi duobus diaconis cardinalibus. Quo facto, episcopus cardinalis papæ in vesperis serviens de manu ipsius recipit thuribulum, & incensat dominum papam & duos diaconos cardinales assistentes domino papæ, & postea vadit ad incensandum solos dominos cardinales. Diaconus cardinalis a dextris papæ assistens in vesperis, de capite papæ mitram deponit, & eadem ejus capiti reponit. Papa vero, dicta oratione per eum cantando, & dicto *Benedicamus Domino*, deposita ei prius mitra per diaconum cardinalem, cantando facit benedictionem, incipiendo: *Sit nomen Domini benedictum*, &c.

Sciendum est quod quando dominus papa vadit ad capellam ad dicendum vel audiendum vesperos solemnes in festivitatibus paratus, vel non paratus, non vocatis omnibus cardinalibus, ut in solemnibus festivitatibus vocari est consuetum; si cardinales in vesperis prædictis veniant, si sint ibi episcopus, presbyter & diaconus cardinalis, Presbyter cardinalis vadit tempore debito cum clericulo capellæ papæ ad papam, genuflectendo coram eo, & offert ei naviculam, ubi est incensum, & coclear. Et dominus papa recipit coclear cum incenso, & ponit incensum in thuribulo, quem tenet clericus capellæ, & facit benedictionem solitam. Quo facto, dictus presbyter cardinalis osculatur manum papæ, & redit ad sedem suam, & prædictus clericus vadit ad incensandum altare, & subsequenter cophinum ubi est corpus Christi positum. Postmodum revertitur ad dominum papam. Et tunc presbyter cardinalis prædictus surgit, & vadit ad incensandum genu flexo dominum nostrum papam prædictum. Quo facto, redit ad sedem suam, & clericus prædictus incensat cardinales & alios prælatos, qui intersunt vesperis antedictis. Si vero presbyter cardinalis non sit ibi, omnia prædicta facit episcopus cardinalis. Ubi vero prædicti episcopus & præsbyter cardinales non essent, ibi prædicta faceret diaconus cardinalis. Alia non faciunt nec dicunt cardinales in vesperis supradictis.

In festivitatibus vero solemnibus, in quibus vocantur omnes cardinales, & dominus papa est paratus, fiunt & dicuntur prout superius scriptum est in capite proxime præcedenti, quod sic incipit: *In vesperis vero.*

Sciendum quod quando non est nisi unus diaconus cardinalis, dominus papa facit vesperos solemnes. Ille diaconus una cum alio cardinali episcopo vel præsbytero debet associare papam, & eidem dum dicuntur vesperæ assistere per istum modum tamen; videlicet quod episcopus cardinalis tunc temporis debet stare a dextris papæ, diaconus vero cardinalis a sinistris. Si vero non sit episcopus sed presbyter cardinalis ille qui papam associat, & eidem assistit presbyter cardinalis a sinistris, diaconus vero a dextris. Et idem modus incedendi etiam observatur, quando papa exit de camera veniendo ad capellam, & de capella expleto officio ad cameram redeundo. Et si sit episcopus sive presbyter cardinalis qui papæ, ut præmittitur, assistit, diaconus cardinalis papæ assistens mitram de capite papæ deponit, & eidem reponit.

Quod statim dictum est de vesperis, idem servatur in missa, quando papa solemniter celebrat, vel missam cum nota audit, præsentibus cardinalibus, vel aliam solemnitatem facit in ecclesia vel capella.

Notandum quod dum papa celebrat solemniter præsentibus cardinalibus & paratis, vel facit vesperas solemnes eisdem etiam paratis, si ibi intersit patriarcha, parare se debet toca, amictu, & pluviali, ut alii episcopi, & sedere debet post primum episcopum cardinalem. Si vero sint duo patriarchæ, debet stare post primum episcopum cardinalem, secundus patriarcha post secundum episcopum cardinalem, & sic deinceps si sint plures quam duo patriarchæ. Ubi autem patriarcha interesset celebrationi domini papæ vel vesperis solemnibus antedictis, & non se pararet paramentis, fortassis ea aliqua causa rationabili, tunc non poneretur inter cardinales paratos, sed posset esse cum aliis prælatis non cardinalibus, vel post omnes cardinales, secundum quod loci dispositio se præberet.

In concilio vero generali patriarchæ in sessionibus concilii habent locum specialem & determinatum ubi sedent, videlicet in medio ecclesiæ ex opposito papæ, singuli in suis sedibus ligneis & eminentibus ad hoc specialiter ordinatis. Quando vero papa non celebrat, sed audit missam solemnem præsentibus cardinalibus, tunc patriarcha debet esse inter duos priores episcopos cardinales. Si vero sint duo patriarchæ, primus patriarcha debet stare post primum episcopum cardinalem, secundus patriarcha debet esse post secundum episcopum cardinalem, & sic deinceps si sint plures quam duo patriarchæ. Sciendum tamen est quod ad reverentiam papæ exhibendam patriarcha venit ante prælatos, sive papa celebret solemniter, sive non; & venit ad reverentiam post primum episcopum cardinalem; secundus patriarcha post secundum episcopum cardinalem, & sic deinceps si sint plures quam duo patriarchæ. Similiter fit in vesperis quando fit reverentia. Ubi autem abessent episcopi cardinales, presbyteri cardinales habent sedere & reverentiam facere ante patriarchas, per modum tamen ante dictum.

Sciendum est quod papa quando equitat, antequam exeat cameram dicit ista quæ leguntur.

Antiphona. *In viam pacis, salutis & prosperitatis dirigat Dominus gressus meos, & angelus suus bonus comitetur nobiscum ad dirigendos pedes nostros in viam pacis; cum salute & gaudio eamus & revertamur ad propria.*

Postea dicit totum psalmum *Benedictus Dominus Deus Israel* cum *Gloria Patri*, & *sicut erat*. Postea recipitur tota antiphona *In viam pacis*. Deinde sequitur *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Sed libera.* Versus. *Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiet inimicus in nobis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* ℣. *Utinam dirigantur viæ meæ.* ℟. *Ad custodiendas justificationes in viam pacis.* ℣. *Homines & jumenta salvabis, Domine.* ℟. *Quemadmodum multiplicasti super nos misericordiam tuam.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta oratio & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Deus qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti; quique tribus Magis iter ad te, stella duce, pandisti, tribue nobis, quæsumus, iter prosperum, tempusque tranquillum, ut angelo sancto tuo comite ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ felicitatis portum feliciter pervenire valeamus. Per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM Filium tuum.

Debet enim primo procedere Salmerius papæ, qui portat capellam, & debet esse albus, & equus vel mulus, & ire ante crucem; & debet portare in collo campanellam & cophini debent esse cooperti de scarleto rubeo. Deinde crux quam debet portare capellanus commensalis. Deinde camerarius papæ cum capellanis commensalibus & ejus familia sequuntur crucem. Subsequenter tres cardinales cum eorum familiis, unus episcopus vel presbyter & duo diaconi. Postea veniunt equi albi papæ, qui a parte posteriori cum tota sella debent esse cooperti de scarleto rubeo; a parte tamen anteriori debent esse discooperti totaliter, & famuli debent eos ducere peditando per frenum.

Iste modus nunc servatur, licet antiquitus masserii consueverant eos ducere equitando per frenum. Subsequen-

papæ, portans capellum papæ, qui debet essa coopertus de rubeo samito. Subsequenter venit pape signando popelum, post vel circa quem debent esse milites, & alii domicelli seu masserii pepæ, & duo ejus domicelli seu masseril debent eum ducere pedisando per frenum equi, quem equitat, unus a dextris & alius a sinistria. Correrii vero, alias dicti cursores papæ, etiam peditando debent esse ante eum. Portans vero papilionem, debet etiam ire post papam vel justa. Servienies vero armorum, vel vocati malserii, habent præcedere papam eum camerario. Eleemosynarius vero pape, debet ire retro ipsum, & pecuniam pauperibus spargere.

Est etiam sciendum, quod dum papa exit de ville in qua curia fuit, & vult ire ad aliquem locum, ubi moram xrahat per aliquod tempus, causa recipiendi recreationem, vel transferendi de loco ad locum circa curiam, & non vult ibi habera nisi paucos cardinales, ad hoc per eum electos, tres cardinales, unus videlicet episcupus vel presbyrer & duo diaconi per modum permissum eum associant. Alii vem omnes cardinales eum præcedunt, & debent expectare eum longa a villa ius aliqua platea magua, contigua viæ papæ quam facit; & cum papa ad eos pervenerit, dicti cardinales debent descendere de eqais suis, & ibi debet parari scabellum, quod debet habere duos gradus; quod quidem scabellum debet semper portare, quando papa equitat, unus famulus papæ super salmerium, & cardinales par ordinem depositis birratis de capite debent illud scabellum ascendere, & familiares eorum eos elevare, & papa axistens in equo debet eos ad osculum pedis destri & oris post recipere, & debent venire per pertem dextram papæ ad osculum. Tres vero prædicti cardinales, qui, ut præmittitur, papam assuciant, & alil alectj per papam ad associandum eum, ut supra præmissum est, ad osculum papæ non veniunt, sed præcedunt cum papa. Et prædicti electi' debent præcedere alios prædictos tres cardinales, qui per modum prædictum eum associant. Alii vero cardinales postquam eos papa, ut præmittitur, ad osculum pedis & oris receperit, ad domos suas redeunt, pro ut eis placet.

Notandum est etiam, quod dum papa de villa in qua tenuit curiam exit causa morandi extra ad tempus, ut præmittitur, quando axit de palatio debet portare pluviale de famito rubeo, quod portat dum venit ad consistorium, & mitrem etiam in capita anfresiatam, & eum pellis vel sina pellis & aufresio, secundum quod tampus requirit; quam etiam tunc portat, & sic debet incedere per villam, & etiam extra villam signando, & postea pulviales & mitram deponere ius proximiori monasterio vel ecclesia quę erit extra villam prædictam; & ibl descendere, & ecclesiam intrare, & ibi aliquantulum coram altari sic paratus orare. Et oratione facta in aliqua capella ipsius ecclesiæ, pluviale & mitram deponere, & postea debet recipere cappam de scarleto rubeo, a pectore usqae ad pedes apertam, assistentibus semper ei tribus prædictis cardinalibus. Deinde dum fuerit extra ecclesiam, ascendit scabellum prædictum, quod debet ibi essa paretum, & postea ascendit in equo, & recipit capellum rubeum coopertum da samitu rubeo; deinde facit viam suam, assistentibus, & cum eo progredientibus tribus cardinalibus antedictis, & aliis per eum electis, ac aliis ejus familiaribus per modum tamen antedictum; & illi cardinales ascendunt cum eo in domo quam debet inhabitara, & eum associant usque ad cameram, & immediate petita licentia redeunt ad domos, papa tamen consuevit illa die eos ad prandium retinere.

Quandu vero vult redire de loco ubi fuit causa morandi per aliquod tempus, vel recipiendi recreationem prædictam, & redire ad civitatem in qua debet tenere vel vult cariam, portat cappam rubeam val capellum, & omnea cardinales debent prius asse mandati, & eum associare, & reverentiam facere justa modum prædictum, & venire ad osculum pedis & oris; exceptis tamen illis tribus cardinalibus, qui, ut præmittitur, eum associant, & aliis, qui in loco ubi ipse inhabitaverat, cum eo fuerunt, qui electi cum eo vel debent audira missam, & recipera licentiam vel ut alii facere reverentiam & ire ad osculum. Dum vero fuerit prope villam in ecclesia in qua dum exivit prius venerat & descenderat, & pluviale ac mitram deposueret, habet descendere & orare, assistantibus sibi tribus prædictis cardinalibus, & ibi habet cappam deponere & pluviale & mitram a prædictis assumere in aliqua ejusdem ecclesiæ capella. Et postea in porta ecclesiæ equum ascendere, & progredi cum dictis tribus vel duobus cardinalibus, & cum aliis suis familiaribus per modum prædictum, quousque pervenerit ad palatium, in quo resi-dere consuavit. Dicti vero tres vel duo cardinales cum papa palatium intrant, & eum associant, quousque pervenerit ad cameram suam, in qua quidem camera cardinales, qui papam præcesserunt, & ibi aum expectavarunt, aliam reverentiam non faciunt, sed recepta a papa licentia, ad domos suas redeunt. Salmesius vero papæ, qui portat capellam, debet præcedera papam, & debet esse albus equus vel mulus, & ire ania crucem, & portare in collu campanellam, & cophini debent esse cooperti de scarleto rubeo. Elemosynarius vero papæ debet ire retro ipsum, & pecuniam pauperibus spargere.

C A P U T V.

De ritibus ad Eucharistiam extra sacrificium spectantibus.

ARTICULUS I.

De Communione in ædibus privatis.

Eucharistia olim in ædibus privatis accepta.

I. HActenus de ritibus liturgicis satis. Nunc ad eos qui Eucharistiam extra sacrificium spectant expendendos animum calamumque dirigamus. Et quia sub finem superioris Capituli egimus de communione in missa a fidelibus recipienda, necessaria materiei connexio exigit, ut de ea quæ in privatis ædibus olim ab omnibus promiscae fidelibus agebatur, dicamus. Nimirum norunt omnes, qui vel exigua antiquæ disciplinæ ecclesiasticæ notitia sunt imbuti, solitos fuisse primos christianos non solum in publicis cœtibus post celebrata sacre mysteria, sed etiam in propria domo divina Eucharistia refici, idqua ax Tertulliano didicisse potuerunt, qui in lib. 2. ad Uxorem cap. 5. de muliere quæ viro gentili nupsit verba faciens. [Non sciet, inquit, maritus quid secreto ante omne cibum gustes: Et si sciverit; panem non illum esse credit qui dicitur.) Et ex Cypriano, qui in libro de Lapsis narrationem instituit de quadam muliere, quæ cum (arcam suam in qua *Domini Sanctum* fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente) non ausa est aperire. Quibus succinit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum his hæc verba: (Etiam Eucharistiam cum qaidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex populo partem ejus sumere.

Delata ad absentes per diaconos aut acolythos. Maxime tempore persecutionis.

II. Hujus disciplinæ causa duplex fuisse videtur. Prima quod dum unica olim missa dici per diem consuevisset, nec omnes semper eidem interesse quivissent, consummato sacrificio & communicatis qui interfuerant, per diaconos aut acolythos Eucharistia deferebatur ad absentes, ut docet S. Justinus in Apologia 2. ad Antoninum Pium. Id sane ostendunt Acta S. Luciani presbyteri Antiocheni & martyris apud Bollandum 7. Januarii, in qaorum cap. 4. narratur quomodo oblato in carcere super proprium pectus sacrificio, (cum sacro ritu omnia peregisset proposita, & ipse fuit sacramentorum particeps, & transmisit ad eos qui aberant.) Atque de hoc ritu intelligenda videntur ea quæ tradit Usuardus in Martyrologio 18. Cal. Septembris de Tharcisio acolytho, (qui cum quodam die deferret Christi Corporis sacramenta, nec vellet discutientibus prodere paganis, tamdiu est fustibus ac lapidibus maceratus ab eis, quo usque exhalaret spiritum.] Altera causa processit ex imminentibus persecutionibus, quæ dispersis aut occisis pastoribus, omnem sacræ refectionis aditum ovibus præcludebant; quapropter ubi sævituram in Christi fideles tyrannorum rabiam prævidebant; ne quis forte sine communione obire contingeret; aut ea in longum admodum tempus privari; unicuique Eucharistiam domum deferendam

dam dispertiebant. Hinc est quod cum Dorotheus Thessalonicensium episcopus aliqua Eutychianorum partibus faventes audisset, Legatos Apostolicæ Sedis Thessalonicam directos fuisse, ut eos ad meliorem frugem reducerent, (tanta sacramenta consecerunt, ut canistra plena omnibus erogarent, ne imminente, sicut dicebant, persecutione, communicare non possent,] quemadmodum scribunt Johannes episcopus & Epiphanius presbyter in Indiculo directo ad Hormisdam pontificem maximum conciliorum tomo 4. pag. 1523.

III. Cessantibus beneficio christianorum imperatorum persecutionibus, non ideo cessavit hæc institutio, sed perseveravit postmodum, maxime apud monachos, qui cælestis contemplationis studio in abditissimos solitudinis recessus se receperant, aut perpetuis se reclusionibus devoverant: immo etiam & apud laicos. Testem adhibeo Basilium magnum Cæsareæ episcopum epist. 288. ad Cæsariam Patriciam scribentem in hæc verba: [Omnes enim qui in eremis solitariam vitam agunt, ubi sacerdos nullus est, communionem domi servantes, per se ipsos participant, In Alexandria vero & Ægypto unusquisque etiam ex laicis ut plurimum habet domi suæ communionem, & cum vult per seipsum communicat) &c. De discipulis S. Apollinis abbatis scribit Palladius in Lausiaca cap. 52. (quod alimentum prius non accipiebant, quam Eucharistiæ Christi communicassent.) Idemque de Nitriensibus monachis sub sancto abbate Or ad tria millia Deo servientibus cap. 91. Et in Vita S. Chrysostomi repræsentat Theophilum episcopum Alexandrinum monachorum quorumdam cellulas incendentem, combustis una libris veteris ac novi testamenti, aliisque optimis codicibus, & puero uno, & sacra Eucharistia.

Postea etiam a monachis privatim sumpta.
Quandiu in ecclesia orientali.

IV. Jam vero si quis rescire cupiat quo ritu in privatis ædibus vel solitudine communicarent; discat ex responsione archiepiscopi Corinthiorum, qui ea de re interrogatus a Sancto Luca Juniore, sic eum docuit: (Primo igitur ac præcipue quidem sacerdotem adesse decet. Quod si ille necessaria omnino ratione desit, imponendum sacræ mensæ sive altari præsanctificatorum vasculum, si quidem oratorium sit; sin autem cellula, scamno mundissimo. Tum explicato linteolo, propones in eo sacras particulas, accensoque thymiamata, typicorum psalmos aut hymnum trisagium cum fidei symbolo decantabis, trinaque genuflexione adorans manus quidem contrahes, ore autem pretiosum Christi ac Dei nostri Corpus sumes, dicendo *Amen*. Loco autem sacri laticis vini poculum bibes. Nec vero huic calicem ministerio addictum in usum alium communem assumes. Rursum vero reliquas particulas in vase linteolo colliges, omnem diligentiam adhibens, ne margarita, id est Dominici Corporis particula dilabatur ac conculcetur.] Hactenus archiepiscopi documentum, quod extat in Actis S. Lucæ Junioris a Combefisio tomo 2. Auctarii Bibliothecæ Patrum, & ex eo apud Bollandum 7. Februarii editis. Ex quibus patet Sæculo adhuc X. quo florebat Lucas Junior communi usu apud monachos in ecclesia Orientali perseverasse consuetudinem Eucharistiam in cellas suas deferandi, & ibidem propria manu semetipsos communicandi. Immo multo etiam postea, ut discimus ex Præscriptis Patriarchæ Constantinopolitani ad Paulum Hypopsephium Callipolitanum missis apud Allatium de Missa Præsanctificatorum cap. 4. ubi hæc lego: (Tunc autem divinus panis tingitur cum ex anachoretis aliquis in monte se abdit propter nimium ergo virtutum studium, atque sæpius sacrorum particeps fieri, ob eam quæ inde corporis & animæ consequitur sanctitatem. Panis divinus in pyxide munda huic delatus divino Sanguine intinctus est.) Quin etiam nunc, si credimus Arcudio lib. 3. de Concordia utriusque ecclesiæ cap. 59. monachi Græcorum peregre proficiscentes Eucharistiam sumunt secum comedendam & manu propria pro opportunitate quotiescumque visum fuerit percipiunt. Nec abhorrere videtur Janus Nicius Erythræus lib. 7. epist. 24. scribens, (Eremitis quoque cum erant (nunc fortasse sunt nonnulli) moris fuisse consecratum panem tradi, ut secum in eremum deferrent, & cum esset liberum sumerent.)

Quandiu in occidentali.

V. Quandonam hic usus in Latina Ecclesia obsoletus sit non satis constat. Sunt qui concilii I. Toletani canone 14. & Cæsaraugustani canone 3. prohibitum censent. At iis canonibus remedium dumtaxat allatum est perversis Priscillianorum ausibus, qui ne viderentur agnoscerenturque hæretici, ecclesias catholicorum frequentabant, & acceptam Eucharistiam ibi non consumebant, sed nec alibi. Adversus quos his conciliis decernitur, ut (Eucharistiæ gratiam, si quis probatur acceptam non consumsisse in ecclesia, anathema sit.] Nonnulli adducunt concilii Rothomagensis circa medium Sæculum IX. celebrati auctoritatem, prohibentis ne laicis Eucharistia detur in manibus, ex qua consequi videtur in privatas domos non esse deferendam: quæ consequutio rejicienda non videtur; quamvis consuetudo communicandi privatim in ecclesia latina, saltem quo ad Virgines Deo sacras, perseveraverit ad usque Sæculum XII. & ultra: quibus ipso consecrationis suæ die integra impertiebatur hostia, de qua per octo dies sequentes semetipsas communicabant, ut dicturi sumus cum de Virginum consecratione tractabimus.

ARTICULUS II.

De Communione infirmorum.

I. QUamvis hic articulus pertinere videatur ad caput de Extremaunctione, quæ cum Eucharistia per modum viatici recipienda olim simul conferebatur: tamen quia nonnumquam Eucharistia infirmis sine unctionis sacramento solet tradi, hic de eorum communione tria nobis breviter inquirere operæ pretium existimavimus. 1. Quis eam impertiat, 2. sub qua specie, 3. quo ritu.

Communio ad infirmos a quibus delata.

II. Etsi episcopi & presbyteri proprii sint communionis ministri, hanc nihilominus curam non solum in diaconos aliosque inferioris ordinis clericos plerumque rejicere solebant, sed etiam in meros laicos: cujus rei insigne nobis exemplum suppeditat Dionysius Alexandrinus in epistola ad Fabium Antiochenum episcopum apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 44. de Serapione sene qui infirmus ad mortem, a puero nepote suo acceptam a sacerdote Eucharistiam recepit. Qui quidem ritus subsecutis sæculis adeo prævaluit, ut non sine difficultate illum abrogare potuerint concilia. Extat ea de re concilii Remensis decretum apud Reginonem lib. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 120. in hæc verba: (Pervenit ad notitiam nostram quod quidam presbyteri in tantum parvipendant divina mysteria, ut laico aut fœminæ sacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis; & quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur, quod quam sit horribile, quam detestabile, omnium religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia synodus, ne talis temeraria præsumtio ulterius fiat, sed omnimodo presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit.) Quibus verbis, etsi vehementius nihil aut durius proferri queat, insolita tamen non potuit omnino consuetudo convelli. Unde etiam inter capitula de quibus in visitandis parochiis inquiri voluit Hincmarus archiepiscopus, decimum est: (Si ipse presbyter visitet infirmos & inungat oleo sancto, & communicet *per se & non per quemlibet*, & ille ipse communicet populum, ne tradat communionem *cuiquam laico* ad deferendum ad domum suam causa cujuslibet infirmi.) Sed & sæculo adhuc X. Ratherius Veronensis episcopus in Epistola Synodica ad presbyteros, Spicilegii tomo 2. statuere coactus fuit, ut, (nullus præsumat tradere communionem laico aut fœminæ ad deferendum infirmo.) Et Regino lib. 1. inter alia quæ ab episcopo parochias visitante de vita & conversatione presbyteri vult inquiri, recenset, (si infirmos propria manu communicet, & non per quemlibet laicum. Si tradat communionem laico aut fœminæ ad deferendum infirmo, quod nefas est. Post Sæculum X. non memini me legisse laicos aliquos infirmis Eucharistiam tradidisse, sed hanc curam in diacono plerumque rejiciebant presbyteri, cujus rei exemplum videre est in Magno Exordio Cisterciensi dist. 6. cap. 5. ubi Daniel quidam diaconus vir *bonæ conversationis* ad porrigendum ægroto viaticum a presbytero destinatus legitur. In antiquis etiam Cartusiensium Statutis part. 2. cap. 8. hæc lego: (Corpus autem Domini potest infirmus accipere a Procuratore, si sit diaconus.) Sed de hac consuetudine conqueritur Guillelmus Major episcopus Andegavensis in Synodo anni 1273. arguens rectores nonnullos permittentes, ut diaconi,

uoni, quos secum habebant, (sine necessitatis articulo Corpus Dominicum infirmis deferrent & ministrarent:) id quod sub interminatione suspensionis fieri vetet. In Synodo etiam Nemausensi anni 1284. lego prohibitum districte, (ne aliquis qui non sit in presbyterum ordinatus Eucharistiam communicantibus præbeat.) Addit nihilominus: (Diaconus tamen hoc facere potest de licentia sacerdotis, ubi idem sacerdos hoc per se non potest facere, vel quia absens est presbyter, & necessitatis articulus noscitur imminere. Et in ultimo casu non est necessaria licentia sacerdotis.) Quæ totidem verbis reperiuntur in ms. Statutis Synodalibus Eliæ Uticensis episcopi. In duobus ms. codicibus monasterii Casalis Benedicti, quorum unus ab annis circiter 600. scriptus est, alter ab annis 300. in quibus describitur Ordo ad visitandum infirmum, subdiaconus ad infirmum Eucharistiam deferre legitur, sed eam ministrare sacerdos jubetur: qui nunc solus & defert & præbet.

Quo ritu.

III. Quonam vero modo id præstare debeat accipe ex Constitutionibus S. Edmundi Cantuariensis episcopi cap. 25. (Cum Eucharistia, inquit, ad ægrum fuerit deferenda, habeat sacerdos aliquam pyxidem mundam & honestam, in qua sit pannus lineus mundissimus, & in ea deferat Corpus Dominicum ad ægrotum, linteo mundo superposito, & lucerna præcedente, nisi æger valde remotus fuerit, & cruce similiter, si fieri potest, nisi crux fuerit ad alium ægrotum deportata: præcedente quoque tintinnabulo, ad cujus sonitum excitetur devotio fidelium. Habeat quoque secum sacerdos orarium sive stolam, quando cum Eucharistia, sicut diximus, vadit ad ægrotum. Et æger, si remotus non fuerit, in superpelliceo decenter ad ipsum accedat.) Idem habent Constitutiones Richardi episcopi Sarum cap. 39. Constitutiones episcopi Anonymi anno 1237. editæ, & concilium Vigorniense cap. 9. de tintinnabuli pulsatione a scolastico seu campanario cum defertur ad infirmos Eucharistia, extat Guidonis cardinalis & sedis apostolicæ in Germania legati statutum apud Albericum in Chronico ad an. 1200.

Sub qua specie.

IV. De specie vero sub qua communicandi erant infirmi facilis videtur responsio, nam cum ex reservata communiter Eucharistia solerent communicari, nec nisi sola panis species reservaretur, sub ea sola communicatos fuisse asserendum est. Probat id exemplum Serapionis senis ex Dionysio Alexandrino supra relatum, qui cum presbyterum accivisset, is puero qui eum convenerat, (exiguam Eucharistiæ partem tradidit, jubens ut in aqua intinctam seni in os instillaret.) Ad quem situm alludere videtur concilium Carthaginense IV. can. 76. decernens ut (infundatur ori ejus Eucharistia.] Cum vero infirmi statim post missam Eucharistiam accipiebant, eis utramque speciem traditam fuisse minime dubitandum est, maxime cum satis eis superesset virium, ut sub utraque specie refici possent. Constat ex ms. codice S. Remigii apud Menardum in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 380. in quo ad communionem infirmi, quem vis morbi non ad tantam virium imbecillitatem adduxit, utraque formula separatim ponitur: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Sanguis Domini nostri Jesu Christi redimat te in vitam æternam.* Utramque etiam speciem traditam fuisse non obscure indicat concilium Toletanum XI. can. 11. Non raro autem infirmi post missam communicabant, quæ aliquando eorum in cubiculis celebrabatur, ut alias vidimus. Immo quacumque hora in eorum gratiam dicebatur, maxime eum per modum viatici communicabant. Hinc S. Odo abbas Cluniacensis in Vita S. Geraldi comitis Aurilacensis refert celebratam fuisse missam a sacerdote post completorium, qui ei viaticum exhibuit. Fatendum tamen est, infirmos, qui post missam statim percipiebant Eucharistiam, non semper utraque specie refectos fuisse, sed aliquando alterutra. Huc facit id quod refert Beda Venerabilis in Historiæ Anglicanæ libro 4. cap. 14. de quodam puero nuper ad fidem vocato, qui in monasterio infirmitate correptus, accersivit presbyterum, (qui statim vocatis fratribus parari prandium, missas fieri, atque omnes communicare more solito præcepit, simul & infirmanti puero de eodem sacrificio Dominicæ oblationis *particulam* deferri mandavit.) Extat tamen apud Reginonem lib. 1. de Ecclesiasticis Disciplinis cap. 119. ex dictis Bedæ presbyteri canon, ex cujus præscripto (postquam infirmus sacra unctione fuerit delibutus, statim Corpore & Sanguine Domini recreandus est.) Et de Lietberto Cameracensi episcopo sic lego in ejus Vita Spicilegii tomo IX. (Percipiens & ipse Viaticum Corporis & Sanguinis Christi inter manus plangentium Deo cui omnia vivunt ...... suum tradidit spiritum.) Communis autem usus obtinuit, ut Eucharistia infirmis sanguine intincta præberetur, ut probant Ritualia antiqua perplurima; unde etiam concilium Turonense apud eumdem Reginonem libro citato cap. 70. præscribit (ut presbyter habeat pyxidem aut vas tanto sacramento dignum, ubi Corpus Dominicum diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus a sæculo: quæ sacra oblatio intincta debet esse in Sanguine Christi, ut veraciter presbyter possit dicere infirmo, *Corpus & Sanguis Domini proficiat tibi,*) &c. Atque hic ritus hactenus viget apud Græcos.

Quo ritu tradita.

V. Superest ut quo ritu Eucharistia infirmis administraretur subjiciamus ex Rituali ecclesiæ Turonensis apud Morinum lib. 10. de Pœnit. cap. 15.

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM CUM EUCHARISTIA ET NON CUM UNCTIONE.

IN primo sic agitur: Dicantur septem psalmi, postea oratio, quam hoc monitum sequitur. *Deinde accedat presbyter ad infirmum & suadeat ei diligenter quod conteratur, & confiteatur omnia peccata sua & quæ non recolit: Deinde absolvat eum dicens: Misereatur tui, &c. Deus cui proprium est, &c. Omnipotens misericors Deus qui B. Petro apostolo, ceterisque apostolis suis licentiam suam dedit ligandi atque solvendi, ipse te absolvat ab omni vinculo peccatorum, & quantum fragilitati meæ permittitur, ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, ut sis absolutus ante tribunal ejusdem Dei & Domini nostri Jesu Christi. Qui cum, &c. Dominus noster Jesus Christus, qui dixit discipulis suis quæcumque, &c. de quorum numero licet indignos nos esse voluit, ipse te absolvat ab omnibus peccatis tuis, quæque cogitando, loquendo, operando negligenter egisti, atque a peccatorum vinculis absolutum, perducere dignetur ad regna cælorum, ipse qui cum, &c.*

Oratio.

Absolutionem & remissionem peccatorum tuorum, spatium veræ pœnitentiæ, emendationem morum & vitæ, & consolationem S. Spiritus, cor semper pœnitens & contritum, intercedente beata & gloriosa semper Virgine, &c. Deinde da ei Corpus Domini & dic: Accipe viaticum.

Quo communicato. *Oratio. Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita & hunc famulum a lecto ægritudinis suæ tua potentia erigat ad salutem.*

VI. Constitutiones S. Edmundi Cantuariensis archiepiscopi cap. 25. addunt, ut presbyter (habeat vas argenteum sive stanneum, ad hæc specialiter deputatum, quod semper ad ægrotum secum deferet, ut in eo dare valeat ægro, post sumptam Eucharistiam, suorum loturam digitorum.)

ARTICULUS III.

De modo asservandæ Eucharistiæ pro infirmorum Communione.

I. EX dictis superiori articulo de communione infirmorum satis intelligunt lectores, asservatam olim fuisse in eorum gratiam Eucharistiam; quocirca tria hic mihi examinanda propono. 1. Quibus olim in locis eucharistia asservaretur. 2. Quibus in vasis reponeretur. 3. Quandonam renovaretur.

Modus triplex Eucharistiæ asservandæ.

II. Quod spectat ad primum observat Mabillonius in Commentario ad Ordines Romanos pag. 139. tres potissimum modos asservandi Eucharistiam apud Romanos.

III. Primus isque antiquior modus esse videtur, ut in secretario seu sacristia servaretur. Quo ex loco pontifici ad altare accedenti capsula Eucharistiam continens præferebatur. Hunc modum ad usque Gregorii XI. ætatem saltem in basilica Lateranensi perseverasse conjiciunt nonnulli ex hujus pontificis Constitutionibus editis pro ecclesia Lateranensi, in quarum num. 18. *mensa Domini* in sacristia custodiri memoratur: Verum hæc *mensa Domini*, non pro Eucharistia intelligenda est, sed pro mensa in qua Christus Cœnam ultimam celebravit, quam inter sacras

illius

illios ecclesiæ reliquias recenset Johannes diaconus in libro de Ecclesia Lateranensi cap. 3. At de eo videtur intelligendus S. Hieronymi locus in cap. 40. Ezechielis : *Quare sacrarium in quo jacet Corpus Christi, qui verus est Ecclesiæ & animarum nostrarum sponsus proprie thalamus seu παστοφόριον appellatur.*

IV. Secundus modus est, ut Eucharistia servaretur in altari seu principali seu speciali, qui situs hodie passim in Urbe viget. De eo meminit Gullielmus Durandus in Rationalis lib. 1. cap. 2. ubi hæc habet: (In quibusdam ecclesiis super altare collocatur arca seu tabernaculum, in quo Corpus Domini & reliquiæ ponuntur.) In præcipuis tamen Galliæ ecclesiis non in tabernaculo, sed ex antiqua consuetudine suspensa in vase asservatur : cujus rei exemplum suppeditat Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, ubi ait, Henricum imperatorem tempore Ricardi abbatis monasterio S. Vitoni dedisse (pyxidem unam de onichino, in qua servaretur Corpus Dominicum dependens super altare.) Sed in Italicis basilicis nusquam suspensa est Eucharistia, teste Mabillonio in Itinere Italico pag. 186.

V. Tertius modus, qui in sola sanctæ Crucis basilica obtinet, is est, quo Eucharistia pone majus altare ad summum basilicæ parietem absque ara seposita servatur in vasculo patente, adjectis loco ornamentis quod opus est Francisci Quignonii Cardinalis. De hoc situ ita scribit præfatus Mabillonius in Tractatu de Azymo & fermentato p. 83. (Ad latus evangelii seu ad Aquilonarem partem habebantur quibusdam in locis armaria, in quibus sanctissimum sacramentum recondebatur. Et quidem mos iste hactenus perseverat in quibusdam ecclesiis puta Romæ in ecclesia S. Crucis in Jerusalem, in Gallicanis nonnullis, ut Paronæ in parochiali ecclesia S. Johannis Baptistæ, & ante decem annos in basilica Furseana, atque in Belgicis plerisque.) Hunc tamen modum usi & primum prohibuisse videtur olim concilium Turonense II. can. 3. præscribens (ut Corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.) Hunc canonem qui virorum eruditorum hactenus torsit ingenia, omnium optime interpretatus est idem Mabillonius tum in Tractatu de Azymo cap. 8. tum in l. 1. de Liturgia Gallicana cap. 9. ut scilicet Corpus Domini *non in imaginario ordine*, hoc est in parietibus, aut in sacristiis, in quibus aut cælatæ aut depictæ habebantur imagines, sed *sub crucis titulo*, qui altari in suprema ciborii parte appendebat, componatur.

Eucharistia quibus in vasis servata.

VI. Nunc vero quibus in vasis Eucharistia asservaretur videndum est. Antiqui duplicis generis vasa hunc ad usum adhibebant, turres scilicet aut columbas. Turris usus obtinebat in Ricomagensi vico civitatis Arvernæ, teste Gregorio Turonensi libro 1. de Gloria Martyrum cap. 85. Idem de Bituricensi esse docet Fortunati Carmen 25. lib. 3. ad Felicem Bituricensem scriptum *In Turrem* ejus, quod sic incipit.

(Quam bene juncta docent, sacrati ut Corporis Agni
Margaritum ingens aurea dona ferant.)

In Majori monasterio Turonensi hactenus in turre argentea in altari suspensa Eucharistia asservatur. In Rotomagensi etiam S. Laurentii ecclesia parrochiali ante paucos annos vas Eucharistiæ ostensorium in turris similitudinem erat efformatum. Antiquiora tamen nobis suppetunt argumenta pro columbis. In vita S. Basilii, quæ sub nomine Amphilochii circumfertur, narratur quod idem aliquando sanctus Hostiæ (tertiam partem imponens columbæ aureæ pependit super altare.) Quem locum profert Æneas Parisiensis episcopus adversus Græcos Spicilegii tom. 7. pag. 81. Et S. Perpetuus Turonensis episcopus in Testamento suo Spicilegii tom. 5. legat *columbam argenteam in repositorio*. In monasterio etiam Bobiensi, ut scribit Mabillonius in Italico Itinere pag. 217. [habetur vetus columba ex aurichalco ad reponendum olim viaticum.) Similis visitur in Cariacensi congregationis nostræ cœnobio in diœcesi Suessionensi. In monasterio Grandimontensi Eucharistia servabatur olim in columba aurea quam Henricus rex Angliæ dederat, teste Gaufrido Vosiensi lib. 2. c. 16. In Fossatensi denique S. Mauri basilica hactenus Eucharistia columbæ inclusa super altare appensa cernitur.

VII. In hujusmodi columba aurea *turricea pyxis* Corpus Dominicum continens recondita habebatur apud Cluniacenses, ut discimus ex Udalrico lib. 2. cap. 30. & apud Nostrates Divionenses S. Benigni ex ms. Consuetudinibus ejusdem monasterii. Pyxidem quoque ligneam & in ea Corpus Domini commemorat Rupertus abbas lib. de Incendio Tuitiensis monasterii cap. 5.

VIII. In Veronensi canonicorum Regularium S. Leonardi ecclesia ante trecentos annos in urna eburnea asservabatur, ut fidem facit Pauli ejusdem ecclesiæ canonici Regularis epistola 3. quam citat Mabillonius in Itinere Italico p. 198. Vasculum etiam eburneum hodie visitur in cimelio Ferrariensis monasterii diœcesis Senonensis, simile & in Cedeansi cathedrali ecclesia, in quibus olim servabatur eucharistia, uti observavimus in nostro Itinere litterario. Capsæ etiam Eburneæ sed argento inclusæ meminit Vita S. Claræ Virginis cap. 14. apud Surium 12. Augusti. Denique in Historia episcoporum Autissiodorensium cap. 57 lego Guillelmum episcopum dedisse ecclesiæ B. Stephani (cuppam argenteam quatuor marcarum, deintus & deforis per optime deauratam, ad reponendum in ea Corpus Dominicum.) Tempore Gregorii papæ XI. Romæ servabatur in cophino ex Cæremoniali Petri Amelii capp. 51. & 131. In ecclesia montis prope Hildasium olim servabatur in vitro, ut discimus ex chronico episcoporum Mindensium cap. 45. Hugo Flavigniacensis in chronico Virdunensi p. 166. recenset (Pixidem ex onichino in qua servaretur corpus Dominicum dependens super altare.) Græci vero in sacculo, quem muris appendunt, Eucharistiam servant, ut discimus ex variis relationibus & testimoniis in libro 3. de Perpetua ecclesiæ fide de Eucharistia, ac eruditissimo viro Antonio Arnaldo gallice conscripto, prolatis. In ecclesia quoque Bajocensi in Neustria vasculum recondendæ Eucharistiæ destinatum sacco, seu ut vulgo loquuntur bursa, includitur, sed non parieti adhæret.

Eucharistia quando renovanda.

IX. Renovanda sacra Eucharistia habemus concilii Turonensis decretum apud Reginonem lib. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 70. Ut (de tertio in tertium diem semper mutetur, id est illa a presbytero sumatur, & alia quæ eodem die consecrata est in locum subrogetur ne forte diutius reservata mucida, quod absit, fiat.) Communis tamen Ecclesiæ latinæ usus obtinuit ut semel tantum singulis hebdomadis aut ad summum singulis quibusque quindenis diebus Eucharistia ad viaticum infirmorum reservata innovaretur, id quod infinitis prope testimoniis probare possemus, ex quibus nonnulla protulimus in lib. 2. de Antiquis monachorum ritibus cap. 4. quibus addo concilii Rotomagensis anni 1072. canonem 6. (Ut viaticum & aqua benedicta ultra octavum diem non serventur.) In Lemovicensi nihilominus ecclesia alia viguit consuetudo, quam ita describit ms. Codex abbatiæ S. Martialis : [Consuetudo est apud Lemovicenses propter auctoritatem Clementis papæ de diligentia Corporis Domini, ut non solum per monasteria, sed etiam per omnes ecclesias Primatis Lemovicensis, ne vetustate inveniatur aliqua putredo in fragmentis Dominici Corporis, renovetur Corpus Domini per duodecim terminos in anno, & vetus quod mutatur non nisi a nostris clericis sumatur.) Ex ms. autem Ordinario ecclesiæ Bajocensis non nisi tres hostiæ reservabantur. Græci vero non nisi semel in anno in Cœna Domini eucharistiam renovant, ut docet Arcudius lib. 3. cap. 53. At quo ritu disces ex Leonis Allatii verbis in epistola ad Johannem Morinum de recentioribus Græcorum templis, ubi sic loquitur : [In hoc eodem sacrario pretiosissimum Christi Corpus pro infirmis non certo in loco, cum id ex arbitrio sacerdotum pendeat ; in muro tamen appenditur, & non sine veneratione asservatur. Quandoque vero in ecclesiis pusillis misellisque neque lampade, neque alio lumine colitur. Id quomodo præparetur operæ me facturum pretium opinor, si paucis expediam. Quinta magnæ hebdomadis feria, dum tanti mysterii memoria recolitur, sacerdos in prothesi solito majorem panis recentis partem in commemorationem Christi ante omnes alias abscindit, & pro more, ut alias fieri solet, cruce signatam, punctam, & reliquo venerationis cultu cohonestatam cum ceteris particulis particulam coopertam conservat, quousque ita exigente missæ Ordine ad altare majus convectam una cum aliis consacret. Postmodum dum sacerdos communicat, quartam illius partem absumit, tres reliquas summis digitis in particulas easque minutas super patenam comminuit, quod aptius commodiusque ex pane recenti absolvitur, cum veterascens alias panis humore absumto in pulverem, ut ita dicam, satiscat. Particulas ita digestas vello coopertas veneratus, quod superest missæ absolvit .... Post meridiem regressus sacerdos, effusis prius nonnullis precibus venerabundus margaritas e patina diligenter desumtas in vas ligneum, ubi vero id licuerit argenteum

genteum

genteum vel aureum ad pyxidis instar elaboretum apponit ..... Tum demum patinam, ne quid in ea ex micis illis remaneat, abstergit musa; μῦσα est tesserula ex spongia, sed ea densissima & prælo compressa, ut obstruantur foramina facta, cujus ex una parte brachiolum serico ligamine eminet, quo digitis deprehenditur, & in eam operam usurpatur .... apte obseratum pyxomelum, pannoque serico involutum, aut sacculo inclusum, muro appendunt, & luminibus, iisque pro ecclesiæ modulo subaccensis, non sine veneratione conservatur .... In ecclesiis vero haud ita conspicuis nec lumen, nec lampas ardet.) Deinde describens quo ritu deferatur ad infirmum addit: (Demum cum opus fuerit, sacerdos cum diaconorum comitatu & luminibus accensis, psalmos & alia pro re canentians, involucrumque illud secum deferens in ægroti, & jam moribundi ædes pergit, per viam omnibus etiam Turcis, si obviam venerint, veneratione quadam obstupentibus ...... Ubi ad ægrotum ventum est, exemptam cum cochleari e pyxomelo margaritam unam, vinoque ad hunc usum delato in ædem cochleari perfusam, ut emollescat, post exactam peccatorum confessionem, & supplicationes tum a sacerdote, tum ab infirmo recitatas, ille infirmo porrigit; cui postea bone deprecatur, & cum eadem pompa unde egressi sunt convertuntur, & margaritas reponunt.] Hactenus Allatius tam de modo asservandæ apud Græcos Eucharistiæ, quam de ritu illius infirmis administrandæ. Innocentius tamen IV. anno 1254. datis ad quemdam insulæ Cypri episcopum litteris die 4. Martii prohibuerat, ne per integrum annum Eucharistia ad viaticum infirmorum reposita conservaretur, sed ad minus singulis quibusque quindenis diebus renovaretur. Porro observat Baronius ad annum 401. num. 17. ex epistola S. Johannis Chrysostomi ad Innocentium papam, Eucharistiam olim sub utraque specie fuisse conservatam.

ARTICULUS IV.

De vario Eucharistiæ usu apud antiquos.

Eucharistia in itinere delata.

I. VArias hic articulus complectetur observationes de multimodo apud antiquos Eucharistiæ usu. Prima erit de ejusdem in itinere delatione, ut ea veluti tutissimo præsidio adversus communis hostis insidias & varia peregrinationum pericula sese munirent, cujus rei egregium nobis suppeditat exemplum S. Hieronymus epistola 4. ad Rusticum de S. Exuperio Tolosæ episcopo scribens in hæc verba: (Nihil illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.) Aliud ministrat Ambrosius in lib. 1. de excessu Satyri fratris sui, (qui priusquam perfectioribus esset initiatus, in naufragio constitutus, cum ea qua veheretur navis scopuloso illisa vado, & urgentibus hinc inde fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret a vita, quo initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos inserret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desideravit.) Simile exemplum refert S. Gregorius papa lib. 3. Dialogorum cap. 36. in vetustissimo etiam codice monasterii Wingartensis S. Gregorii papæ expositionem in Ezechielem continente initio hæc leguntur: (Oportet monacho ubicumque exierit Eucharistiam secum semper vehat.) Acta S. Birini apud Surium 3. Decembris testantur Honorium papam eidem dedisse (pallam super quam Corpus Christi consecrabat, & in qua Corpus Dominicum involutum, & ad collum suspensum semper secum ferebat.) S. Adalbertus Pragensis episcopus cum aliquando divinum obtulisset sacrificium, (quidquid superfuit, de eo quod ipse & novi baptizati communicaverunt, colligere jubet, & mundissimo panno involutum sibi servavit pro viatico deportandum,) uti legimus in ejus Vita n. 37. Sæculo V. Benedictino. Prætereo Summos Pontifices Stephanum III. & V. Gregorium VII. Urbanum II. Paschalem II. Gelasium II. & Alexandrum III. de quibus vide quæ scripsit Angelus Roccha in singulari libello de *Sacro Christi Corpore Romanis pontificibus iter conficientibus præferendo*. His exemplis adjiciam illustria alia duo quæ Francorum reges spectant. Primum scribit Helgaldus Floriacensis monachus in Vita Roberti Regis. Nam (quocumque illi erat eundum, præparabatur vehiculum, quod deportaret divini ministerii tentorium. Quo in terram fixo, deponebantur ibi *Sancta*, ut quia secundum psalmistam, Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi, qui habitant in eo, proderet se devotum, quovis in loco Deo devotas persolvere laudes.) Alterum habes apud Guillelmum Nangium in libro de Gestis sancti Ludovici, qui ad bellum adversus infideles profectus, (Sacrum Domini Jesu Corpus secum de licentia Domini Tusculani Sedis Apostolicæ legati deferebat.) Neque vero prætereundum hic puto quod in Historia dissidii Pauli V. Pontificis cum Republica Veneta legitur de Patribus Societatis Jesu, qui urbe exire jussi, singuli singulas hostias collo alligatas gestantes profecti sunt. Idem usus viget etiamnum apud Maronitas, ut discimus ex epistola Gabrielis Sionitæ ad Bartoldum Nisium inter Allatii Symmicta, ubi asserit (ad bellum perrecturis, & longum vel periculosum iter ingressuris sacrum pignus sub unica specie panis secum asportandum concedi, ut illud imminente vitæ discrimine præsumant.)

In signum unitatis & benevolentiæ missa.

II. Observandum, episcopos olim sibi invicem in signum unitatis & benevolentiæ Eucharistiam tamquam pro Eulogia transmisisse. Præclarum hujusce praxeos testimonium exhibet S. Irenæi epistola ad Victorem papam apud Eusebium lib. 5. cap. 24. Nam cum episcopos Asiæ ob diversum in celebrando Paschate ritum excommunicare Victor proponeret, decessorum illius exempla in memoriam reducit, qui nullos umquam ob ejusmodi consuetudinem a se rejecerunt. [Verum illi ipsi, inquit, qui te præcesserunt presbyteri, quamvis id minime observarent, Eucharistiam transmiserunt.) Ad hanc consuetudinem referri possunt Melchiadis & Siricii summorum pontificum decreta de mittendo fermento ad titulos urbis, quod de Eucharistia interpretantur viri eruditi: id quod fieri in festo Paschæ interdixit concilium Laodicenum can. 14. prohibens (ne *Sancta* instar benedictionum in festo Paschæ in alias parochias transmittantur.) Verum hic transmissionis Eucharistiæ usus non apud episcopos modo viguit, sed etiam apud monachos, ut probat miraculum a Johanne Moscho in Prato Spirituali cap. 29. relatum, de duobus Stylitis, quorum unus catholicus, alter Severianæ impietatis sectator. At (ille divinitus inspiratus, petiit ab eo ut partem sibi mitteret communionis suæ. Qui gaudio elatus, quod quasi illum seduxisset, protinus misit nihil hæsitans. Suscipiens itaque Catholicus missam sibi ab hæretico Severianæ sectatore particulam, in ferventem ollam injecit, moxque resoluta est, sumtam quoque Catholicæ ecclesiæ sanctam communionem in eam conjecit. Statimque fervens olla refrigerata est, & sancta communio permansit integra, neque madefacta est.)

Subscriptiones conciliorum cum calamo sanguine intincto.

III. Observandum, aliquando in subscriptionibus conciliorum, maxime ad damnationem hæreticorum, calamum pretioso Sanguine fuisse tinctum. Cujus rei duo habemus exempla insignia: unum in Pyrrhi, alterum in condemnatione Photii. De primo sic scribit Paulus diaconus Aquilejensis in Hist. lib. 18. (Pyrrhus cum Roma discessisset, & Ravennam pervenisset, ut canis ad vomitum suum reversus est. Quo papa comperto Theodorus, plenitudine convocata Ecclesiæ, ad sepulcrum verticis apostolorum accessit, & divino calice expostulato, ex vivifico Sanguine in atramentum stillavit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati fecit.) Quæ totidem verbis ex Græcis scriptoribus refert Theophanes, extansque in conciliorum ultimæ editionis tomo V. pag. 1699. De secundo vero Nicetas in Vita S. Ignatii Constantinopolitani episcopi, (a legatis Romanis, inquit, ipsoque imperatore ex toto Senatu admonitus Photius, ut veniam precaretur & saltem tamquam laicus ad fidelium communionem reciperetur; superbo & contumaci animo consilium penitus repudiavit. Ergo communi omnium æquissimoque judicio damnatur, abdicatur, anathematique percellitur, veluti violator & adulter, maximarumque calamitatum & infinitarum offensionum ac scandalorum in ecclesia Dei auctor, & pronuntiat synodus juxta Nicolai papæ sententiam, quam primum Photius maturo cum judicio canonicaque seu synodica fuerat depositione damnatus. Subscripsere depositioni calamis non modo atramento, sed in quo penitus contremiscas, ut eos qui rem norant asseverantes audivi, ipso Salvatoris Sanguine tinctis.) Idem omnino præstitum est in concordia inita inter Carolum Calvum & Bernardum comitem, ut tradit Odo Aribertus in

fragmento, quod vir clarissimus Stephanus Baluzius vulgavit in notis ad Agobardum p. 129. [Pace itaque cum Sanguine Eucharistico separatim per regem & comitem firmata & obsignata, Bernardus comes Tolosanus ex Barchionensi Tolosam venit) &c. Sed & Isaac & Johannes episcopi Armeni in nondum edita epistola ad concilium Basileense, asserunt ab ecclesia Romana se accepisse dogma celebrandi in azyma meroque vino atque (ad perpetuam rei memoriam de vino ipso meum celebrationis dictum dogma scriptum) fuisse.

Eucharistia ad curandas corporum plagas adhibita.

IV. Observandum, veteres non tantum ut animæ medicinam Eucharistiam respexisse; sed etiam ut præsentissimum adversus corporis morbos antidotum: testatur id Augustinus lib. 3. Operis imperfecti contra Julianum cap. 162. (Erat apud nos, inquit, Acacius quidam honesto apud nos ortus loco; clausis oculis natum se esse dicebat, sed quia intus sani palpebris cohærentibus non patebant, medicum eos ferro aperire voluisse, neque hoc permisisse religiosam matrem suam, sed id effecisse imposito ex Eucharistia cataplasmate.) Id quod non improbat S. Augustinus. Sulpicius Pius Bituricensis archiepiscopus, ut legitur in ejus vita ab antiquo auctore conscripta num. 34. Homini semivivo & fere exanimi (vi dentibus reseratis sacrificium in ora propriis manibus infudit, & repente apprehensa manu ejus in faciem sacerdotis surrexit incolumis ac si nihil mali habuisse putaretur.)

Adversus energumenos.

V. Eucharistia etiam adversus energumenam adhibuit S. Bernardus. Nam dum Mediolani in ecclesia S. Ambrosii versaretur, oblata est ei mulier a dæmone jam pluribus annis possessa, quam ille ad altare, in quo celebrare debebat, accedere jussit; expleta vero oratione Dominica (patenæ calicis sacrum Domini corpus imponens, & mulieris capiti superponens, talia loquebatur: adest, inique spiritus, Judex tuus, adest summa potestas, jam resiste si potes. Adest ille qui pro nostra salute passurus; *Nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras*. Hoc illud corpus quod de corpore virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte resurrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cælum. In hujus ergo majestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio ut ab hac ancilla ejus egrediens contingere eam deinceps non præsumas.) His verbis & Eucharistiæ virtute statim fugatus est dæmon, ut scribit Ernaldus in lib. 2. vitæ S. Bernardi cap. 3. Idem auctor cap. 6. refert sanctum Bernardum simili prorsus modo Aquitaniæ ducem qui schismati Anacleti adhæserat, objecta ei Eucharistia ad ecclesiæ sinum reduxisse. Brentenius etiam tom. 2. scriptorum Brunswicensium, in chronico Marienradensis monasterii cap. 20. refert, Henricum abbatem cum Eucharistia & conventu suo sacris vestibus ornato adversus monasterii persecutores obviam processisse.

Eucharistia cum mortuis sepulta.

VI. Observandum olim Eucharistiam cum mortuis sepultam fuisse. Constat ex facto S. Basilii apud Amphilochium, cujus fragmentum citat Æneas Parisiensis episcopus in libro adversus Græcos Spicilegii tom. 7. pag. 81. quo memoratur aliquando dicta missa, sacrum panem divisisse tres in partes, quarum una se communicavit, alteram imponens columbæ aureæ pependit super altare, *alteram conservavit consepeliri sibi*. Confirmatur ex facto S. P. Benedicti apud Gregorium Dialogorum lib. 2. cap. 24. qui adolescentem monachum posito cum reverentia super ejus pectore Corpore Domini sepeliri jussit. Sed tandem hanc praxim damnavit concilium Carthaginense tertium can. 6. & sextum can. 83. ubi præscribitur, ut (nemo mortuorum corporibus Eucharistiam impertiatur. Scriptum est enim: Accipite & comedite. Cadavera autem, neque accipere possunt, neque comedere.) Id quod confirmavit Synodus Carthaginensis sub Bonifacio episcopo anno 525. Et concilium Autissiodorense can. 12. (Non licet mortuis, neque Eucharistiam, neque osculum tradi:) quibus adde concilium Quini-sextum anno 692. celebratum canone 23. ubi Carthaginensis definitio pene de verbo ad verbum describitur.

VII. Eucharistia olim corporali involuta ad incendia comprimenda deferebatur. Id sane non obscure eruitur ex Glabro Rodulfo lib. 5. Hist. cap. 1. [Chrismale etiam, quod a quibusdam corporalis appellatur, plurimum expertum est præstari remedia, si fides exigentium non fuerit dubia. Nam contra incendia sæpius elevatum aut extinguendo compescuit, aut retrorsum pepulit.] Deinde narrans de eo incendio quod in Reomensi contigit cœnobio, tunc (fratres chrismale impositum conto elevantes contra incendii flammas . . . , statim vero idem ignis in sese retorquens, minime amplius quam invaserat arripere valuit. Panis tamen ille dominicus, aure flante a contulo elapsus plus minus duobus milliaribus evolavit.) At in concilio Salingenstadiensi cap. 5. prohibitum est ne presbyteri (Corporale dominico corpore consecratum ad extinguendum incendium temeraria præsumtione in ignem projiciant.)

In dedicationibus altari inclusa.

VIII. Observandum, olim in solemni ecclesiarum dedicatione tres portiones ex Dominico Corpore detractas altari cum calce & smalta inclusas fuisse: id quod in Majoris monasterii Basilicæ dedicatione præstitisse Urbanum papam secundum narrat anonymus in libro de Gestis abbatum Majoris-monasterii. Sed de hoc suo loco cum de ecclesiarum dedicatione agemus.

IX. His addo quæ refert Ditmarus Merseporgensis episcopus in chronici libro 3. de Gerone archiepiscopo Coloniensi, qui cum in ecclesia crucifixum ex ligno studiose fabrificari præcepisset, (Hujus caput dum fissum videret, hoc salubri remedio curavit: Dominici corporis portionem, unicum in cunctis necessitatibus solatium, & partem unam salutiferæ crucis conjungens, posuit in rimam, & prostratus nomen Domini flebiliter invocavit, & surgens humili benedictione integritatem promeruit.)

X. Qui antiquos ritus ex hodierna observatione metiri volunt, hi dubio procul his in omnibus debitam sacræ Eucharistiæ reverentiam desiderari existimabunt. At longe alia erat veterum opinio, qui nihil exinde honoris Christo debiti detractum censebant. Nec enim nescii erant Deum fidem & cordis intentionem respicere, non exteriorem nescio quem cultum superstitiosum; Christum in sui Corporis & Sanguinis sacramenti institutione omni vilitati & extremitati sese submisisse, nec magis in Corpore humano inter sputa & excrementa honorari, quam aut vulneri ægroti, aut cadaveri defuncti applicatum; ceterum nihil ex dignitate solis decedere, sive in luto sive in auro fulgeat. Quanta autem reverentia erga sacram Eucharistiam veteres ducerentur disces ex dicendis articulo sequenti.

ARTICULUS V.

De reverentia veterum erga Eucharistiam, deque modo expiandi defectus circa ipsam occurrentes.

INter varia rationum momenta, quibus realis in Eucharistia Christi præsentia comprobari potest, non infimum tenere locum debet veterum erga Corporis & Sanguinis Domini Sacramentum reverentia: nihil enim efficacius adduci potest ad demonstrandum quam recte olim concilium secundum Nicænum Actione sexta asseruerit, (nullum aliquando Sanctorum apostolorum, qui tubæ sunt Spiritus Sancti, aut illustrium Patrum nostrorum incruentum Sacrificium nostrum quod in commemorationem Christi Dei nostri ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixisse imaginem Corporis sui.) Sed panem & vinum (post sanctificationem Corpus *proprie* & Sanguinem Christi dici, esse, & credi.] Tametsi aliunde verba ipsa Christi istum orthodoxæ fidei articulum abunde non probarent. Quippe ut optime arguit idem concilium: (non dixit: Accipe & comedite imaginem corporis mei.) Sed (ipsum Corpus & ipsum Sanguinem meum.] Unde cum ea quæ de reverentia veterum monachorum erga sacrificium, deque modo expiandi defectus in ipso occurrentes scripseram in libro 2. de Antiquis Monachorum Ritibus cap. 7. vidissent nonnulli Sectarii, nec parum inde se urgeri animadverterent, cum ita validum ex his queat argumentum erui, ut ei responsum aliquod rectæ rationi consentaneum vix posset opponi; negaverunt hos ritus antiquis Patribus prorsus ignotos, sæculum duodecimum aut decimum tertium superare. At longe antiquiores esse constitutiones illas & ex primæva ecclesiæ traditione ad nos usque pervenisse haud ægre fatebuntur, si vel tantillum ad illa Tertulliani verba libri de Corona militis cap. 3. animum reflectant. (Calicis & panis nostri aliquid decuti in terram

anxie

anxie patimur.) Nec minori consideratione digna sunt ea quæ scribit Origenes homilia 13. in Exodum; (Nostis, inquit, qui divinis mysteriis interesse consuevistis quomodo cum suscipitis Corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, & ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos esse creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat.) Igitur ex Tertulliano *Anxie* patiebantur suo tempore, hoc est ineunte sæculo tertio christiani si quid ex Eucharistia in terra decideret; & ex Origene *Reos* se esse credebant, & *Recte* credebant, si quando id per negligentiam accidisset. Verum quæ tandem tantæ anxietatis causa? Quæ culpa, quod crimen *Reos* constitueret & *Recte* constitueret? Si præter panem & vinum meramque figuram aliud nihil agnovissent in sacramento. Aliud ergo & illud magnum aliquid credebant; Et quid illud? Nisi realem in Eucharistia Christi præsentiam. Eamdem erga sacram Eucharistiam religionem inspirat Cyrillus Jerosolymitanus in Catechesi 5. Mystagogica, ubi fideles post acceptum in manibus sanctum Panem ita admonet: (Cave autem ne quid inde tibi excidat: quod enim amittas, hoc tamquam ex proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ramenta aurea daret, nonne cum diligentia illa teneres, cavens ne quid ex illis periret, damnumque sustineres? Et multo magis & diligentius de his, quod auro gemmisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, providebis.) Hæc autem amplius elucescent ex ritu & modo supplendi defectus in ipso sacrificio occurrentes, culpesque in divinum illud sacramentum commissas expiandi, quae in subjectis statutis facile quisque deprehendet.

EX DECRETIS PII PAPÆ I. APUD GRATIANUM DE CONSECRATIONE DIST. II.

Pœnitentia ejus cujus negligentia de Sanguine Domini aliquid stillat.

SI per negligentiam aliquid de Sanguine Domini stillaverit in terram, lingua lambatur, tabula radatur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradatur, & igne consumatur, & cinis intra altare recondatur, & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si vero super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla pervenerit quatuor diebus pœniteat. Si usque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice superposito, & aqua ablutionis sumatur & juxta altare recondatur.

EX CONCILIO TOLETANO VII. ANNO DCXLVI. CELEBRATO CAP. II.

CEnsemus igitur convenire, ut cum a sacerdotibus missarum tempora sancta mysteria consecrentur, si ægritudinis accidat cuiuslibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri ministerium, sit liberum episcopo, vel presbytero alteri consecrationem exequi officii cœpti. Non enim aliud ad supplementum sui initiatis ministeriis competit, quam aut incipientis aut subsequentis completa benedictio sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur: cum enim simus omnes unum in Christo nihil contrarium diversitas format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repræsentat.

EX CONCILIO TOLETANO XI. ANNO DCLXXV. CELEBRATO CAP. II.

QUicumque fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus, Eucharistiam perceptam rejecerit, in nullo ecclesiasticæ damnationis subjaceat. Similiter nec illos cujusquam punitionis censure redarguet, qui talia tempore infantiæ faciunt, aut in qualibet mentis alienatione positi, quid fecerint ignorare videntur. Jam vero quicumque aut de fidelium, aut infidelium numero Corpus Domini absque inevitabili, ut dictum est infirmitate projecerit; si fidelis est, perpetua communione privetur; si infidelis, & verberibus subdatur, & perpetuo exilio relegetur. Quod si horum quilibet hujusmodi excessus digna pœnitentiæ satisfactione deflaverit, post quinquennium licitum erit, illum communioni pristinæ reformari.

EX CONCILIO BRACARENSI IV. ANNO DCLXXV. CELEBRATO CANONE III.

OMni cura omnique studio providendum est, ne hi qui locum videntur regiminis obtinere, contumeliam videantur inferre cælestibus sacramentis. Etenim quod & auditui horribile, & visui execrabile judicatur, relatum est nobis quod quidam sacerdotum sacrilega temeritate præcipites, vasa Domini in proprios usus assumant, epulasque sibi in eis comedendas apponunt. Quod malum & obstupentes deflemus, & deflentes obstupescimus; ut illic humana temeritas sibi epulum præparet, ubi sanctum Spiritum cognoscitur advocasse; & ibi esum carnium crapulatus assumat, ubi divina visus est celebrasse mysteria: in quibus tantæ rei sacramentum pro expiatione delictorum percepit, ibi his explet voluntatem ludibrii sui. Et ideo hujus de cetero præsumtionis persona, quæ sciendo divina vasa vel ministeria, aut in usus suos transtulerit, aut comedere in his, vel poculum sibi sumendum elegerit gradus sui vel officii periculum sustinebit: Ita tamen ut, si de sæcularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnatur; si vero religiosus ab officio deponatur.

EX BOBIENSI POENITENTIALI ANTE ANNOS MILLE SCRIPTO ET MUSEI ITALICI TOMO I. EDITO.

XLIII. SI quis sacrificium per negligentiam perdiderit, uno anno pœniteat.

XLIV. Et qui neglexerit sacrificium, & a vermibus consumatur, dimidio anno pœniteat in pane & aqua. Et ipsam in igne comburatur, & abscondat cineres sub altare.

XLV. Qui autem miserit per neglectum in sacrificium quadraginta diebus pœniteat.

XLVI. Sacerdos qui offert, & ceciderit de manibus ejus Eucharistia in terra, & non invenerit eam scopa munda scopet & comburat igne, & abscondat cineres ejus sub altare in terra, & dimidium annum pœniteat. Si autem invenerit locum, similiter faciat, & pœniteat quadraginta diebus. Si autem usque ad altare ceciderit, uno die pœniteat. Si vero declinaverit in terra, lingua sua lingat. Si fuerit tabula, radat. Si non fuerit, mittat tabulam, ut non conculcetur Sanguis Christi, quadraginta diebus. Si autem super altare ceciderit stilla, sorbeat illam & tres dies pœniteat. Si exegerit per linteum ad alium, sex diebus pœniteat in pane; & si ad tertium, septem diebus pœniteat; ita ut ponat calicem sub linteamina, effundat aquam tribus vicibus, & bibat. Si quando infert calicem & effunderit in terram, decem diebus pœniteat in pane & aqua.

EX GREGORII PAPÆ III. JUDICIIS. CAP. VIII.

QUicumque taliter inebriatur, ut statum mentis mutet, & lingua balbutiet, & oculi turbentur, & ventris distensione dolor insequatur, & tunc evomuerit Eucharistiam, episcopus nonaginta dies pœniteat, presbyter septuaginta, diaconus quadraginta, subdiaconus viginti, clerici & laici decem. Et si canes comedant talem vomitum, centum dies pœniteant; si non sciunt, quadraginta.

CAP. XXVIII.

SI quis Eucharistiam, id est sacrificium causa negligentiæ perdiderit, unum annum vel tres quadragesimas pœniteat. Quod si in terram causa negligentiæ ceciderit, quinquaginta psalmos cantet. Qui negligit sacrificium, ita ut vermes in eo inveniantur, aut colorem saporemque perdiderit triginta, vel viginti dies pœniteat, & in ignem accedatur. Qui fundit calicem in finem missæ solemnitatis, quadraginta dies pœniteat, & linteamina quæ tetigerit stilla per tres abluantur vices, calice subterposito, aqua ablutionis in ignem projiciatur.

EX VENERABILIS BEDÆ LIBELLO DE REMEDIIS PECCATORUM.

Cap. XII. de Ebrietate.

SI per ebrietatem vel voracitatem evomuerit Eucharistiam, quadraginta dies pœniteat clericus monachus diaconus sexaginta, presbyter septuaginta, episcopus centum decem. Si infirmitatis causa septem dies unusquisque sine infirmitatis causa sacrificii die, quatuor dies. Quidam psalterium, quidam bis psalterium suum sacrificii die in ignem projecit, vel in flumine, centum psalmos cantes. Si canes comedunt talem vomitum, centum diebus, si scit; si non scit, quadraginta.

Cap. XIII. De Eucharistia.

SI quis Eucharistiam negligentiæ causa perdiderit, unum annum pœniteat, tres quadragesimas seu quadraginta dies pœniteat. Si sacrificium in terra ceciderit causa negligentiæ, quinquaginta psalmos cantet. Qui neglexerit sacrificium, ut vermes in eo sint, ut colorem non habeat saporemque, viginti dies pœniteat, vel triginta, vel quadraginta, & in igne accendatur: cinis ejus sub altare abscondatur. Si usque ad terram ceciderit, unum diem pœniteat: si stilla arserit, altare ceciderit, triginta dies pœniteat. Qui in ecclesia modicam partem perdiderit, & non invenerit, viginti dies pœniteat, unoquoque die psalmos quadraginta cantet. Qui autem in plebem suum chrismalem perdiderit, & non invenerit, quadraginta dies vel tres quadragesimes. Qui perfuderit calicem in finem solemnitatis, triginta dies pœniteat.

EX LIBRO VI. POENITENTIALI HALITGARI EPISCOPI CAMERACENSIS.

Cap. 10. De defectibus circa sacrificium.

SI quis non bene custodit sacrificium, & mus comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit suum chrismal, aut solum sacrificium in regione qualibet, ut non inveniatur, tres quadragenas vel annum pœniteat. Perfundens aliquis calicem super altare quando anferuntur linteamina, septem diebus pœniteat. Si ceciderit sacrificium intra mensam, septem diebus pœniteat. Ut sumens gravatus saturitate ventris, viginti diebus pœniteteat. Diaconus oblivisceus oblationem offerra linteamine, donec offeruntur, similiter pœniteat. Si autem in farina, aut in aliquo siccato cibo, sive in melle, sive in lacte inveniantur istæ bestiolæ, quod circa illorum corpora est foras projiciatur. Qui negligentiam circa sacrificium fecerit, ut sit a vermibus consumtem, quod ad nihilum deveniat, tres quadragenas pœniteat. Si integrum sit inventum, & in eo fuerit vermis, comburatur, & sic cinis ejus sub altare abscondatur, & qui negligens, quadraginta diebus pœniteat. Si ceciderit sacrificium de manu offerentis terratenus, * & inveniatur aliquid, omne quodcumque inventum fuerit, in loco in quo ceciderit, comburatur, & cinis sub altare abscondatur: & sacerdos medium annum pœniteat: & si inventum fuerit, ut supra mundetur, & quadraginta dies pœniteat. Si usque ad altare tantum fuerit lapsum, superponet. Si de calice per negligentiam stillaverit aliquid in terram, lingue lambatur, & tabula radatur, & in igne comburatur, & quadraginta diebus pœniteat. Si supra altare stillaverit calix, sorbeat minister & linteamen quod tetigit stillam abluatur ** vicibus, & tribus diebus pœniteat.

EX PERVETUSTO CODICE S. VITONI VIRDUNENSIS.

Collectionem Dionysii exigui Carolo magno ab Adriano papa missam continente.

SI quis Eucharistiam negligentiæ causa perdiderit, annum I. vel III. quadragesimas seu XL. dies pœniteat.

Si sacrificium in terra ceciderit, L. psalmos cantet.

Qui non bene custodierit sacrificium, & mus comedit illud, XL. dies pœniteat.

Qui autem perdiderit & non inventum fuerit, XX. dies pœniteat.

Qui neglexerit sacrificium, ut vermes in eo sint aut colorem non habet saporemque, XX. vel XXX. vel XL. dies pœniteat, & in igne accendetur, cinisque ejus sub altare abscondatur.

Si ceciderit sacrificium de manibus offerentis terratenus & non invenitur, omne quodcumque inventum fuerit in loco quo ceciderit comburetur igni, & cinis ejus sub altare abscondatur, sacerdos vero XX. dies pœniteat.

Si usque ad altare tantum lapsum fuerit XV. dies pœniteat.

Si de calice per negligentiam aliquid stillaverit in terra, lingua lambietur, terraque radatur. Si tabula fuerit vel petra ubi ceciderit, similiter radatur, & quod rasum fuerit igni consumatur, cinisque, ut supradictum est, abscondatur; Sacerdos vero L. dies pœniteat.

Si super altare stillaverit calix, minister sorbeat, tresque dies pœniteat. Si super linteum pervenit ad alium, VIII. dies pœniteat; Si usque III. pervenit, novem dies; Si usque ad quartum, XII. dies pœniteat. Linteamina vero quæ tetigerit stilla tribus vicibus laventur, aquam vero ablutionis sumat, & in ignem vel procurrentem aquam projiciat.

Si quis perfundit aliquid de calice super altare, quando offert, linteamina lavet, & VII. dies pœniteat.

Si ceciderit sacrificium de manu portantis in stramen, VII. dies pœniteat a quo ceciderit.

Qui perfundit calicem in fine solemnitatis missæ XL. dies pœniteat.

Qui acceperit sacrificium post cibum, VII. dies pœniteat.

Omne sacrificium vetustate sordida corruptum igni comburendum est.

Si cesu quis sacrificium perdit, relinquens illud feris aut avibus devorandum, XL. dies pœniteat. Si negligens fecit, annum unum pœniteat.

Qui in ecclesia modicam partem perdiderit & non invenit, XX. dies pœniteat, vel unoquoque die psalmos LXX. cantet.

Si quis acceperit sacrificium pollutus nocturno tempore, antequam pœniteat, XX. dies pœniteat, vel quinque psalteria cantet.

Qui communicaverit ignoranter excommunicatum ab ecclesia, XL. dies pœniteat.

Si laicus in ipsa die quando communicaverit, per ebrietatem vel voracitatem sacrificium emovuerit, XL. dies pœniteat. Si autem postquam dormierit ante mediam noctem fecerit, XXX. dies a potu abstineat: si vero post mediam noctem, XX. dies a potu abstineat. Si matutino vel mane fecerit, X. dies a potu abstineat. Si vero talem vomitum canes lambuerint, C. dies cum pane & aqua pœniteat.

Qui evomit, si in igne projicit, C. psalmos cantet, vel duos dies cum pane & aqua pœniteat. Si infirmitatis causa fecerit, VII. dies cum pane & aqua pœniteat.

Si quis sacerdos alicui crimen capitale admittenti ac publicam pœnitentiam agenti ante reconciliationem communionem tribuerit, VII. dies pœniteat.

Diaconus obliviscens sine linteamina *** oblationem afferre, XL. dies pœniteat, quia in evangelio scriptum est, quod Joseph corpus Domini in Sindone munda involvit.

EX MANUSCRIPTO POENITENTIALI BIBLIOTHECÆ COLBERTINÆ N. 1348. ANTE ANNOS 800. EXARATO.

. . . . De manu sacrificium ceciderit in stramen, VII. diebus pœniteat, a quo ceciderit. Qui vero infundit calicem in fine solemnitatis missæ, quadraginta diebus pœniteat. Si vero neglexerit quis accipere sacrificium & interrogatus nec aliquid causæ excusabilis extiterit, superponat. Et qui acceperit sacrificium pollutus nocturno somno, sic pœniteat. Diaconus obliviscens oblationem adferre donec auferatur linteamen quando recitantur nomina pausantium, similiter pœniteat. Qui negligentiam erga sacrificium fecerit, aut siccans vermibus quæ consumtum, III. quadragesimas cum pane & aqua pœniteat. Si integrum inventum fuerit in eo, vermes comburentur & cinis super altare abscondatur. E qui neglexerit, quater denis diebus suam negligentiam solvat. Si cum amissione saporis decoloratur sacrificium XX. diebus expleatur jejunium. Conglutinatum vero, VII. diebus. Qui mergit sacrificium continuo bibat aquam, quæ in chrismal fuerit, sumat sacrificium, & emendet per X. dies culpam solus. Si ceciderit sacrificium de manibus offerentis terratenus & non invenitur,

* *l.* nec inveniatur.

** *Deest* tribus.

*** *l.* linteamine.

venitur omne quodcumque inventum fuerit in loco in quo cecidit comburatur, & cinis ut supra abscondatur, sacerdos deinde medio anno damnetur. Si vero inventum fuerit sacrificium, locus scopa emundetur, & stramen ut supra ignetur, & sacerdos XX. diebus pœniteat. Si usque ad altare tantum lapsum fuerit, * supponat. Si vero per negligentiam calice aliquid stillaverit, lingua bibatur, tabula radatur. Si tabula non fuerit, mittatur non conculcetur, igne sumatur, ut supra, sacerdos L. diebus pœniteat. Si supra altare stillaverit calix; sorbeat minister stillam, ternis diebus pœniteat. Si supra linteamina ad alium usque, VII. diebus. Si usque tertio, IX. diebus. Si usque ad IV. quindecim diebus, & linteamina quæ tetigerit stilla tres perabluat vices, calice superposito & aquam ablutionis sumat. Si quando interluitur calix stillaverit .... tertio .....

EX CONSTITUTIONIBUS ODONIS PARISIENSIS EPISCOPI.

SI negligentia avenerit, ut prælecto canone & peracta consecrationa, nec vinum nec aqua reperiatur in calice, debet statim infundi utrumque, & sacerdos reiterabit consecrationem ab illo loco canonis: *Simili modo postquam cœnatum est*, usque ad finem: ita tamen ut illas duas cruces omittat, quas singulariter fecit super panem. Quod si de simplice vino vel de aqua sine vino fiat consecratio, vinum reputatur pro sacramento, sed aqua non reputatur. Et ideo ista negligentia de aqua posita sine vino major & majori pœnitentia emendanda est.

Si quid ceciderit de sanguine Domini super corporale, rescindendum est ipsum corporale, & in loco reliquiarum observandum: si palla altaris inde tincta fuerit, rescindenda pars illa, & pro reliquiis servanda. Si super infulam, casulam, vel super albam decurrat, similiter fiat. Si super quodlibet vestimentum, comburenda est pars illa, & pulvis in sacrarium reponendus est: si vero in terram ceciderit, lingenda est terra, tergendus & radendus locus ipse, sive lapis, sive lignum, sive terra, & pulvis in sacrario reponendus.

Porro si in ipsum Sanguinem musca vel aranea, vel aliquid tale ceciderit, quia non sine vomitu & periculo corporis aliquando sumi potest, igne cremandum est, & tunc Sanguis Christi Domini sumatur. Illud tamen quod intus ceciderit prius debet in calice vino perfundi, & quanto cautius fieri poterit, ablui, & postea super piscinam comburi, & illam ablutionem sacerdos sumat. Quod si de Corpore Domini super quodlibet aliud vestimentum, non incidatur, sed vino abluatur, & a ministro sumatur vinum ipsum. Quod si in primo datum rejicitur, prout diligentius poterit recipiat & conjunctum cum vino in calice sumatur: sed integrum sumi non potest, eo quod ore alterius projectum est.

Reus autem hujus negligentiæ, & qui cum ipso particeps fuerit culpæ, competenti subjaceat disciplinæ: si autem supra lignum vel lapidem ceciderit, modus supradictus de Sanguine Domini tenendus est.

EX TRIBUS MSS. CODICIBUS MONASTERII GEMMETICENSIS.

SI forte negligentia alicui fratri contigerit de Corpore & Sanguine Domini, debet indicare abbati, si certus est. Si mediocris est culpa, ut cum sine lumine cantat, vel cum guttam vel micam videt post Actionem, & nescit unde sit: sive digiti post consecrationem alicubi tetigerint, vel aliquid hujusmodi evenerit; pro talibus ipse solus nudus ** judicium in capitulo suscipiet. Si vero sine vino vel sine stola, aut manipulo cantaverit; cum eo disciplinam suscipient *** conversi, & qui videntur participes culpæ. Pro vino vel stola cessabit a missa, & majorem pœnitentiam sustinebit pro judicio præsidentis. Similiter levita cum sine stola legerit evangelium; & disciplinam & cessationem officii sui sustinebit pro dispositione abbatis. Si sine manipulo, judicium tantum suscipiet quisquis ille fuerit. Si vero Corpus Domini, quod ipse avertat, ceciderit, vel Sanguis effusus fuerit, aut quod post Sanguinem mittitur, sive micæ de patena perierint, abluentur panni super quos ceciderint, primo vino, deinde aqua, & ipsæ binæ ablutiones bibentur a fratribus qui affuerint: tertio laventur in sacrario. Frater cui hoc acciderit, accipiet veniam in capitulo, & suscipiet judicium, a missa cessabit, disciplinas, jejunia, psalmos secundum dispositionem abbatis habebit. Totus conventus judicium habebit: primus abbas, deinde prior, deinde a senioribus usque ad novissimum septem ictus. Postea abbas fratrem & omnes alios absolvat: deinde surgentes post *Verba mea*, cantent septem psalmos prostrati ante majus altare. Antiphona. *Ne reminiscaris Domine. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Memento nostri, Domine. Memor esto congregationis. Exurge Domine. Dominus vobiscum.* Orationes. *Deus cui proprium*. Oratio. *Defende quæsumus*. Oratio. *Absolve quæsumus Domine.* Si super lapidem, vel lignum, vel terram vel ferrum ceciderit, radatur, vel colligatur quidquid poterit & lotio diligenter in sacrario reponatur, & lavatum bibatur. Si cui contigerit, ut obliviscatur vinum vel aquam horum mittere in calicem: si ad *Per ipsum* vel ad *Agnus Dei*, hoc advertit, misceat tunc vinum & aquam & dicat *Simili modo* usque *in mei memoriam facietis*: Deinde *Pater noster* & cetera quæ sequuntur. Propter oblivionem hanc si contigerit, conventus non suscipiet disciplinam.

EX MS. POENITENTIALI ROBERTI CANONICI S. VICTORIS.

De Sacerdote custodiente vel tractante Eucharistiam negligenter.

SI vero per negligentiam de calice Domini aliquid stillaverit in terram, lingua bibitur, tabula radetur. Si non fuerit tabula; ut non conculcetur, locus corradetur & igne consumetur, & cinis intra altare recondatur, & Sacerdos sexaginta dies pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam & tres dies peniteat. Si super linteum altaris & ad aliud stilla pervenerit, quatuor dies peniteat: si usque ad tertium, novem; & linteamina quæ tetigerit stilla minister abluat tribus vicibus, calice subtus posito, & aqua ablutionis sumatur, & juxta altare recondatur.

Qui evomuerit sacrificium & a canibus consumitur; unum annum peniteat: sin autem, quadraginta dies. Si in die qua communicaverit sacrificium evomuerit, si ante mediam noctem, tres superpositiones ferat; si post mediam noctem, duas; si post matutinum, unam. Si sacrificium evomuerit, quadraginta dies peniteat; si in ignem projecerit, centum psalmos cantet; si vero canes lambuerint talem vomitum, centum dies qui evomuit peniteat.

Omne sacrificium sordida vetustate perditum igne comburendum est, & juxta altare cinis reponendus est.

Laicus si per ebrietatem vomitum facit, tres dies a carne & vino & cervisia abstineat. Si quis per nequitiam alium inebriat, quadraginta dies peniteat, &c. ...

Si ceciderit sacrificium de manu offerentis terratenus ubi non conculcetur; omne quodcumque inventum fuerit quo ceciderit comburetur, & cui accidit medium annum peniteat. Si vero sacrificium inventum fuerit; locus scopis mundetur, & stramine igneatur, & cinis recondatur & sacerdos viginti dies peniteat.

Qui non bene custodierit sacramentum, & mus vel aliquid aliud animal comederit illud; quadraginta dies peniteat. Qui autem perdiderit illud in ecclesia, aut pars ejus ceciderit, & non inventa fuerit, triginta dies peniteat. Profundens aliquid super altare de calice quando offertur, sex dies peniteat; aut si abundantius, septem dies peniteat. Qui autem perfuderit dum sollemnitas missæ celebratur, quadraginta dies peniteat. Et qui accepit sacrificium pollutus nocturno tempore, septem dies peniteat.

Qui negligentiam circa sacrificium fecerit, ut in eo vermis consumtus sit, & ad nihilum devenerit: tres quadragesimas in pane & aqua jejunet. Et si integer vermis in eo inventus fuerit, comburatur, & cinis sub altari recondatur. Et qui neglexerit, quaternos dies propter negligentiam suam solvat. Si cum amissione saporis decoloratur sacrificium; viginti dies expleantur in penitentia. Conglutinatum vero, septem dies qui merserit peniteat.

EX MS. CODICE INSIGNIS ECCLESIÆ SUESSIONENSIS TEMPORE NIVELONIS EPISCOPI DESCRIPTO.

SI per negligentiam Sacerdotis evenerit, quod absit, ut missam cantans panem vel vinum oblitus fuerit; cum hoc cognoverit, si hostia defuerit, illam assumat & mittat super corporale, & incipiat consecrationem ab *qui pridie quam pateretur*. Si autem vinum defuerit, quod consecrari debet; cum hoc cognoverit, mittat illud in calicem, & incipiat consecrationem ab *simili modo*. Si cum aqua solum-

* *f.* superponat..

** Judicium suscipere est flagellis excipi.

*** Inferiores altaris ministri.

solummodo cantere contigerit; cum hoc compertum fuarit, mittat vinum in calicem, & incipiat ab *qui pridie quam pateretur*. Si de Sanguine Domini aliqaid ceciderit super corporale; ipsum recidendum., & loco reliquiarum ast servandum. Si super pallam altaris; incidenda est ipsa particule, & pro raliquiis servanda. Si super casulam, non inciditur, sed diligentius abluitur. Si veto in terram; radendus est ipse locus, & extergendus sive sit lapis sive terra. Ipseqae pulvis in sacrario est reponendus. Si quis autem cui hæc acciderit negligentia, se nudare debet, & petita venia, correptinnem accipiet. Similiter si affuerint septam Sacerdotes correptionem nudi accipiant, & postea saptam psalmi decantentur cum versu illo: *Domine non secundum peccata nostra facias*. Et collecta *Exaudi Domine supplicum preces*. Si de corpore Domini super pallam altaris aliquid ceciderit, non ast tanta negligentia sicut de Sanguine: pars itaque illa in qua ceciderit, vino abluitur; sed non ideo inciditur. Ille vero cui talis aveuerit negligentia, veniam petens, competens accipiar judicium cum illo cuius occasione tale quid acciderit. Si varo Dominicum Corpus in terram ceciderit, simili modo per omnia agendum est, sicut supradicta docet narratio. Quod si in Sanguine Domini musca vel aranea ceciderit: quoniam telis res sine periculo glutiri non potest; nam necesse est eut vomitum aut ipsam sequi mortem, ut jem probatum est, idcirco igne cremandum ast. Satisfactio eutem hujusmodi ast, ut ille videlicet cui hoc acciderit, ut judicium videlicet correptionis accipiat, vel psalmos cantare pro ut eui confessus est, visum fuerit, vel publice eleemosynas dare debet.

EX MS. COMPENDIO SALUTIS ANNO 1392. A QUODAM CARTUSIANO EDITO IN DOMO PETRÆ CASTRI.

De negligentiis qua fiunt in missa.

SI per negligentiam evanerit quod completo canona nec vinum nec aqua in calice repetiatur, statim infundatur utrumque & sacerdos iterabit consecrationem ab illo loco (*simili modo*) & sic perficiet usque in finem; ita tamen ut dimittat duas cruces quæ singulariter super hostias consueverunt fieri, vel melius potest dici quod aliam hostiam accipiat, & canonem a principio incipiat.

Si ceciderit de Sanguine.

Si quid de Sanguine ceciderit super corporala, vel super pallam altaris, vel super albam vel casulam; pars illa rescindatur & in loco reliquiarum servetur; prius tamen extrahatur Sacramentum quantum poterit fiari, & sumatur; si vero saper terram, vel lapidem, vel lignum ceciderit, lingendus & extergendus & radendus est locus ille, & pulvis in sacro loco reponendus est.

De aranea vel musca.

Porro si in ipsum Sanguinem musca eel aranea ceciderit; vel tale eliquid hujusmodi, quod vix sine vomitu aut mortis periculo sumi potest, perfundatur & laventur cautius in calicem & hanc eblutionem sumat sacerdos, sed musca vel aranea cremetur super piscinem sacrarii.

Si de corpore ceciderit.

Quod si de corpore Christi super pallem altaris ceciderit vel super eliud vestimentum, non inscindatur; sed vino ablaatur, & a ministro sumatur.

De infirmo.

Si infirmus corpus Christi rejiciat, suscipietur prout diligentius potest fieri, & sic ab infirmo sumatur; quod si post sumptionem avomuerit, omnia diligentissime in vase suscipientur, & in sacracrium mittantur.

EX ANTTIQUIS STATUTIS EPISCOPORUM ATREBATENSIUM JUSSU ANTONII PERENETI EPISCOPI ET CARDINALIS GRANVELLANI COLLECTIS CAP. DE CELEBRATIONE MISSARUM.

SI de Sanguine Christi super corporale stilleverit; scindenda est pars illa, & in loco reliquiarum reponenda. Si palla altaris intincta fuerit, fiat consimiliter. Si varo uper casulam seu aliquod vestimentum, comburetur ille pars, & cinis in sacrario reponatur. Si autem ad tarram ceciderit, lingendus, tergendus, & radendus est locus illa, & pulvis in sacrerio ponendus. Ceterum si musca vel aranea ant aliqaid tale ceciderint in calicem, quod vix sine vomitu vel periculo corporis sumi potest, igne comburendum ast illud, & Sanguis debet sumi. Rei vero talium negligantiarum sabjaceant ultioni.

EX MISSALI LUGDUNENSI ATHANACENSIS MONASTERII.

SI ante consecrationem musca vel aranea ent aliud simile reperiatur in calice, totum in piscinam effundatur; calix abluatur, vinum aliud & aqua ponatur. Si vero post consecretionem reperietur, captum animal abluatur & comburatur, cinis & ablutio in piscinam ponantur. Propter venenum aut aliud abominabile calix a nullo sumatur, sed in vase mundo aptoque cum raliquiis reservetur cum cedula quid sit indicante. Et statim aqua & vinum in calice ponantur, & fiat consecratio a *Simili modo*, & sacrificium perficiatur.

Si sacerdos post sumptionem sacramenti species evomuerit, debet vomitus illa cremari, & cineres juxta altare recondi, nisi ibi appareret sacramentum: quia tunc non esset comburendum, sed conservandum ut prius dictum est.

Si de Sanguine aliquid supra corporale aur aliud ornamentum seu vestimentum ceciderit; pare illa abscindatur, & in loco reliquiarum servetur. Prius tamen quantum fieri poterit sacramentum extrahatur, videlicet vastimentum abluatur & ablutio a sacerdota sumatar. Si vero super terram, lapidam, vel lignum de Sanguine ceciderit, lingendus, extergendus, & radendus est locus ille, & pulvis in sacro loco reponendus.

EX MS. CODICE GEMMETICENSIS MONASTERII.

Quid debet fieri quando aliquid negligentia evenerit de sacramento ad Missam.

SI per negligentiam evenerit, quod absit, ut missam cantens panem aut vinum oblitus fuerit. Cum hoc cognoverit, si hostia defuerit, assumat illam & mittet illam super corporale, & incipiat consecrationem, a *Qui pridie quam pateretur*. Si autem vinum defuerit, consecrari debet, cum hoc cognoverit, mittat illud in calicem, & incipiat consecrationem a *Simili modo posteaquam cænatum est* usque in finem. Si cum aqua solummodo cantare contigerit, cum hoc expertus fuerit, mittat vinum in calicem, &, ut supra diximus, incipiat consecrationam a *Qui pridie quam pateretur*. Si cantaverit cum vino sine aqua, cum napertus fuerit, mittat aquam in vinum & incipiat sic: *Oremus præceptis salutaribus moniti*, & dicat orationem dominicam, & *libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis*. Si quid de sacramento Sanguinis Christi ceciderit saper corporale, reponendum est ipsum corporale in loco reliquiarum servandum. Si palla altaris inda fuerit intincta, recidenda est ipsa quæ intincta ust particula, & pro reliquiis servanda. Si super casulam, vel super albam deguttet, similiter fiat. Si super quodcumque vestimentum, comburenda est ipsa pars, & cinis in sacrario reponendus. Si vero in terram ceciderit, lingendus, extergendus, radendus est ipse locus, sive lapis, sive lignum, sive terra; & pulvis in loco sancto recondendus. Porro si aliquid in ipsum Sanguinem, musca, vel eranea, vel aliquid tale ceciderit, quod vix sine vomitu, vel aliquando sine periculo corporis sumi non potest, igni cremandum est, & Sanguis sumatur: quod si fides ipsa idipsum quod ceciderit quempiam sumere fecerit, Deo gratias. Sed pavor est. Quæritur si aperta negligentia de Corpore aut Sanguine Domini acciderit, quod si stilla aliqua de Sanguine ceciderit super corporalie, vel super pannum qualiscumque fuerit, si usqua ad tabulam altaris pervenerit stilla, aut super terram, aut lepidem, aut lignum, aut aliquid aliud quam super altare ceciderit, quid fieri debeat secundum casuum diversitetem. Item si post consecrationem in calicem musca, vel aranea, vel aliquid tale immundum forte inciderit quid sacerdos communicaturus facere debeat. Item si quis per incuriam vel ignorantiam sincerum ministraverit pro vino sacerdoti ad consecrandum Sanguinem Christi, & ille sic consecraverit, quam pœnitentiam agere qui ministraverit debeat, quam qui consecraverit; primarum quæstionum solutiones manifeste habentur in decretis, ubi agitur de consecratione, distinctione ...... Si per negligentiam aliquid de Sanguine stillaverit in terram, lingua

gua lambetur, tabula radetur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus radetur, & igne consumetur, & cinis intra altare collocetur, & sacerdos 40. diebus pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usque ad tertium; 9. diebus pœniteat: si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina quæ tetigerunt stillam tribus vicibus minister abluat, & calice subterposito aqua ablutionis sumatur, & juxta altare recondatur. De quæstione de aranea, & alio immundo si inciderit, nihil habemus in decretis vel in libris theologicis diffinitum. Hoc autem dicit magister Petrus Comestor, quia si ita evenerit ei, non sumetur, sed potius in piscinam ponetur, & narrat se ita audisse Turonis, de quibusdam Monachis, qui miscuere venenum vino in calice abbati missam celebranti; unus autem eorum hoc ei sumpturo indicavit; nihilominus tamen sumpsit & obiit. Narrat & de alio qui bibit araneam cum Sanguine, nec læsus est, immo postea integre per brachium exivit. Ego etiam audivi verissime de quodam, cui aranea per majorem articulum pedis in crastino integra exivit. Audivi etiam de quodam, qui dum hæsireret de Corpore Christi sumendo, quia vidisset araneam incidere, apis per fenestram vitreaos integram intrans eam a calice extraxit, & per eandem asportavit: sic ergo occulta sunt judicia Dei; uni obfuit, quod alteri non nocuit, cum tamen ea magna fide sumpserit; forte huic non expediebat, quod amplius viveret ne malitia mutaret intellectum ejus, sicut forte audisse de Eboracensi archiepiscopo, qui venenum in calice positum ex magna fiducia sumsit & obiit. Alii vero expediebat, ut viveret; & ita utrique contrario modo ad salutem consultum est, & recte quidem videtur in tali casu sumendum non esse; dum enim habet homo quid possit facere per humanum consilium, non debet se ex toto committere Deo, quia hoc est Deum tentare. Ipse enim potest vermem tollere; non ergo videtur totum haurire debere, sicut Deus cum essent gradus in templo per quos poterat de pinnaculo descendere noluit se præcipitare, quia hoc esset Deum tentare. Si quis tamen ex abundantia fidei totum hauriat, magister Petrus non judicat eum damnandum, sed se negat facturum. De sicera vero loco vini imposita, scias quod ibi non consecratur Corpus Christi, quia nec fit conversio siceræ in Sanguinem; nec etiam panis in carnem; utrumque enim de substantia sacramenti est; panis scilicet & vinum, & sine neutro fit consecratio. Si tamen contigerit ita, in majori reverentia debet haberi. Sacerdos cum noverit errorem, oblatam illam panis, quam posuerat cum sicera super altare super quam non sunt verba illa prolata, licet tamen oblata illa adhuc sit purus panis, quod defuit vinum sine quo non poterat converti. Est autem consilium episcopi Parisiensis magistri M. ut postea sacerdos non ponat eam super altare ad consecrationem faciendam, sed post consecrationem alterius hostiæ, & sumtionem, sumat eam similiter & siceram. De pœnitentia ei injungenda nihil ratum respondere possumus, quoniam ut nostis extraordinariæ sunt pœnitentiæ, & extraordinariæ arbitrariæ. Si enim ea industria hoc fecerit sacerdos, & ut hæresim introduceret, gravissime puniendus est, & perpetuo deponendus. Si vero ex ignorantia vel negligentia, mitius cum eo agendum est, ut scilicet ad tempus suspendatur, & pro modo delicti & motu prælati, ei pœnitentia major vel minor injungatur.

C A P U T VI.

De ritibus ad Sacramentum Pœnitentiæ spectantibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate pœnitentiæ, & quibus olim temporibus a fidelibus frequentaretur.

Pœnitentiæ necessitatem qui impugnaverint hæretici.

I. CUm pœnitentia sit secunda post naufragium tabula, ac peccatoribus, de salute propria sollicitis, tam necessaria censenda est, quam passis naufragium, & vitam mediis e fluctibus eripere cupientibus tabula; atque adeo quæ necessitas unumquemque suæ saluti in æternum consulere compellit, eadem & peccatores ad pœnitentiæ confugium recurrere cogit: Christo terribiliter intonante ac comminante *nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis*: Et S. Augustino seu quovis alio auctore Sermonis 254. in Appendice novæ editionis, [non aliter salvi fieri non possumus, nisi confiteamur pœnitentes, quod inique gessimus negligentes.] Hinc sancta mater Ecclesia non sine aliquo animi horrore pestiferas hæreticorum voces audire potuit, quibus ut securas sectatorum suorum conscientias redderent, vim & necessitatem pœnitentiæ enervare & convellere tentabant, quales primis Ecclesiæ sæculis extitere Mathematici & Manichæi, de quibus S. Cæsarius Arelatensis episcopus Sermone 253. in Appendice S. Augustini novæ editionis: [Dicit homini serpens ille per Mathematicos & Manichæos, ne confiteatur homo peccatum.) Quanam vero ratione? (Per Mathematicos, inquit, sic loquitur: Numquid homo peccat? Stellæ sic sunt positæ, necesse est ut faciat homo peccatum. Dicit ergo per Mathematicos, quia stella facit ut homo peccet; nam ipse non peccat . . . . . . Item per quosdam Manichæos ita suggerit; non tu peccas, gens tenebrarum peccat, tu non habes peccatum.) Tali ratiocinio cum se justos comprobare contenderent, pœnitentiæ necessitatem e medio tollebant, morbosque dissimulantes, confessionis remedium, quæ, ut ait ibidem Cæsarius, *initium sanitatis est*, refugiebant.

II. Neque minus horrenda fuere Montanistarum aut Novatianorum deliramenta, qui licet pœnitentiam de peccatis haudquaquam abjicerent; ullam tamen penes Ecclesiam residere auctoritatem ac virtutem dimittendi delicta pernegabant.

III. His accenseri posset aliud hæreticorum genus, qui non pœnitentia, sed exacto pretio remittenda fore peccata garriebant, de quibus S. Maximus Taurinensis episcopus homilia 10. ex vulgatis a Mabillonio Musæi Italici tom. 1. [Præpositi eorum, quos presbyteros vocant, dicuntur tale habere mandatum, ut si quis laicorum fassus fuerit crimen admissum, non dicat illi, Age pœnitentiam, deplora facta tua, defle peccata; sed dicat illi: pro hoc crimine da tantum mihi, & indulgetur tibi.) Isti tamen hæretici confessionem, quæ una est ex pœnitentiæ partibus, admittebant; e contrario autem Jacobitæ (Dicebant non esse necessarium sacerdoti confiteri peccata sua, sed Deo soli,) ut testatur Prateolus in libro 9. de Vita hæreticorum. Quem quidem errorem, si Prateolo lib. 1. credimus, sæculo octavo exeunte innovarunt Albanenses hæretici, dicentes (Nullum hominem post peccatum commissum confiteri posse nec debere.) Hanc hæresim refutavit Alcuinus circa idem tempus, scripta egregia epistola *ad fratres in provincia Gothorum*, hoc est Galliæ Narbonensis, uti interpretor; (Propter quasdam consuetudines, inquit, quæ vestris inolevisse feruntur regionibus. Dicitur vero neminem ex laicis suam velle confessionem sacerdotibus dare, quos a Deo Christo cum sanctis apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credimus.) Huic con laicorum illorum præsumtioni omnino oppositus erat Adalberti hæretici error, qui (venienti populo, & prostrato ante pedes ejus, & cupienti confiteri peccata sua, dicebat: Scio peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulta vestra; ideoque non est opus confiteri ea. Securi ergo & absoluti de peccatis vestris præteritis, revertimini ad domos vestras cum pace,) ut testatur Concilium Romanum sub Zacharia Actione 1. Quorum omnium hæreticorum condemnatio subsecutis sæculis exortos compescere haud potuit. Nam Waldenses, quos Pauperes de Lugduno vulgo vocitant, auricularem confessionem prorsus tollebant, necessariam eam esse negantes, uti & hujus ætatis hæretici, qui eam carnificinam animorum appellant.

IV. His omnibus hæreticorum commentis, quibus omni fere ævo pœnitentiæ Sacramentalis necessitas impugnata est, adjicere possemus quorumdam Anglicanæ Ecclesiæ presbyterorum errorem; qui ex crassa & pingui ignorantia generalem confessionem, quæ inter ipsa missarum exordia fit, censebant eluere posse peccata mortifera, quos debita censura perstrinxit Archiepiscopus Cantuariensis in editis anno 1318. Constitutionibus.

V. Verum tanta non fuit omnium istorum nebulonum garrulitas, quam ut apud cordatos viros elevare potuerit pœnitentiæ necessitatem, quam & stabilivit Christi Domini auctoritas, confirmarunt conciliorum decreta, sartam & in-

intemeratam fecerunt sanctorum summorumque Pontificum statuta, conservarunt insignia verorum pœnitentium exampla; quorum tanta ab omni ævo apud auctores, concilia, sacrasque paginas occurrit copia, ut omnibus passim sint obvia: adeo ut nulla nos hic urgeat necessitas ea congerendi, quæ suis locis ab omnibus legi ac percurri queunt. Verum non deerunt forte curiosi lectores, qui rescire saltem desiderent, quibus potissimum temporalibus pœnitentiæ sacramentum a christianis frequentaretur.

Pœnitentia in capite Quadragesimæ.

VI. Etsi omni tempore, omni die, omnique hora peccatoribus licitum fuerit episcopos eorumve vicarios convenire, peccatisque apud eos depositis ac confessis, pœnitentiam pro commissis delictis postulata, impositam satisfactionem adimplere, eaque exacta Deo & Ecclesiæ reconciliari; etsi etiam dies potissimum Dominicos ad id muneris impendere soleret S. Hilarius Arelatensis episcopus, teste Honorato Massiliensi item episcopo in ejus Vita cap. 13. ex antiqua tamen Ecclesiæ disciplina omnes in capite quadragesimæ, sive illa die Dominica, sive feria 4. ante Dominicam primam inciperet, confiteri singulari præcepto tenebantur. Id testantur non modo omnes antiqui libri Pontificales Ritualesque ante annos 800. aut 900. & ultra descripti, sed varii etiam conciliorum canones & Pontificum statuta. Concilium Agathense apud Reginonem lib. 1. cap. 291. & apud Burchardum l. 19. c. 26. (In capite, inquit, quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo civitatis.) Idem non obscure innuit concilium Remense anno 630. celebratum cap. 8. decernens, ut nemo (tempore quadragesimæ pœnitentium confessiones audiat præter pastorem.) Clarius Ratherius Veronensis episcopus in epistola Synodica ad Parrochos Spicilegii tom. 2. (Feria quarta ante quadragesimam plebem ad confessionem invitate.) Et Regino Prumiensis Abbas lib. 2. c. 65. inter alia quæ ab episcopo parrochias visitante de laicis inquiri jubet, (Si, inquit, aliquis ad confessionem non veniat, vel una vice in anno, id est in capite quadragesimæ, & pœnitentiam pro peccatis suis suscipiat.) Idem docent Admonitiones Synodales in Appendice ad Reginonem a Cl. V. Stephano Baluzio editæ. Hinc concilium Meldense anni 845. c. 76. statuit, ut (nemo comitum aut quisquam ex judiciaria potestate post quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes pœnitentes manus impositionem ad vacandum solummodo pœnitentiæ ac divinis officiis accipiunt, placitum, aut malum tenere præsumat.) Et S. Adalardus Abbas Corbejensis lib. 1. Statutorum c. 2. Spicilegii tom. 4. Monasterii operis concedit laboris manualis remissionem (primo die jejuniorum quadragesimæ, ideo ut statim habeant confessiones renovare.) Denique in antiquo Ordine confessionis edendæ codicis Turonensis ante annos 800. exarati, inter alia pœnitens accusat se, quod (in quadragesima, *sicut constitutum est*, confessus non fuit.) His accedunt statuta Jacobi Ebredunensis archiepiscopi n. 1. quibus decernitur ut omnes (semel in anno & specialiter *in quadragesima* generaliter confiteantur proprio sacerdoti.) Et statuta Synodalia ecclesiæ Avenionensis a nobis edita tom. 4. Anecdotorum, (ut tempestive ante festa paschalia confiteantur.) Similiter & statuta Synodalia ecclesiæ Leodiensis n. 23. (Presbyteri suos parrochianos moneant frequenter, ut a festo purificationis omnes ab annis XIV. & supra veniant ad confessionem ante Dominicam in Ramis Palmarum. Et qui in hoc negligentes fuerint, per octavam Paschæ abstinebunt a carnibus, & jejunabunt sicut in quadragesima.) Eamdem disciplinam postmodum renovavit Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 5. ubi hæc habet: (Jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo & maxime acceptabili tempore quadragesimæ, quem morem hæc sancta Synodus maxime probat & amplectitur, tamquam pium & merito retinendum.) Quæ verba ut scribit Bellarminus in notis ejus in bibliotheca repertis, intelligenda sunt de confessione facienda, [non in fine, ut abusus irrepsit, sed initio hujus temporis, ut olim recte constitutum fuerat.)

Confessio ter in anno.

VII. Constitutum in universa occidentali Ecclesia pœnitentiæ tempus unica hebdomada anteverit Theodulphus in Capitulari ad presbyteros, cujus articulus 36. hæc habet; (Hebdomada una ante initium quadragesimæ, confessiones sacerdotibus dandæ sunt, poenitentia accipienda,) &c. Quod ergo postmodum Innocentius III. in Concilio Lateranensi sancivit, ut omnes utriusque sexus saltem semel in anno confiterentur, novum non fuit, cum ab omni prorsus antiqua Ecclesia fuerit observatum. Immo nonnulli Pontifices ad ternam in anno confessionem plebem suam adstringebant. Extat ea de re Chrodegangi episcopi Metensis, qui ante annos 950. cum pietatis laude florebat, decretum in Regula quam canonicis descripsit cap. 32. (In unoquoque anno tribus vicibus, idest in tribus quadragesimis, populus fidelis suam confessionem suo sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit. Monachi in unoquoque sabbato confessionem faciant cum bona voluntate episcopo aut priori suo.) Chrodegangi decretum susceperunt aliæ etiam nonnullæ ecclesiæ. Nam in ms. codice ecclesiæ Noviomensis annorum circiter 800. in Ordine ad dandam pœnitentiam hæc lego: (Hæc est ratio pœnitentiæ & confessionis nostræ, quæ coram Domino & sacerdotibus ejus a nobis pariter agendæ sunt, idest in anno quoque tribus vicibus, idest in quadragesimis populus fidelis suam confessionem suo sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit. Monachi in unoquoque sabbato, & clerici canonici in tertio sabbato confessionem faciunt cum bona voluntate episcopo aut priori suo.) Ternam etiam confessionem in anno præscribunt Concilia, Tolosanum anni 1228. cap. 3. Albiense anni 1254. cap. 9. Spicilegii tom. 2. Eamdemque suadent Constitutiones Richardi episcopi Sarum c. 25. Constitutiones S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis c. 17. Synodus Wigorniensis anni 1240. c. 16. Denique in epistola Guillelmi archiepiscopi Narbonensis anno 1251. data de pœnitentia Petro *Gandemir* propter relapsum in hæresim imposita tomo 1. Anecdot. injungitur ut (confiteatur ter in anno ante Pascha, Pentecostem, & nativitatem Domini.)

Quater.

VIII. At vero S. Otto Babebergensis episcopus ac Pomeranorum apostolus in Hortatione ad Pirissenses, quæ refertur in ejus Vita l. 2. c. 17. apud Surium 2. Julii, vult (ipsos vel quater in anno, si amplius non potest, & confessionem facere, atque ipsi sacramento communicare.) Statuta etiam Synodalia Henrici episcopi Nannetensis anno 1410. edita decernunt, ut (sæpe confiteantur peccata sua, cum sæpius incidunt in peccatum, & specialiter in quatuor festivitatibus anni, videlicet in festis Paschæ, Pentecostes, omnium Sanctorum, & natalis Domini.) Concilium vero Senonense sub Tristando art. 4. c. 1. Spicilegii tom. 5. præter Paschale, quinque festis annualibus confessionem assignat.

In Rogationibus.

IX. Præter hæc tempora olim ad Lingonensem ecclesiam omnes tam viri quam mulieres Rogationum tempore accedebant, peccata ad episcopum haud dubium vel ejus vicarium deposituri; sed anno 1008. Bruno, qui illam regebat ecclesiam, ab hoc eos onere exemit, permittens ut saltem ad Besuenses monachos confiterentur, cujus ea de re chartam exhibet Chronicon ejusdem monasterii Spicilegii tom. 1.

Ante Natale Domini.

X. Non possum hoc præterire id quod de confessione Anglorum ante Domini Natale scribit Egbertus Eboracensis episcopus in Dialogo: (A temporibus Vitaliani Papæ & Theodori Dorobernensis Archiepiscopi inolevit in ecclesia Anglorum consuetudo, & quasi legitima tenebatur, ut non solum clerici in monasteriis, sed etiam laici cum conjugibus & familiis suis ad confessores suos pervenirent, & se fletibus a carnalis concupiscentiæ consortio his duodecim diebus cum eleemosynarum largitione mundarent, quatenus puriores Dominicæ communionis perceptionem in Natale Domini perciperent.)

Confessio ante communionem.

XI. Hæc sunt præcipua per anni circulum tempora olim audiendis faciendisque confessionibus constituta. Sed nonnulli insuper casus occurrebant, quos sine confessione & pœnitentia minime præteribant. Nam primo ea semper in Ecclesia consuetudo viguit, ut quicumque Corpori aut Sanguini Domini communicare perciperent; conscientiam ante confessione & pœnitentia purgarent. Hinc S. Fulgentius in confessione, quam ex ms. codice Corbejensis

mona-

monasterii edidit noster Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii Papæ p. 226. inter alia [Ego, inquit, Corpus Domini & Sanguinem ejus polluto corde & corpore sine confessione & penitentia sciens indignus accepi.] Similis accusatio reperitur in confessionis formule quam exhibet Alcuinus in libro de psalmorum usu, & in alia quam ex codice S. Remigii Remensis publici juris fecit idem Menardus ibid. p. 228.

Urgente infirmitatis incommodo.

XII. Secundo quotiescumque infirmitate aliqua correptis aliquod vitæ periculum subibat; ii obitum suum, ut viatico, ita & penitentia ac confessione præmunire solebant. Hujus praxeos exemplum insigne adducit Gregorius magnus in Dialogorum libro 1. c. 12. de quodam patre familias, qui cum (ad extremum venisset diem, missis concite nunciis ad Severum presbyterum, rogavit, ut ad se quantocius posset venire, suisque orationibus pro peccatis intercederet, ut acta de malis suis penitentia, solutus culpa de corpore exiret.) Quam quidem cum per septem dies egisset, octavo lætus de corpore exivit. Aliud exemplum profert alter Gregorius Turonensis episcopus lib. de Vit. Pat. c. 8. de quodam, qui febre correptus, (viso presbytero, datis vocibus cum lacrymis supplicabat sibi penitentiam tradi.) Denique quam necessariam in extremis confessionem existimarent patres Concilii Celchutensis in Anglia anno 787. celebrati declarant capite 20. his verbis : (Si quis, quod absit, sine penitentie aut confessione de hac vita discessit, pro eo minime orandum est.) Huc facit etiam quod Concilium Parisiense sextum cap. 29. vetet presbyteros seu rectores per diversa mitti, quod (eorum absentia homines sine confessione ..... plerumque moriantur.) Et in excommunicatione hominum Balduini comitis Flandriæ propter occisionem Fulconis Remensis archiepiscopi ab illis perpetratam apud Chesnium tom. 2. Hist. Franc. pag. 586. interdicitur, ne ullus presbyter, (Nec si infirmati fuerint, confessiones eorum recipere) præsumat.

Instante gravi periculo.

XIII. Tertio non in extremis tantum, sed quoties grave aliquod periculum imminebat, ad confessionis salutare remedium confugiebant. Hinc est quod Uthredus quidam aquis immersus, imperturbatus sensibus, (confessionem suam, ac si cum sacerdote loqueretur, ei qui ubique præsens est faciebat,] ut legitur in lib. Miraculorum S. Wilfridi Eboracensis episcopi num. 22. Hinc est etiam quod milites olim ad pugnam confessione & penitentia se accingebant, uti observat Mabillonius in præfatione ad Sæculum III. Benedictinum parte 1. Hujus rei praxim videre est in epistola Anonymi de expugnatione urbis Constantinopolis tomo 1. Anecdotorum, in qua hæc lego : [Interim exercitus imperatoris in littore nobis opposito paratus erat nobis transitum prohibere, ostendens nobis animositatis imaginem præliandi nobiscum : quod videntes ad confessionem peccatorum confugimus.) &c. Quin & Mabillonius loco supra citato notat ante milicum initiationes uti & Monachorum præmissam fuisse confessionem.

Ante peregrinationem.

XIV. Quarto antequam iter inciperent, ad peregrinationem confessione sese præparabant. (Iter tuum confessione confirmare memento,) inquit Alcuinus ad Dametam scribens epistole 46. Et S. Anselmus ad Burgundium fratrem Hierosolymam peregre profecturum lib. 3. epist. 66. [Consulo & precor, ut si hanc viam faciatis, nec vobiscum peccata quæ fecistis porteris; nec domi peccatum relinquatis ... Facite confessionem omnium peccatorum vestrorum nominatim ab infantia vestra, quantum recordari potestis.) Hanc porro confessionem non cuilibet sacerdoti, sed proprio fieri volebat Ahito Basileensis episcopus : ita quippe ille in Capitulari art. 18. Spicilegii tomo 6. (Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui causa orationis ad limina beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, & sic proficiscantur : qui a proprio episcopo suo aut sacerdote ligandi aut exsolvendi sunt, non ab extraneo.

XV. Quod de peregrinatione diximus, idem de aliis operibus piis asserendum, iis scilicet præmissam esse confessionem, ut purgati a peccatis & mundiores effecti, acceptam Deo redderent actionem ejus intuitu aggressam. Denique cum ab eo beneficium obtinere aliquando cupiebant, ad illud confessione se præparabant. Richmirus Abbas Cenomanensis cæco misericordiam ab eo deprecanti (Vade, inquit, & da uni sacerdotum pariter confessionem tuam ante.) Qua peracta, cæcum lumine donavit, teste anonymo in ejus Vita Sæculo 3. Benedictino. Et in Vita Rabani Moguntini archiepiscopi apud Bollandum 4. Februarii Othmarus quidam confessione a dæmonio liberatus legitur.

Confessio quotidiana.

XVI. Denique præterire non debeo nonnullos olim, uti nunc usus apud pios plerosque viros obtinet, confessionis sacramentum quotidie frequentasse. Id de monachis testatur Jonas Aurelianensis episcopus in lib. 1. de Institutione Laicali cap. 6. Quos inter Rotgarius Meldensis cænobita (Quotidie intentus in renovandis confessionum pœnitentiis) legitur apud Halitgarium in Vita S. Feronis. At ne quis solis monachis id singulare extitisse autumet, Ludovicum Pium imperatorem profero, qui per Drogonem Metensem Episcopum fratrem suum, [Quotidie confessionis suæ munus, sacrificium spiritus contribulatis & cordis humiliati, quod Deus non despicit, offerebat,) ut habetur in ejus Vita apud Chesnium tomo 2. Hist. Franc. De Anglicano etiam quodam episcopo narrat Cæsarius Monachus in Dial. dist. 3. c. 22. quod (Quotidie solitus fuit mundare conscientiam suam de die in diem, sicut multi faciunt.)

XVII. Quænam sit de confessionis edendæ temporibus praxis ecclesiæ Orientalis, utrumque discimus ex Orthodoxa confessione ejusdem, anno 1662. a Nectario patriarcha Jerosolymitano approbata, parte 1. quæst. 90. cujus hæc verba : (Ut quater quotannis delicta nostra sacerdoti recte atque ex ordine creato, confiteamur. At qui in pietate ac religione longius progressi sunt, singulis mensibus noxas suas aperiant. Simpliciores nimirum semel in anno, videlicet tempore quadragesimæ, lustralem peccatorum suorum confessionem edere debent. Morbo oppressi id ante omnia operam dabunt, ut quam primum conscientiæ suæ maculas earum confessione, cœnæque sacræ participatione eluant : prius tamen summa cum reverentia rite usurpata sancte olei unctione.)

ARTICULUS II.

An omnibus olim peccatis per Sacramentum pœnitentiæ fuerit reconciliatio concessa.

I. CUm tanta sit pœnitentiæ necessitas, nulla ut peccatoribus sine illa, salus speranda videatur; tantaque ecclesiæ sollicitudo semper extiterit, ut certis statisque temporibus ad deponenda apud sacerdotem peccata, salutareque pœnitentiæ remedium assumendum eos cogeret, quemadmodum superiori articulo demonstravimus, mirum plane videbitur indulgentiam peccatoribus aliquando fuisse denegatam. Et certe qui antique Ecclesiæ instituta ex hodierno usu metiri solent, hi haud dubium, non sine aliquo inhumanitatis sensu fieri id potuisse existimabunt: verum in antiqua Ecclesiæ disciplina versatis longe aliam mentem futuram confidimus : cum probe noverint sub ipso christianæ religionis exordio, flagrante peræque studio pietatis, & improbitatis odio, longe graviores in delicta pœnas constitutas fuisse : Neque ægre audient quosdam aliquando pontifices peccatis veniam prorsus omnem denegasse. Non quod solvendi dimittendique peccata auctoritatem in ecclesia desiderarent : quod fuit perversum Montanistarum & Novatianorum dogma; sed quod firmiter crederent, eum qui solvendi & remittendi delicta potestatem presbyteris fecit, ligandi simul & retinendi facultatem tribuisse. Unde cum tanta peccati sit deformitas, tantaque mentem eorum reverentia sacramentorum incessisset; ut illius majus odium incuterent, neve indulgentiæ facilitate ista quandoque vilescerent; nonnumquam peccatoribus veniam omnem funditus denegandam censuerunt, adeo ut nullam postmodum ab Ecclesia reconciliationem sperare possent.

Pœnitentia idololatris, homicidis & adulteris denegata.

II. Primo enim de atrocioribus sceleribus, idololatria, homicidio, & adulterio, id probant veterum testimonia non pauca. De adulterio habemus Cypriani luculentum de quibusdam suis decessoribus testimonium in epistola 51. ad Antonianum. [Et quidem apud antecessores nostros

stros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt.] Et ne quis de episcopis illis perversi dogmatis aliquid suspicetur, ait ipsos non propterea *ab episcoporum suorum collegio* recessisse.

III. Quem adulteris episcopi illi Africani clauserant, pœnitentiæ locum aperuit Romæ Zephyrinus papa; quo de re redarguit eum Tertullianus in libro de Pudicitia, quod exclusis & in perpetuum rejectis idololatris & homicidis, solum adulterii crimen ad veniam exceperit. (Quid agit, inquit, mollissima & humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebit. Beati enim pacifici; aut si non omnibus, nostra esse. Idololatrem quidem & homicidam semel damnas, mœchum vero de medio excipis, idololatriæ successorem, homicidii antecessorem, utriusque collegam.] Equidem scio virum eruditissimum Joannem Morinum lib. 9. de Pœnitentia cap. 20. asserere Zephyrinum idololatris homicidisque perinde ac mœchis indulgentiam concessisse, Tertullianumque hæreticum factum, Ecclesiæque Romanæ hostem infensissimum, summo Pontifici imposuisse, id quod probare nititur variis ipsius Tertulliani aliorumque sanctorum Patrum testimoniis. Verum quæcumque hujus rei demonstrandæ gratia adducit auctoritates, non detegunt in Tertulliano calumniam, verum id unum probant dumtaxat, communionem Ecclesiæ catholicæ doctrinam fuisse, penes ipsam residere auctoritatem & potestatem omnia omnino peccatorum genera vere pœnitentibus dimittendi, generalemque ecclesiarum omnium praxim ita passim obtinuisse, quæ tamen non sustulit exceptiones quasdam, nec impedivit quominus episcopi quidam Africani, Romanaque Ecclesia, atque adeo Zephyrinus ipse gravioribus sceleribus, disciplinæ severioris causa, ad peccatores intra christianæ legis limites continendos, veniam denegarent, quam tamen omnibus concedere posse nusquam dubitarunt. Africanis episcopis ac Zephyrino haud minus severiores extitere in Hispania Patres in concilio Eliberitano congregati, non paucis editis canonibus, quibus atrocioribus criminibus, qualia sunt præsertim idololatria, homicidium, & adulterium denegandam esse pœnitentiam decernunt.

Inveteratis peccatoribus in extremo vitæ constitutis.

IV. Secundo præter gravissima ista peccata, & hæc in primæva Ecclesia viguit consuetudo, ut inveteratis peccatoribus, cujuscumque mortalis culpæ reis, qui spreta, dum sani essent & incolumes, Dei patientia, in extremis constituti pœnitentiam postularent, omnis prorsus reconciliatio denegaretur. Testem hujus disciplinæ profero Innocentium papam I. qui de illis interrogatus ab Exuperio Tolosano episcopo epistola 3. c. 2. ita respondit: (Et hoc quæsitum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ, pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior durior; posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remissionem fecerit temporis ratio.) Moribundis ergo pœnitentia quidem, seu pœnitentiæ exercitia permittebantur: ut cordis contritione, corporis afflictione, lacrymis & gemitu peccata abstergerent; sed reconciliationis communionisque spes omnis auferebatur. Quam tenacem hujusce disciplinæ custodem sese exhibuerit S. Cyprianus, ipse declarat in epistola 52. Ad Antonianum sic scribens: (Et idcirco, frater carissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus est accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.) Ab hac tamen severitate non nihil postea reflexit in gratiam martyrum, epistola 13. permittens, ut lapsis, qui libellos a martyribus acceperant, infirmitatis periculo occupatis manus in pœnitentiam imponeretur, & sic cum pace Ecclesiæ migrarent ad Dominum. Ceterum aliis, qui libellos e martyribus non impetrassent, quocumque mortis discrimine essent constituti, reconciliationem omnino denegari voluit, perseveravitque hæc disciplina etiam post S. Cyprianum, saltem in quibusdam ecclesiis: nam in concilio Arelatensi 1. anno 314. celebrato canon 23. hæc habet: (De his qui apostatant, & numquam se ad ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate correpti petunt communionem, placuit, eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos pœnitentiæ fructus.) Peccatori enim negare communionem, & negare reconciliationem, ut norunt eruditi, illis temporibus idem sonabat. Sed tandem concilium Nicænum hanc praxim omnino sustulit can. 12. decernens, ut cuicumque in exitu posito & poscenti communionis gratia ab episcopo impertiatur. Id quod tamen jam passim invaluerat, ut ex hujus canonis verbis facile colligitur, qui juxta antiquam & canonicam legem conditus dicitur: qui nihilominus nequaquam obstitit, quominus pristinam severitatem retinuerint nonnulli episcopi; cujus rei exemplum habemus in Sardicensi concilio, in cujus canone 2. congregati Patres præsulibus, qui per ambitionem sedem mutaverant, nec in exitu communionem laicam conferri permittunt. Perseverabatque adhuc sæculo V. in Galliis isthæc disciplina, quo tempore Cælestinus papa I. epist. 2. c. 2. Gallicanos episcopos ita redarguit: (Agnovimus enim pœnitentiam morientibus denegari, nec eorum desideriis annui, qui obitus sui tempore, hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere quo se expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere?] &c. quæ ubi fusius prosecutus est, tandem sic concludit: (quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti.) Hinc & S. Augustinus in Sermone 393. novæ editionis, (si aliquis autem, inquit, positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit; sed non præsumimus quia bene hinc exit.)

Peccatis publica pœnitentia jam expiatis.

V. Tertio peccata, quæ pœnitentia semel expiata fuerant, si denuo committerentur, nullam ab Ecclesia obtinebant veniam & reconciliationem. Hujusce disciplinæ cum plura nobis suppetant veterum testimonia, pauca tantum hic subjiciam. Tertullianus in libro de Pœnitentia, quem catholicus conscripsit, postquam egit de pœnitentia catechumenorum, variasque versutias diaboli, quibus nos post baptismum in peccatum deturbare nititur, exposuit, de apponendo illis remedio ita scribit: (Hæc igitur venena ejus providens Deus, clausa licet ignorantiæ janua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus pateat. Sed jam semel, quia jam secundo, sed amplius numquam, quia proxime frustra.) Ergo ex Tertulliano post pœnitentiam, quæ baptismum præcedebat, secunda adhuc baptizatis peccatoribus patebat, sed quæ *jam semel* & non secundo, quia postmodum *amplius numquam* concedebatur. Longe clarius Origenes in Homilia 15. in Leviticum loquitur: (In gravioribus enim, inquit, criminibus, semel tantum pœnitentiæ conceditur locus. Ista vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur.) Hunc Origenis locum, qui in editis ita interpolatus legitur, *in gravioribus enim criminibus semel tantum vel raro pœnitentiæ conceditur locus*, ad fidem mss. restituimus, expunctis duobus his verbis *vel raro*, quæ desiderantur in duobus antiquis Origenis codicibus bibliothecæ Majoris monasterii, utroque optimæ notæ, quorum unus ante annos 800. alter ab annis circiter 600. scriptus est: in duobus monasterii Gemmeticensis & in uno Rotomagensis S. Audoeni cœnobii, in altero Beccensi, in Cadomensi fratrum Minorum, in Sagiensi monasterii S. Martini, in Divionensi S. Benigni, in Cluniacensi, denique in duobus codicibus uno majoris Cartusiæ, altero monasterii Firmitatis, ordinis Cisterciensis. Nostramque correctionem confirmat antiquus auctor anonymus, qui in tractatu theologico ante annos 400. exarato, & in præfato Majori-monasterio asservato, hunc locum Origenis citat sine *vel raro*, uti & Magister Sententiarum lib. 4. dist. 14. cujus, ne forte error aliquis in editis subrepsisset, tres codices mss. ejusdem bibliothecæ consuluimus: qui donec plures consulendi sese offerat facultas, ad tuendam restitutionem nostram interim sufficere debent. Venio ad S. Ambrosium, qui in lib. 2. de Pœnitentia ita scribit cap. 10. (Merito reprehendun-

duntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam non putarent; quia sicut unum est baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.) Ambrosio suffragatur Augustinus in epistola 153. novæ editionis ad Macedonianum docens, quod (caute salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemtibilis fuerit.) His adde Socratem lib. 6. Hist. cap. 21. ubi de S. Chrysostomo hæc habet: (Cum a Synodo episcoporum semel duntaxat iis, qui post baptismum peccassent, concessa fuisset pœnitentia, ipse pronunciare non dubitavit, licet millies egeris pœnitentiam, accede.)

Reis capite damnatis.

VI. Quarto quod de inveteratis peccatoribus, qui in extremis tantum constituti pœnitentiam petebant, diximus ipsis denegatam; idem de facinorosis capite damnatis asserendum videtur; quamvis non eadem extiterit omni tempore & loco hac de re disciplina. Nam sub finem sæculi VI. Daco quidam, teste Gregorio Turonensi lib. 5. Hist. cap. 26. a Chilperico (cum vinctus teneretur, & cerneret se penitus non evasurum, a presbytero, rege nesciente, pœnitentiam petiit,) quam haud dubium, si rex rescivisset, non impetrasset. Sæculo VIII. Corbinianus Frisingensis episcopus cum Adalberti cujusdam suspendio plectendi vitam a judice obtinere non potuisset, (reum admonere studuit, adsistentesque longius amovit, ut omnem ejus putredinem & vulnus animæ suæ confessione purissima aperiret, tam in factis, quam in locutionibus, atque cogitationibus pravis,) ut scribit Aribo in ejus Vita cap. 7. Sæculo nono Patres concilii Moguntini 1. interrogati de furibus & latronibus, cap. 17. responderunt: (Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus & digne pœnitentibus communio in fine secundum canonicum jussum danda est: cur non eis qui pro peccatis suis pœnam persolvunt?] Idem decernit concilium Wormatiense cap. 80. suffragaturque Triburiense cap. 32. Et tamen circa idem tempus Dido Laudunensis episcopus reo extremo supplicio plectendo *pœnitentiam per confessionem petenti* negavit; qua de re redarguit eum Fulco Remensis archiepiscopus apud Flodoardum lib. 4. Hist. Rem. cap. 6. Longe clementior extitit ineunte sæculo XI. Rainaldus Senonensium comes, licet & ipse de crudelitate notatus, qui latroni cuidam suspendii damnato imperavit, ut ante *fieret confessus suorum facinorum episcopo*, ut scribit Rodulfus Glaber lib. 5. Hist. cap. 6. De Bennone etiam Osnabrugensi episcopo refert Norbertus in ejus Vita, quod cum reorum vitam impetrare non posset [per semetipsum plerumque, aut alio misso presbytero confessionem eos facere & in ipsa morte aliquando Dominici corporis viatico dato seram licet pœnitentiam agere cœpit hortari.) Anno 1104. Sigehardus comes in imperatorem rebellans (prius facta confessione, sumto etiam Dominici sacramenti viatico, capite truncatus occubuit,) uti legitur in Chronico S. Pantaleonis Coloniensis. Similem indulgentiam in reos haberi voluerunt Aluredus Eduardusque Angliæ reges, editis in gratiam reorum confiteri volentium sapientissimis legibus, quas confirmavit sæculo XI. Canutus rex, additis pœnis in judices illis statutis non obtemperantes: (Si quis rei capitalis damnatus sua ingenue peccata confiteri cupiverit; id ei conceditor. Si quis autem denegaverit; numerato regi centum viginti solidos; aut saltem adjunctis viris quinque, se culpa liberato.) Dum hæc in Anglia vigeret regum studio disciplina, Henricus Roberti Normannorum Ducis frater Conano cuidam, qui Rotomagum Guillelmo Rufo prodere tentaverat, vincto in carcerem, & proxime morituro, *pro amore Dei confessionem sibi permitti* postulanti denegavit, ut scribit Ordericus Vitalis lib. 8. ad annum 1090. Circa medium sæculum XII. Gilbertus episcopus Pictaviensis interrogatus a Matthæo abbate S. Florentii Salmuriensis, (si aliquis latro ducatur ad suspendendum, & causa evadendi postulet corpus Christi, si debeat illi dari?) Respondit (quod propter reverentiam corporis & sanguinis Christi, non debet ei tradi: quia turpe esset si post communionem suspenderetur: sed injuncta sibi pœnitentia, si ex toto corde pœniteat & confiteatur peccata sua, debemus de ipsius confidere salute.) Gilberti epistola exstat tomo 1. Anecdotorum. Sancta Hildegundis, assumta veste virili, & ementito nomine Joseph, pro latrone comprehensa, (cum se videret damnandam & impiorum manibus tamquam latro perimendam, sacerdotem requisivit, qui confessionem pereuntis reciperet, & sacramentum Dominici corporis & sanguinis innocenti preberet:) id quod ægre obtinuit. Haud dubium quia non soleret reis confessionis gratia concedi: tametsi puellæ cuidam propter homicidium apud Coloniam igni tradendæ circa idem tempus concessam scribat Cæsarius monachus in Dialog. dist. 3. cap. 15. & dist. 2. cap. 6. Idem beneficium latroni homicidæ totali pœnæ adjudicato oblatum. Hinc reis denegandæ pœnitentiæ consuetudinem haudquaquam improbat Robertus Pullus. Nam in lib. 6. Sententiarum, quas circa idem tempus conscripsit cap. 55. sic effatur: (Quod si eum qui ex confessione est reus, reum quoque divina pandant judicia (judicia enim abyssus multa) non videtur ad sacerdotem pertinere ad hujusmodi accedere debere. Ex quo enim Dei judicio convictus, aut ipso in maleficio deprehensus, judici mundano traditur, judicem pro sacerdote habet, quoniam ipsi occulta scelerum pandere oportet, a quo pro ipsis pœnam recipiet. Nam si tales visitet sacerdos, pravorum flagitia roborantur spe confessionis & Eucharistiæ.) Viguit igitur aliquot post sæculis in Gallia hæc praxis, quæ etiam, non obstantibus regum legibus, aliquando locum habuit in Anglia, unde conquestus est Bonifacius Cantuariensis archiepiscopus in Constitutionibus provincialibus in concilio Lambetensi anno 1261. editis quod reis *hujusmodi sacramentum sæpius inhumaniter* denegaretur. Cui concinit concilium Londinense anni 1268. c. 2. Sed tandem huic malo remedium afferre conatus est Clemens papa X. in concilio Viennensi, edita Constitutione ad hujusmodi abusum damnabilem abolendum; quæ habetur in libro 5. Clementinarum Titulo 9. cap. 1. Atque ita circa annum 1322., ut scribit Nangii continuator Spicilegii tomo XI. quidam Andreas de *Karle* comitem *de Lencastre* conspirationis in regem reum, captum regi tradidit, (quem post auditam missam, & confessionem devote, ut moris est, ut dicunt, in Anglia, sacerdoti factam, corpore Dominico assumto] morti adjudicaverit. Eodem anno, si Kermanni Cornerii Chronico fides sit, proceres regni Suevviæ Magnum Berengarii regis filium, & in regem jam coronatum accipientes [missam coram eo fidei fecerunt, & ut confiteretur ac sacramentum Eucharistiæ reciperet exhortantes, ad ultimum capite truncarunt.) Clementis tamen constitutio diu insolitam in Gallia praxim non abolivit, adeo ut necesse fuerit, ut Gregorius papa XI. anno 1375. scriptis ad Carolum V. Francorum regem litteris instaret apud principem, ultimo ut deputatis supplicio pœnitentiæ sacramentum concederetur. Extant pontificis ad Carolum litteræ apud Odoricum Raynaldum ad annum 1375. num. 28. quæ tamen effectum non obtinuerunt, nisi anno 1296. quo Carolus VI. Francorum rex pro admittendis ad sacramentalem confessionem peccatorum sontibus capitis damnatis edictum promulgavit. Quo beneficio sub Ludovico XI. potitus est Comes a S. Paulo Comes stabuli, qui ut scribit Guaguinus lib. 10. cap. 20. *confessione more christiano expleta*, capite plexus est. Caroli tamen edictum non usquequaque obtinuit adeo ut Stephanus *Poncher* in synodo anni 1515. hoc statutum edere necessarium duxerit: (Juxta concilium Viennense, sub pena excommunicationis moneatis judices locorum vestrorum ordinarios, quatenus damnatis ad mortem faciant antequam patiantur pœnitentiæ sacramentum per personam idoneam administrari, contrariam consuetudinem abolentes.)

Confessio sacerdotum.

VII. Quinto de peccatis sacerdotum aliqua posset oriri dubitatio. Ambigendi locum aperit Leo papa I. in epist. 2. novæ editionis, ad Rusticum Narbonensem episcopum scribens in hæc verba: [Alienum est a consuetudine ecclesiastica, qui in presbyterali honore, aut in diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est, sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo? Unde hujusmodi lapsis ad promerendum misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio si fuerit condigna, sit etiam fructuosa.) Scribit etiam Mabillonius in Præfatione ad sæculum III. Benedictinum part. 1. pag. 66. (De presbyterorum confessionibus præter id quod habetur in responsis Zachariæ ad Pippinum, interdicentis reconciliationem presbyteris per manuum impositionem, hoc est per pœnitentiam publicam, & in concilii Parisiensis VI. parte 1. capite 46. nihil invenio ante sæculum quartum decimum, quo definitum est non semel, ut presbyteri cuivis sacerdoti confitari possint.)

sint.) Verum longe ante sæculum decimum quartum insigna habemus confessionis sacerdotum exemplum in Actis translationis S. Bertulfi Renticensis num. 35. (Paulo ante translationem S. Bertulfi, sacerdotes, ut dictum est, albis induti, pedibus nudis, devote potius quam temere ad Sancti corporis locellum admissi *confessione primum vicissim facta*, cum fide & tremore accedunt.) Immo longe ante hanc translationem de Confessione sacerdotum hoc invenio decretum in selectis capitulis Theodori Cantuariensis archiepiscopi cap. 106. Spicilegii tomo 9. *Episcopus, presbyter, diaconus confiteri debet peccatum suum*. Et in Vita S. Guaris num. 22. luculentum habemus de episcoporum penitentia testimonium, uti & apud Gregorium Turon. lib. 8. Hist. c. 20. de pœnitentia Ursini Cadurcensis episcopi.

VIII. Sed nec inaudita fuit ante Leonem papam publica presbyterorum pœnitentia, quam tribus primis ecclesiæ sæculis usitatem fuisse, optime probat Morinus l. 4. de Penit. c. 12. Unde quod ait S. Leo, alienum esse a consuetudine, ut presbyteri & diaconi publice pœniteant, idque ex apostolica traditione descendere; de consuetudine ecclesiæ Romanæ potissimum videtur intelligendum, quæ a Petro apostolo illam potuit accepisse.

Confessio generalis.

IX. Sexto de peccatis pœnitentia jam expietia quæri etiam posset, num secundæ reconciliationi olim subjicerentur, vigueritne apud antiquos generalium, ut loquuntur, confessionum usus. Viguisse indubitata probant testimonia & esempla. Insigne est illud quod refert Socrates lib. 5. Hist. c. 19. (Mulier quædam nobilis ad pœnitentiarium presbyterum accedens, delicte *post baptismum* a se perpetrata sigilletim confessa eret.) Aliud submiuistret Gregorius Turonensis, seu quivis alius auctor, in Vita S. Aredii apud Mabillonium Analectorum tom. 4. Quippa Aredius (ne aliqua suum pectus delicta fuscarent, omnia acta adolescentiæ suæ coram conspectu viri Beatissimi Nicetii episcopi confessus est.) Quæ verba a Gregorio mutuatus est S. Audoenus in Vitæ S. Eligii libro 1. cap. 7. ubi eadem de Eligio narrat quæ hic Gregorius de Aredio. Eodem modo de S. Tillone Sollemniacensi monecho loquitur anonymus in ejus Vita apud Bollandum 7. Jenuerii, qui eodem cum sancto Eligio vivebat tempore. Quarium nec minus insigne confessionis generalis esemplum estat in libello, qui inseribitur Consilium Hincmari archiepiscopi de pœnitentia Pippini Junioris olim regis Aquitaniæ, apud Sirmundum in Analectis ad Capitula Caroli Calvi. [Exhortandus est Pippinus, ut puram confessionem de omnibus peccatis suis, quæ ab ineunte ætete perpetravit, secrete faciat. Quia forte talia fecit, quæ turpe est etiam in publicum dicere.) Denique S. Anselmus lib. 3. epist. 66. ad Fratrem suum Jerosolymam profecturum ita scribit: (Facite confessionem omnium peccatorum vestrorum nominatim ab infantia vestra quarum recordari potestis.) Insigne vero est illud quod refert Petrus Damiani Opusculo 56. ad Agnetem Augustam, ad quam ita scribit: (Sed ut hi, qui ad apostolorum limina confluunt, sanctæ devotionis tuæ salubriter imitentur esemplum; sub arcana quoque B. Petri confessione ante sacrum altere me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus & amara suspirie, ab ipsa quinquenni infantia, tenera adhuc & nuper ablactata levitate corporis: & tamquam illic ipse B. apostolus corporaliter præsideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea subrepare potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus avolutum. Ad quod mihi visum est, ut nihil aliud confitenti pœnitentiæ pondus injungerem, nisi ut illud divinæ legationis eloquium iterarem: Age quod agis, operere quod opararis.) In ipso etiem Cistercieusis Ordinis exordio novitii (mox post conversionem omnia peccata quæ commiserant tenebantur ebbati suo confiteri,) ut testatur Cæsarius monechus in Dial. dist. 3. c. 1. id quod de generali confessione intelligendum nemo non videt. Cujus etiam esemple quædam profert idem auctor capp. 23. & 25. Audiendus est hac de re Adam abbas de Perseunia in epistole 20 ad abbatem de Venusia tom. 1. Anecdotorum. [Peccate semel esposita humili confessione & congrua satisfactiona juste judicium sacerdotis, multata, non sunt ulterius in confessione repetenda, nisi causa humilitatis voluerint, qui confitentur. Solent tamen abrenuntiantes sæcolo, habitumque religionis assumentes, in ingressu monasterii, omnem vitam suam spirituali patri per ordinem humiliter explicate.)

ARTICULUS III.

De confessione peccatorum.

Confessio publica ab Ecclesia nunquam precepta.

I. Confessio peccatorum duplex fuit epud antiquos, publica seu sollemnis, & privata quam vulgo auricularem appellant. Publicæ non pauca nobis suppetunt ax veteribus scriptoribus argumenta, eamque *ob vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob ecclesiæ ædificationem* laudabiliter fieri potuisse docet concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. At lege alique ecclesiastica aliquando præceptam fuisse opinari vetat S. Leonis pepæ testimonium in epistola 136. novæ editionis ad episcopos per Campaniam, Samnium & Picenum constitutos, quos sic alloquitur: (Illam etiam *contra apostolicam regulam* præsumtionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicite usurpatione committi, modis omnibus constituto submovari: ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripte professio publicetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a penitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutionibus percelli. Sufficit enim ille confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis penitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad penitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.] Prolixum hunc S. Leonis locum integrum hic referre libuit, tum quia egregium auricularis confessionis secundum *apostolicam regulam* continet testimonium: tum quia rationes exponit, quibus a præcipienda publica confessione repressa fuit ecclesia.

Ritus faciendæ confessionis.

II. De privetæ confessionis ritibus illud primo observandum est, quod peccator humilitatem vultu & habitu præ se ferens accedebat ad sacerdotem penitentiam petiturus. Ea de causa antiquus Ordo Romanus & vulgatus Alcuinus in cap. *de Capite jejunii* jubent, ut ante omnia baculos, si quos habent, deponant: idem dicendum de gladiis, ensibus & armis. Hanc humilitatem ut amplius eshiberet Pippinus rex (non dedignatus est gratia confessionis discalceatus S. Vironem adire, ejusque imperio parere,] ut habent Acta S. Vironis epud Bollandum 7. Maji.

III. Secundo prostratus ad terram penitentiam postulabat, cujus ritus mentionem faciunt Ordo Romanus, vulgatus Alcuinus, aliique libri Rituales non pauci, quibus accedit concilium Romanum sub Zacharia pontifice Actione prima, in quo agitur de præsumtione Adalberti hæretici, qui venienti populo & (*prostrata ante pedes ejus* & cupienti confiteri peccate sua dicebat; scio omnia peccata vestra: ideoque non opus est confiteri ea.)

IV. Tertio fusis a sacerdote in penitentem precibus nonnullis, eum coram se sedere jubebat, tum de fidei articulis, oratione Dominica, deque variis peccatis, eorumque circumstantiis interrogabat, ut fidem faciunt varii Rituales libri a Morino editi, aliique e nobis infra exhibendi, peretque ex Actis S. Bertholdi abbatis Garstensis epud Surium 27. Julii, in quibus capite 13. hæc lego: (Habebat vir Beatissimus in confessionum auditione consuetudinem, diligentissima indagatione cuncta perscrutari, quæ contre Deum homo fecisset; si catholicam teneret fidem; si sciret Dominicam orationem,) &c. Hinc etiam statuta ms. Eliæ episcopi Uticensis: (Debet eum (peccatorem) primo interrogare presbyter, utrum sciat *Pater noster*, *Credo in Deum*, *Ave Maria*.) Statuta vero Synodelia ecclesiæ Cadurcensis uti & Ruthenensis atque Toteleusis cap. 14. decernunt, ut (cum peccator primo ad sacerdotem venerit, quærat ab eo, si non est sibi notus, an sit ejus parochianus, & si dixerit quod non, quærat ab eo utrum venerit de licentia proprii sacerdotis; & si responderit quod non, dicat ei; frater, non debeo te audire, vade ad tuum sacerdotem. Si vero sit ejus parochianus, vel venerit de licentia episcopi vel proprii sacerdotis, quærat primum ab ipso utrum aliqua excommunicationis vel interdicti sententia sit ligatus.....Si vero dixerit se non esse excommu-

municatum, vel interdictum, debet eum primo interrogare presbyter, utrum sciat *Pater noster*, & *Credo in Deum*, & *Ave Maria*,) &c. Eadem de verbo ad verbum legere est in statutis Synodalibus ecclesiæ Normannensis cap. 2. num. 9. Anecdotor. tom. 4.

V. Quod autem non genuflectendo, sed sedendo confessio olim fieret, probant Ordo Romanus, vulgatus Alcuinus & alii libri Rituales non pauci. Idem etiam e Monachis olim usurpatum fuisse demonstravimus in Commentario in Regulam S. Benedicti cap. 46. Infantes tamen apud eos stantes confitebantur, soli Carthusiani Grandimontensesque genuflectendo. De Æthiopibus etiam scribit Johannes Boterus in epistola ad Antonium Carrafam S. R. E. Cardinalem, quod (peccata sacerdotibus stantes confitentur.) Ineunte vero sæculo XIII. cœperunt etiam sæculares viri genibus peccata manifestare: qua in re mire fuit Joachim abbatis Floris constantia in Constantiam imperatricem. Audiendus est Lucas Cusentis episcopus de eo sic disserens apud Bollandum 2. Maji: (Sexta feria Parasceve sedebam cum eo in claustro S. Spiritus de Panormo. Et ecce vocatus ad palatium fuit ad imperatricem Constantiam, quæ illi confiteri volebat. Ivit & invenit eam intra ecclesiam in sella consueta sedentem: Jussus autem sedere in sellula pro ipso posita, sedit. Sed cum imperatrix aperuit ei propositum confitendi; eam qua debuit auctoritate frænavit, & respondit dicens: quia ego nunc locum Christi, tu vero pœnitentis Magdalenes tenes, descende, sede in terra, & ita fideliter confitere, aliter non debeo te audire. Descendit & sedit imperatrix in terra, & humiliter confessa est peccata sua.) Græci hodieque retinent antiquum usum, si quidem (non genuflectentes, sed sedentes cum reverentia & capite operto peccata confitentur,) ut scribit Allatius l. 3. de Consensu Ecclesiæ Occidentalis & Orient. cap. 9. num. 6. Nec quemque movere debet hæc praxis, nam cum olim non ita frequentes essent fidelium confessiones, nec tam brevi temporis intervallo conficerentur, grave ac molestum fuisset pœnitentibus, ex quibus nonnulli infirmi esse poterant & senes, per plures horas genibus flexis manere.

Confessio per nutum, Per scripta.

VI. Quarto peccata declarandi triplex fuit ratio. Verbo scilicet, nutu, aut scripto. Confessionis per nutum egregium habemus testimonium in concilio Arausicano can. 12. (Subito obmutescens prout status ejus est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis *in suo nutu*.) Et apud sanctum Leonem papam epist. 83. novæ editionis ad Theodorum episcopum Forojuliensem c. 5. [Verum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut & actio illis pœnitentiæ, & communionis gratia sic eam etiam amissa vocis officio per indicia integri sensus postulant, non negetur,) &c. cujus rei praxim videre est in Actis S. Philiberti abbatis Gemmeticensis num. 13. Sæculo 2. Benedictino. Huc referri potest canon 20. Isaaci Lingonensis episcopi titulo 1. [Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuit vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt & accipiat pœnitentiam: Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.) At ne quis existimet hunc confessionis modum proprium fuisse mutorum, aut infirmorum ægre loquentium, reperio in Vita S. Francisci, e S. Bonaventura scripta, fratrem quemdam, qui (omni tempore orationi vacans, tanta districtione silentium observabat, quod consueverat non verbis sed nutibus confiteri.) Singulare prorsus exemplum quod cum alii demirarentur, solus nec immerito damnavit S. Franciscus. De confessione per scripta extat Roberti episcopi Cenomanensis epistola confessionis, quam in ægritudine valida positus direxit episcopis circa muros Andegavis cum Carolo principe in obsidionem Normannorum residentibus, petens ab eis absolvi, quæ habetur in conciliorum Galliæ tom. 3. p. 405. cum epistola absolutionis, quam ei remiserunt iidem venerabiles consacerdotes de loco obsidionis, quæ inter absolutionis formulas, quas ex ms. S. Remigii Remensis infra proferemus, legitur. Vulgo tamen non probatur confessio per nuncium, aut scriptum. Audienda sunt hac de re statuta Synodalia ecclesiæ Argentinæ num. 11. tom. 4. Anecdot. (Districtius inhibemus ne quis civitatis & diœcesis nostræ sua peccata confiteri præsumat per nuntium vel scriptum, vel etiam absolutionis beneficium impetrare, prout quidam clerici facere consueverunt, dum eis missarum solemnia & alia divina officia imminent facienda, nisi forte id exposcat rationabilis causa,] &c. idem habent statuta Synodalia eccles. Cadurcensis, Ruthenensis, & Tutelensis c. 14. & statuta ecclesiæ Nemensensis c. 2. num. 5.

VII. Quinto declarantes peccata solebant percutere pectus, factis perinde ac verbis semetipsos accusantes: (Tundere enim pectus, inquit S. Augustinus Serm. 67. quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulsu occultum castigare peccatum.) Hujus ritus meminit idem Augustinus Serm. 29. [Sunt enim parum eruditi, qui cum audierint confessionem in scripturis, tamquam nisi peccatorum esse possit, continuo tundunt pectora velut jam moneantur confiteri peccata.)

Confessiones in loco patenti excipiendæ.

VIII. Sexto locus excipiendis confessionibus, maxime mulierum, publicus erat, omnibusque conspicuus; ne forte sinistræ famæ oriretur aliqua suspicio: (Confessiones mulierum, inquit S. Edmundus in Constitutionibus cap. 17. audiantur extra velum, & in propatulo quantum ad visum non quantum ad auditum.] Et concilium Biterrense anni 1246. can. 46. (Qui autem confessiones earum audierint, in loco patenti audiant, non in occulto.) Atque hac de re potissimum Hugonem Gratiapolitanum episcopum laudat Guigo in ejus Vita apud Bollandum 1. Aprilis, quod (mulierum confessiones non minus caute quam benigne suscipiebat. Non enim in angulis, aut obscuris, aut secretis locis eas audire solitus erat, sed potius ubi a pluribus conspici posset: Et eatenus quidem satis familiariter applicabat, oculorum autem in alteram partem vertebat aspectum: auditum solum propter insidias diaboli hujusmodi negotiis asserens applicandum.) Signantius vero locum altari vicinum designat concilium Parisiense anni 829. part. 1. cap. 46. (Porro si sacerdotibus sanctimoniales confiteri voluerint; id non nisi in ecclesia coram sancto altari, adstantibus haud procul testibus, fiat.) Hinc formula confessionis, quæ in pœnitentiali Egberti Eboracensis episcopi continetur, sic incipit: (Confiteor coram Deo omnipotente, creatore cæli & terræ, & coram hoc altario sancto.] Et Petrus Damiani Opusculo 56. testatur Agnetis imperatricis confessionem excepisse se *sub arcana B. Petri confessione ante sacrum altare*. Bertholdus quoque abbas Garstensis *ante altare S. Petri* solebat *confessiones audire*, uti legimus in ejus Vita cap. 22. apud Surium 27. Julii. Id vero ita expresse statuit Concilium Redingense, ut alibi factas confessiones nullas & irritas decernet: (Circa confessiones, inquit, taliter duximus ordinandum: ut in loco tantum fiant publico, coram altari, exposito transeuntibus universis, nec valeat absolutio secus facta.) Concilium vero Coloniense anni 1280. sub pœna excommunicationis vetat ne sacerdotes (in locis obscuris & tenebrosis confessiones audiant.) Sub simili pœna prohibet ne sacerdos (mulierem, quæ sola sit in ecclesia, confitentem audiat;) jubetque (ut sacerdotes ante Solis ortum & post Solis occasum nullatenus ad confessionem audiendam sedeant, nisi in magna necessitate, & in loco illuminato, & aliquibus præsentibus.) Addit vero concilium Parisiense: (Si infirmitas præpedierit, ut in ecclesia eadem confessio fieri nequeat; in qualibet domo facienda est, non nisi testibus similiter haud procul astantibus fiat.)

IX. Denique locum hic meretur monitum Eliæ Uticensis episcopi in ms. Statutis Synodalibus: (Habeat autem sacerdos sollicitudinem diligentem, ne dum audit confessionem, in facie respiciat confitentem, præcipue mulierem; sed si cappam indutam habet; caputium in capite vestitum teneat, ac etiam inclinatum. Et si peccatum horribile intellexerit, non spuat, non faciem vel caput avertat seu retorqueat huc vel illuc, aut signum aliquod vel nutum faciat, seu nec aliquod verbum proferat, propter quod abominari peccatorem vel peccatum videatur, ne peccator rubore seu verecundia confusus peccata reliqua vel humilia sibi timeat revelare.) Simile aliquid habet concilium Coloniense supra citatum cap. 8. additque (ut sacerdotes induti superpelliceis vel cappa, stola superposita ad confessionem sedeant.)

X. Postremo auditis pœnitentis peccatis eique imposita satisfactione; sacerdos varias in eum preces effundebat, donec impleta & peracta pœnitentia, eum Deo & sacris mysteriis per sacramentalem absolutionem reconciliaret.

XI. Hæc sunt præsertim quæ a latinis olim in facienda confessione observabantur: de praxi hodierna tamquam omnibus nota dicere supervacaneum. Quid vero de Græcis? Paucis accipe ex epistola Leonis Allatii ad Johannem Morinum: (Confessio Græcorum recentiorum in insula Chio & ferme aliis insulis quomodo conficiatur exponam: nam

de aliis Græciæ partibus mihi non liquet, & forte etiam ibi alius modus observatur. Confessionem auditurus in ecclesia sive etiam domi, appenso Peritrachelio sedet: Pœnitens sive mulier sive vir in scamnulo penes eumdem accumbit, aperto capite, reverens & totus ad pietatem compositus. Post preces a sacerdote in pœnitentem fusas, & exhortatiunculam ad prompte peccata omnia confitendum, narrat pœnitens quidquid præter jus fasque admisit. Postmodum & sacerdos interrogans memoriam vellicat, a qua si quid elapsum est, in mentem reducit. Confessione completa orationes illas ἐπὶ τῶν ἐξομολογουμένων recitat, ἐπιτίμιον imponit, benedicit, & dimittit. Pœnitens si ἐπιτίμιον illud est, quod ante communionis factum diem perfici potest, eo absoluto, ad communionem accedit; si plures requirat dies, licet id non exsolverit, communicat tamen, postea reliquum absolvit; nisi a sacerdote injunctum fuerit ut non nisi completa pœnitentia ad Eucharistiæ communionem accedat: tunc enim omnino obedit nec communicat.)

ARTICULUS IV.

De satisfactione, quæ pœnitentiæ nomine vulgo intelligitur.

Pœnitentia publica gravissimorum peccatorum satisfactio. Quatuor illius gradus.

I. AMplissimam dicendi segetem nobis offert hic articulus; sed cum hanc jamdiu feliciter messuerit de re litteraria bene meritus Johannes Morinus: nonnullas tantum hic spicas in gratiam minus eruditorum tesricabimus. Atque ut id faciliori negotio explicemus; tria distinguenda sunt peccatorum genera, levium, graviorum, & gravissimorum: quo in postremo genere tria primis Ecclesiæ seculis dumtaxat, idololatriam, homicidium & adulterium referebant, quibus temporis successu longe plura adjecta sunt. De gravissimorum satisfactione, quæ per publicam pœnitentiam exigebatur, hic præsertim agendum est. Hæc ante exortam Novatianorum hæresim in ejectione ab ecclesia laboriosisque operibus tota constabat; postmodum vero quatuor in stationes sive gradus distributa est: Fletum, auditionem, substrationem & consistentiam: quorum meminit Gregorius Neocesareæ in Ponto episcopus, cui a signorum multitudine Taumaturgo nomen inditum est, in epistola canonica cap. 11. quamvis nonnulli viri eruditi hunc epistolæ canonem assutum fuisse suspicentur. Signantius vero S. Basilius per quatuor hosce gradus peccatores traducendos esse decernit in epistola ad Amphilochium capp. 22. 56. 57. 58. 59. 64. 75. 77. 80. 81. 83. passimque explicat, quid per quatuor hosce gradus intelligendum sit, maxime tamen canone 75. decernens, ut qui incestum cum propria sorore commiserit, (triennio doleat stans prope fores domus oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, ut unusquisque pro ipso misericorditer ad Dominum intensas fundat preces. Postea autem alio tertio triennio ad solam auditionem admittatur, & scripturam ac doctrinam audiens ejiciatur, & nec oratione dignus habeatur. Deinde si quidem illam cum lacrymis exquisivit, & Domino cum cordis contritione & valida humiliatione supplex procidit; detur ei substratio in aliis tribus annis. Et sic postquam penitentiæ fructus dignos ostenderit a decimo anno in fidelium orationes suscipiatur sine oblatione; & cum duobus annis una cum fidelibus adorationem constiterit; sic deinceps habeatur dignus Boni communione.) Hic clare & distincte omnes penitentiæ gradus non modo enunciantur, sed etiam explicantur, excepto tertio, quæ substratio ideo dicitur, quia post catechumenorum & energumenorum dimissionem super prostratis penitentibus preces cum manuum impositione recitarentur, ut videre est in lib. 8. Constitutionum apost. c. 11. & seq.

Aliqui aliquando prætermissi.

II. Quamvis autem omnes publice penitentes per quatuor hosce gradus transire cogerentur; nonnullos tamen aliquando transgredi permittebantur. Nam v. g. concilium Nicænum canone 11. lapsos in persecutione Licinii tribus annis inter audientes; septem in prostratione, duobus in orationum fidelium participatione absque oblatione exigere jubet, nulla fletus facta mentione. Eodem fere modo agit canone sequenti in eos, qui deposito cingulo, militiæ rursus adscripti fuerant. Sic sanctus Basilius in epistola ad Amphilochium cap. 13. cædem in bello commissam communionis privatione per tres annos plectit, prætermissis scilicet tribus primis penitentiæ gradibus. Canone 61. fures ad substrationem dumtaxat & consistentiam redigit. Canone 73. Christum negantes toto vitæ suæ tempore deflere & penitentiam agere decernit; quos proinde nec ad auditionem, nec ad consistentiam admittit. Canone 80. polygamiam fornicatione majus peccatum esse asserit, eique unum fletus, tres substrationis annos adscribit, nullum auditionis aut consistentiæ. Canone 81. qui tormentorum acerbitate devicti in persecutione fidem abnegaverant, duobus annis audire, tribus substerni coguntur, & sic ad communionem, transgressis auditione & consistentia, admittuntur. Denique canone 82. perjuros duobus annis deflere, duobus audire, duobus sine oblatione in orationis communionem suscipi decernit, prætermissa scilicet substratione. Similiter & sanctus Gregorius Nissenus in epistola ad Letojum fornicatores & homicidas per tres dumtaxat pœnitentiæ gradus deducit, quartoque transgresso, eos communione sacra impertit. E contrario vero Felix papa III. epist. 7. rebaptizatos omisso primo gradu per tres sequentes deducit.

Quandiu in Ecclesia viguerit.

III. Ex arbitrio ergo & voluntate episcoporum pendebat, ut penitens per omnes aut pauciores transiret penitentiæ gradus; quorum usus sæculo adhuc octavo exeunte nonoque ineunte purus & integer perseverabat, ut constat ex Caroli Magni & Ludovici Pii Capitularibus; in quorum libro 5. cap. 136. hæc lego: (Qui penitentiam publice gerunt, debent unum annum esse cum cilicio inter audientes, vel usque ad magnum diem, & populo, quando intrat in ecclesiam, perfusi lacrimis veniam postulare, precarique eum humiliter, ut pro eis dignetur orare. Tribus vero annis subjaceant inter penitentes manibus sacerdotum, in loco retro ostio ecclesiæ penitentibus constituto, & seorsum, infra ipsam tamen ecclesiam, secluso populo tamen: jam non in terram prostrati, sed vultu & capite humiliato, humiliter & ex corde ut supra dictum est, veniam postulent, & pro se orare exposcant. Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre; sed populis tantummodo in oratione socientur, ut perfectionem septimo in cœna Domini consequantur anno, id est per episcopi, vel ejus jussu, si ipse abest, aliorum sacerdotum manus impositionem, absolutione sacerdotalium precum, communionis catholicæ gratiam recepturi.] Nam etsi tres tantum penitentiæ gradus hic commemorari videantur, auditio, substratio, & consistentia: fletum tamen non omitti certissimum est; cum penitentes quando populus *intrat ecclesiam, perfusi lacrymis veniam postulare* jubeantur, quod proprium flentium munus censetur.

IV. Post medium sæculum nonum regnante Carolo Calvo tertius penitentiæ gradus antiquari cœpit, ut patet ex variis Summorum Pontificum epistolis & conciliorum decretis, in quibus, ubi de publica penitentia agitur, fletus, auditio & consistentia commemorantur. Immo & quartus ex tunc nonnihil relaxatus, concessa sollemnibus saltem diebus penitentibus communione. Et certe cum rari essent illo ævo catechumeni adulti, quibus manus imponerentur, omissis in missa precibus, quæ super eos antequam dimitterentur, dici consueverant, cœperunt & prætermitti illæ quæ super prostratis penitentibus recitabantur.

V. Quæ hactenus dicta sunt, ea ostendunt quanto tempore in Ecclesia Occidentali viguerit sollemnis penitentium in quatuor classes distributio: quam longe antea in Orientali desiisse certissimum est. Sunt qui post Nectarium Constantinopolitanum episcopum nullam illorum fieri mentionem apud auctores contendunt, verum obstat concilii in Trullo canon 87. de adulteris sic decernens: (Is qui legitime sibi datam uxorem relinquit, & aliam ducit; ex Domini sententia, est adulterii judicio obnoxius. A Patribus nostris statutum est, ut qui sunt hujusmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio substernantur, & septimo cum fidelibus consistant, & sic oblatione digni habeantur, si cum lacrymis penitentiam egerint.) Et Johannis abbatis Raithu auctoritas in scholiis ad scalam S. Johannis Climaci, qui sæculo septimo scribebat: ubi penitentium gradus & classes enumerat & explicat hoc modo: (Sunt vero penitentium quinque loci. Locus plorantium, cum penitens stat extra ambitum ecclesiæ, & procidens, cum fletu ab ingredientibus postular orationem ante ipsorum pedes prostratus. Locus qui dicitur audientium ante portas, quæ Basilicæ dicuntur, ad audiendum officium ubi penitentes divinum officium audiunt. Subsequestratio, quæ est statio ecclesiæ, intra ambitum ecclesiæ in posteriori

rioti parte ambonis: unde & qui ibi est, in acclamatione quæ fit ad egressuros, & ipse cum eis egreditur. Consistorium ubique statuitur, qui usque ad complementum sacri mysterii perseverent. Statio vero cum fidelibus fit participatio vivifici panis & communicatio & libatio calicis Domini.] Summum tamen auctorum silentium demonstrat passim obsoletos fuisse in ecclesia Orientali pœnitentium gradus, nec nisi paucissimis in locis usum & vigorem obtinuisse.

Publice pœnitentes in cinere & cilicio pœnitentiam postulabant & accipiebant.

VI. Jam vero si quis rescire desiderat, quibus potissimum afflictionum operibus, toto illo pœnitentiæ tempore, quod multos in annos excurrebat, peccata expiarent; paucis illud expedio. In primis cilicio induti, & cinere conspersi, pœnitentiam petebant accipiebantque, ut constat ex concilii Agathensis canone 15. (Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum & cilicium super caput a sacerdote, *sicut ubique constitutum est*, consequantur.) Hinc & concilium Toletanum III. can. 12. (Quicumque ab episcopo sanus vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia episcopus servet & presbyter, ut si vir est, sive servus, sive infirmus, prius eum tondeat & in cinere & cilicio habitum mutare faciat, & sic pœnitentiam ei tradat. Si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius velare fuerit, aut mutaverit habitum.) Et antiqui sacramentorum libri, Gelasianus, Gellonensis, Noviomensis, aliique plurimi ordinem agentibus publicam pœnitentiam describentes: (Suscipias eum 4. feria mane in capite quadragesimæ, cooperis eum cilicio, & oras pro eo, & includis usque ad cœnam Domini.] Hunc ad ritum alludit Tertullianus in libro de Pudicitia c. 5. (Adsistit idololatres, adsistit homicida, in medio eorum adsistit & mœchus. Pariter de pœnitentiæ officio sedent, in sacco & cinere inhorrescunt, eodem fletu ingemiscunt, eisdem genibus exorant, eamdem invocant matrem.) Et S. Cyprianus in libro de lapsis: (Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari, post indumentum Christi perditum, nullum hic jam velle vestitum.) Denique S. Cæsarius in Homilia 1. ex editis a Baluzio: (Et hoc attendite, fratres, quod qui pœnitentiam petit excommunicari se supplicat. Denique sibi accipit pœnitentiam, coopertus cilicio foris ejicitur.) Notandus in primis canon Isaaci Lingonensis episcopi tit. 1. cap. 7. (Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum & cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur:) quæ verba generalem omnium ecclesiarum consuetudinem demonstrent.

Veste sordida utebantur.

VII. Secundo non solum cum pœnitentiam postularent; sed toto illius peragendæ decursu, vestes sumtuosas deponebant, lugubresque ac sordidas induebant, ut *post indumentum Christi perditum, nullum hic jam velle vestitum* viderentur, nudis ambulabant pedibus, crine aut tonso omnino, aut certe inculto. Hinc est quod concilium Agathense canone 15. de pœnitentibus agens: (Si comas, inquit, non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur.) Et Barcinonense 1. c. 6. (Pœnitentes viri tonso capite & religioso habitu utantes, jejuniis & obsecrationibus vitæ tempus peragant.) Sanctus Ambrosius quoque virginem lapsam alloquens, in lib. de lapsu virginis consecratæ cap. 8. (Lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula digna castigatione punienda: amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lacrymis, qui masculum non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam irrubuit impudice. Denique totum corpus injuriis & jejuniis maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quod sibi male de pulcritudine placuit.] His accedit S. Cæsarius in Sermone 59. qui in Appendice novæ editionis S. Augustini est 258. n. 2. (Sed forte est aliquis qui dicat, Ego in militia positus sum, uxorem habeo; & ideo pœnitentiam agere quomodo possum? Quasi nos quando pœnitentiam suademus, hoc dicamus, ut unusquisque sibi magis capillos studeat auferre, & non peccata dimittere; & vestimenta potius evellat, quam mores.) Similia hujus ritus habes argumenta apud S. Eligium homilia 8. & 11. & apud S. Isidorum l. 2. de ecclesiasticis officiis cap. 16. Quibus accedunt exempla obscuri qualiscumque nominis personarum, sed nobilitate generis insignium, ipsorumque regum & imperatorum. Nota est omnibus Theodosii imperatoris ob cædem Thessalonicam pœnitentia, qui ut scribit Sozomenus Hist. Eccles. lib. 7. c. 25. (Toto illo temporis spatio, quod ipsi ad pœnitentiam præstitutum fuerat, tamquam qui in luctu esset, imperiali cultu minime usus est.) Præclara sunt sane ea quæ de Fabiola nobili femina Romana scribit S. Hieronymus in epistola ad Oceanum, quæ cum dimisso propter adulterium marito, alteri nupsisset, (Quis hoc crederet, inquit S. Hieronymus, ut post mortem secundi viri in semet reversa: quo tempore solent viduæ negligentes, jugo servitutis excusso, agere se liberius, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricios, saccum indueret, ut errorem publice fateretur: & tota Urbe spectante Romana, ante diem Paschæ, in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, episcopo, presbyteris & omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, & squallidas manus, sordida colla submitteret? ..... Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissecta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit: ut quam sacerdos ejecerat, ipse revocaret: Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalciatis pedibus transivit fluenta lacrymarum: faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat,) &c. De pœnitentia Ursicini Cadurcensis episcopi audiendus est Gregorius Turonensis lib. 8. Hist. c. 20. (Pro eo quod Gundobaldum excepisse publice est confessus, accepto hujusmodi placito, ut pœnitentiam tribus annis ageret, neque capillum, neque barbam tonderet, vino & carnibus abstineret, missas celebrare, clericos ordinare, ecclesias & chrisma benedicere, eulogias dare non auderet.] Vide ejusdem lib. 9. c. 33. Denique Ludovicus Pius imperator publicam pœnitentiam agere coactus, armis ante altare depositis *pulla veste* indutus est, ut legitur in ejus Vita apud Chesnium Hist. Francor. tom. 2. S. Dunstanus Edgaro regi ob violatam virgini Deo consecratæ (Septennam pœnitentiam indixit, ut in toto hoc spatio coronam regni non gestaret) &c. teste Osberno in ejus Vita n. 35. His adde Goffridum comitem Andegavensem, qui in Chronico Andegavensi anno 1100. Deo & abbati Goffrido *nudis pedibus* satisfecisse legitur. His omnibus concinit Isaaci Lingonensis episcopi canon 37. titulo 1. [Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manus & cilicium a sacerdote consequantur, & si aut comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur.)

Orationi & fletibus vacabant.

VIII. Tertio ut contritionem cordis, quæ maximam pœnitentiæ partem complectebatur, amplius ostenderent, fletui & lacrymis atque orationi continuo operam dabant, misericordiam a Deo & Ecclesia postulantes. Audiendus hanc in rem S. Ambrosius in l. 2. de pœnitentia cap. 16. (Volo veniam reus speret, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur obsecret, & cum secundo & tertio fuerit dilata ejus communio, credat se remissius supplicasse, fletus augeat, miserabilior postea revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipso dicat Dominus Jesus, remissa sunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multum. Cognovi ego quosdam in pœnitentia sulcasse vultum lacrymis, exarasse continuis fletibus genas, stravisse corpus suum calcandum omnibus, jejuno ore semper & pallido mortis speciem spiranti in corpore prætulisse.

Corpus variis afflictionum generibus macerabant.

IX. Quarto non solum cordis, sed etiam corporis in omnibus contritionem præ se ferebant, adeo ut nullum macerationis genus prætermitterent. Hinc iterum S. Ambrosius in libro de lapsu virginis consecratæ cap 9. sic eam alloquens: (Petas ultro carcerem pœnitentiæ, obstringas catenis viscera, animam tuam gemitibus jejuniisque crucies, sanctorum petas auxilium, jaceas sub pedibus electorum, ut non tibi cor impœnitens thesaurizet iram in die iræ justi judicii Dei.) Et lib. 2. de Pœnitentia c. 10. [An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi adquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus. Renuntiandum sæculo est; somno minus indulgendum est quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus:

bus: vivendum ite, ut vitali huic moriamur usui.) Abstinentiam vero sic observabant, ut peracta etiam penitentia carnium usum non resumerent. Testis hujus consuetudinis est Cæsarius Arelatensis episcopus, qui in Homilia 1. ne vulgatis a Baluzio hæc habet: (Sunt enim aliqui penitentes, qui ideo cito reconciliari volunt, ut carnes accipiant. Certum est quod non satis penitentiam accipit, qui carnes nulla infirmitate cogente aut desiderat aut præsumit accipere. Et ideo etiam reconciliatus penitens ubicumque aut in suo aut in alieno convivio olere aut legumina aut pisciculos invenire potuerit, aliam carnem non debet accipere.) Atque hic usus non Cæsarii solum ævo vigebat, sed multo etiam serius: nam sæculo nono concilium Cabilonense anno 813. celebratum can. 35. eamdem de quibusdam sui temporis penitentibus querimoniam movit: (Multi, inquit, quod non sine dolore dicendum est, in penitentia non tam peccati remissionem, quam temporis constituti expectant expletionem. Et si carnium & vini usus eis interdictus est, mutata non voluntare, sed ejusdem cibi aut potus perceptione, in tantum deliciis suis indulgent, ut deliciosius his interdictis aliorum ciborum vel potionum appetitu vivere cognoscantur,) &c. Sed subsequenti tempore hanc penam eleemosynis largissimis redimebant penitentes: hinc sæculo X. Ratherius Veronensis episcopus in Synodica epistola ad presbyteros Spicilegii tom. 2. [Nullus penitantem invitet carnem manducare & bibere vinum, nisi pro eo ad præsens eleemosynam fecerit.]

Militiæ & publicis muneribus renunciabant.

X. Quinto hic adjici possent ea, quæ de militie, muneribusque sæcularibus, usque matrimonii publice penitentibus interdictis, scripsere concilia, Summi Pontifices, aliique auctores antiqui, de quibus abunde tractavit Johannes Morinus lib. 5. de Penit. cap. 18. & sequentibus. De his sæculo nono ita scribebat Wlfadus Bituricensis ad Parochos: (Penitentibus etiam, qui vagabundi per sæcularia negotia discurrunt, quasi nihil mali gesserint, peccata sua ostendite, & ut in uno loco morantes, dignos penitentiæ fructus faciant, commonete, ennunciantes eis vetitissime, quod penitentiam & militiam sæcularem simul agere non possunt.]

Recludebantur in carcere.

XI. Sexto inter satisfactoria penitentium opera merito recensere possumus reclusionem, cujus meminere concilium Toletanum XI. c. 7. Egbertus Eboracensis archiepiscopus, Crodegangus Mettensis episcopus in Regula canonicorum cap. 28. pro ut citatur e Morino, vulgatus Alcuinus libro de divinis officiis, libri Sacramentorum tum editi, tum manu exarati non pauci, quales sunt Remensis S. Remigii litteris Longobardicis scriptus, qui Turpino archiepiscopo usui fuisse traditur, Noviomensis optimæ notæ, Gellonensis, Regius, Gemmeticensis qui Anglicanæ fuit ecclesiæ, &c. Quonam vero id ritu fieret, explicat Gregorius papa II. scribens ad Leonem Isauricum imperatorem in hæc verba: (Vides imperator, pontificum & imperatorum discrimen? Si quispiam te offenderit, domum ejus publicas & spolias, solam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longe a liberis & ab omnibus cognatis & amicis suis amandas. Pontifices non ita: sed ubi peccaverit quis & confessus fuerit; suspendii & amputationis loco, evangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tamquam in carcerem in secretaria, sacrorumque vasorum æraria conjiciunt, in ecclesiæ diaconia, & in catechumena ablegant, ac visceribus ejus jejunium, oculisque vigilias, & laudationem ori ejus indicunt; cumque egregie castigarint, probeque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini corpus impartiunt, & sancto illum sanguine potant, & cum illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum insontemque transmittunt.) Hæc autem penitentium incarceratio fiebat in Capite jejunii, finemque accipiebat in Cena Domini.

Peregrinationes ad loca sancta suscipiebant.

XII. Denique inter penitentiales penas annumerandæ sunt per varia Sanctorum loca peregrinationes, quas non solum post annum septingentesimum frequenter impositas esse, ut docet Morinus lib. 7. de Penit. cap. 55. sed etiam sexto sæculo communes fuisse discimus ex Gregorii Turonensis temporis illius scriptoris libro de Gloria Confessorum c. 87. ubi agit de quodam fratricida, qui (pro enormitate criminis, ferreis circulis alligatus, præceptum habuit, ut septem annis loca Sanctorum peragrando circuiret.] Nimirum homicidarum pena hæc erat, ut peregre profecturi ferreis vinculis constringerentur, ut discimus ex variis sanctorum Actis, maxime vero ex libro de miraculis & translatione S. Bertæ parte 1. Ex vita S. Adalberti diaconi Egmundæ cap. 26. sæculo 3. Bened. part. 1. p. 636. Ex Altfrido in lib. 2. de vita S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis n. 20. sæc. 4. Bened. part. 1. p. 34. ex libro 3. de Gestis sanctorum Rotonensium cap. 1. ex lib. 3. Mirac. S. Bavonis num. 4. ex lib. Miraculorum S. Galli, ex codice ms. de Miraculis SS. Floriani & Florentii, in quo tota hujus pœnitentiæ ratio sic explicatur: (Consuetudine antiqua partibus interioris Franciæ usque hodie mos inolevit, ut quisquis propinquiorem sibi parentem gladio jugulaverit, & postea pœnitentia ductus, ad pontificem crimen admissi facinoris detulerit: ipso decernente pontifice, ex ipso gladio ferrei necus componuntur, & collum peccatoris, venter, atque brachia strictim innectantur ex ipsis ferreis vinculis: sicque de proprie patria & solo patrio pellatur. Interim quo usque divine pietas eadem vincula solvi præcipiat, primum Romæ, dehinc per diversa sanctorum loca, veniam criminis efflagitando, peregre proficisci cogitur.) Hujus consuetudinis praxim videre est in libro mirac. Bononii num. 3. sæculo 6. Bened. part. 1. ubi hæc leguntur. (Homo quidam erat fratricidii pœnitens, qui habebat mucronem cum quo peremerat fratrem, fixum in ferreo circulo circum dextrum brachium strictius posito cute & carne jam supereminenta) &c. Et in lib. 1. miracul. S. Bertini sæculo 3. S. Bened. part. 1. pag. 120. Hujusmodi vincula plurima divina misericordia confracta ad sepulcrum S. Nicetii Lugdunensis episcopi appensa conspexit Johannes presbyter Turonensis, uti refert Gregorius Turonensis in lib. de Vit. Patr. c. 8. Sed hujusmodi peregrinationes pro parricidiis improbare videtur concilium Moguntinum, anno 847. celebratum can. 20. his verbis: (Sed quia modernis temporibus parricidæ profugi currunt per diversa, & variis vitiis, atque gulæ illecebris deserviunt, melius nobis videtur, ut in uno loco manentes pœnitentia districte semetipsos castigent, si forte a Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit ultra militiæ cingulum sumere, & nuptiis vel conjugiis copulari, quia sacri canones hoc eis non consentiunt.] Et antea Carolus Magnus in capitulari condito anno regni sui X. cap. 8. Et capitulare Aquisgranense c. 79.

Cum commendatitiis episcopi litteris.

XIII. Redeo ad peregrinos pœnitentes, qui in exilium missi, commendatitias ab episcopo litteras accipiebant, in quibus pœnitentiæ causa & ratio modusque explicabantur. Hujusmodi litteras Adalberonis Mettensis episcopi in gratiam cujusdem homicidæ habes in Mabillonii Analectorum tom. 4. p. 346. Eam dumtaxat, quam inclinante sæculo XII. scripsit Johannes Magalonensis episcopus pro Bernardo pœnitente, qualis extat apud Bollandum Aprilis die 19. hic in specimen aliarum proferam. (Johannes Dei gratia Magalonensis episcopus omnibus ecclesiæ catholicæ rectoribus, subjectis æternam in Domino salutem. Notum sit omnibus vobis, quod Bernardo præsentium latori, talem pœnitentiam pro peccatis suis horribilibus injunximus, quod usque ad septem annos nudis pedibus incedat, camisiam non ferat omnibus diebus vitæ suæ, quadraginta dies ante Natale Domini in cibis quadragesimalibus jejunet, quarta feria a carne & sagimine abstineat, sexta feria præter panem & vinum nihil comedat, in omni sexta feria quadragesimæ & quatuor temporum præter aquam nihil bibat; omni sabbato, exceptis sollemnibus diebus: & nisi ægritudo intercessarit, a carne & a sagimine abstineat. Quapropter clementiam vestram in Christo suppliciter exoramus, quatenus pro redemtione animarum vestrarum, præfatum pœnitentem, quia pauperrimus est, in victualibus & vestibus misericorditer sustentetis, orationibus sublevetis, de pœnitentia etiam sibi injuncta secundum quod ratio exigit, benigne relaxatis. Data Magalonæ, anno ab Incarnatione Domini M. C. LXX. mense Octobri. Usque ad septem annos tantum valeat.]

XIV. His ex litteris patet publicas pœnitentias sæculo adhuc duodecimo obtinuisse. Idem constat ex litteris Guillelmi ducis Aquitaniæ pro cœnobio S. Johannis Angeriacensis apud Bollandum 10. Februarii, in quibus ipse narrat qua ratione illatam monachis vim & injuriam delere studuerit: (Culpabilem, inquit, & reum in ipso capitulo, ubi hoc donum feci, me coram omnibus monachis assidenti-

tibus reddidi; & egrediens capitulo, coram ipsis baronibus meis nudis pedibus satisfaciens, & virgas in manibus tenens, usque ante altare super quo caput Præcursoris erat, humiliter deveni, & ibi ante Præcursoris caput humi projectus, pro his facinoribus culpabilem & reum me recognovi.) Quæ quidem literæ anno 1131. datæ sunt.

XV. Insequenti sæculo XII. Bodoni & Heurico militibus eorumque servitoribus Heraldo & Conrado, qui episcopum Herbipolensem occiderant publica penitentia est imposita quam refert Innocentius III. in epistola apud Trithemium in chron. Hirsaugiensi ad annum 1203. his verbis (Quia penitentibus non est indulgentiæ janua præcludenda, de fratrum nostrorum consilio, dilecto filio Hugoni, tituli S. Martini presbytero cardinali commisimus audiendos; qui confessione illorum audita, postquam fecit eos nudos coram nobis in bracis, tortas habentes in collo, diebus aliquot in frequentia populorum astare, de mandato nostro talem penitentiam illis injunxit: ut numquam de cetero, nisi contra Saracenos, vel ad defensionem vitæ armis utantur; varium, griseum, ermelinum, & pannos coloratos non portent, ad publica spectacula non accedant, & conjungati non contrahant matrimonium post mortem uxorum, eamque quam cito poterunt in Hierosolymitanam provinciam, per quatuor annos ibi contra Saracenos Domino serviturì. Bodo vero, qui major existit, tres vel unum saltem in suis expensis secum adducat, & donec ipsi quatuor execrabiles homicidæ Hierosolymitanum iter arripiunt, sicut publica penitentes, discalceati & laneis induti vestimentis incedant. Secundam, quartam, & sextam feriam, quatuor tempora, vigiliasque sanctorum solemnes in pane & aqua jejunent. Tres in anno quadragesimas, videlicet ante resurrectionem, pentecostem, & nativitatem Domini, faciant. Carnibus nisi tantum in iisdem tribus festivitatibus non vescantur: eaque die qua prædictus episcopus fuit occisus, carnes non comedant in æternum, orationem Dominicam decantent centies inter diem & noctem, & genuflexiones faciant quinquaginta. Corpus & sanguinem Domini accipere, nisi in ultimo mortis articulo, non præsumant. Cum fuerint ultra mare, quartam & sextam feriam, sanctorum vigilias, & quatuor tempora, sicut dictum est, in cibo quadragesimali jejunent. Carnes comedent die Dominica & feria V. tantum, orationem Dominicam & genuflexiones faciant prætaxatas, quandocumque aliquam civitatem Alemannicam poterunt secure intrare, ad majorem ecclesiam nudi procedant tantum in bracis cum torta in collo, & virgis in manu, & a canonicis ejusdem ecclesiæ recipiant disciplinam. Si vero quæsitum fuerit, cur hoc faciant, dicant hoc se facere pro sceletis perpetrati jam dicti satisfactione. Si quando forte in civitate Herbipolensi poterunt esse securi, in resurrectione, pentecoste, nativitate Domini, ac in solemnitate majoris ecclesiæ, videlicet S. Kiliani, exeant civitate, & nudi inde in bracis tantum, tortam in collo & virgas deferentes in manu, & ad missæ celebrationem majoris, ad ecclesiam cathedralem accedant, & ante episcopum & canonicos prosternentes se in terram, petant humiliter & recipiant ab eis disciplinam. Cum autem de partibus redierint trans maris, ad apostolicam sedem accedant recepturi consilium & mandatum.] Anno 1291. Guillelmus major episcopus cuidam Michaeli *Fournil* ob crimen incestus tres injunxit processiones seu peregrinationes, & Colino *Forestier* peregrinationem nudis pedibus ad S. Michaelem in Monte Tumba ob simile peccatum, uti videre est in Gestis ejusdem Guillelmi Spicilegii tom. 10. p. 288.

Pœnitentiæ publicæ relaxatio sæculo IX.

XVI. Verum etsi zelo quorumdam episcoporum omni ævo, præsertim ad sæculum XIII. usque, reperiamus publicæ penitentiæ exempla non pauca; fatendum tamen est, ecclesiasticam hac in materia disciplinam, si non omnem prorsus, maximam saltem jacturam passam esse; jamque a sæculo nono pœnitentiæ publicæ vigorem pene omnino decidisse. Queritur ea de re Jonas Aurelianensis episcopus in lib. 1. de Institutione laicali cap. 10. (Perrari namque sunt hodie in ecclesia, qui talem agant penitentiam, qualem antiquorum Patrum penitentium exempla, & auctoritas canonica sancit. Quis namque criminis reus, qui utique pœnitentia publica debuit mulctari, cingulum militiæ deponit, & a liminibus ecclesiæ, cœtuque fidelium arcetur, & a Christi corpore separatur? Quis porro in cinere & cilicio more penitentium antiquorum lamenta penitudinis suscipit?) Deinde in medium allato S. Isidor. l. 2. de Divinis Officiis c. 16. testimonio, hæc subinfert: (Unde colligitur, quia religionis nostræ priscis temporibus, dum quis, secundum constitutum sibi a sacerdote, usque ad satisfactionem cilicio indutus & cinere conspersus, habitu incultus, humique prostratus, lacrymisque profusus videbatur, statim penitens agnoscebatur; ut ei a Domino ignosceretur, ab omnibus deprecabatur. Nunc autem in cœtu Christiano idcirco vix penitens agnoscitur, quia pene nihil horum erga penitentes agitur. Quapropter credibile est, ut sicut alia multa in religione christiana viluerunt, ita quoque præmissus penitentiæ modus ab uso, quod formidolosum est, recesserit. Et idcirco a multis diversa flagitia perpetrantur audacter. Verum etiam quisquam nostri temporis Christianus hodie aut homicidium, aut aliquid aliud admiserit, quia hujusmodi penitentia non plectitur, ideo etas conventui fidelium irreverenter se adjungere non veretur,) &c. Prolixum hoc Jonæ testimonium evidenter & manifeste demonstrat quantum sæculo nono jam intepuerat vigor publicæ penitentiæ, vix ut ullum ejus superesset vestigium. Quid de subsecutis putas? Certe Aloaræ Pandulfi Capuani principis uxori sæculo X. pro perpetrato homicidio, quod multis annis & macerationibus expiandum fuisset, in penitentiam tantum injunctum est, ut psalterium ter in hebdomada legeret, & egentibus eleemosynas erogaret, ut discimus ex Actis S. Nili c. 15. apud Surium 26. Septembris.

Peccata quædam ad nutum confessarii expiata.

XVII. Quæ de satisfactione peccatorum hactenus diximus, eam potissimum spectant, quæ publice pro gravioribus atrocioribusque sceleribus exercebatur. Nam alia peccata licet mortalia, ad nutum voluntatemque presbyteri, qui confessiones penitentium excipiebat, expiabantur aut jejuniis aut eleemosynis, aut precibus aliisque operibus piis. Sæculo XI. S. Geraldus abbas Sylvæ majoris, (cum maxima multitudo ad eum, ut sua confiterentur crimina, sæpe venissent; hanc omnibus in commune penitentiam in remissionem peccatorum suorum injungebat: ut sexta quidem feria jejunarent, sabbato vero a carne abstinerent:) ut testatur anonymus in ejus Vita n. 24. apud Bollandum 5. Aprilis. Insequenti sæculo XII. B. Bertholdus abbas Garstensis omnibus disciplinas confitentibus imponebat, (absque ulla personarum acceptione, nullum omnino transire sinens implagatum,) ut legitur in ejus Vita apud Surium 27. Julii. Longe clementior fuit Petrus Damiani, qui audita Agnetis imperatricis confessione, nullum penitentiæ pondus injunxit, sed solam, *Age*, inquit illi, *quod agis*, *operare quod operaris*, uti scribit in Opusculo 56. c. 5. Ipse tamen Opusculo 13. capp. 6. & 7. arguit quosdam monasterii rectores, qui (quibuslibet e sæculo venientibus, etiamsi graviter lapsi essent, aliam penitentiam non imponebant, nisi ut communem monasterii ordinem servarent.) Id tamen quod in illis monasteriorum rectoribus improbat; communi usu receptum fuit in Ordine Cisterciensi, ipsique S. Bernardo familiare, testante istud in primis Cæsario monacho in Dial. dist. 4. c. 1. (Venientibus ad Ordinem nostrum, etiamsi innumera & gravissima commiserint peccata, nihil eis aliud injungitur pro satisfactione, nisi ut ordinem servent. Hinc est quod S. Bernardus cum tempore quodam quemdam regem Francorum in Ordine recepisset; illi solummodo post confessionem Dominicam orationem injunxit. Quo turbato, putans sibi a sancto illudi: respondit abbas beatus: Tu tantum orationem hanc dicito, & ordinem custodi; & ego pro peccatis tuis rationem reddam in die judicii.] Alibi vero, in Vita scilicet S. Dominici, cui Loricato cognomen inditum est, cap. 12. supradictus Petrus Damiani arguit abbatem quemdam, cui cum Dominicus in Vigilia Natalis Domini cum lacrymis fuisset confessus, (ille ut erat juvenculus, levis moribus & consiliis spiritualibus, cum sibi sufficeret unum psalmum vel perexiguum quid imponere, præcepit, ut pro his quæ confessus fuerat, triginta psalteria decantaret.) Ex his Patri Damiani verbis elucet, quales olim pro venialibus delendis maculis pœnitentiæ imponerentur, quales nimirum etiam vel hodie sunt in usu, unus scilicet & perexiguus psalmus recitandus. Ceterum ad vitandum in opere pio turpe lucrum, vetant concilia, statutaque synodalia episcoporum non pauca, ne confessarii pro pœnitentia pecunias exigant, aut missas dicendas imponant. Ita concilium incerti loci can. 43. tom. 4. Anecdot. Constitutiones Ricardi episcopi Sarum cap. 30. Constitutiones S. Edmundi cap. 17. concilium Wigornense cap. 17. concilium Coloniense anni 1280. c. 8. &c. Idem concilium vetat etiam ne sacerdotes (nomine restitutionis pro pœnitentia injungant, ut ecclesias, capellas, vel cœnobia instituant, vel ecclesiis legata faciant; sed prius restitutionem faciant.) Statuta vero ecclesiæ Leodiensis cap. 4. n. 22.

decerount ut (sacerdotes missas, quas pœnitentibus injunxerint, vel injunxerint, non celebrent, neque tricenarium, neque annuale, neque collusionem cum alio sacerdote faciant de missis celebrandis, ut sibi mutuo pro missis celebrandis suos parochianos transmittant.]

ARTICULUS V.

De reconciliatione pœnitentium.

I. DE reconciliatione pęnitentium, quæ absolutionis nomine vulgo indigitatur, quinque breviter inquiro, quonam scilicet tempore olim fieret, quo die, qua horæ, quo loco, & quibus verbis.

Reconciliatio pœnitentium quo tempore fieret.

II. Reconciliationem pœnitentium non nisi post multos a confessione peccatorum facta annos, concessam fuisse, hoc est tota & integra, quæ imposita fuerat, pęnitentia completa, norunt viri eruditi omnes; immo qui vel levem antiquæ disciplinæ ecclesiasticæ notitiam habent; idque non uno aut altero loco usu receptum fuisse, sed ubique demonstrare in promtu esset, nisi proposita nobis hoc in opere brevitas ad præcipuas saltem ecclesias nos restringere cogeret. Atque ut a Romana ecclesia, quæ omnium caput & mater est, exordium ducam, ejus praxim clare & enucleate describit Tertullianus in libro de Pudicitia in quo Zephyrino Pontifici insultat his verbis: (Audio edictum esse propositum, & quidem peremtorium, Pontifex scilicet maximus, episcopus episcoporum dicit, Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pęnitentia functis dimitto.) Non ergo solum confessis pęnitentiamque suscipientibus peccata dimittebat Zephyrinus; sed omnino pęnitentia impositæ perfunctis. Idem declarat Leo papa I. in epistola 82. novæ editionis ad Theodorum Forojuliensem episcopum: (Mediator enim Dei & hominum homo Christus Jesus hanc præpositis ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pęnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.) Hic S. Leonis locus omnem pęnitentiæ ordinem brevi, sed dilucide repræsentat, confessionem scilicet, pœnitentiæ actionem, reconciliationem, ac demum communionem, His addo Sozomenum, qui in libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. antiquam ecclesiæ Romanæ consuetudinem in pęnitentiæ administratione ita describit: (In occidentalibus ecclesiis ac præcipue in ecclesia Romana studiose observatur. Illic enim in propatulo est pęnitentium locus, in quo illi stant mœsti, ac veluti lugentes. Peractisque jam missarum sollemnibus, exclusi a communione sacrorum, quæ initiatis præberi mos est, cum gemitu ac lamentis pronos se in terram abjiciunt. Tum episcopus cum lacrymis ex adverso occurrens, pariter ipse humi provolvitur, & universa ecclesiæ multitudo simul confitens, lacrymis perfunditur. Post hæc vero primus exsurgit episcopus, ac prostratos erigit; factaque, ut decet, precatione pro peccatoribus pœnitentiam agentibus, eos dimittit. Privatim autem unusquisque sua sponte se macerans, aut jejuniis, aut illuvie, aut ciborum abstinentia, vel aliis quibus jussus est modis, tempus quantumcumque ipsi ab episcopo constitutum est expectat. Ubi vero præstitutus dies advenit, tamquam debito quodam persoluto, a pęna commissi sceleris liberatur, & reliquo ecclesiæ populo sociatur. (Non ergo statim facta confessione, sed *debito persoluto*, ecclesiæ reconciliabantur pęnitentes, Addit Sozomenus (hæc episcopi urbis Romæ jam inde ab ultima vetustate ad nostram usque ætatem custodiunt.) Atque hic locus non Romanæ dumtaxat, sed omnium occidentalium ecclesiarum morem commendat.

III. De Mediolanensi testis locupletissimus est S. Ambrosius in lib. 2. de Pęnitentia cap. 3. (Quotiescumque peccata donantur, Corporis ejus sacramentum sumimus, ut per Sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.) At vero communio pęnitentibus non nisi absoluta omnino pęnitentia impertiebatur. Et cap. 9. de his qui citius absolvi cupiebant, addit: (Hi non tam se solvere cupiunt, quam sacerdotem ligare: Suam conscientiam culpa non exuunt, & sacerdotis induunt.)

IV. De ritibus Hispaniæ luculentum habemus S. Paciani testimonium in epistola 1. ad Sempronianum: (Scio, inquit, frater, hanc ipsam pęnitentiæ veniam non passim omnibus dari, nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit, relaxari, magno pondere, magnoque libramine, post multos gemitus, effusionemque lacrymarum, post totius Ecclesiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari.] Ex hoc S. Paciani testimonio constat, non solum post actam pęnitentiam, sed nec nisi ad instantes Ecclesiæ preces reconciliatos fuisse pœnitentes. Paciano adjungere possemus concilium Toletanum 3. can. 11.

V. Pro Africana ecclesia testem profero Cyprianum martyrem, omni exceptione majorem, qui in libro de Lapsis, & in variis passim epistolis, patriæ suæ consuetudinem & disciplinam repræsentat. In epistola vero 59. ad Fidum sic loquitur: (Legimus litteras tuas, frater charissime, quibus significasti de Victore quodam presbytero, quod ei antequam pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, *temere* Therapius collega noster immaturo tempore & præpropera festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis movit, recessum esse a decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente ac necessitate cogente, pax ei concederetur.)

VI. Venio ad nostram Gallicanam ecclesiam cujus antiquam disciplinam discimus ex Genadii libro de Dogmatibus ecclesiasticis cap. 53. [Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pęnitentia satisfacere, & ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium & condemnationem sui eucharistiam percipere.) Idem colligitur ex variis S. Eligii homiliis, maxime ex his quas in Cœna Domini pronunciavit; quibus adjicere postumus Abbonis testimonium, cujus in Sermone 3. Spicilegii tom. 9. hæc lego: (Nullus est certe episcopus, qui possit absolutionem dare, nisi post pęnitentiam factam & dignam satisfactionem.) Et certe ex Ebonis Remensis archiepiscopi Apologetico Spicilegii tom. 7. patet sæculo adhuc IX. quo ille florebat, non nisi post septennis pœnitentiæ spatium peccatorum in Ecclesia factam fuisse pœnitentibus remissionem.

VII. Denique ut nec Anglicanam prætermittamus ecclesiam, in Theodori Cantuariensis archiepiscopi Capitulis selectis Spicilegii tom. 9. editis, duodecimum hæc habet: (Pœnitentes secundum canones non debent communicare ante consummationem pœnitentiæ.

VIII. Restat ut de ecclesiæ Orientalis disciplina hic testimonia exhibeamus. Verum ea sufficere debent, quæ capite præcedenti ex SS. Basilio, Gregorio Nysseno & Johanne abbate Raithu in medium adduximus, quibus pęnitentibus communio non conceditur, nisi exactis prorsus præfixis pęnitentiæ stationibus. Fatendum tamen Orientales, post celeberrimam Nectarii actionem, qui pęnitentiarium presbyterum sustulisse dicitur, pœnitentes facta confessione, ante impletam satisfactionem, absolvere cœpisse; licet communionem pro ratione criminum plures in annos differrent: id quod hactenus mordicus retinent, duplicem pœnitentibus impartientes absolutionem: unam, facta statim peccatorum confessione, alteram, cum pœnitentes sacra communione donant: qua de re vide quæ scripsit Johannes Morinus lib. 6. de Pęnitentia capp. 23. 24. 25. & 26. Unum hic dumtaxat illius Orientalium disciplinæ exemplum adducam ex Actis S. Simeonis Stylitæ junioris, qui sæculo sexto florebat, apud Bollandum 24. Maji: Nam cum aliquando accessisset ad eum civis quidam Antiochenus, cujus tot tantisque sceleribus conscientia esset fœdata, ut etiam dæmoniis sacrificia obtulisse palam omnibus non denegaret; tandem (postquam cuncta cum fervore & æstu animi confessus esset, lacrymis ex intimo corde prorumpentibus, petiit pœnitentem se recipi *& absolutione donari*, quo securior in posterum viveret: qua ipsum prudens ille animarum medicus *& continuo*, visa tali pęnitudine, impertitus est.]

IX. In Occidente vero sæculo IX. excurrente nondum impleta satisfactione pro delictis injuncta, reis communio concedebatur & absolutio: id probat Nicolai papæ I. epistola ad Rivoladrum episcopum, cui significat, impositam a se Wincaro cuidam, qui tres filios occiderat, pęnitentiam: nam cum illa ad duodecim annorum spatium sese extendere deberet, septem dumtaxat Corporis & Sanguinis Domini communione privat. Immo jam in Galliis passim cęperant reconciliari pęnitentes gravissimorum criminum rei statim post editam peccatorum confessionem, ut demonstrat locus ex Jonæ Aurelianensis episcopi libro 1. de Institutione laicali a nobis articulo superiori citatus. Et certe sæculo VIII. S. Bonifacius Moguntinus episcopus hoc statutum ediderat: [Quia varia necessitate præpedimur canonum statuta de reconciliandis pęnitentibus pleniter observare, propterea omnino non dimittatur: curet unusquisque presbyter statim post acceptam confessionem

nem penitentium, singulos data oratione reconciliari.) Ita Statuta S. Bonifacii cap. 31. Spicilegii tom. 9. Immo longe ante Bonifacium non desunt nobis promptæ peccatorum reconciliationis exempla. Illustre nobis suppeditat Fortunatus in Vita S. Marcelli Parisinorum episcopi cap. 6. Ipso siquidem referente, (quidam de populo dum vellet ad communionem accedere, manibus retro ligatis non poterat ad altare pertingere; sed cum omnes transirent, quasi meta cepit stare, ut videretur non ad communicandum, sed ad numerandum populum advenisse. Quem conspiciens pontifex, interrogavit quid fecerit: Respondit se peccasse. Cujus confessionem agnoscens, dixit ei, veni, accede, & ultra non pecces. Qua jussione absolutus ad communicandum accessit.) Nimirum prævaluit apud sanctum episcopum illud S. Leonis papæ in epist. 129. novæ editionis: Penitentia *non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda est*. Eadem clementia cum incautius usi fuissent nonnulli Hispaniarum sacerdotes, eorum crudeli pietati remedium aliquod laxatre tentavit concilium Toletanum 3. edito hoc canone 11. (Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum ecclesias, non secundum canonem, sed fœdissime pro suis peccatis homines agere penitentiam, ut quotiescumque peccare libuerit, totiens a presbytero se reconciliari expostulent; & ideo pro coercenda tam exsecrabili præsumtione, id a sancto concilio jubetur, ut secundum formam canonum antiquorum dentur penitentiæ, hoc est ut prius eum quem sui penitet facti, a communione suspensum, faciat inter reliquos penitentes ad manus impositionem crebro recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, sicuti sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni restituat.) Postmodum vero tanta hac in penitentiæ disciplina immutatio invecta est, ut ante reconciliatio absolutioque penitentibus concederetur, quam confessis penitentia satisfactioque imponeretur, id quod nonnullis in Ritualibus ab annis circiter ducentis advertimus. Atque ita in Rituali diœcesis Senonensis jussu Cardinalis Borbonii edito.

Pœnitentes qua die reconciliati.

X. Cum ergo constet, penitentes olim non fuisse reconciliatos ante completam satisfactionem, jam videndum est quo anni die hanc gratiam consequerentur. Huic inquisitioni facit satis Innocentius I. in epistola ad Decentium Eugubinum episcopum scribens in hæc verba: (De penitentibus vero, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus penitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo; quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ ecclesiæ consuetudo demonstrat.) Hinc capiendum est quod scribit S. Hieronymus in epistola ad Oceanum de Fabiolæ penitentia; eam *ante diem Paschæ* in basilica Lateranensi statisse *in ordine penitentium*. Hinc illæ SS. Patrum Homiliæ ad reconciliandos penitentes in Cena Domini: quales visuntur S. Eligii in Bibliotheca Patrum, & Abbonis monachi in Spicilegii tom. 9. Hic tamen non prætereundum est quod habet Gillebertus Lunicensis episcopus in epistola ad episcopos Hiberniæ, quæ inter Hibernicas Usserii est trigesima: (Absolvit præsul populum de venialibus in capite jejunii, de criminalibus in Cena Domini.) Ubi venialium nomine intelligit peccata mortifere minus gravia, publicæ penitentiæ haudquaquam subjecta. Et tamen canon 31. Isaaci Lingonensis episcopi titulo 1. ita habet: (Penitentes quicumque ex gravioribus sive ex levioribus culpis penitentiam agerunt, si nulla evenerit ægritudo, quinta feria ante pascha eis est remittendum.) Porro qui nondum impositas satisfactorias penas compleverant, ipsi nihilominus in Cena Domini ecclesiæ sese præsentare tenebantur, ad quos extra templi januas episcopus exhortatorium sermonem habebat, cujusmodi est Sermo tertius Abbonis Spicilegii tom. 9. inscriptus, *In porta ecclesiæ ad penitentes nondum adeptos reconciliationem*. Atque hæc erat communis Ecclesiæ Romanæ praxis, aliarumque Occidentalium, quæ ritus illius in se susceperant, quam videre est in omnibus passim Sacramentorum libris. Verum in Mediolanensi alia obtinebat consuetudo, reconciliandi penitentes feria sexta majoris, ut ajunt, hebdomadæ. Id colligo ex S. Ambrosii epistola 20. novæ editionis ad Marcellinam sororem, in cujus num. 26. asserit eo die in ecclesia relaxari penitentiam, quo sese pro nobis Dominus tradidit; idemque non obscure docet libro 5. in Hexameron Sermone ultimo. Eamdem pariter usum viguisse in Hispania discimus ex concilii Toletani quarti canone 7. quo decernit ea die *indulgentiam criminum clara voce omnem populum* postulare debere; & ex sequenti can. 8. quo vetat *ante peractas indulgentiæ preces* jejunium relaxari. Eadem quoque praxis fuisse videtur in quibusdam Gallicanis ecclesiis: nam in ms. Missali monasterii S. Vincentii Cenomanensis ab annis circiter 600. scripto, preces ad reconciliandos penitentes adsignatas reperi feria VI. Parasceves. Idem in quibusdam aliis deprehendi. Sed & ante annos quinquaginta hujus ritus vestigium aliquod in Cormeriacensi cœnobio supererat. Nam hac die solemnis ante officium fiebat super prostratos monachos absolutio.

Qua hora.

XI. Horam reconciliandis penitentibus publicis assignatam discimus ex concilii II. Carthaginensis cap. 3. quo decernitur, *reconciliare quemquam in publica missa presbytero non licere*: Cui concinnunt concilium Hispalense II. can. 7. & Vormatiense cap. 8. Ad missam igitur penitentes sacris altaribus restituebantur. Quanam vero missæ parte, non satis constat. Saltem non una fuit omnium ecclesiarum hac in re consuetudo. Nam aliqui ante missam, quidam post evangelium ante offertorium: immo nonnulli, si Morino credimus, post consecrationem reconciliabantur. Nam in Ordine Romano & quibusdam aliis Sacramentorum libris penitentium absolutio hora tertia ante missam instituitur. In Pontificali ecclesiæ Lugdunensis, quod etiam usui fuit Tarentasiensi, præscribitur ut mane (penitentibus ante fores ecclesiæ exterius humiliter consistentis, unus sacerdos in aliquo altari eisdem foribus proximiori celebret missam:) postea discussis penitentibus, (episcopus ante horam sextam examinet cum sacerdotibus ipsis diligenter, qui digni sunt reconciliari, qui non.) Deinde eos ante missam absolvat. In codice Siculo quem Morinus edidit ad calcem libri de Penitentia p. 22. feria quinta in Cena Domini tres assignantur missæ, una pro Penitentibus, altera quæ chrismalis dicitur, tertia sollemnis, ad quam omnes communicabant, ante quam proinde non reconciliabantur penitentes. In veteri codice ecclesiæ Ebroicensis, in quo continetur Pontificale Egberti Eboracensis archiepiscopi, litteris Saxonicis eleganter exaratum, habetur ad calcem Ordo in Cena Domini, altera quidem manu, sed 800. annis non inferiori scriptus, in quo penitentium reconciliatio ante offertorium notatur. Idem deprehendere est in duobus aliis libris apud Menardum; nec tardius absolutos fuisse penitentes existimo. Nam ut ea in missa Corporis & Sanguinis Domini participes esse possent, offerendi jure donari debebant. Nam quibus offerendi jus denegatum erat, iis communicare haudquaquam licitum erat. Itaque quod ait Morinus penitentes in quibusdam locis post consecrationem reconciliatos fuisse, cum utrique disciplinæ ecclesiasticæ non cohæreat, vero simile nobis haudquaquam videtur. Nec ea quæ ad probandam opinionem suam profert, testimonia plane evincunt. Nam quod ait S. Ambrosius libro de penitentia cap. 3. (Quotiescumque peccata donantur, Corporis ejus Sacramentum sumimus, ut per Sanguinem ejus fiat peccatorum remissio;) significat tantum penitentes ea in missa, ad quam sive initio, sive ante oblationem, reconciliati fuerant, sacra communione donatos fuisse. Eodem modo explicari queunt loca quæ ex Cypriano & Optato Milevitano adducit; in Hispania vero ubi penitentibus feria 6. majoris hebdomadæ penitentiæ relaxabantur; reconciliatio ad vesperam omnino fiebat, ut patet ex concilio Toletano 4. cap. 7. quo redarguuntur nonnulli, qui hac die ad nonam jejunium relaxabant, quod omnino fieri vetat concilium *ante peractas indulgentiæ preces*, hoc est ante reconciliatos penitentes; qui proinde sero absolvebantur.

Quo loco. Reconciliationis formula deprecativa.

XII. Quod spectat ad reconciliationis locum, communis omnium passim ecclesiarum praxis extitit, ut episcopus ambone conscenso, super penitentes in navi ecclesiæ prostratus absolutionis formulam pronuntiaret. Qualis autem illa fuerit, indicant sancti Patres, non indicativam, sed deprecativam prorsus extitisse; eam precis aut orationis nomine vulgo indigitantes. Id clare demonstrat S. Leo ad Timotheum Alexandrinum episcopum sic scribens epistola 139. novæ editionis: (Eos qui veritati aliquatenus restiterunt, reconciliandos Deo *per preces Ecclesiæ* instanter acquiras.) Hinc capiendus est locus est Vita S. Hilarii Arelatensis episcopi auctore Honorato Massiliensi episcopo ejus discipulo cap. 13. Facta peccatorum confessione, & admonitione completa, cum lacrymis *supplicationum sumebat exordia*; ut penitentiæ fructum,

quem

quem monendo contolerat, *orando* firmaret.) Et S. Bonifacius Moguntinus episcopus in Statutis cap. 31. (Curet unusquisque presbyter, statim post acceptam confessionem pœnitentium, singulos *data oratione* reconciliare.) Unde & Guillelmus Parisiensis cap. 19. de Sacramento Pœnitentiæ : (Neque more judicum forinsecorum pronunciat confessor *absolvimus te ; non condemnamus*, sed *orationem* faciat super eum, ut Deus absolutionem, & remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat.) &c. Illis consonant omnes antiqui libri Rituales mss. utriusque ecclesiæ, in quibus variæ piæque orationes ad reconciliandos pœnitentes descriptæ leguntur. Fatendum tamen est, in plerisque una cum orationibus reconciliatoriis formulas quasdam absolutionis indicativas reperiri. Et ne quis libros illos tamquam recentiores novitatis insimulet, prætermissis illis qui sexcentos annos non superant, quatuor hic produco vetustate & antiquitate plane venerabiles. Primum exhibeo Egberti Eboracensis episcopi Pontificale litteris Saxonicis pereleganter scriptum, quod hactenus servatur in Bibliotheca ecclesiæ Ebroicensis. Secundum Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis, cujus caracter nongentos circiter annos refert; tertium Gellonense vetustissimum; quartum Remense S. Remigii, Turpini archiepiscopi Pontificale vulgariter dictum, litteris Longobardicis scriptum, in quibus forma indicativa deprecatoriæ conjungitur. Absolutionis formas ex Remensi codice scriptas jampridem vulgavit Morinus in Tractatu de Pœnitentia, reliquas articulo 7. infra exhibebimus. Ceterum forma deprecatoria post medium sæculum XIII. desinere cœpit : Nam indicativam præcipit concilium Londinense anni 1268. cap. 2. (Omnes autem qui confessiones audiunt aliquorum a peccatis expresse confitentes absolvant, verba subscripta specialiter exprimentes : Ego te absolvo a peccatis tuis, &c. auctoritate qua fungor te absolvo.) In concilio Nemausensi anni 1284. præscribitur, ut (imposita sibi pœnitentia, & facta generali confessione, scilicet *Confiteor Deo* ; dicat * Pater sic : Ego injungo tibi talem pœnitentiam propter peccata quæ confessus es. Et ponens manus super caput ipsius dicat : Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat omnipotens Dominus. Et ego te absolvo auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & Beatorum apostolorum Petri & Pauli, & officii mihi commissi, ab iis peccatis quæ confessus es & aliis oblitis.) Quæ totidem verbis extant in mss. statutis Eliæ Uticensis episcopi. Denique tantos progressus brevi fecit forma absoluta, ut de deprecativæ validitate circa eadem tempora dubitari cœperit.

XIII. Ceterum prætermittere non debemus, absolutionem aliquando per dies plures repetitam fuisse. Trinæ repetitionis habemus exemplum in epistola Hugonis Rotomagensis archiepiscopi apud Willelmum Malmesburiensem libro 1. Historiæ Novellæ, ubi de Henrico I. Anglorum rege extrema ægritudine decumbente hæc habet : (Venimus ad ipsum, & cum ipso plenum mœroribus consecimus triduum, prout ei dicebamus, ipse ore proprio sua fatebatur peccata, & manu propria pectus suum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Consilio Dei & nostro & episcoporum emendationem vitæ suæ observaturum sese promittebat. Sub ista promissione pro nostro officio tertio eum per triduum absolvimus.)

XIV. Reconciliationis autem ordinem aliquo modo discere possumus ex Isaaci Lingonensis episcopi canone 35. titulo 1. ubi sic discurrit : (Statutum est & in sanctis canonibus prohibitum, ut nullus presbyter pœnitentem publice, inconsulto episcopo, reconciliare præsumat, nisi morte forte periclitantem : sed omnes publice pœnitentes quinta feria ante pascha, quæ est Cœna Domini, ad civitatem in cinere & cilicio in præsentiam episcopi prostrato vultu conveniant, & ibi ab episcopo canonice & ordinabiliter, sicut in Sacramentario & in Romano Ordine continetur, reconcilientur atque dijudicentur, consolenturque, & prædicentur, quid deinceps agere, quidve vitare debeant instruantur : atque insuper divinis precibus per manus impositionem ab episcopo sanentur.)

ARTICULUS VI.

De ministro pœnitentiæ.

I. HActenus singulas pœnitentiæ partes, qua potuimus brevitate discussimus, nunc de illius ministro cum perplura dici queant, singularia dumtaxat hic adnotare animus est, ne toties ab aliis celebrata iterum recantare videamur.

Episcopi olim soli pœnitentiæ ministri.

II. Pœnitentiæ minister unus olim erat episcopus, qui solus peccatorum confessiones excipiebat, solus pœnitentiam confessis imponebat, demumque salutari satisfactione mundatos solus reconciliabat. At vero sæviente in Christianos Decii persecutione, & crescente in dies lapsorum numero, cum huic oneri portando ægre sufficere possent episcopi ; in singulis ecclesiis unum pœnitentiæ presbyterum præfecerunt, cui lapsi post baptismum sua confiterentur delicta, ut scribit Socrates l. 5. c. 19. Hunc presbyterum in Constantinopolitana ecclesia Nectarius, aliique in Oriente episcopi in suis ecclesiis sustulerunt, reservata sibi solis pœnitentias imponendi facultate ; cujus tamen institutio in Occidente ita perseveravit, ut nihilominus publicæ pœnitentiæ impositionem, absolutionemque sibi reservarent. Hæc paucis observasse sat est, nec fusiori indigens tractatu. Illud tantummodo hic obiter observabo sæculo adhuc XIII. scilicet anno 1223. Gerardum episcopum Ambianensem confessiones Curatorum suorum, Magnatum & Baronum sibi reservasse, uti videre est in ipsius diplomate, quod extat in Spicilegii tom. 12. pag. 166.

Qui monachos in sortem ministerii adsciverunt.

III. Inter eos autem, quos in sortem ministerii sui in pœnitentiæ munere adsciverunt episcopi, non inferiorem locum tenuerunt monachi, qui cum ceteris presbyteris & numero, & sanctitate, & scientia præcellerent ; plurimam hoc in officio operam statim ab initio, nec sine fructu, contulerunt episcopis, frustra reclamantibus invidis nonnullis, quibus cum non satis esset virtutis, ut monasticæ vitæ sanctimoniam æmularentur, nec se pares in portandis eorum laboribus agnoscerent, ægre ferre poterant, monachis id muneris committi, quod sibi jure deberi existimabant ; cujusque incapaces illos ratione professionis suæ proclamabant. Ast istorum æmulorum obturavit ora Bonifacius papa IV. suo synodali decreto, quod circa annum 610 edidit : (Sunt nonnulli, inquit, fulti nullo dogmate, audacissime quidem, zelo magis amaritudinis, asserentes, monachos, quia mundo mortui sunt & Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia indignos, neque pœnitentiam, neque christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotali officio divinitus injunctam potestatem sed *omnino labuntur*) & quæ fuse & eleganter prosequitur. Quibus suffragatur Urbanus papa secundus in concilio Nemausensi Spicilegii tom. 4. asserens monachos (plus valere eorum peccata solvere, quam presbyteros sæculares ; quoniam illi secundum regulam apostolorum vivunt.) Hinc est quod reges & principes proprios ex monachis ab antiquo confessores habere ambierunt, apud quos cum fiducia omnes conscientiæ suæ recessus revelare valerent. Talis ex Francorum regibus extitit Theodoricus I. cujus Ansbertus Fontanellensis monachus & postea Rotomagensis archiepiscopus *confessor* fuisse perhibetur in ejusdem Ansberti Vita Sæculo II. Benedictino. Talis Carolus cognomento Martellus, qui Martino Corbejensi monacho *confitebatur peccata sua*, ut docent nos Annales vulgari in Bibliothecæ Labbeanæ tom. 2. pag. 733. Talis Walbertus Comes, cui S. Berthinus Sithivensis abbas *pater confessionum* fuisse dicitur Sæculo III. Benedictino pag. 113. Talis Otto imperator, qui Romualdo. Talis denique, ut alios plures omittam, Richardus Normannorum Dux qui Theodorico abbati S. Petri apud Carnutas confitebatur. Quantum esset Anglorum in deponendis apud monachos peccatis studium, discimus ex Egberti Eboracensis archiepiscopi Dialogo : ipso siquidem referente (a temporibus Vitaliani papæ & Theodori Dorobernensis archiepiscopi, inolevit in ecclesia Anglorum consuetudo, & quasi legitima tenebatur, ut non solum clerici in monasteriis, sed etiam laici cum conjugibus & familiis suis ad confessores suos pervenirent) ut purgati a peccatis ad communionem sese præpararent. At longe amplius apud Græcos propagata est hæc monachorum audiendarum confessionum potestas ; adeo ut vix aliquis episcopo vel sacerdoti, qui non esset monachus, suam confessionem crederet, ut scribit Balsamon in Supplem. p. 1123. immo usque adeo invaluerat usus ille, ut inter plura dubitationum capita, quibus Marcus Patriarcha Alexandrinus Balsamonem interrogavit, de hoc quoque percontatus est, an presbyteri vitam monasticam numquam professi possent, permittente episcopo, confessiones audire. Tantum sibi monachorum virtus & sanctimonia populorum, clericorum, episcoporumque reverentiam & fiduciam conciliaverat.

l. * presbyter.

In Oc-

In Occidente etiam frequentiores quam antea in monasteriis extitere laicorum confessiones post exortos mendicantium ordines, qui sua hac in re privilegia non parum extenderunt: quæ res ipsos inter & episcopos multarum dissentionum fomes fuit. Nam ut dicit Chronicon Rothomagense ad annum 1682. (Fratres Minores impetraverunt a Domino papa, ut possint audire confessiones & absolvere, prælatis minime requisitis, propter quod orta fuit magna contentio inter prælatos regni Franciæ & fratres prædictos.) Ab hac tamen contentione immunis fuisse videtur Bertrandus Nemausensis episcopus, qui in suis synodicis constitutionibus fratribus Minoribus & Prædicatoribus licentiam concedit, ut [quando venerint ad ecclesias causa prædicationis, confessiones clericorum & laicorum suæ diœcesis possint audire, & eis injungere salutares penitentias.) Veruntamen ita ut eorum nomina, quorum confessiones excepissent, in scriptis redderent in quadragesima parochialibus presbyteris. Sed tandem ita efferbuit contentio, ut non nisi irritato privilegio, sedari quiverit. De hac re sic disserit Guillelmus Nangius in Chronico ad annum 1298. (Privilegium datum Prædicatoribus & Minoribus de confessionibus audiendis a Papa Bonifacio irritatur, & decrevit idem papa, ut confessus eisdem fratribus confiteatur eadem peccata proprio sacerdoti.) Ab hujusmodi privilegio obtinendo longe aberant Cælestini Monachi, qui in antiquis mss. Constitutionibus cap. 16. §. 7. confessiones sæcularium audire nolunt, nisi (prædicti sæculares, qui confiteri voluerint, habeant a suis parochialibus presbyteris super hoc licentiam specialem.) Multo longius S. Stephanus Grandimontensis, qui ne quidem parentis morientis confessionem excipere permittit in Regulæ capite 34.

Parochis solis in quadragesima facta confessio.

IV. Porro quoscumque tandem ad confessiones populorum recipiendas adsciscerent episcopi, in quadragesima tamen solos hujus rei causa adire parochos licitum erat. Hinc Statuta Synodalia ecclesiæ Remensis Sonnetio archiepiscopo attributa cap. 8. (Nemo, inquiunt, tempore quadragesimæ confessiones audiat præter pastorem: hujus enim interest ovem recognoscere, pro qua suam animam fœnerat Domino.) Hoc ad decretum accedit illud Innocentii papæ III. in concilio Lateranensi, ut omnis utriusque sexus saltem semel in anno confiteatur *proprio sacerdoti:* quo nomine *proprium sacerdotem parochialem* intelligit concilium Coloniense anni 1280. cap. 8. addens, ut (si quis tamen alieno sacerdoti vel alicui religioso justa de causa voluerit confiteri, licentiam primo postulet & obtineat a proprio sacerdote: ita tamen quod semel ad minus in anno proprio sacerdoti plene & integre, ut dictum est, confiteatur.)

Absolutio episcopo reservata.

V. Sed neque omnes qui audiendis confessionibus designati ab episcopo erant, pœnitentes semper absolvebant, verum auditis peccatis, & imposita pœnitentia, reconciliationem episcopo reservabant; præsertim in quadragesima, ut in quibusdam Ritualibus mss. observavimus; in quibus presbyteri confessiones pœnitentium etiam in Cœna Domini excipere, tum discussis & examinatis iis, qui reconciliatione digni erant, absolvendos episcopo sistere jubentur. In quibusdam etiam olim monasteriis licitum erat cuilibet monachorum audire fratrum suorum confessiones, abati vero absolutio reservata erat, ut scribit Petrus Cantor in Summa de Sacramentis.

Gravissima peccata Papa reservata.

VI. Quotiescumque autem aliquis ex penitentibus gravissimi alicujus sceleris reus reperiebatur, hunc ad episcopum, immo ad Summum Pontificem remittere absolvendum non prætermittebant. Certe ante annos octingentos homicidas ad papam remissos fuisse constat ex libro 3. de Gestis sanctorum Rotonensium cap. 1. Sæculo IV. Benedictino. Qui autem sic mittebantur, litteras a confessore ad Summum Pontificem accipiebant, quibus delicta a pœnitentibus patrata significabantur: (Semper autem qui mittuntur deferant secum litteras continentes genus peccati & circumstantias sufficienter; vel ipse sacerdos veniat,) inquiunt Constitutiones Richardi episcopi Sarum cap. 28.

Diaconi olim urgente necessitate confessiones excipiebant.

VII. Ea porro perpetua & constans omni tempore viguit in Ecclesia consuetudo, ut urgente necessitate, aut instante mortis periculo, quilibet presbyter & pœnitentiam imponere, & pœnitentes absente episcopo etiam publicos reconciliare posset: immo id muneris non raro diaconis concessum esse fidei est indubiæ: [Occurrendum est fratribus nostris, inquit S. Cyprianus epistola 13, ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in penitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace.) Et concilium Eliberitanum can. 32. (Si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere sine episcopi consulto; sed potius apud episcopum agat. Cogente tamen infirmitate, necesse est presbyterum communionem præstare debere, & diaconum si jusserit sacerdos.] Et antiqui Ordines ad dandam pœnitentiam, quos ex mss. codicibus Gemmeticensi & Noviomensi articulo sequenti exhibebimus: (Sicut enim sacrificium offerre non debent nisi episcopi & presbyteri, quibus claves regni cælorum traditæ sunt, sic nec judicia alii usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, & presbyter non fuerit præsens; diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam communionem.) Hoc forte capiendus est locus ex concilio VIII. Œcumenico Actione 9. ubi Theodorus quidam testis falsus adversus sanctissimum patriarcham Ignatium, interrogatus est an de hoc scelere confessus epitimium suscepisset, & an *sacerdos esset* ille cui confessus fuerat; quæ interrogatio supponit non semper presbyteris declaratam esse confessionem. Nec hanc primorum dumtaxat Ecclesiæ sæculorum praxim extitisse existimandum est: nam & eam subsecutis communem fuisse probant varia conciliorum episcoporumque decreta. Concilium Eboracense anni 1194. [Decernimus, inquit, ut non nisi summa & urgenti necessitate diaconus baptizet, & Corpus Christi cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat.] Concilium Londinense anno 1200. celebratum cap. 3. (Non liceat diaconibus baptizare, vel pœnitentias dare, nisi duplici necessitate; videlicet quia sacerdos non potest, vel absens, vel stulte non vult, & mors imminet puero vel ægro.) Constitutiones Odonis Parisiensis episcopi cap. 56. (Prohibemus districte ne diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi arctissima necessitate. Claves enim non habent, nec possunt absolvere.) Inquisitiones in episcopatu Lincolniensi anno 1233. ab archidiaconis faciendæ articulo 22. (An diaconi ministrent sacramenta solis sacerdotibus commissa, vel audiant confessiones.) Concilium Wigorniense anni 1240. cap. 26. (Diaconi quandoque confessiones audiunt, & alia tractant sacramenta, quæ solis sacerdotibus sunt commissa; quod ne de cetero fiat, districtius inhibemus.) Constitutiones Walteri episcopi Dunelmiensis: (Et quia solis sacerdotibus est potestas ligandi & solvendi commissa: prohibemus ne diaconi confessiones audiant aut admittant, pœnitentias injungant, quævis sacramenta dispensent, quæ a solis sacerdotibus ministrantur, nisi necessitas urgeat, aut compellat, ut in casu mortis per absentiam sacerdotis) Synodus Pictaviensis anni 1280. cap. 5. (Abusum erroneum, qui in nostra diœcesi ex perniciosa ignorantia inolevit, eradicari volentes, inhibemus, ne diaconi confessiones audiant, & ne in foro pœnitentiali absolvant,) &c. Statuta Synodalia ecclesiæ Meldensis cap. 77. (Prohibetur districte ne diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate. Claves enim non habent, nec absolvere possunt.) His omnibus luce meridiana clarius constat, diaconos ad usque finem sæculi XIII. confessiones penitentium, absentibus presbyteris, urgenteque necessitate, excepisse: immo citra necessitatem id attentasse; qua de re præter Wigorniensem & Pictaviensem synodos hic citatas, queritur Guillelmus Majoris Andegavensis episcopus in synodo anni 1273. Spicilegii tom. XI. Quin etiam non diaconis solum sed & quibusvis aliis clericis occulta saltem peccata confessa fuisse non obscure docet Lanfrancus in Libello de celanda Confessione. (In hoc cognoscimus, inquit, quia de occultis omni ecclesiastico ordini confiteri debemus: de apertis vero solis sacerdotibus, per quos Ecclesia quæ publice novit, & solvit, & ligat.)

Ipsi etiam laici.

VIII. Verum, quod forte mirabitur nonnemo, id ipsum a laicis fieri posse docent non vulgares Theologi: Magister sententiarum lib. 4. dist. 17. Petrus Cantor in Summa de Sacramentis, Albertus Magnus in 4. dist. 17. art. 5. Alexander Alensis quarta parte Summæ q. 19. membro 1. art. 1. S. Bonaventura in 4. dist. 17. p. 3. dub. 1. & art. 1. q. 1. S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiuncula 2. quibus addo anonymum quemdam in Tractatu Theologico ms. Majoris monasterii ab annis circiter 400. exarato, concilium Nemausense anni 1282. & ms. Statuta Eliæ episcopi Uticensis. Ipsum etiam Lanfrancum, qui postquam dixit occulta peccata cuilibet ecclesiastico ordini confitenda, addit: (Sin nec in ordinibus ecclesiasticis cui confitearis invenis; vir mundus ubicumque sit requiratur.) His accedat praxis, quam videre est in chronico Saxonico ms. in quo ad annum 1015. Ernestus Alemannorum dux casu in venatione vulneratus, (mortem sibi imminere videns, socios vocat, & reo parcere supplicat; & quia presbyter, cui sua peccata confiteretur, non erat, unum de militibus ejus vice accedere jussit) &c. Apud Odonem Portam lib. 6. de varia Ernesti Ducis Bavariæ fortuna, tom. 3. Anecdotorum, ubi relata ejusdem Ernesti ad socios de vita periclitantes oratione, hæc subdit:

(Alter in alterius aurem commissa loquuntur,
Et facies cædunt conscissis vestibus.) &c.

Apud Hermanum in lib. 2. de miraculis S. Mariæ Laudunensis cap. 4. (Peccata invicem confitemur, & quia mors jam ad januam adesse videtur, non expectatur presbyter ad suscipiendam confessionem, sed etiam ipse presbyter rerum imminentium periculo perturbatus confitetur laico.] Apud Ordericum Vitalem lib. 7. Historiæ, ubi ad annum 1085. Richerius de Aquila in bello vulneratus (peccata sua sodalibus suis confessus) legitur, & antequam adduci posset in urbem mortuus. Et apud Cæsarium monachum in Dial. dist. 3. cap. 21. ubi de peregrinis quibusdam ad succurrendum terræ sanctæ transfretantibus narrat, quod exorta in mari tempestate, (videntes ante oculos mortem, cœperunt unusquisque sibi vicino de peccatis suis facere confessionem.) Simile est illud quod legitur in Vita S. Ludovici auctore Jonvillio, in cujus capite 45. refert quod profligato a Sarracenis exercitu, & hoste imminente, qui sacerdotes nancisci potuerunt, iis confessi sunt: sibi vero Guido de Belino magister equitum regni Cypri, peccata confessus est, cui juxta potestatem suam absolutionem impertitus est. Et in Chronico Ferdinandi regis Castellæ & Legionis cap. 7. apud Bollandum 30. Maji legimus quod milites Hispani sub duce Alvaro Perez cum Mauris pugnam inituri; [Quotquot habebant copiam sacerdotum, confitebantur eis peccata sua: alii vero *mutuas* excipiebant confessiones.) Ludovicus etiam comes Leodiensis in extremis constitutus, Christianam virginem accersivit, ante cujus pedes prostratus, (ei omnia peccata sua cum maximis lacrymis recitavit,) ut refert Thomas Cantipratensis lib. 2. de Apibus cap. 53. n. 23. [Et hoc quidem, addit idem auctor non pro indulgentia quam dare non potuit; sed ut magis ad orandum pro se tali piaculo moveretur.] Unde hæc exempla nulla ratione favent hæresi Flagelliferorum qui spreto sacerdotum tribunali, laicis confitebantur, & ab eis absolvebantur, ut videre est in lib. 3. de Gestis Baldewini de Luczenburch. cap. 9. Miscellaneorum Baluz. tom. 1.

Abbatissæ.

IX. Ex dictis hactenus mirum videri non potest abbatissas aliquando monialium sibi subditarum confessiones excepisse, ut videre est in Vita S. Burgondofaræ cap. 10. & 13. Sæculo II. Benedictino. Id quod ter in die fieri præscribit Regula S. Donati cap. 23. & Regula cujusdem ad Virgines cap. 6. Quamquam hac in re plusculum sibi tribuisse videantur abbatissæ; adeo ut earum temeritatem reprimere necesse fuerit: unde in lib. 1. Capitularium regum Francorum cap. 76. lego: (Auditum est aliquas abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones *& manus impositiones*, signacula super capita virorum dare, nec non & velare virgines cum benedictione sacerdotali, quod omnino a vobis, sanctissimi Patres, in vestris parochiis illis interdicendum esse scitote:) manus enim impositio aliud nihil significare videtur, quam confessionem. At hoc scrupulo non movebatur Marcus Patriarcha Alexandrinus, qui lib. 5. Juris Orientalis Inter. 34. Balzamonem sciscitatur, an cum abbatissæ petunt ab episcopo potestatem audiendi confessiones sanctimonialium, concedenda sit illis facultas. Cui negative respondet Balzamon. Sanctus tamen Basilius in Regulis brevioribus Interrogatione 199. permittit abbatissæ una cum presbytero confessiones sororum audire.

Confessio pluribus simul sacerdotibus facta.

X. Antequam extremam huic articulo manum imponam, nonnulla hic referre juvat exempla confessionis pluribus sacerdotibus simul factæ. Insigne nobis suppeditat Ditmarus episcopus Mersepurgensis in Chronici libro 3. ubi de Ottone II. imperatore sermonem habens, (ut extrema, inquit, sensit adesse.... facta latialiter confessione coram Apostolico, cæterisque episcopis, atque presbyteris, acceptaque ab eis optata remissione, VII. Idus Decembris ex hac luce subtractus est.] Et lib. 6. narrat Sigifridum abbatem & Ericum præsulem Taginonis archiepiscopi confessionem excepisse. Idem nos docent Acta S. Theodardi sive Audardi Narbonensis episcopi apud Bollandum 1. Maji, qui cum in S. Martini monasterium in agro Cerucensi devenisset, [& ibi nimia vi febrium gravatus decumberet; & jamjamque sui obitus diem non longe abesse mente perspiceret, vocavit ad se ejusdem cœnobii abbatem, & qui sub ejus cura degebant reliquos omnes sacerdotes monastico utentes officio, & confessionis suæ professionem eorum quæ patraverat delictorum, non enim est homo super terram qui faciat bonum & non peccet, evidenter cum luctu, & gemitu, magna cum cordis contritione, nec non suspiriis exposuit.) Acta S. Vitalis abbatis Siculi apud Bollandum 9. Martii testantur Basilium quemdam in civitate Bario principatum gerentem, advocatis ad se Hilario & Leontio sanctissimis viris, Hilario primum (peccata confiteri, & ab eo pœnitentiæ tempus recipere) voluisse; id quod ille solus facere recusavit, nisi confessioni interesset & Leontius. (S. Anno Coloniensis archiepiscopus quarta ante decessum suum hebdomada, Erphonem Sigebergensem abbatem, quem pro canitie veneranda patrem semper appellabat, aliorumque monasteriorum patres & fratres non minus duodecim juxta se assidere voluit, & cordis oculis perlustrare omnem vitæ suæ decursum confessione publica se reum, se peccatorem proclamabat,) uti legimus in ejus Vita lib. 3. c. 8. apud Surium 4. Decembris. Benno Osnabrugensis episcopus lecto decumbens, Iburgensi (abbate accersito cum fratribus, tam illi quam omnibus qui aderant peccatorum confessionem publice faciens) describitur in ejus Vita scripta a Norberto abbate Iburgensi c. 36. De Petro Lemovicensi abbate S. Martialis ita scribit Gaufridus prior Vosiensis in Chronico cap. 69. (omnia sacramenta Petrus abbas legitime percepit & excepit. Excessus suos coram episcopo Geraldo, abbate sancti Martini Petro, Amelio tunc fratre de Bonæqua quondam Vosiensi, & septem monachis cum contritione cordis memoriter confessus est.) Guillelmus II. rex Angliæ ægritudine correptus (sacerdotes Domini advocavit spiritualibus archiatris animæ suæ ulcera confessione denudavit [teste Orderico Vitali lib. 8. Hist. Eccl. Henricus I. etiam Anglorum rex lethali morbo decumbens (prius capellanis suis reatus suos confessus) dicitur in lib. 13. Historiæ Ecclesiasticæ ejusdem Orderici Vitalis. (Anno ab Incarnatione Domini MCXX. Indictione XIII. mense Majo IV. Cal. Junii cum Petrus Camiliaci Dominus infirmitate, qua & mortuus est, graviter ægrotaret, venit ad eum Rainaldus S. Petri Camiliacensis tunc prior gratia visitandi; cumque tam ei quam pluribus aliis sacerdotibus confessus fuisset &c.) quæ videre est in carta prioratus Camiliaci ad Majus monast. spectantis. S. Gerlacus Eremita qui circa annum 1170. florebat, *Domino apostolico & cardinalibus* confessus fuisse narratur in ejus Vita apud Bollandum 5. Januarii. Hugo Conventrensis episcopus, qui anno 1198. diem clausit extremum, (cum ingravescente ægritudine mortem sibi vicinam cognovisset, fecit accersiri viros religiosos totius Normanniæ, quos habere poterat abbates & priores & audientibus cunctis, voce clamosa confessus est pure & maxima cordis contritione ac lacrymarum jugiter effusione omnia peccata, & scelera, & enormitates omnes, quæ suæ memoriæ occurrebant.) Cui assistentes prælati in pœnitentiam confessorum peccatorum injunxere, ut ad usque extremi judicii diem in purgatorii cruciatibus permaneret, uti scribit Matthæus Paris. in Hist. Angl. Idem auctor ad annum 1196. narrat de quodam monacho monasterii Evesham, quod duobus sacerdotibus uni post alterum peccata sua exposuerit. Richardus Angliæ rex, si Nicolao Triveto in Chronico ad annum 1199. Spicilegii tom. 8. credimus, (incipiens

incipiens periclitari, tres Ordinis Cisterciensis accersisse fertur abbates, quibus omnia peccata sua confessus est cum singultu & fletu.) Philippus Namurcensis comes, teste Cæsario monacho in Dial. dist. 2. cap. 16. *quatuor abbatibus* Cisterciensis Ordinis *simul & sæpe confessionem facere* consueverat. Idem auctor dist. 3. cap. 33. narrat Notarium quemdam Curiæ Romanæ confiteri noluisse sacerdoti, nisi præsente Simone Aluensis monasterii converso. His addo Ottonem IV. imperatorem qui paulo ante mortem abbati de *Velkenrede*, & ceteris sacerdotibus qui circa novem erant confessus est, & ab eis pœnitentiam postulavit & accepit: Ex Narratione de ipsius morte tom. 3. Anecdotorum nostrorum. Plura his adjecta exempla supersedeo, unum hic dumtaxat observabo: quod sicut pluribus confessionem sacerdotibus fieri quandoque contingebat: ita plures pronunciabant reconciliationis formulas. Illustre hujus consuetudinis exemplum nobis suggerit Vita Ludovici pii imperatoris apud Chesnium tom. 2. Hist. Francorum, in qua prædictus Augustus Dominica prima quadragesimæ, intra missarum sollemnia, e septem archiepiscopis, septem reconciliationis ecclesiasticæ orationes super eum concinentibus, in Metensi civitate a pœnitentia est absolutus. Idem beneficium jam in Monasterio S. Dionysii consecutus erat, id quod observationem nostram superiori articulo confirmat, aliquando scilicet reconciliationem per plures dies repetitam fuisse. Et de pœnitentia satis, quæ utinam intimas cordis nostri medullas penetrare queat.

ARTICULUS VII.

In quo varii ad dandam pœnitentiam reconciliandosque pœnitentes ordines referuntur.

VArios de pœnitentia rituales libros, tam ex editis, quam ex mss. codicibus, publici juris fecit Johannes Morinus, in Appendice ad eruditum volumen, quod de Pœnitentia conscripsit. Horum maximam partem sive in iisdem libris, sive in similibus, & æque antiquis mss. ipsi perspeximus, a quibus referendis, cum apud ipsum videri queant, supersedendum rati; alios non contemnendos, quos aut ille ignoravit, aut prætermisit, hic damus.

ORDO I.

Ex venerandæ antiquitatis libro Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi litteris Saxonicis scripto.

ORATIONES ET PRECES SUPER POENITENTEM CONFITENTEM PECCATA SUA MORE SOLITO FERIA QUARTA INFRA QUINQUAGESIMAM.

EXaudi, Domine, preces nostras, & tibi confitentium parce peccatis: ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per Dominum.

Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio. Sana vulnera, ejusque remitte peccata: ut nullis a te iniquitatibus separatus, tibi Domino semper valeat adhærere. Per.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris; respice, quæsumus, ad hunc famulum tuum, qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est ablutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo, Domine, hoc, ut tibi pœnitentiæ excubias celebret; & correctis actibus suis conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur. Per.

ORATIO AD RECONCILIANDUM POENITENTEM.

Feria V. in cœna Domini.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris, & me qui etiam misericordia tua primus indigeo clementer exaudi: & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi; & ipse in nostro ministerio quod tuæ pietatis est, operare. Per.

Præsta, quæsumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum: ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarat peccando, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per.

Deus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum, unici Filii tui sanguine redemisti, vivifica hunc famulum, quem tibi nullatenus mori desideras, & qui non derelinquis devium, adsume correctum. Moveant pietatem tuam, quæsumus Domine, hujus famuli tui lacrymosa suspiria; tu ejus medere vulneribus: tu jacenti manum porrige salutarem; ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundimus, tu parce confitenti ut sic in hac mortalitate peccata sua te adjuvante defleat, qualiter in tremendi judicii die sententiam damnationis æternæ evadat; & nesciat quod terret in tenebris, quod stridet in flammis; atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ, nequaquam ultra vulneribus sauciatur; sed integrum sit ei atque perpetuum & quod gratia tua contulit, & quod misericordia reformavit. Per.

Oratio super pœnitentem.

Da nobis, Domine, ut sicut publicani precibus & confessione placatus es; ita & huic famulo tuo ill. placare, Domine; & precibus ejus benignus aspira; ut in confessione flebili permanenti & petitione perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus & sacramentis restitutus, rursus cælestis gloriæ mancipetur. Per.

Hic levas eos de pavimento his verbis dicendo, canaturque antiphona:

Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris; sed ut magis convertatur & vivat. *Psal.* Miserere mei Deus.

Absolvimus vobis vicem beati Petri apostolorum principis, cui Dominus potestatem ligandi atque solvendi dedit; sed quantum ad vos pertinet accusatio, & ad nos pertinet remissio, sit Deus omnipotens vita & salus omnibus peccatis vestris indultor. Per eum qui cum eo vivit. Amen.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum, Filium tuum Dominum nostrum, vulnera nostra curare dignatus es; te supplices rogamus & petimus nos humiles tui sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, atque ad pœnitentis confessionem movearis, remittasque omnia crimina & peccata universa condones, desque huic famulo tuo Domine N. pro suppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam, ut qui ad tantam spem cælestis apicis devolutus est, & de tua misericordia confidens, ad bona pacis præmii tui, atque ad cælestia pervenire mereatur & ad vitam æternam. Amen.

ORDO II.

Ex ms. Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis, cujus caracter annos circiter nongentos refert.

INCIPIT QUALITER SUSCIPERE DEBEANT POENITENTES EPISCOPI VEL PRESBYTERI.

QUotiescumque Christiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia damus: & nos communicare cum eis debemus jejuniis unam aut duas septimanas, aut quantum possumus; ut non dicatur nobis, quod Judæorum sacerdotibus dictum est a Domino Salvatore; Væ vobis legisperitis, qui adgravatis homines, & imponitis super humeros eorum onera gravia; ipsi autem uno digito vestro non tangitis sarcinas ipsas. *Nemo autem potest sublevare cadentem sub pondere, nisi inclinaverit se, ut porrigat manum: neque ullus medicorum vulnera infirmantium potest curare, nisi fœtoribus particeps fuerit: Ita quoque nullus sacerdotum vel pontifex peccatorum vulnera curare potest, aut animabus peccata auferre, nisi præstante sollicitudine & oratione lacrymarum. Necesse est ergo nobis, fratres carissimi, sollicitos esse pro peccantibus, quia sumus alterutrum membra. Ideoque & nos si viderimus aliquem in peccatis jacentem, festinemus eum ad pœnitentiam per nostram doctrinam vocare: & quotiescumque dederis consilium peccanti, simulque da illi pœnitentiam statim, quantum debeat jejunare, & redimere peccata sua, ne forte obliviscaris, quantum eum oporteat pro suis peccatis jejunare, tibique necesse sit, ut iterum exquiras ab eo peccata. Ille autem forsitan erubescetus iterum peccata sua confiteri, & invenietur jam amplius judicari. Non enim omnes clerici hanc scripturam usur-*

usurpare aut legere debent qui inveniunt eam, nisi soli illi, quibus necesse est, hoc est presbyteri. Sicut enim sacrificium afferre non debent, nisi episcopi & presbyteri, quibus claves regni cœlorum traditæ sunt: sic nec judicia ista alii usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, & presbyter non fuerit præsens; suscipiat diaconus ad sanctam communionem. Sicut ergo superius diximus humiliare se debent episcopi sive presbyteri, & cum tristitia, gemitu, lacrymisque orare, non solum pro suis delictis, sed etiam pro christianorum omnium, ut possint cum beato dicere Paulo: Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non uror? *Cum ergo venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua; mandet ei sacerdos, ut expectet modicum, donec intret in cubiculum suum ad orationem. Si autem cubiculum non habuerit, tamen sacerdos dicat hanc orationem.*

Domine, Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, & me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad adorandum & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque, Dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui non vis mortem peccatorum; sed ut convertantur & vivant: suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Videns autem ille, qui ad pœnitentiam venit, sacerdotem tristem & lacrymantem pro suis facinoribus, magis ipse timore Dei percussus amplius tristatur, & exhorrescet peccata sua. Et unumquemque hominem accedentem ad pœnitentiam si videris acriter & assidue stare in pœnitentia, statim suscipe eum. Qui vero potest jejunare quod impositum est ei; noli prohibere, sed permitte. Magis enim laudandi sunt hi, qui celeriter debitum pondus persolvere festinant; quia jejunium debitum est. Et sic date mandatum his qui pœnitentiam agunt: quia si jejunaverit & compleverit quod illi mandatum est a sacerdote, verum etiam postquam compleverit ea quæ illi jussa sunt, debet quantum ipsi visum fuerit; jejunare sive tetradas, sive parasceves. Si enim egerit ea quæ illi sacerdos præceperit, peccata ejus remittentur: Si vero postea ex sua voluntate jejunaverit pro peccatis, sabbata & Dominica die manducet & bibat quicquid aptum fuerit. Custodiat tamen se a crapula vel ebrietate; quia omnis luxuria de ebrietate nascitur. Ideo B. Paulus prohibuit dicens: Noli inebriari vino, in quo est luxuria. *Non quia in vino est luxuria, sed in ebrietate.*

EXPLICIT PROLOGUS.

SI quis forte non potuerit jejunare, & habet unde dare ad redimendum; si dives fuerit, pro septem hebdomadibus det solidos XX. Si autem non habuerit tantum unde dare; det solidos decem. Si autem multum pauper fuerit; det solidos tres. Neminem vero conturbet, quia jussimus viginti solidos dare aut minus; quia si dives fuerit, facilius est illi dare solidos XX. quam pauperi solidos tres. Sed unusquisque attendat, cui dare debet, sive pro redemtione captivorum, sive super sancto altari, sive pauperibus erogandum. Et hoc scitote, fratres, ut dum venerint ad vos servi vel ancillæ quærentes pœnitentiam, non eos gravetis, neque cogatis tantum jejunare, quantum divites; quia non sunt in sua potestate; ideoque medietatem pœnitentiæ imponite.

INCIPIT RATIO AD DANDAM PONITENTIAM.

I*N primis dicit psalmum XXXVII. totum*, Domine ne in furore tuo arguas me: *Et postea dicit:*

Oremus.

Exaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Et dicat psalmum CII. Benedic anima mea Domino, *usque* renovabitur sicut aquilæ juventus mea. *Et dicit:*

Oremus.

Adsit, quæsumus Domine, huic famulo tuo inspiratio gratiæ salutaris, quæ cor ejus fletuum ubertate resolvat, sicque macerando conficiat; ut iracundiæ tuæ motus idonea satisfactione compescat. Per.

Et dicit psalmum L. Miserere mei Deus *usque* & omnes iniquitates meas dele: *Et dicit:*

Oremus.

Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Post hæc dicit psalmum: Deus in nomine tuo, *& dicit:*

Oremus.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio. Sana vulnera, ejusque remitte peccata: ut nullis a te iniquitatibus separatus, tibi Domino semper valeat adhærere. Per.

Et dicit psalmum LI. Quid gloriaris in malitia *usque* videbunt justi & timebunt, *& dicit:*

Oremus.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris; sed satisfactione placaris, respice, quæsumus, ad hunc famulum, qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est ablutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo, Domine, hoc, ut tibi pœnitentiæ excubias celebret; & correctis actibus suis conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur. Per.

Et si in gravibus delictis præoccupatus fuerit, expelli debet ab ecclesia. Canis ℟. In sudore vultus tui. *Et prosternat se ante januam ecclesiæ. Tunc orent pro eo.* Pater noster. Miserere mei, Deus, quoniam infirmus sum, & anima mea turbata est valde. Convertere, Domine, & eripe animam meam. Domine, vide humilitatem meam & laborem meum. Inlustra faciem tuam super servum tuum. Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. *Et dicit:*

Oremus.

Deus, cujus indulgentiæ nemo non indiget, memento, Domine, famulo tuo ill. & qui lubrica terræque corporis fragilitate nudatus; quæsumus, ut des veniam confitenti, parce supplici, ut qui nostris meritis accusamur, tua miseratione salvemur. Per.

Alia oratio.

Deus sub cujus oculis omne cor trepidat, omnesque conscientiæ contremiscunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus, & sicut nemo nostrum liber est e culpa; ita nemo sit alienus a venia. Per.

Item alia oratio.

Deus infinitæ misericordiæ, veritatisque immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, & omnibus animarum nostrarum medere languoribus, ut miserationum tuarum remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur. Per.

Alia oratio.

Da quæsumus huic famulo tuo continuam purgationis suæ observantiam pœnitendo gerere; & ut hoc efficaciter implere valeat; gratia eum tuæ visitationis præveniat. Per Dominum. Amen.

Ad reconciliandos pœnitentes feria V. in Cœna Domini.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris; & me, qui etiam misericordiæ tuæ primus indigeo, clementer exaudi; Et quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis tui ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Per Dominum.

Alia.

Præsta quæsumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut ecclesiæ tuæ sanctæ, e cujus integritate deviarat peccando, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per.

Alia.

(*a*) Absolvimus vos vice B. Petri apostolorum principis, cui Dominus ligandi atque solvendi potestatem dedit, & quantum ad vos pertinet accusatio & ad nos remissio. Sit vobis Deus omnipotens vita & salus, & omnium peccatorum vestrorum indultor: & qui vobis compunctionem cordis dedit, det veniam peccatorum, longævamque vobis atque felicem vitam in hoc sæculo largiatur, & in futuro cum Christo & omnibus Sanctis ejus in fine manentem. Per eumdem Dominum nostrum.

Item

(*a*) Quæ sequuntur ad finem usque reperiuntur in ms. Pontificali Anglicano ecclesiæ Rotomagensis annorum circiter 900. cum hac inscriptione: *Incipit absolutio dicenda ab episcopo super conversum & pœnitentem, qui conversus prosternatur coram altare, & decantet psalmum quinquagesimum. Si autem est idiota, ex intimo corde crebro dicat:* Deus miserere mihi peccatori servo tuo. *Et faciat episcopus litanias super eum, & hæ sequantur orationes.*

Item alia.

Domine ſancte, Patat omnipotens, æterne Deus, qui vulnera noſtra curare dignatus es, te ſupplices rogamus & petimus, nos humiles tui ſacerdotes, ut precibus noſtris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, atque ad pęnitentis confeſſionem movearis, remittaſque omnia crimina, & peccata univerſa condones, deſque huic famulo tuo pro ſuppliciis veniam, pro mȩrore lætitiam, pro morte vitam: ut qui ad tantam ſpem cæleſtis apicis devolutus eſt, & de tua miſericordia confidens ad bona paciſeri præmii tui, atque ad cæleſtia dona pervanire mareatur. Par.

Alia.

Exaudi nos, Domine, & ſicut publicani precibus & confeſſione placatus es: ita & huic famulo tuo N. placare & precibus ajus benignus aſpira, ut in confeſſione flebili permanens, & petitione perpetea clementiam tuam celeriter exoret, ſanctiſque altaribus & ſactamentis teſtitutus, surſus cæleſti gloriæ mancipetur. Per.

Alia.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pęnitantium deles, & præteritorum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum, & remiſſionem omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi; renova in eo, piiſſime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, val quicquid diabolica fraude violatum eſt, & in unitate corporis eccleſiæ tuæ perfecta remiſſione reſtitue, Miſerere, Domine, gemituum, miſerere lacrymarum, & non habentam fiduciam niſi in tua miſericordia, ad ſacramentum reconciliationis admitte. Per.

Alia.

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur; ut huic famulo tuo longo ſquallore pęnitentiæ macerato miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ajectus fuerat, mereatur introire. Per.

Alia.

Præveniat hunc famulum tuum, quæſumus Domine, miſaricordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Alia.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo clamantiæ tuæ longinqua miſeratio. Sana eulnera, ejuſque remitte peccata: ut nullis a te iniquitatibus ſeparatus, tibi Domino ſemper ealeat adhærere. Per.

Alia.

Domine, Deus noſter, qui offenſione noſtra non einceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice quæſumus ad hunc famulum tuum, qui ſe tibi peccaſſe graviter confitetur. Tuum eſt * ablutionem criminum dare, & eeniam præſtare pec antibus, qui dixiſti pęnitentiam te malle peccatorum quam mortem. Concede ergo Domine, hoc, ut tibi pęnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus ſuis conferri ſibi a te ſempiterna gaudia lætatur. Per.

Alia.

Precor, Domine, clementiam tuæ majeſtatis ac nominis; ut huic famulo tuo peccata & facinora ſua confitenti veniam dare, & prætaritorum debita relaxare dignaris; qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas; qui publicani precibus val confeſſione placatus es. Tu etiam, Domine, & huic famulo tuo placare, tu ejus precibus benignus aſſiſte, ut in confeſſione flebili permanens, clementiam tuam celeriter exoret; & ſanctis altaribus reſtituaus, ſpei rurſus, & cæleſti gloriæ reformetur. Par.

Alia.

Deus humani generis benigniſſime conditor & miſericordiſſime formator, qui in conciliationem lapſorum, etiam me qui miſericordiam tuam primus indigeo, ſervire effectibus gratiæ tuæ per ſacerdotale miniſterium voluiſti; ut ceſſante merito ſupplicis, mirabilior fieret indulgentia remittentis. Daus qui juſtitiæ tuæ lages miſericordiæ ſemper multiplicatione moderaris; dum delinquentibus pęnitentiam adhibes, dum etiam malis providentiæ tuæ dona ſubtrahis, & vindictam miſerendo ſuſpendis. Deus qui hominem incidia diaboli ab æternitate dejactum unici Filii tui ſanguine redemiſti, vivifica quos mori non vis & quos non relinquis devios, aſſume correctos. Moveat pietatem tuam fletus ipſe miſerorum; tuorum medere ** vulneribus. Tu benignam jacentibus manum porrige; ne eccleſia tua ſui corporis portione privata temeretur, ne grex tuus detrimantum ſuſtineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatas lavactis ſalutaribus animas mors ſecunda poſſideat. Tibi igitur humiliamur omnes, tibi ſupplices fundimus preces, tibi fletum cordis offerimus. Tu parce confeſſis & imminentes pœnas futurique judicii ſententiam te miſarante non incidant. Neſciant quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis: & ab errorum via ad iter juſtitiæ jam reverſi, nequaquam ultra novis eulneribus ſaucientur. Propitiare ergo trementibus ſub ſententiæ tuæ expectatione ſupplicibus; & ad humilitatem jacentium ſublevandam dexteram ſalutis extende, nobiſque ſervis tuis, quos apoſtolicæ clavis ſacerdotalis officii miniſtros non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti. Da fiduciam tanti muneris exſequendi, & ipſe in noſtro miniſterio quod tuæ eſt poteſtatis operare. Agnoſce, piiſſime Pater, ovas tuæ redemptionis, & conſtrictos vinculis peccatorum eccleſiæ tuæ precibus exoratus abſolve. Redeant ad unitatem familiæ tuæ, & poſt illam ditam inopis exilii famem redditos, ſplendidæ veſtis ornatu gaudeant, ſe paterno receptos eſſe convivio. Nihil de honore adoptionis, nihil de hæreditatis ſorte perdant: ſed integrum ſit eis atque perpetuum quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per Dominum. (a)

Alia.

Domine, Daus omnipotens, Rex regum, & Dominus dominantium, æterna Pontifex, & ſanctorum miniſtar, ac veri tabernaculi ſacerdos, qui ſanctum atque immaculatum agnum proprii corporis hoſtiam dediſti pro peccatis noſtris, & nunc ſedes ad dexteram Patris, ſemper vivens; & interpellans pro delictis noſtris, Jeſu Chriſte, clemens & miſericors, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium dales, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas. Reſpice, quæſumus ſuper hunc famulum tuum, & remiſſionem ei omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem depracatus exaudi. Renova in ao, piiſſime Patar, quicquid terrana fragilitas corrupit, quicquid diabolica fraus violavit redintegra; & quod in eo aut negligentia polluit aut ira commiſit, aut ebrietas ſtimulavit, aut libido ſubvertit, totum eenia miſericordiſſimæ lenitatis abſterge; ut qui per ſe proclivus fuit ad labendum, per te ſempee muniatur ad ſtandum; & qui per ſe pronus foit ad offenſam, per te ſemper reparetur ad veniam, nec de damno Eccleſiæ tuæ gaudeat inimicus, ua agnum pretioſo ſanguine redemptum a caulis ecclaſiæ rapiat crudelis lupus; ſed magis diſcedat confuſus, dum eiderit hunc famulum tuum corporis Ecclaſiæ membrum perfectum, gratia tua plenam remiſſionem conſecutum. Miſerere igitur, Domine, illius gemituum, miſerere lacrymarum. Tu enim, mitiſſime, dignatus es dicere: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Et iterum: quacumque hora converſus fuerit peccator; omnia peccata ejus in oblivione aruut. Nam ſi iniquitates obſervaveris, Domine; nullus mortalium poterit eſſe ſalvus. Nemo enim coram te juſto judice juſtificabitur, niſi per te remiſſio ei omnium tribuatur. Et quidem tu ipſa, Saleator; per quem facta ſunt omnia, in Patra manens, cum Spiritu-ſancto ab utroque procedente, noſti quæ ſit conditio humana, quæ ſit fragilitas terrena. Parce igitur, Redamptor mundi huic famulo tuo, & toto corde peccata confitenti, & tibi, cujus miſeratio nullum habet finem, ſuppliciter convartenti: ſana illius vulnera, relaxa facinora, & delictorum catenas abſolve. Quicquid in eo alienum eſt mortifica: quicquid tuum eſt vivifica & conſerva, & quia tu ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, cor mundum in eo recreans, ſpiritum rectum innova in viſceribus illius, ut ille deinceps vivens in te, ſine quo nihil valet mortalis infirmitas, omnes actus illius in beneplacito tuo dirigantur: quatenus ad tremendum judicium tuum liber & ſecurus ab omnibus accuſationibus inimici pervenire mereatur. Per te Jeſu Chriſte, qui cum Patre & Spiritu-ſancto.

Tunc leves eum de pavimento, & dicas antiphonam: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & eivat. *Pſal.* Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam.

Item alia abſolutio.

Deus innocentiæ reſtitutor & amator, qui quondam nobis dixiſti per prophetam: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat. Et in alio loco: In quacumque die converſus fuerit homo peccator; vita vivat, & non morietur; & qui ſecundum Pſalmiſtam, cor contritum & humiliatum non ſpernis; ſed pro his contribulatos exaudis: te ſubnixis & humillimis exorantes precibus deprecamur, & ut huic famulo tuo quam a terreni ſorde pulveris erigimus, manum miſari-

* *Al.* abſolutionam.

** *Al.* languoribus.

(a) Codex Rotomagenſis iſtam hia apponit rubricam: *Hic erigatur de ſolo apprehenſus manu epiſcopi per dextram, & inclinetur coram epiſcopo.* Sequentem vero orationam & ultimam epiſcopi abſolutionem prætermittit.

cordiæ tuæ porrigas, eumque ab omnium sordibus peccatorum mundum & detersum conserves. Nam nostra hoc in Ecclesia resonant præconia, quod B. apostolo & principi apostolatus nostri pontificium ligandi atque solvendi tradidisti, nosque tu dignissimus licet indignissimos per suos sequaces tuæque verissimæ veritatis præcones in tui gregis custodiam ejusdem ligaminis contra tuos adversarios adstrictores, & erga conversos euectores posuisti. Proinde te rogamus, Domine Deus noster, qui lapsis & prostratis totius mundi compaginibus veniendo succurrere dignatus es. Adesto officiis oris nostri; & quia sine tuæ auxilio pietatis frustrantur humanæ officia servitutis; vincula peccatorum famuli tui absolve, & præteritorum clustella criminum confringe, quatenus ex hoc ab omni gravedine peccatorum exoneratus, in ecclesiæ tuæ servitio mancipatus, antiqui insidiatoris laqueis evulsis, angelorum custodiis deputatus, perseverantia conversationis decoratus, tandemque ad cælestia regna evectus, te protegente, gratanter incedat. Per Dominum nostrum.

Item absolutio episcopi.

Ego immeritus & peccator episcopus hanc absolutionem manu, ore, corde, confirmans, omnipotentis Dei clementiam supplex imploro; ut ipse sua potestate & nostra deprecatione te dignetur absolvere a vinculis peccatorum tuorum, & ab omnibus quæcumque aut cogitatione, aut locutione, aut operatione negligenter egisti, atque misericorditer absolutum perducere dignetur ad regna cælorum. Amen.

ORDO III.

Ex ms. codice insignis ecclesiæ S. Gatiani Turonensis ante annos 8000. exarato.

INCIPIT ORDO QUALITER CONFITERI DEBET HOMO REATUM SUUM.

Interrogatio sacerdotis.

CRedis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum? ℞. Credo.

Interrogatio. Credis quia hæ tres personæ unus sit Deus? ℞. Credo.

Interrog. Credis quia in ipsa carne, in qua modo es, resurgere habes, & recipere sive bonum sive malum prout gessisti? ℞. Credo.

Interrog. Vis dimittere omnibus qui in te peccaverunt, ut & Deus dimittat tibi peccata tua, ipso docente, si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra?

Si vult dimittere, suscipe ejus confessionem; sin autem, noli suscipere.

CONFESSIO OMNIMODA PER QUAM CONFITERI POTEST PECCATOR PECCATA SUA DEO ET SACERDOTI SUO.

COnfiteor tibi, Domine, Pater cæli & terræ, coram hoc sancto altare tuo, & istius loci reliquiis, & coram hoc sacerdote tuo, omnia peccata mea quæcumque peccavi in cogitationibus, locutionibus, in voluntate, seu in opere, vel in consensu, & de omnibus peccatis quæ ego feci contra Dei voluntatem & legem christianam, & contra sanctos canones, & contra sanctam Regulam, & contra præcepta divina. Confiteor etiam omnia cordis & corporis mei vitia, odium, invidiam, superbiam, elationem, detractionem, falsitatem, perjurium, mendacium, verba risum moventia, iram, rixam, dissensionem, vanam gloriam, furta, maledicta, convitia, turpiloquia, scurrilitates, irrisiones, insultationes, dissimulationes, æmulationes, murmurationes, adulationes, tristitias, ebrietates, comessationes, adulteria, fornicationes, pollutiones, mollities, libidines, delectationes pessimas, vigilias Deo displicitas, & infinitas causas, incestus & venationes. Similiter voluntarie & delectabiliter peccavi in visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu, sive incessu. Caput meum quod supereminet omnibus membris meis, plus hominibus, quam tibi Creatori meo humiliavi, & cetera membra in omni malitia consentanea feci, capillos meos inepte composui, collum meum in carnali erexi superbia, aures meæ obtunsæ sunt malis loquelis, & surdæ ad omne bonum, faciem meam quæsivi hominibus apparere pulchram, supercilia mea superbe erexi & deposui, oculi mei omnem pene vanitatem & concupiscentias illicitas & Deo displicitas intuiti sunt, & eos superbe erexi. In naribus meis iniquos odores recepi, os meum nefando coinquinatum & pollutum est osculo, & verbis luxuriosis & otiosis mendaciisque. Guttur meum insatiabili ardet ingluvie, gulæ & ebrietati deditus sum, carnalibusque desideriis numquam satiatus, fauces meæ plus voluntarie diabolicos & mortiferos animæ cibos, quam Dei eloquia gustaverunt. Venter meus & viscera mea omni crapule ebrietate sunt distenta, renes mei lumbique mei illusione diabolica ac flamma libidinis turpissimo ardent desiderio. In femoribus & genitalibus membris impie & scelerate supra modum sum pollutus & coinquinatus. Brachia mea illecebrosis amplexibus jugiter præbui & pollui, manus meæ plenæ sunt sanguine, omnibusque sunt sordibus & luxuriis atque pollutionibus & immundiciis maculatæ, coinquinatæ, & pollutæ, semperque promtæ ad omne malum & tardæ ad omne opus bonum. Cubita mea & crura & genua plus inclinavi ad fornicationem, & luxuriam, & adulteria, & libidines, & pollutiones, quam ad orationem. Pedes mei ad currendum in malum semper veloces, & ad omne opus semper pigri. Latera mea malitiam luxuriæ perpetrare non formidant. Cor meum plenum est dolo & omni malitia, invidiaque, & ceteris perversis vitiis, numquam eum pura purgavi penitentia; sed semper diabolica illud pollui illusione, & vera non ablui confessione. Non enim hoc narrans & confitens, Domine Jesu Christe, tuam in me blasphemo creaturam, sed veram a te, clementissime Pater, exposco medicinam, quia me graviter vulneratum intelligo. Confiteor etiam quia supra modum in omnibus corporis mei membris Deo offensus sum, corpore animoque homicida occultus & jam nunc manifestus. Patrem meum, & matrem, ceterosque parentes meos, domesticos & extraneos, sive cum causa, sive sine causa maledixi, convitiavi, despexi, detraxi, eorumque necessitatibus ac miseriis adjuvavi, nec amavi, nec dilexi, nec visitavi, neque honoravi, nec ullum obsequium secundum præceptum Domini & voluntatem præbui, & omni familiæ domus meæ in omnibus peccatis exemplo male vivendi præfui, eosque fornicatores, ebriosos, adulteros, perjuros, fures & homicidas esse consensi, & eos nec per me, nec per alios, sicut potui & debui, correxi, & sicut Deus præcipit; sed in meis illorumque peccatis gaudebam, & dicebam eos bene facere & peccatum non esse. Filiolos meos & filiolas quos in baptismo Christi suscepi, & omnes mihi subjectos fidem sanctæ Trinitatis non docui, nec orationem dominicam, nec symbolum, nec bona opera, sicut Deus præcipit, & sicut Deo pro ipsis spopondi, meque facturum esse promisi. Multa quidem promisi, multa & mentitus sum. In diebus Dominicis, & Nativitate Domini, sive Pascha, & in aliis solemnitatibus sanctorum pollutus sum cum feminis & viris, fornicationes, & luxurias, adulteria, maledictaque, & convitia, & cantica inepta risusque plene perpetravi. Vomitum in diebus in quibus sanctum Corpus Christi recepi propter ebrietatem perfeci, & ad hæc peccata alios invitavi, & in hoc gaudebam, ridebam, lætabar, & exinde confessus non fui, & pœnitentiam non feci, hasque solemnitates his qui nesciebant non adnuntiavi, neque ego ipse custodivi; sed per nefanda joca, & peccata, criminaque, & scelera ipsas festivitates solemnitatesque pollui, & neglegens de ecclesia, & de Dei servitio, & de matutinis & missis & ceteris horis extiti, templumque corporis mei non Deo dicavi, sed peccatis subdidi. Decimas omnium bonorum meorum, sicut Deus præcipit, non reddidi; & si reddidi, invitus, & avaritia feci. Furtivum comedi, & comedentes & abscondentes consensi, & celavi, & perjuravi, manibus meis a me ipso & ab aliis semen virile excitavi, & cum viris extra naturam, & cum feminis naturaliter peccavi, & mecum alios peccare consensi, & meipsum & alios nefarie pollui, & pollutus & immundus ad sanctum mysterium & ad altare Domini accessi; & alia innumerabilia peccata, & crimina, sceleraque non solum perpetravi, sed etiam facientibus voluntarie gaudenterque consensi & exhortatus sum. Confiteor etiam quia cum pueris, & puellis, & virginibus, & vacuis feminis, & uxoribus proximorum, corpore meo proprio peccavi; & cum quibus non potui factis, intuitu, loquela, auditu, tactu, incessu, cogitatione, totaque voluntate peccare desideravi. Infirmos pro Dei amore non visitavi, sed propter corporum eorum debilitatem & deformitatem despexi, & videre nolui. Dolentes flentesque non consolavi. Hospites non propter Deum, sed propter sæculum suscepi. Nudos non propter Deum, sed propter eorum dilectionem vestivi. In carcere positos non propter Deum, sed propter ipsos & propter vanitatem visitavi. Esurientes & sitientes non propter Deum, sed propter sæculum refeci. Parentes meos om-

omnesque Christianos lutar se rixantas, & discordantes, seu irascentes, quos ad veram pacem perducera poteram, plus eos ad iram & discordiam, quam ad veram pacem revocavi. Mendacium indiscrata credidi; quod credere debui, non credidi; & quod credera non debui, credidi. Detractiones libenter audivi, aliosque libenter detraxi. Confiteor ergo quia multa mala contra voluntatam Dei & omnium sanctorum cogitavi, & verbis & operibus exercui & in ipsis peccatis cum parva cogitatione & malis operibus malaqua volnutate sina confessiona & pœnitentia multo tempora delectabilitar & secura vixi, jacui, & perseveravi; & si quando ex ipsia peccatis confessus fui; non secundum quod promisi, sed itarum in ipsis & in pejoribus cecidi. In ecclasia superbe, non cum Dei timore & ravarentia intravi, steti, sedi, jacui, perrexi, & ibi propter vanitatam plus quam propter divinum officium frequenter adveni. Adveniens varo pollutus accessi ad altara, & intra ecclesiam jacens, nefarie cum masculis, & feminis, sive cum me ipso solo peccavi; & scurrilitates, & turpiloquia, mendaciaqua, & varba risum movantia, perjuria, & detractiones, spurcitiasqua, & immunditias, & pollutiones exercui; & de his omnibus anta altare, seu retro altare, seu coram sancto Dei ibi requiascenta, cum aliis loquebar, & loquantes libenter audiebam, & quod Deo displicat oculis meis cernebam, & me nolle audire & videre dissimulabam. Turpia & inhonesta cantica, quæ Deo displicent, protuli, & ab aliis libentar audivi. Multa mala consilia cum mala cogitatione & mala voluntate consiliatus sum; & cui potui nocere, voluntarie nocui. Et quem potui adjuvare, non adjuvavi. Amore inlicito multos multasqua amavi, & eos osculando atque tangendo supra modum meipsum pollui. Per sanctum altara Domini, & per sanctorum raliquias, & per lignum sanctæ Crucis, & per quatuor avangalia, & per sanctorum corpora, & per limina ecclesiæ, & per alia multa sacramenta quæ recordari non possum, juravi & perjuravi voluntarie. Omnibus bonis hominibus & Deum timentibus inobediens fui, & malis consensi. Intra me ipsum corda & voluntarie, extra corpora & opera incontinens fui, & maipsum omnibus modis contra Dei voluntatem violavi, & aliis infidalis, molastus, & avarus, cupidus, rapax immitis, immansuetus fui. Cui dara debui, non dedi; & cui dara non debui, dedi. Iram arga proximos & notos, & amicos, & inimicos, contra præceptum Domini multo tempore in corde reservavi. Consecrata vasa, & vestimanta, librosque, siva omne Dei ministerium pollutus & indignus tatigi, & portavi, & claves sanctæ Dei ecclesiæ immundis manibus adtrectavi. Orationes meas propter immundas cogitationes & phantasma vitiorum negligentar oravi, & aainda postea sicut debui non curavi, sed per magnam ignaviam prætermisi. Invidia tactus casus proximorum & inimicorum meorum amavi, & dissimulabam tristari vultu, & gaudebam corda. Aurum, & argentum, & gemmas, & margaritas, & vestimenta, & luminaria, & alias res altaris abstuli & fraudavi; & ubi dare non debui, dadi; & ubi dare debueram, non dedi. Si autem aliquid justa de ecclesiæ rabus ad usus meosu ministtis mihi datum fuit; non sicut debui deservivi, sed negligens de Dei servitio & ecclesiæ astiti. Ante horas canonicas & post horas statutas manducavi, bibi, sedi, loquutus fui; & in multis, quæ Deo displicans, intentus fui; & quæ mala potui, feci; & quæ non potui, tota voluntate adimplere quæsivi. Horas vero institutas & psalmos tam pro vivis quam & pro dafunctis, propter nimiam edacitatem, & abriasatem, seu proprar parentas, & amicos meos, & propter alios homines, & propter frigus, siva propter delectationem suavitatemqua corporis mei, & proptaa pigritiam, sicut debui non frequentavi. Confiteor etiam quia Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi indignus, & pollutus, & immundus, & sine confessiona communicavi, tetigi, portavi, & illud sicut debui non custodivi, neque memetipsum dijudicavi, nec axinde Dei judicium pertimui. Quadragasimales & Paschalas dias non custodivi; sed me in ipsis, manducando & bibendo verbaqua inutilia proferendo, luxuriando, jocando, samper pollui: & in quadragesima, sicut constitutum est, confessus non fui, neque pœnitentiam de præteritis criminibus egi. Sed si aliquando confessus fui, post confessionem iterum & in pejoribus culpis corrui, & præcepra Sacerdotum non custodivi, jajunia vero de quatuor temporibus anni, & de vigiliis sanctorum, & de Rogationibus, & de adventu Domini, & contra missam S. Johannis, & quæ ab episcopis propter diversas tribulationes indicta sunt, sicut constitutum mihi fuit, non observavi, nequa jejunavi, & cum aliis cruces sequi distuli, sed ex his omnibus inobedians & negligens extiti. Episcopos, sacerdotes, &

monachos, canonicos, omnesque in ecclesia constitutos non honoravi, nec auscultavi, naqua obedivi, nec eorum præcepta custodivi, nec amavi, neque dilexi, sed nequa eis dignum obsequium præbui, sicut Deus præcipit. Meipsum autem per malas cogitationes & carnalia desideria pessimaque opera sequutus sum, & sponta diabolo me in peccatis subdidi, & corpus meum, quod Domini templum esse dabuarat, ego violavi. De his omnibus atqua aliis innumarabilibus criminibus & sceleribus, quæ propter multitudinem peccatorum meorum recordari non valeo, quantum Domini clemantia mihi reducit ad memoriam, quæ ego contra voluntatam Dei feci, & contra præcepta divina, & contra sanctam Ragulam, & contra lagem sanctam, quæ ego recordari possum aut quæ non possum, siva ignoranter, siva scientar, siva in cogitatione & voluntate, seu in locutiona, siva in opera & consensu, siva in suggastiona & dalectatione, siva in dia, sive in nocte, horis & momentis, sive vigilando, seu dormiendo, siva stando, sau sedendo, siva pergendo, seu jacendo, siva qualicumque modo, quæ Deo displicent, in cælo, & angelis, & omnibus sanctis, in tarra bonis hominibus, pœnitentiam dasidero, & ma culpabilem accuso, & veniam exposco. Hæc omnia superius memorata peccata, & scalara atqua facinora, vel dalicta mea, quantum tua pietas & misericordia racordari mihi concedit, & quæ mea iniquitas mihi permittit, tibi, Daus Patar omnipotans, Rax cæli & terræ, confitaor coram hoc sacerdota tuo: quamvis enim tu, Domine, hæc omnia, antequam fierent, scires; tamen ego in vera humilique confessione confitari cupio, ut non inveniat diabolus in die judicii unde me accusat, & ut tu, Deus omnipotens, qui dixisti, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, concedas mihi aa omnibus peccatis atqua criminibus mais, & innumerabilibus delictis, quæ proptar multitudinam recordari nequeo, veniam & indulgentiam atqua remissionem, & fructus dignos pœnitentiæ, & perduc ma secundum tuam voluntatam in vitam æternam. Amen. Multa quidem & innumerabilia sunt peccata mea quæ recordari naqueo in factis, in dictis, in cogitationibus, & omnibus modis, pro quibus misera mea compungitur anima, & acri intardum cor meum pœnitentia cruciatur. Ideoqua, o Domina Sacardos, consilium tuum, immo judicium, qui sequester ac medius inrar Deum & peccatorem hominam ordinatus es, supplex deprecor; & ut pro eisdem peccatis meis intercessor existas, humiliter imploro. Supplico Dei Sacerdos, ut de his omnibus sis mihi testis in die judicii, ne gaudaat de ma inimicus meus, & dignare pro me Dei misericordiam deprecari, ut donat mihi veniam indulgantiæ, & omnium peccatorum maorum remissionem, & da futuris custodiam & usque in finam bonam persavarantiam, & post hujus sæculi finem concedat mihi sine fine requiem cum sanctis omnibus æternam. Amen.

Responsio Sacerdotis pœnitenti post confessionem.

Misereatur tui omnipotens Deus, & donet tibi veram indulgentiam & emendationem, & de peccatis tuis veniam & ramissionam, & ulciscatur te de omnibus inimicis tuis invisibilibus. Donet tibi consilium in isto sæculo & prævideas quæ recta sunt coram eo, & in futuro perducat ta felicitar ad vitam æternam. Amen.

Orationes super pœnitentem postquam confessus fuerit.

Domine Deus noster, propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti officio sacerdotali, & me exiguum humilemque mediatorem constituisti, ad adorandum & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccantibus & ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque, Dominator Domina, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem varitatis venire; qui non vis mortem peccatorum, sed ut convartantur & vivant; suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ pro famulis tuis & famulabus, qui ad pœnitentiam venerunt. Per eumdem.

Item alia orationes pro ipso pœnitente.

Omnipotens, mitissime Deus, respice propitius preces nostras, & libera cor famuli tui N. da malarum tentationa cogitationum, ut Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur. Per ejusdem Spiritus sancti.

Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæsumus, Domine, cor famuli tui ill. gratiæ suæ splendore; ut digna majestati tuæ cogitare & diligere valeat, Per.

Dimitte, Domina, peccata nostra, & tribue nobis misericordiam tuam quam oris nostri aloquio deprecamur, ut famuli tui ill. humilitatem & angustiam, adtendas,

 vinca-

vincula solvas, delicta deleas, tribulationem inspicias, effectumque petitionis nostræ clementer exaudias. Per.

Deus justorum gloria, & misericordia peccatorum; da huic famulo tuo ill. plenam indulgentiæ veniam, & pœnitentiæ locum exoratus indulge: ut qui præterita peccata deplorat, futura non sentiat, neque jam ulterius lugenda committat. Dimitte ei, Domine, omnia crimina, & in semitas justitiæ eum placatus restaura, ut securus mereatur deinceps inter tuos bene meritis currere & ad pacis æternæ præmia pervenire.

Hic sunt dicendæ orationes de reconciliatione peccatoris ad mortem ut supra.

Item oratio.

Da nobis, Domine, ut sicut publicani precibus & confessione placatus es, & huic famulo tuo placare, Domine, & precibus ejus benignus adspira, ut in confessione fideli permanendo & petitione perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus restitutus rursus cælestis gloriæ mancipetur.

Item alia orationes.

Deus, qui nullius pœnitentia indiges, memento Domine, famulo tuo ill. qui lubrica terrenique corporis fragilitate nudatus est; quæsumus, ut des veniam confitenti, parce supplici, ut qui nostris meritis accusamus, tua miseratione solvamur. Per.

Alia.

Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, omnesque conscientiæ contremiscunt; propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus, & sicut nemo nostrum est liber a culpa; ita nemo sit alienus a venia. Per.

Item alia.

Deus infinitæ misericordiæ, majestatisque immensæ propitiare iniquitatibus nostris, & omnibus animarum nostrarum medere languoribus ut miserationum tuarum remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur. Per.

Alia.

Precor, Domine, clementiæ & misericordiæ tuæ majestatem, ut famulo tuo ill. peccata & facinora sua confitenti veniam relaxare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas qui humeris tuis ovem perditam reduxisti, & publicani preces confessionemque placatus exaudisti; tu etiam huic famulo suo placare, Domine, tu hujus precibus benignus aspira, ut in confessione placabili permaneat, fletus ejus & petitio perpetuam clementiam tuam exores, sanctisque altaribus tuis & sacrariis restitutus, spei rursum æternæ & gloriæ cælestis mancipetur. Per.

Item oratio cum manuum impositione.

Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum vulnera nostra curare dignatus es; te supplices rogamus & petimus nos sui humiles sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, remittasque huic famulo tuo, Domine, pro suppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam, qui ante tuæ celsitudinem majestatis devolutus de tua misericordia confidens, ad bonam promissam tuis pacem & ad vitam pervenire mereatur æternam. Per.

Item orationes super pœnitentem in quadragesima sive in omni tempore.

Exaudi Domine, preces nostras, & tibi confitentium parce peccatis; ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus Domine misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Adesto Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio. Sana vulnera, ejusque remitte peccata, ut nullis a te iniquitatibus separatus, tibi Domino semper valeat adhærere. Per.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris; sed satisfactione placaris; respice, quæsumus, ad hunc famulum tuum, qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est absolutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum quam mortem. Concede ergo, Domine, hoc, ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus suis conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur. Per.

Adesto, quæsumus Domine, huic famulo tuo inspiratio gratiæ salutaris, quæ cor ejus fletuum ubertate resolvat; sicque se macerando conficiat, ut iracundia tuæ motus idonea satisfactione compescat. Per.

Item alia.

Da, quæsumus Domine, huic famulo tuo continuam purgationis observantiam pœnitendo gerere, & ut hoc efficaciter implere valeat; gratia eum tuæ visitationis & præveniat & subsequatur. Per.

Reconciliatio pœnitentis.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & me qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum; da fiduciam tui muneris exequendi; & ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est operare. Per.

Alia oratio.

Præsta quæsumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarat peccando, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per.

Item alia oratio.

Deus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici Filii tui sanguine redemisti, vivifica hunc famulum, quem tibi nullatenus mori desideras, & qui non derelinquis devium, adsume correctum. Moveant pietatem tuam, quæsumus Domine, hujus famuli tui lacrymosa suspiria: tu ejus medere vulneribus: tu jacenti manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundimus, tu parce confitenti: ut sic in hac mortalitate peccata sua te adjuvante defleat, qualiter in tremendi judicii die sententiam damnationis æternæ evadat; & nesciat quod terret in tenebris, quod stridet in flammis; atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ, nequaquam ultra vulneribus sauciatur; sed integrum sit ei atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod misericordia reformavit. Per.

ORDO IV.

Ex duobus antiquis mss. insignis ecclesiæ Sancti Gatiani Turonensis ante annos 800. exaratis.

ORDO PRIVATÆ SEU ANNUALIS POENITENTIÆ ITA PROSEQUENDUS EST.

PRæmonere debent omnes Sacerdotes eos qui sibi confiteri solent, ut in capite jejunii concurrere incipiant ad renovandam confessionem. Et tunc suscepta, secundum prolatam rationis confessionem, indicet singulis congruam pœnitentiam, sive observantiam usque in Cœna Domini, magnopere intimans illis in præsenti, ut tunc ad reconciliandum festinare nullatenus parvipendant. Si vero interest causa aut itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita forte hebes est, ut ei hoc Sacerdos persuadere nequeat: injungat ei tam quadragesimalem, quamque annualem pœnitentiam, & reconciliet eum statim. Cum autem accesserit ad Sacerdotem pœnitens; si laicus est, dimisso baculo: quisquis vero ille est, sive laicus, sive clericus, sive monachus, suppliciter se inclinet ante sacerdotem. Deinde jubeat eum sacerdos sedere contra se, & interroget ita dicens:

Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum?

Respondeat pœnitens: Credo.

Interrogatio. Credis quia istæ tres personæ quas modo dixi, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, unus Deus sit? *Resp.* Credo.

Credis quia in hac carne, in qua modo es resurgere habes in die judicii, & recipere sive bonum sive malum prout gessisti? *Resp.* Credo.

Vis dimittere his qui in te peccaverunt omnia, ut & Deus dimittat omnia peccata tua; ipso dicente, si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra?

Si vult dimittere; suscipiat ejus confessionem, & indicet ei pœnitentiam; si non vult, non suscipiat ejus confessionem. Volens autem dimittere omnia his qui in se peccaverunt, confiteatur omnia peccata sua quæ recordari potest. Quo facto fixis genibus in terra, & super ipsis innixus, stans suppliciter tensis manibus, blando ac flebili vultu respiciens sacerdotem, dicat his verbis:

Multa quidem & innumerabilia sunt alia peccata quæ recordari nequeo, in factis, in dictis, & cogitationibus, pro quibus omnibus misera mens mea compungitur, & acriter interdum pœnitentia cruciatur; ideoque consilium immo judicium tuum qui sequester ac medius inter Deum & peccatorem hominem ordinatus es supplex deprecor, & ut pro eisdem peccatis meis intercessor existas humiliter imploro.

Quo

Qua perdicta, totum se in terra prosternat, & gemitus atque suspiria vel lacrymas, pro ut Deus dederit, ab intimo corde producat. Sacerdos vero patiatur eum aliquantisper jacere prostratum juxta quod viderit eum divina inspiratione compunctum. Deinde jubeat eum sacerdos surgere; & cum steterit super pedes suos, cum tremore & humilitate præstoletur judicium sacerdotis; & indicet ei sacerdos abstinentiam sive observantiam, perpendens subtiliter personæ qualitatem, vel modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem vel imbecillitatem. Percepta autem sententia sacerdotis, iterum prosternat se pœnitens pedibus illius, petens pro se orationem fieri, ut suggerat ei divina visitatio virtutem constanter observandi quæ ei injuncta sunt, & ita reverenter sacerdotis judicio obtemperare, ac si ab ipsius divinæ majestatis ore opportuna salutis suæ medicamenta susceperit. Hoc expleto, dicat sacerdos super eum hae orationes.

Oratio.

Domine, Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti sacerdotalis officii, & me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad orandum & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccantibus & ad pœnitentiam revertentibus: ideoque, dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant; suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt. Per eumdem.

Alia.

Adsit, quæsumus Domine, huic famulo tuo ill. inspiratio gratiæ tuæ salutaris, quæ cor ejus fletuum ubertate resolvat; sicque se macerando conficiat; ut iracundiæ tuæ motus idonea satisfactione compescat. Per.

Alia oratio.

Da, quæsumus Domine, huic famulo tuo continuam purgationis suæ observantiam pœnitendo gerere; & ut hoc efficaciter implere valeat, gratia eum tuæ visitationis & præveniat & subsequatur. Per.

Alia.

Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus Domine, misericordia tua, & omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Alia.

Adesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio: sana vulnera, ejusque remitte peccata; ut nullis a te iniquitatibus separatus, tibi Domino semper valeat adhærere. Per.

In alio codice additur hæc oratio.

Domine Deus noster, qui peccatis nostris offenderis, satisfactione placaris; respice quæsumus ad hunc famulum tuum, qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est ablutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo, Domine, ut famulus tuus & pœnitentiæ tibi excubias celebret, & correctis actibus suis conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur. Per.

Quibus dictis, jubeat Sacerdos pœnitentem surgere de terra: sed & ipse surgat de sedili suo: & si loco vel tempore congruit; ingressi ecclesiam, & super genua vel cubitos uterque innixus, decantet septem subjectos pœnitentiæ psalmos, cum capitulis & precibus sibimet connexis. Psal. Domine ne in furore. I. Kyrie eleison. Pater noster. Domine convertere & eripe. Respice & exaudi me, Domine. Deus illumina oculos meos. Ab occultis meis.

Oratio.

Exauditor omnium, Deus, exaudi fletuum nostrorum supplicem vocem, & tribue infirmitatibus nostris perpetem sospitatem, ut dum dignanter gemitum nostri laboris suscipis, tua nos semper misericordia consoleris. Per.

Item Psal. Beati quorum. Kyrie eleison *cum capitulis*. Delicta juventutis meæ. Secundum misericordiam tuam memento mei tu. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis. Delictum meum cognitum tibi feci.

Sequitur oratio.

Sancte Domine, qui remissis delictis, beatitudinem confessis attribuis; exaudi vota præsentis familiæ, & fractis peccati aculeis, spirituali nos exsultatione perfunde. Per.

Item psal. Domine, ne in furore tuo. II. Kyrie eleison. *Capitula.* Domine, ante te omne desiderium. Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me.

Oratio.

Emitte, Domine, salutare tuum infirmitatibus nostris, vulnerum cicatricumque mortalium potentissime medicator; ut te nobis plecito, & pro nobis pugnante, valeamus evincere impetus inimicorum, & omnem gemitum doloremque nostrum coram te plorantes, valeamus superare insultationes adversariorum vitiorum. Per.

Item psal. Miserere mei Deus. I. Kyrie eleison. *Capitula.* Domine miserere mei. Sana animam quia peccavi tibi. Miserere mei, miserere mei, quoniam in te confidit. Domine averte faciem tuam a peccatis meis. Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarum antiquarum. Adjuva nos Deus salutaris noster.

Oremus.

Largire miserationes tuas, Domine, nobis ineffabile nomen Trinitas Deus, qui humani pectoris antrum, emundaris vitiis, super candorem efficis nivis: innova, quæsumus, in visceribus nostris Sanctum tuum Spiritum, quo laudem tuam adnuntiare possimus, ut recto principalique Spiritu confirmati, mereamur in Jerusalem cælestem componi. Per.

Item psal. Domine exaudi. I. Kyrie eleison *cum capitulis.*

Oratio.

Exorabilis, Domine, intende orationem supplicum tuorum; ut qui in peccatis detenti sicut fœnum aruimus, respectu cælestis misericordiæ sublevemur. Per.

Item psalm. De profundis. Kyrie eleison *cum capitulis.*

Item alia oratio.

Intendant, quæsumus Domine, pietatis tuæ aures in orationem supplicum; quia apud te est propitiatio peccatorum; ut non observes iniquitates nostras, sed impertias nobis misericordias tuas. Per.

Item psalm. Domine exaudi. II. Kyrie eleison *cum capitulis.*

Oratio.

Deus, qui matutinam sacræ resurrectionis tuæ auditam fecisti jucunditatem, cum ex inferno rediens, replesti terram gaudiis, quam reliqueras in obscuris; rogamus potentiæ tuæ ineffabilem majestatem, ut sicut tunc catervam apostolicam gaudere fecisti sacra anastasi; ita hanc ecclesiam tuam, misericordiam tuam expansis manibus flagitantem, splendore cælestis jubaris illustrare digneris. Per.

ORDO V.

Ex pervetusto codice Floriacensi.

MODUS AUDIENDI CONFESSIONES A PATRIBUS SENIORIBUS TRADITUS.

IN Christi nomine incipiunt ordo ad dandam pœnitentiam secundum seniorum Patrum traditionem, qualiter confessiones uniuscujusque Sacerdos suscipi debeat.

Oportet eum exhortari verbum salutis, & dare illi rationem qualiter diabolus per superbiam suam de angelicam cecidit dignitatem, & postea hominem expulit de paradiso. Et proinde Christus ad salutem humanam per uterum Virginis in mundum venit, atque post Resurrectionem, & diabolum vicit, & mundum de peccato redemit, & postea per apostolos baptismi gratiam tradidit, per quod hominem lavaret de peccato. Et qui peccasset, si pœnitentiam non agebat, in infernum mitteretur perpetuo cruciandum. Et qui sacerdotibus dabit confessionem post crimina perpetrata, æterna consequeretur præmia, vel qualiter in finem sæculi venturus est judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique secundum opera sua.

Interrogatur ei si credit resurrectionem, vel ista omnia quod dictum est ei: vel si habeat fidem confessionis per judicium sacerdotis veniam consequi apud Dominum. Quod si omnia confitetur, & non dubitat vitam esse justis in paradiso beatam post mortem, & quod peccatoribus gehenna ignis præparatur.

Interrogatur ei quod egit, unde timet. Et ille cum suam integram dederit confessionem; tunc cum ipso prosternat se ipse Sacerdos ante altare, & confitentes recitent psalmos cum gemitu, & si fieri potest cum fletu, & ambo pariter prostrati dicant capitulum.

Convertere Domine, &: Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Et postea incipiat:* Domine ne in ira tua, I. & II. & Miserere mei Deus, *usque* dele iniquitatem meam, &: Benedic anima mea Dominum. I. *usque* Renovabitur sicut aquilæ juventus tua, *& postea capitulum,* Ne memineris iniquitates nostras. *Et postea surgant pariter. Atque de uno si credit pro ipsa confessione veniam si egerit pœnitentiam, & si vult in verbis promittere, ut in hoc quod judicatum fuerit interim quantum potuerit debeat custodire;*

aut qualiter postea abstinere debeat, si est infirmus, aut si non est. Et si ad omnia responsum dederit.

Postea si caussas criminales habet, aut Presbyter aut Diaconus super caput ejus collectas dicant: Et postea prostrati in terra Domino Deo cœli commendetur, & dicant capitulum: Confirma hoc Deus. *Et sic postea pertractetur juxta culpam & devotionem, aut pro possibilitate indicetur ei quod tempus definitum habeat, vel observare debeat, & dicetur ei capitulum:* Dominus custodit te ab omni malo. *Et relinques eum.*

Sequitur in eodem mss. codice tractatus de pœnitentia facienda modo sub hoc titulo.

INCIPIT JUDICIUM POENITENTIÆ.

I. SI quis Clericus, vel laicus homicidium fecerit; X. annis pœniteat. III. ex his in pane & aqua. Si bene egerit, per testimonium sacerdotis reconcilietur.

II. Si quis vero homicidium fecerit casu, idest non volens; VII. annos pœniteat, II. ex his in pane & aqua.

III. Si quis ad homiciendum faciendum consenserit, & factum fuerit; VII. anons peniteat, III. ex his in pane & aqua. Si autem voluit & non potuit, III. annis pœniteat.

IV. Si quis fornicaverit sicut sodomitæ, X. annos pœniteat, III. ex his in pane & aqua, & numquam cum alio dormiat.

V. Si quis perjuraverit, VII. annos pœniteat, III. ex his in pane & aqua, & numquam juret postea.

VI. Si quis vero coactus pro qualibet necessitate, aut nesciens perjuraverit, III. annos peniteat, I. ex his in pane & aqua.

VII. Si quis furtum captialem commiserit, id est quadrupedias & casas effregerit, aut quolibet majore præsidium furaverit, V. ennos pœniteat, III. ex his in pane & aqua.

VIII. Si quis vero adulterium commiserit, id est cum uxore aliena aut sponsata, vel virginitatem corruperit: si clericus est vel laicus, V. annos pœniteat, II. ex his in pane & aqua: si presbyter, X. annos, V. ex his in pane & aqua, si diaconus VII. annos peniteat, III. ex his in pane & aqua.

IX. Si quis consanguineam suam fornicaverit, X. annos pœniteat, III. ex his in pane & aqua, & numquam nubat si innuptus est, & illam sibi nemo in conjugium societ, sed fletum multum & eleemosynas dentur.

X. Si quis autem amorem *quis maledictus sit & neminem perdiderit. Si laicus aut clericus est, annum integrum peniteat: si diaconus III. unum ex his in pane & aqua: si presbyter, V. duo ex his in pane & aqua, maxime si per hoc mulieris partum deciperit III. annos augeat in pane & aqua, reus sit homicidii.

XI. Si quis fornicaverit quidem cum mulieribus, si clericus V. annos: si diaconus vel monachus VII. sacerdos X. annos peniteat.

XII. Si quis clericus, vel cujuslibet superioris Ordinis gradus, qui uxorem habuit, post conversionem vel honorem iterum eam cognoverit: sciat se adulterium commisisse. Ideirco si diaconus est; IX. annis peniteat; si presbyter; XII. annis peniteat: VII. ex his in pane & aqua.

XIII. Si quis fornicaverit cum sanctimonialibus, vel Deo dicatam, cognoscat se adulterium perpetrasse, sicut in superiori sententie unusquisque juxta ordinem suum peniteat.

XIV. Si quis pro concupiscentia vel libidine per semetipsum fornicaverit, annum integrum peniteat.

XV. Si quis sepulcrum violatus fuerit, V. annos peniteat, III. ex his in pane & aqua.

XVI. Si quis concupiscet mulierem & non potest peccare cum ea, aut illa eum non vult suscipere, annum unum peniteat.

XVII. Si quis Eucharistiam, idest Corpus & Sanguinem Domini acceperit, & neglexerit, & exinde aliquid perdiderit; annum integrum in pane & aqua peniteet. Et si per ebrietatem aut voracitatem illum vomuerit; tres quadragesimas in pane & aqua peniteat.

XVIII. Si quiscumque homo vel mulier infantem suum oppresserit, III. ann. peniteat, I. ex his in pane & aqua. Si quis per ebrietatem aut propria negligentia oppressus fuerit, V. annos peniteat, II. ex his in pane & aqua.

XIX. Si quis maledictus & emissor tempestatum fuerit. VII. annos peniteat, III. ex his in pane & aqua.

XX. Si quis autem usuras undecumque tulerit, vel exigerit, annum integrum peniteat.

XXI. Si quis per potestatem aut quodlibet ingenium, malo ordine res alienas invaserit, vel tulerit, superiori sententia similiter pœniteat, & eleemosynas multas faciat.

XXII. Si quis sacrilegium fecerit, id est quod aruspices vocant, vel qui augurie colent super eves eur quocumque malo ingenio auguriaverit, III. ann. pœniteat in pane & aqua.

XXIII. Si quis ariolus, quos divinos vocant, & aliquas divinationes fecerit; quia & hoc dæmoniacum est, V. ann. pœniteat, III. ex his in pane & aqua.

XXIV. Si quis alium per iram percusserit, & sanguinem effuderit, XL. diebus in pane & aqua pœniteat: si diaconus est VI. mensibus: si presbyter, annum unum in pane & aqua pœniteat.

XXV. Si quis cupidus, aut avarus, aut superbus, aut fratrem suum odio habens, vel alia dæmonia quæ nemo annumerare potest, III. annos in pane & aqua pœniteat, & juxta vires suas eleemosynas facit.

XXVI. Si quis sortes, quas sanctorum contra rationem vocant, vel alias sortes habuerit, vel per qualecumque aliquo malo ingenio sortitus fuerit, vel venerayerit, III. ennos pœniteat.

XXVII. Si quis ad fontes, vel ad cancellos, vel ad arbores, vel ubicumque, excepto in ecclesiam votum voverit, eut solverit; IV. annis in pane & aqua pœniteat; quia & hoc sacrilegium est vel dæmonium. Qui vero ibidem ederit, vel biberit; annum integrum in pane & aqua peniteat.

XXVIII. Si quis clericus postquam Deo se vovit, sæculari habitu reversus fuerit, X. annis pœniteat: III. ex his in pane & aqua, & numquam postea conjugio copuletur. Quod si noluerit; sancta Synodus vel apostolica sedes separet eos e communione omnium catholicorum. Similiter & mulier postquam Deo se vovit, si tale scelus commisit; tali sententiæ subjaceat.

XXIX. Si quis falsitatem commiserit, VII. annos pœniteat, III. ex his in pane & aque; qui autem consenserit, V. annos, II. ex his in pane & aqua.

XXX. Si quis venationes aliquas exercere voluerit; si clericus est annum integrum pœniteat; si diaconus II. si presbyter III. annos pœniteat.

XXXI. Si quis, quod in Calendis Januarii multi faciunt, quod de paganis remansit, in cervulo quod dicitur, eut in vehicula vadit; III. annis pœniteat: quia & hoc demonium est.

XXXII. Si quæ mulier abortum fecerit voluntarie, annum integrum in pane & aqua pœniteat.

XXXIII. Si quis mathimaticus fuerit, id est invocaverit dæmonium, mentes hominum tulerit, aut devacantes, V. annos pœniteat, IV. ex his in pane & aqua.

XXXIV. Si quis virginem vel viduam raptus fuerit, annus pœniteat in pane & aqua.

XXXV. Si quis ballaturas fecerit, quod detestabile est, superiori sententia accipiat.

XXXVI. Si quis servum eut ancillam, aut quemcumque hominem per aliqua ingenia in captivitatem duxerit, aut transmiserit, III. annos pœniteat in pane & aqua.

XXXVII. Si quis domum vel arcam cujuscumque voluntarie cremaverit, superiori sententia subjaceat.

XXXVIII. Si quis de ministerio S. Ecclesiæ qualecumque opus fraudaverit, aut neglexit, VII. annos pœniteat, III. ex his in pane & aqua, & quod furavit, si potest, reddat.

XXXIX. Si quis fornicaverit cum mulieribus ente conjugium, id est cum viduis vel puella; si cum vidua, annum integrum, si cum puella, II. anoos pœniteat.

XL. Si quis duxerit matrimonia vel fratris sui viduam, iste non potest pœnitentiam accipere, nisi prius separentur & postee jejunet unusquisque annos VII. Et si hæc non fecerit separentur extra plebem ecclesiæ & nullus oblationem ejus accipiat, nec communicet.

XLI. Si quis manducaverit coinquinatum de sanguine hominum, aut morticinum, eut idolis immolatum, jejunet quadragesimas II. in pane solo & aqua, & nesciendo quadragesimam I.

XLII. Si quis præcantationes fecerit aliquas ad fascinum vel quocumque, excepto symbolum sanctum eut orationes, jejunet quadragesimas III.

XLIII. Si quis acceperit sororem aut filiam uxoris suæ, non judicetur, nisi prius separentur, & postea jejunet annos II. sic tamen ut multas eleemosynas facit.

XLIV. Si fornicaverit cum mundis animalibus, jejunet annos VII. tribus ex his in pane & aqua. Si clericus est, ad sacros ordines non adducatur: si sacerdos est, abominetur,

* *Hic deest aliquid.*

netur, & illud animal nemo manducet, nec fructum ejus. Et si masculus secum eadem miscuit, animal nec ipsum manducetur.

XLV. Si quis infantem gentilem voluntarie suffocaverit, III. annos peniteat. Et si nolendo, jejunet annos II. cum lacrymis & eleemosynis. Si quis dimiserit uxorem, & aliam duxerit, illa, quam ducit postea, non est ejus uxor sed meretrix. Istorum oblationem sacerdos non excipiat, ne communicet, neque in domo nemini intret, nec colloquium cum nemine habeat, nec manducet, nec bibat quo usque separentur, & postea jejunet annos III. unum ex his in pane & aqua.

XLVI. Si cui mortuus fuerit alicujus vir, aut viri mulier, licentiam habeat secundas nuptias faciendi, si necessitas fuerit. Sed tamen jejunet hebdomadas III. Et si quis tertiam aut quartam mulierem, aut mulier virum duxerit, jejunet XXXIII. hebdomadas & eleemosynes faciat.

XLVII. Si quis se laceraverit super mortuum suum cum ferro, aut ungulas suas, aut capillos traxerit; jejunet hebdomadis IV.

XLVIII. Si quis quodlibet membrum voluntarie truncaverit, III. annos peniteat, unum ex his in pane & aqua.

De machina mulierum.

XLIX. Mulier qualecumque molimine aut per seipsam aut cum altera fornicans, III. annos pœniteat, I. ex his in pane & aqua.

L. Mulier abstineat se a viro tres menses quando concepta est antequam pariat, & post partum, XL. dies. Quæ autem nupserit his diebus; XL. dies pœniteat, aut XXX. vel XX. Qui in matrimonio sunt abstineant se in tribus Quadragesimis & in Dominica nocte, & in sabbato, & feria IV. & VI. quæ legitimæ sunt, & tres noctes abstineant antequam communicent.

LI. Qui in Quadragesima ante Pascha cognoscit mulierem suam & noluit abstinere; annum pœniteat, vel suum pretium reddet ad ecclesiam, vel pauperibus distribuat, vel XXXVI. solidos reddat, &c.

LII. Si quis per ebrietatem vel aliqua causa acciderit, sine consuetudine, XL. dies peniteat.

LIII. Si vir cum muliere sua retro nupserit, peniteat quemadmodum de animalibus, & si consuetudine erit, III. annos.

LIV. Si vero in terga nupserit & consuetudine erit, VII. annos peniteat.

Basilius judicavit.

LV. Mulieres menstruo tempore non intrent in ecclesiae neque communicent, nec sanctimoniales, nec laicæ, si præsumant, tres hebdomadas peniteant.

Theodorus.

LVI. Qui nubet die Dominico, petat a Deo indulgentiam & II. vel III. diebus peniteat.

LVII. Sacerdos tangendo, osculando mulierem, coinquinatus, XL. dies peniteat.

LVIII. Si osculatus fuerit presbyter feminam per desiderium, XX. dies. Si semen per .... fuderit XL. dies peniteat. Si per cogitationem fuderit semen, hebdomade pœniteat.

LIX. Qui in somnis non volente pollutus fit, surgat, & canet VII. psalmos penitentiales. Idest Domine ne in furore tuo. Beati quorum. Item, Domine ne in furore tuo &c.... vel unusquisque secundum suam virtutem, & in mane XXX. psalmos canat.

ORDO VI.

Ex ms. Gellonensi sæculo IX. aut X. exarato.

INCIPIT ORDO AD POENITENTIAM DANDAM.

Sacerdos CRedis in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum?

Pœnitens. Credo.

Sacerdos. Credis quod istæ tres personæ, quæ modo diximus, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, tres personæ sunt & unus Deus?

Pœnitens. Credo.

Sacerdos. Credis quod in ista carne, in que vinces, in ipsa habes resurgere in die judicii, & recipere sive bonum sive malum quod gessisti?

Pœnitens. Credo.

Sacerdos. Vis dimittere illis peccata, quicumque in te peccaverunt, dicente Domino: Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester celestis dimittet vobis peccata vestra?

Pœnitens. Dimitto.

Sacerdos requiret diligenter si est incestuosus. Sed si non vult ipsa incesta dimittere; non potes ei dare penitentiam. Nam si vult ipsa incesta dimittere; tunc facies confiteri eum omnia peccata sua, & ad ultimum dicere: Multa sunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. *Tunc da illi pœnitentiam; eique dicas orationes super eum.*

Oremus.

Exaudi, Domine, preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per Christum Dominum nostrum.

Item aliam.

Præveniat hunc famulum tuum ill. quæsumus Domine, misericordia tua, & omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per Christum Dominum nostrum.

Item si tempus habuerit; sicut in Sacramentario continetur. Si tibi non vacat; ista sufficiunt reconciliationi penitentis.

Præsta quæsumus, Domine, ut hunc famulum tuum ill. dignum pœnitentiæ fructum facere, ut ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarat peccando, reddatur innocuus.

Alia.

Majestatem tuam, quæsumus Domine, sancte Pater, æterne Deus, qui non mortem, sed peccatorum vitam semper inquiris, respice flentem famulum tuum ill. ad te prostratum, ejusque planctum in gaudium tue miseratione converte. Scinde delictorum saccum, & indue eum lætitiam salutarem: ut post longæ peregrinationis famem de sanctis altaribus satietur, ingressus cubiculum Regis in ipsius aula, & benedicat nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum. Per Dominum nostrum.

Ex pervetusto codice Gellonensi.

FORMÆ ABSOLUTIONIS POENITENTIS MORIENTIS.

DEus omnipotens Salvator, & Redemtor generis humani, qui apostolis suis dedit potestatem ligandi atque solvendi, ipse te absolvere dignetur a cunctis iniquitatibus & peccatis tuis, & quantum meæ fragilitati permittitur, auxiliante Domino, sis absolutus ante faciem illius qui vivit & regnat, &c.

Dominus Jesus Christus, qui dixit apostolis suis quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis, de quorum numero quemvis indignos nos esse voluit, ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis & iniquitatibus tuis, quacumque cogitatione, locutione, atque operatione egisti, atque a nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna celorum. Qui vivit, &c.

In ea auctoritate & potestate fidentes, quam Deus omnipotens B. Petro apostolorum principi tribuit, dicens: quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in celis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in celis; & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quantum nobis permissum est, totum tibi indulgemus, & confracta de collo tuo omnium delictorum catena libet, & absolutus ante tribunal æterni judicis venias, percepturus ab ipso hæreditatem in cœlestibus regnis, in quibus gaudeas sine fine exultans in gloria cum omnibus sanctis. Præstante Domino nostro Jesu Christo.

Vice apostolorum principis, cui a Domino collata est potestas ligandi atque solvendi, cujus etiam & nos licet indigni vice fungimur, absolvimus te in quantum tua expetit accusatio, & ad nos pertinet remissio, secundum quod nobis, ut diximus, a Domino in sancto Petro est attributum, ab omnibus criminibus tuis, sitque tibi omnipotens Deus Redemtor tuus, vita, & salus, & remissio omnium peccatorum tuorum. Qui cum Patre, &c.

Deinde absolvimus te vice S. Petri apostolorum principis, cui a Domino collata est potestas ligandi atque solvendi, de cujus vice, quemvis indigne, præsumimus. Vice etiam SS. confessoris, hujusce sanctæ congregationis, ita ut ab hodierna die, & deinceps de quibuscumque peccatis contra hunc locum, vel congregationem deliquisti, sit tibi Dominus Jesus Christus omnium peccatorum tuorum pissimus indultor, & remittat tibi omnia peccata tua, præsentia, præterita, atque futura. Liberet te ab omni malo, & ad vitam perducat æternam. Amen.

O R-

ORDO VII.

Ex ms. insignis ecclesiæ Ebroicensis annorum 800.

DE ORDINE IN COENA DOMINI.

PRocedat episcopus de sacrario sine pallio cum diaconibus septem, qui omnes sint dalmaticis induti, & totidem subdiaconi & acolythi cum thuribulis & ceroferariis, & salutata altari, non ascendat ipse dextrorsum ad sedem; sed juxta altare usque ad horam sessionis stet: post quam canatur Kyrie eleison. *Qua expleta, dicit episcopus* Gloria in excelsis Deo: *& postea* Pax vobiscum, *etiamsi non soleat dicere episcopus, nisi tantum diebus festis. Deinde sequitur oratio,* Deus a quo & Judas. Ad Corinthios. Fratres convenientibus. *Postea sedeat in sede juxta altare, & non dicat* Dominus vobiscum; *sed archidiaconus legat coram eo & populo rotulam, in qua continentur quædam* * *indita de pœnitentium reconciliatione. Post hoc oret episcopus ante sanctum altare. Hoc expleto pergat ad ambonem, & ascendat in eum, faciatque sermonem tam populis, quam pœnitentibus, sicut Ordo præcipit Romanus. Tunc redeat ante altare, & prosternens se tam ille, quam omnis populus, etiam pœnitentes, tam illi qui intus sunt, quam extra: & cantent vii. psalmos. Finitis psalmis, surgat solus, & dicat has orationes tam pro se, quam pro populo.*

Adesto, Domine, supplicationibus nostris.

Alia.

Præsta quæsumus, Domine, his famulis tuis.

Absolutio.

Sicut principali sententia constat, quia in multis offendimus omnes, ita principali sententia consolamur, quia si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est Jesus Christus, Conditor & Redemtor, ac Salvator noster, quem habemus advocatum justum apud Patrem, & est propitiatio pro peccatis nostris, & interpellat pro nobis fideliter confitentibus, & dimittit nobis peccata nostra, & emundat nos ab omni iniquitate. Quapropter, fratres nostri, confitentibus vobis peccata vestra per ecclesiasticam apostolicæ auctoritatis potestatem, quam Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis & apostolis suis, dicens: accipite Spiritum-sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & per eosdem apostolos suos ipsorumque successores, quorum vices licet indigni tenemus, etsi non merito, tamen nomine atque officii susceptione, eamdemque potestatem donavit, & in se credenti fideliter dixit: Fiat tibi secundum fidem tuam, gratia & omnipotentia sua cum virtute Sancti Spiritus, qui est remissio omnium peccatorum, dimittat vobis peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet vos in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam, & ad sanctorum consortium supernorum civium. Amen.

Alia.

Omnipotens criminum absolutor, & indultor peccaminum, qui apostolis tuis, apostolorumque successoribus dixisti; sine me nihil potestis facere; &, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet eis a Patre meo. Qui etiam specialiter B. Petro apostolorum principi ligandi & solvendi pontificium tradidisti, & postea in omnibus discipulis insufflasti & dixisti: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis: Tu, Domine, in nostro ministerio tuam insere clementiam, & in nobis peccatoribus quod tuum est operare, & quod nostra non exigunt merita, tuæ virtutis impleantur effectu. Supplices ergo poscimus tuam clementiam, ut famulis tuis omnibus cordis & corporis gemitibus suorum relaxationem peccatorum postulantibus pius auditor adsistas; & clemens indultor existas, nihilque eis in præsenti vita sive exitu obstet, quod fragilitas cumulavit humana. Adsis eis, Domine, rex cæli, tua misericordia in tribulationibus constitutis, sicut adfuit latroni confitenti, & meretrici gementi ac lacrymanti, cui dimissa sunt peccata multa, quia dilexit multum. Ne reminiscaris, Domine, malorum factorum suorum; sed recordare, Domine, quod pollicitus es: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Tu enim solus potens es non solum peccata dimittere, verum etiam ipsos peccatores justificare: Qui solus cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Alia.

Ego immeritus & peccator episcopus hanc absolutionem manu, ore & corde confirmans, omnipotentis Dei clementiam supplex imploro, ut ipse sua potestate & nostra deprecatione vos dignetur absolvere a vinculis peccaminum vestrorum, ab omnibus quæcumque aut cogitatione, aut locutione, aut operatione negligenter egistis, atque misericorditer absolutos perducere dignetur ad regna cælorum. Amen.

Alia.

Deus humani generis benignissime.

Alia.

Deus misericors, Deus clemens.

Alia.

Precor, Domine, clementiam tuam.

Alia.

Majestatem tuam, Domine, supplices.

Absolutio.

Absolvimus vos vice B. Petri apostoli.

Tunc convertat se episcopus ad altare, & salutat populum, & dicit Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. *Et tunc canatur offertorium cum versis, ac offerant presbyteri sacram ill. oblationem. Quibus expletis, incipiatur missa solito ordine.*

ORDO VIII.

Ex ms. codice Bellovacensi ab erudito viro Godefrido Hermano descriptus.

ORDO QUOMODO POENITENTES IN CAPUT QUADRAGESIMÆ EPISCOPO SE DEBENT REPRÆSENTARE.

IN capite Quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, reos se ex habitu & vultu proclamantes. Ibi adesse debent decani, idest archipresbyteri parochiarum, idest presbyteri pœnitentiarii, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent; & secundum modum culpæ, pœnitentiam per præfinos gradus injungant. Post hæc in ecclesiam eos introducat, & cum omni clero vii. pœnitentiæ psalmos in terram prostratus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, juxta quod canones jubent manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat & cum gemitu, & crebris suspiriis eis denuntiet, quod sicut Adam projectus est de paradiso; ita & ipsi ab ecclesia pro peccatis abjiciuntur. Post hæc jubeat ministris, ut eos extra januas ecclesiæ expellant. Clerus vero prosequatur eos cum ℟. In sudore vultus tui, &c. *Quo finito, claudat eis episcopus ecclesiæ januam, & clerus prosequatur* ℟. Ecce Adam quasi unus. ℣. Cherubim & flammeum, &c. *ut videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam, non parvipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini Cœna rursus ab eorum decanis & eorum presbyteris ecclesiæ liminibus repræsententur.*

ABSOLUTIO POENITENTIUM IN CAPUT JEJUNII.

In primis dicantur vii. psalmi pœnitentiales, deinde Kyrie eleison. *Postea oratio Dominica, & hæc capitula.*

Salvos fac servos tuos.
Deus meus sperantes in te.
Mitte eis Domine auxilium de sancto.
Et de Sion.
Nihil proficiat inimicus in eis.
Et filius iniquitatis.
Esto illis Domine turris fortitudinis.
A facie.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi, Domine, preces nostras, & tibi confitentium parce peccatis: ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Alia oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, confitentibus his famulis tuis pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus eis noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis prosit ad veniam. Per.

Omnipotens & misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti, succurre lapsis, miserere * concessis, ut quos delictorum catena constringit, magnitudo tuæ pietatis absolvat. Per.

Præveniat hos famulos tuos, quæsumus Domine, misericor-

* f. *judicia*, vel *edicta*.

* f. confessis.

ricordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. *Per*.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris; nec ſit ab his famulis tuis clementiæ tuæ longinqua miſeratio. Sana vulnera, eorumque remitte peccata: ut nullis a te iniquitatibus ſeparati, tibi Domino ſemper valeant adhærere. Per.

ABSOLUTIO POENITENTIUM. IN COENA DOMINI.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & me, qui maxime miſericordia primus indigeo, clementer exaudi, mihique quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti operis hujus miniſtrum, da fiduciam tui muneris gratiam exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio quod tuæ eſt pietatis operare. Parce confeſſis, ignoſce admiſſis, ſit in nobis non tantum confeſſionis, ſed doloris; non excuſatio criminum, ſed lamentatio peccatorum; & quoniam me eadem quæ alios catena conſtringit; non obſit eis oratio ſubjugata peccatis. Per me tibi eorum offertur votum; ſed per te meum in abſolutione eorum, & mea compleatur officium. Primumque dimitte, Domine Deus omnipotens, quicquid per intemperantiam mordacis linguæ incaute oris noſtri increpatio momordit in eos, quidquid minus de boni perfectione diximus, parce; quicquid incongruum vel minus temperate protulimus, tu ignoſce. Non me incautam præſumtio puniat, & illos agnoſcentes iniquitates ſuas pietas tuæ miſerationis abſolvat. Et quia non mihi alibi eſt fiducia niſi in tua miſericordia; tu & os meum præconio veritatis per arma & opus eorum pleniori ubertate ſanctifica, ut & dignum me facias quem ſalutes, & eos quos mihi commiſiſti pro tua pietate juſtifices. Quicquid in illis vitiatum reſpicis ſana: Quicquid in me vitioſum inſpicis cura. Si quam vitio tepiditatis meæ vel incuria contraxerint, vel contrahunt labem omitte. Si quo etiam me ignorante vel cognoſcente deciderint in crimine, atque ſi exempli mei offendiculo proruerint in culpam, ignoſce, & pro culpis talibus nec illis nec mihi ultionis reſtituat vicem. His tamen quibus increpationis viſus ſum adhibere cenſuram, & increpatio ipſa nis proficiat ad ſalutem; & oratio hæc te Deum miſericordiſſimum interpellans, eorum purget errorem, ut non perferant tartareos cruciatus, quibus utpote mortales pœnitentiæ indiximus leges, quo utrorumque incommodis parcens, & illorum iniquitatibus tribuas veniam, & meam abluas de regendi incommoditatibus offenſam. Amen.

Præbe Deus autem ſupplicationibus noſtris, & me mihique commiſſos tuis aſcribe in paginis, quo cum grege mihi credito, & a cuncto eluar crimine, & ad te merear pervenire in pace. Amen.

Placatum redde Deus noſtrorum cordium habitaculum expulſione carnalium vitiorum, & qui in ſubditis conor ſummam exercere virtutum, pacatis mentium corporumque incommodis, pacificus te miſerante cum angelis. Fac ergo, quæſumus, pie Deus, aſpicientes in conſpectu tuo flammeſcentes tuæ gratiæ dono, ut zelus domus tuæ nos comedat, atque ita per vigorem S. Spiritus regentes ſubditos temperemus, ut & diſciplinis noſtri regiminis obtineans luctum, & illorum duritia frangatur, ac vita ſanctificetur. Amen.

Suſcipe, Domine noſtrorum votorum præcamina, ut quicquid in ſubditos correptionis verbo vel merito impertimus, non ad diſcordiam noſtri, ſed ad perpetuum dulcedinis gaudium, & nobis & illis profeciſſe lætemur. Amen.

Abſolve nos, Deus, & alieno & noſtro delicto, ut in utroque ſpiritualis gratiæ efficientiam capientes, fiducialius tuo nomini ſupplicemus. Per Dominum.

INCIPIT RECONCILIATIO POENITENTIUM IN COENA DOMINI.

S*Edente enim pontifice præ foribus eccleſiæ, pœnitentibus in atrio eccleſiæ eminus cum archidiacono verſum illum præſtolantibus: dicit pontifex antiph.* Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *Et diaconus ex parte pœnitentium dicat:* Flectamus genua. *Tunc omnes genua ſtantes flectant pœnitentes. Quo facto, dicat diaconus ex parte pontificis.* Levate. *Similiter agat ſecundo, repetente & epiſcopo antiph.* Venite filii. *Subſequente diacono* Flectamus genua, *ut antea, & ſic ad medium pavimentum ſolo tenus veniant. Quando autem tertio dominus epiſcopus adnunciaverit antiph.* Venite. Venite. *Perſequatur diaconus* Flectamus genua. *Mox cum diacono pœnitentes corruant ad pedes epiſcopi, ſicque proſtrati jaceant, uſque dum domnus epiſcopus innuat alteri diacono:* Levate. *Perſequatur clerus antiph.* Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *Pſal.* Beati immaculati. *Iterum ſequitur antiph.* Venite. *Poſtea ab archidiacono dicatur.*

Adeſt, o venerabilis pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ & ſalutis humanæ, quo mors interitum & vita æterna accipit principium, quando in vinea Domini Sabaoth ſic novorum plantatio facienda eſt, ut purgetur execratio vetuſtatis. Quamvis enim ad vicem bonitatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior per indulgentiam eſt remiſſio peccatorum, & copioſior per gratiam aſſumptio renaſcentium. Augemur regenerandis, creſcamus reverſis. Lavant aquæ, lavant & lacrymæ. Inde eſt gaudium vocatorum, hinc lætitia de abſolutione pœnitentium. Inde eſt quod ſupplices tui, poſtquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cæleſtium & morum probabilium tranſgreſſione ceciderunt, humiliati atque proſtrati, prophetica ad Deum voce clamant dicentes: Peccavimus cum patribus noſtris, impie egimus, iniquitatem fecimus. Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri. Et evangelicam vocem non fruſtatoria aure capientes: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, manducaverunt, ſicut ſcriptum eſt, panem doloris, lacrymis ſtratum rigaverunt, cor ſuum luctu, & corpus ſuum afflixerunt jejuniis, ut animarum recuperarent, quam perdiderant, ſanitatem. Unicum itaque eſt pœnitenti ſuffragium, quod in ſingulis prodeſt, & in omnibus in commune ſuccurrit.

Mox ſurgat epiſcopus, facietque omnes pœnitentes ante ſe proſtrere, ſimulque cum aſtantibus canat hos pſalmos. Pſ. Miſerere mei Deus ſecundum. *Pſ.* Deus in nomine tuo. *Pſ.* Miſerere mei Deus, miſerere. *Pſ.* Deus miſereatur noſtri. *Pſ.* Deus in adjutorium. *Poſt hæc ſequetur Dominica oratio.* Pater noſter. Et ne nos inducas.

Capitula.

Iniquitates meas ego cognoſco.
Et omnes.
Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.
Et ſpiritu principali.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus.

Oremus.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, &c.
Deus qui es humani generis benigniſſimus conditor, &c.

Poſt hæc ſurgant pœnitentes, & dicat diaconus: Redintegra in eis, apoſtolice pontifex, quicquid diabolo ſuadente corruptum eſt, & orationum tuarum patrocinantibus meritis per Divinæ reconciliationis gratiam fac homines proximos Domino, ut qui antea in ſuis perverſitatibus diſplicebant, nunc jam placere ſe in regione vivorum devicto mortis ſuæ auctore gratulentur. Per.

Et moneantur ab epiſcopo pœnitentes, ut quod pœnitendo diluerint, iterando non revocent. Et imponat epiſcopus antiph. Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *Et clerus cum epiſcopo. Pſal.* Benedicam Dominum in omni tempore. *Et verſibus ejuſdem pſalmi finitis, ſemper ſequetur* Venite, filii, audite me. *Interim pœnitentes manuatim ab archidiacono reddantur epiſcopo; epiſcopus autem reddat diacono, qui ex parte ejus eſt, & ordinatim congregentur, ſicque reſtituantur gremio eccleſiæ. Deinde imponat epiſcopus antiph.* Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis, *cum pſal.* Miſerere mei. *Quo finito, proſternat ſe pontifex una cum pœnitentibus in oratorio, clero faciente litaniam. Qua expleta, dicat pontifex has preces.*

Kyrie eleiſon.
Pater noſter.
Et ne nos.
Salvos fac ſervos tuos.
Deus meus ſperantes in te.
Convertere Domine uſquequo.
Et deprecabilis.
Mitte eis Domine auxilium de ſancto.
Et de Sion.
Illuſtre faciem tuam ſuper ſervos tuos.
Salvos.
Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua.
Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum.
Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.
Et propter gloriam.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus.
Dominus vobiſcum.
Et cum ſpiritu tuo.

Ora-

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, confitentibus his famulis, &c.

Alia.

Omnipotens & misericors Deus, qui peccatorum indulgentia, &c. *Require retro in capite jejunii.*

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, respice propitius super hos famulos tuos, qui ab infesta sæculi tempestate emersi, flebili lamentatione suos accusant excessus, ut fletus et gemitus eorum pie suscipias, eosque ex tenebris ad lumen revoces, & medelam confitentibus, salutem pœnitentibus, vulneratis auxilium sanitatis indulgeas, nec ultra habeat inimicus in eorum animabus potestatem, quorumque confessionem libenter admittens, ecclesiæ tuæ purificatos restitue, ac tuo altari repræsenta: ut ad sacramentum reconciliationis admissi, una nobiscum sancto nomini tuo gratias agere mereantur. Per.

Deus misericors, Deus clemens, qui in multitudine indulgentiarum nulla temporum lege concluderis, succurre lapsis, miserere confessis, &c. *Require retro.*

ORDO IX.

Ex ms. B. Mariæ Remensis annorum circiter 800.

ABSOLUTIO SUPER POENITENTES IN COENA DOMINI.

IN *primis cantentur septem pœnitentiales psalmi, & oratio Dominica, & preces.* Ego dixi Domine miserere mei. Convertere Domine usquequo. Converte nos Deus salutaris noster. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. Salvos fac servos tuos. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto. Esto eis, Domine, turris fortitudinis. Nihil proficiat inimicus in eis. *Psal.* Deus misereatur nostri. Domine exaudi orationem.

Exaudi, Domine, preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis, &c.

Prævenist hos famulos tuos, &c.

Præsta quæsumus, Domine, his famulis, &c.

Deus humani generis, &c.

Deus misericors, Deus clemens, &c.

His finitis, descendat episcopus de ambone, & tangat capita pœnitentium, & dicat unicuique: Det tibi Dominus remissionem omnium peccatorum tuorum, & vitam æternam. Amen.

Dominus vobiscum.

Cantando.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris.

ORDO X.

Ex ms. codice ecclesiæ Noviomensis annorum circiter 800.

ORATIO AD CINERES BENEDICENDOS.

DEus qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benignissime respice, & hos cineres, quos causa proferendæ veniæ capitibus nostris imponi decernimus, bene † dicere tua pietate digneris, ut nos cinerem esse, & ob pravitatis nostræ meritum in pulverem reversuros cognoscamus, peccatorum omnium veniam, & præmia pœnitentibus repromissa misericorditer consequi mereamur. Per.

Tunc dicis quando mittis cinerem in caput:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, memento quod pulvis es, & in pulverem reverteris.

INCIPIT QUALITER SUSCIPERE DEBEANT POENITENTEM EPISCOPI VEL PRESBYTERI.

QUotiescumque christiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia damus, & non communicare eum sic debemus. Jejunio unam aut duas hebdomadas aut quantum possumus, ut non dicatur nobis quod sacerdotibus Judæorum dictum est a Domino Salvatore: Væ vobis, legisperiti, qui adgravatis homines, & imponitis super humeros onera gravia: Ipsi autem uno digito vestro non tangitis sarcinas ipsas. Nemo enim potest sublevare cadentem sub pondere, nisi inclinaverit se, ut porrigat manum. Neque ullus medicorum vulnera infirmitatum potest curare, nisi fœtoribus particeps fuerit: ita quoque nullus sacerdotum vel pontifex peccatorum vulnera poterit curare, aut animabus peccata auferre, nisi præstante sollicitudine & oratione lacrymarum. Necesse est ergo nobis, fratres charissimi, sollicitos esse pro peccantibus, quia sumus alterutrum membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Ideoque & nos si viderimus aliquem in peccatis jacentem; festinemus eum ad pœnitentiam per nostram doctrinam vocare. Et quotiescumque dederis peccanti, simulque da illi pœnitentiam statim, quantum debeat jejunare, & redimere peccata sua; ne forte obliviscaris quantum eum oporteat pro suis peccatis jejunare, tibique necesse sit, ut iterum exquiras ab eo peccata confiteri, & erubescet iterum peccata sua confiteri, & inveniatur amplius jam judicari. Non enim omnes clerici hanc scripturam usurpare aut legere debent, qui inveniunt eam, nisi illi soli, quibus necesse est, hoc est presbyteris. Sicut enim sacrificium offerre non debent nisi episcopi & presbyteri, quibus claves regni cœlestis traditæ sunt; sic nec judicia ista alii usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, & presbyter non fuerit præsens; diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam communionem. Sicut ergo superius diximus, humiliare se debent episcopi sive presbyteri, & cum tristitia gemitu lacrymisque orare non pro suis delictis solum, sed etiam pro christianorum omnium, ut possint cum B. Paulo dicere: Quis infirmatur & ego non uror? Cum ergo venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua; mandet ei sacerdos, ut expectet modicum, donec intret in cubiculum suum ad orationem. Si autem non habuerit cubiculum; tamen tunc sacerdos dicat hanc orationem.

Domine Deus, propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, & me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad orandum & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccantibus & ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque, Dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant; suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ pro famulis & famulabus tuis qui ad pœnitentiam venerunt. Per.

Videns autem ille qui ad pœnitentiam venit sacerdotem tristem & lacrymantem pro suis facinoribus, magis ipse timore Dei perculsus, amplius tristatur, & exhorrescet peccata sua. Et quemcumque hominem accedentem ad pœnitentiam si videris acriter & assidue stare in pœnitentia; statim suscipe eum. Qui vero potest jejunare quod impositum est ei, noli jubere, sed permitte: magis enim laudandi sunt qui celeriter debitum pondus persolvere festinant: quia jejunium debitum est: Et sic date mandatum his qui pœnitentiam agunt, quia si jejunaverit & compleverit quod illi mandatum est a sacerdote, purificabitur a peccatis. Quod si iterum ad pristinam consuetudinem vel peccatum reversus fuerit, sic est quomodo canis qui revertitur ad proprium vomitum. Omnis itaque pœnitens non hoc solum debet jejunare quod illi mandatum est a sacerdote; verum etiam postquam compleverit ea quæ illi jussa sunt, debet quantum ipsi visum fuerit jejunare, sive tertiados, sive paras ..... Si enim gerit ea quæ illi sacerdos præceperit; peccata ejus remittentur. Si vero postea ex sua voluntate jejunaverit; mercedem sibi acquirit & regnum cœlorum. Qui ergo tota septimana jejunet pro peccatis, sabbato & Dominica manducet & bibat quicquid ei aptum fuerit. Custodiat tamen se a crapula & ebrietate, quia omnis luxuria de ebrietate nascitur: ideo B. Paulus prohibuit dicens: nolite inebriari vino in quo est luxuria, non quia in vino est luxuria, sed in ebrietate.

Explicit Prologus.

INTERROGATIO AD CONFESSIONEM DARE.

Deinde accedat ad sacerdotem, & interroget de credulitate sua:

CRedis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum? ℟. Credo.

Credis quod istæ tres personæ sint unus Deus? ℟. Credo.

Credis quod in ista carne, in qua nunc es, in ipsa habeas resurgere in die judicii, & recipere sive bonum sive malum quod egisti? ℟. Credo.

Vis dimittere eos quicumque in te peccaverunt, dicente Domino: Si non remiseritis hominibus peccata eorum; nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra? ℟. Volo. *Fac illi dimittere.*

Quod si seipsum salvari desiderat; de octo vitiis principalibus suam confessionem veraciter donet. Id est primum de superbia, de cujus radice oritur inanis gloria, id est ficta & mendax laudatio; invidia, id est inimicitia & zelus malus; ira, id est in-

*est indignatio vel vindicta; tristitia, id est mestitia vel amaritudo; avaritia, id est cupiditas insatiabilis; ventris ingluvies, id est voracitas nimia; luxuria, id est cohabitatio meretricum; sive crapula, id est ebrietas. Et quicumque post baptismum unum ex his octo admiserit; sciat januam regni cælestis clausam sibi esse in futuro, sicut divina testatur auctoritas, nisi in præsenti sæculo per confessionem & * communionem cordis, fletumque lacrymarum ac cum ceteris bonis operibus se purgaverit.*

Et tunc interroget eum. Fuisti superbus? ℟. Mea culpa fui. Fuisti invidiosus? ℟. Mea culpa fui. Fuisti cupidus & avarus? ℟. Mea culpa fui. Fuisti detractor? ℟. Fui. Habuisti vanam gloriam & jactantiam & elationem? ℟. Habui. Habuisti tristitiam hujus sæculi, quæ mortem operatur? ℟. Habui. Fuisti inobediens & murmurans Deo & seniori tuo? ℟. Fui. Jurasti mendacia multa, unde dicit psalmista; perdes omnes qui loquuntur mendacium? Tenes iram contra aliquem hominem? *Si ille habet; fac illi dimittere; & si non vult dimittere; non des ei pœnitentiam: & si ille dixerit;* dimitto, *tunc da ei pœnitentiam.* Fecisti sacrilegium de sacris rebus, quia Dominus dicit: qui maledixerit patri vel matri, moriatur: quia Deus Pater omnipotens est pater tuus; Ecclesia mater tua spiritualis, quia ex aqua & Spiritu-sancto es regeneratus in ecclesia? Jurasti falsum testimonium propter munera? Fecisti homicidium aut consensisti? Fecisti furtum? Fecisti adulterium? Fecisti fornicationem? Fecisti incendia? Fecisti rapinam, vel raptum de fœmina? Tulisti aliquid injuste? Fuisti ebriosus, & vomisti per vinum sacrificium? Maledixisti patrem tuum, aut matrem tuam, aut fratres, aut sorores? Fecisti augurium? Criminasti hominem vel pecus, qua multum peccatum est? Dedisti venenum aliquem hominem, quia homicidium est? Dixisti verba otiosa & vacua, quia Dominus dixit, de omni verbo otioso reddere rationem in die judicii? Fuisti infidelis seniori tuo? Habuisti negligentiam de parvulo tuo quod fuisset ad tempus baptizatus? Peccasti cum femina, quæ habuisset sanguis menstruus? Fecisti negligentiam de tua decima, quod totum non absolvisti? Vis pœnitentiam agere de omnibus peccatis tuis, quæ supra commemoravimus? ℟. Volo.

AL. SERMONE AD POENITENTEM.

Hæc est ratio pœnitentiæ & confessionis nostræ, quæ coram Domino & sacerdotibus ejus a nobis pariter agendæ sunt. Idest in anno quoque tribus vicibus, id est in quadragesimis populus fidelis suam confessionem suo sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit. Monachi in unoquoque sabbato, & clerici canonici in tertio sabbato confessionem faciunt cum bona voluntate episcopo aut priori suo.

Quando volueris confessionem facere peccatorum tuorum, viriliter age & noli erubescere; quia inde venit indulgentia. In primis tene te humiliter in conspectu Dei in terra ad orationem, & roga B. Mariam cum Sanctis apostolis, & martyribus, & confessoribus, & virginibus; ut ipsi intercedant pro te ad Dominum, ut Deus omnipotens dignetur tibi dare sapientiam perfectam & scientiam veram ad confitendum peccata tua; & postea cum fiducia surge & vera credulitate, & dic illi:

Serve Dei, Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ? ℟. Credo. Credis & in Jesum Christum, Filium ejus unicum Dominum nostrum? ℟. Credo. Credis quod istæ tres personæ, quando dicimus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres personæ sunt & unus Deus? ℟. Credo. Credis quod in ipsa carne in qua nunc es recipere habes quod egisti, & quod egeris sive bonum sive malum? ℟. Credo. Credis resurrectionem & vitam æternam tibi esse post mortem? ℟. Credo. Vis dimittere omnia mala illis hominibus, qui in te peccaverunt, ut Deus dimittat tibi omnia peccata tua, dicente Domino in evangelio: Si remiseritis hominibus peccata eorum, remittuntur vobis peccata vestra? ℟. Volo.

*Et postea require eum diligenter secundum opera mala quæ separant hominem, ut ait apostolus, a regno Dei. Hæc autem sunt, mala cogitationes, malus sermo & otiosus, odium, invidia, detractiones, maledictio, convitium, turpiloquium, elevatio, desidia, pigritia, inhonoratio bonorum, inhonoratio cognatorum, inhonoratio dierum Dominicorum & sanctarum solemnitatum, ignorantia, negligentia, vana gloria, iracundia, avaritia, falsa testificatio, somnolentia, intemperantia in cibis, rapina, gula, ebrietate, comessatio, fornicatio, adulterium, sacrilegium, superbia, perjurium, homicidium, & his similia. Et postquam confessus fuerit sua peccata; si vult dimittere, * eum dari pœnitentiam; & si non vult, non det ei pœnitentiam, quia non potest. Et si vult dimittere ipsa peccata, fac ei confiteri ea, & ad ultimum dicere: multa sunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. Tunc da ei pœnitentiam canonice mensuratam, & propterea effunde super eum orationes & preces. Tunc dicat sacerdos:*

Indulgeat tibi Dominus omnia peccata tua præterita, præsentia, & futura: liberet te ab omni malo, conservet te in omni opere, & perducat te ad vitam æternam, qui cum Patre, & Spiritu-sancto, vivit & regnat.

Tunc da ei pœnitentiam secundum quodque peccatum quod peccaverit, sicut in pœnitentiale continetur. Et post absolvat eum sacerdos, ne forte ei superveniat subitanea mors, & ligatus de hoc sæculo abscedat.

Promittis te de præteritis culpis emendare, & Trinitatem credere, & omnes adinventiones diaboli abrenuntiare? ℟. Promitto.

Dominus sit tibi adjutor, & protector, & præstet tibi indulgentiam de tua peccata.

Orationes.

Deus misericordiæ, Deus indulgentiæ det tibi emendationem & in vera pœnitentia perseverare. Per.

Decantas super eum psalmos 5. & orationes sicut in sanctum Gregorium continentur. Pater noster. Et ne nos. Deus in adjutorium. Convertere Domine aliquantulum.

ORATIONES ET PRECES SUPER POENITENTEM.

EXaudi, Domine, preces nostras, & tibi confitentium parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Præveniat hos famulos tuos & has famulas tuas ill. quæsumus Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur. Per.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ne sit ab his famulis tuis ill. clementiæ tuæ longinqua miseratio, sana vulnera eorum, remitte peccata, ut nullis iniquitatibus a te separati, tibi Domino semper valeant adhærere. Per.

Precor, Domine, clementiam tuæ majestatis ac nominis, ut hunc famulum tuum ill. peccata & facinora sua confitenti veniam relaxasti, & præteritorum criminum relaxare digneris: qui humeris ovem perditam reduxisti ad caulas, qui publicani precibus & confessione placatus es: tu etiam, Domine, & hunc famulum tuum ill. placare. Tu ejus precibus adsiste, in confessione flebili permanens, clementiam tuam celeriter exoret, & sanctis ac sacris altaribus restitutus, spei rursus æternæ & cælestis gloriæ reformetur. Per.

Domine, Deus noster, qui confessionem nostram non vinceris, sed satisfactionem placaris; respice, quæsumus Domine, ad hunc famulum tuum ill. qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est absolutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum. Concede ergo, Domine, hoc, ut & tibi pœnitentiæ excubias celebret, & ut correctis actibus suis conferre sibi ad te sempiterna gaudia gratuletur. Per.

ORDO AGENTIBUS PUBLICAM POENITENTIAM.

SUscipe eum quarta feria mane in capite quadragesimæ, & cooperies eum cilicio, & ores pro eo, & includes usque ad Cœnam Domini: qui eodem die in gremio præsentetur ecclesiæ, & prostratus omni corpore in terra, det orationem pontifex super eum ad reconciliandum in 5. feria Cœna Domini sicut ibi continetur.

Caput XXXI. Feria IV. in capite jejunii. Statio ad S. Sabinam.

ORDO.

SI quis forte non poterit jejunare, & habuerit unde dare ad redimendum: si dives fuerit; pro septem hebdomadibus det solidos XX. Si autem non habuerit tantum unde dare; det solidos X. Si autem multum pauper fuerit; det solidos III. Neminem conturbet, quia .... XX. quam pauper solvere tres. Sed unusquisque attendat cui dare debet, sive pro redemptione peccatorum, sive super sancto altari, sive pauperibus christianis erogandum. Et hoc scitote, fratres, ut dum venerint servi vel ancillæ quærentes pœnitentiam, non eos gravetis, neque cogatis tantum jejunare, quantum divites, quia servi & ancillæ non sunt in sua potestate, ideoque medietatem pœnitentiæ eis imponite.

INCI-

* lege *contritionem*.

* L. *tunc da ei*.

INCIPIT RATIO AD DANDAM POENITENTIAM.

IN *primis dicas psalmum xxxvij.* Domine ne in furore, *& postea* Oremus, *& dicat psalmum cv.* Benedic anima *usque* renovabitur ut aquilæ juventus tua. *Et iterum* Oremus, *& dic psalmum* Miserere mei Deus *usque* & omnes iniquitates meas dele. *Et postea dic psalmum lij.* Deus in nomine tuo: *& dicas* Oremus: *& dicas psalmum lj.* Quid gloriaris in malitie *usque* videbunt justi & timebunt, *& dicit*.

Oremus.

Deus, cujus indulgentiam nemo non indiget, memento Domine, famulo tuo ill. & qui lubrica terrenique corporis fragilitete nudatur: quæsumus, ut des veniam confitenti, parce supplici; ut qui nostris meritis accusamus, tua miseratione solvamur, Per.

Alia.

Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, omnesque conscientiæ contremiscunt; propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus; & sicut nemo nostrum est liber a culpa, ita nemo sit alienus a venia. Per.

Alia.

Deus infinitæ misericordiæ, veritatisque immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, & omnibus animarum nostrarum medere languoribus; ut miseratione percepta, in tua semper benedictione lætemur. Per

Alia.

Precor, Domine, clementiæ & misericordiæ tuæ majestatem, ut famulo tuo ill. peccata & facinora sua confitenti veniam relaxere digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti, qui publicani preces confessione placatus exaudisti: tu etiam huic famulo tuo placare, Domine, tu hujus precibus benignus adspira, ut in confessione placabilis permaneas fletus ejus, & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus & secretis restitutus, spei sursum æternæ & cælestis gloriæ mancipetur. Per.

Item alia impositionis manus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum vulnera nostra curare dignatus es; te supplices rogamus & petimus, nos humiles tui sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, atque ad pœnitentis confessionem moveri, remittasque omnia crimina, & peccate universa condones, desque huic famulo tuo ill. Domine, pro supplicibus veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam; iste cælestis epicis devolutus est, & de tua misericordia confidens, ad bonum pacis præmii tui atque cælestem pervenire mereatur ad vitam æternam. Per.

ORDO XI.

Ex ms. codice Colbertino num. 1348, ante annos 800. exarata.

ORDO AD POENITENTIAM DANDAM.

D*Icis psalmum vj. totum, & iterum dic:* Oremus, *& incipis psalmum* Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt *usque* renuvabitur ut aquilæ juventus tua. *Deinde dicis psalmum L.*

Sequitur collecta.

Deum omnipotentem ac misericordem, qui non vult mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant, fratres carissimi, precamur, ut converso ad viam rectam famulo suo illo, misericordiæ suæ veniam propitiatus indulgeat. Et si qua sunt culparum suarum omnium vulnera quæ post sacri levacri unda contraxerunt; ita in hac publica confessione delicta sanentur ut nulla in eum ultra cicatricum signe remaneant. *

ORDO XII.

Ex ms. Bibliotheca Regia num. 3866. ab annis circiter 809. scripto.

ORDO POENITENTIS AD MORTEM.

IN *primis cum pœnitens venerit ad confitendum, dicat sacerdos intra se:*

Domine, Deus omnipotens, qui non vis mortem peccatorum; sed ut convertantur & vivant: propitius esto mihi peccatori, & suscipe orationem, quam pro famulis & famulabus tuis, peccata sue confiteri cupientibus, ante conspectum clementiæ tuæ humiliter fundo; ut pariter eos & e peccatis exuas & in futuro ab omni crimine illæsos custodies. Per.

Et cum confessus fuerit peccata sua; dicat illi sacerdos quod non desperet de venia vel de misericordia Dei; sed firmiter sentat quia salvus erit, si ipsa hora mortuus fuerit, si tantum sit talis voluntas ejus, ut si vixerit emendare per pœnitentiam mala quæ fecit, & per jejunium, & eleemosynam, & orationem voluerit, ita ut amplius non eadem faciat. Et dicas quia per istam voluntatem salvus esse poterit, etiamsi statim mortuus fuerit. Et ostendat ei modum pœnitentia dicenda quantum debuisset jejunare, vel aliam quamlibet pœnitentiam agere si posset: & non imponas ei pœnitentiam quia infirmus est, nisi eo tenore si sanus factus fuerit, indictam, nisi ab eodem sacerdote remittatur illi, compleat pœnitentiam currendo ad ecclesiam. Dicat etiam ei quod non timeat mori; sed conjungat voluntatem suam cum voluntate Dei: ut sicut placet illi de se placeat, & ipsi. Quod si Deus vult ut vivat; ipse gaudeat vivere. Non timeat mori pro uxore, pro filiis, pro servis, vel ancillis, neque pro ulla re; sed omnia ponat in Dei ordinatione quia Deus sine illo potest regere familiam & uxorem ejus & filios; ipse vero etsi viveret, sine Dei auxilio eos adjuvare non posset. Postea communicet eum. Deinde si possit prosternat se pœnitens in vice Dei ante Sacerdotem ipso faciente litaniam ordine quo supra.

Deinde sequuntur Capitula.

Ego disi, Domine, miserere mei.
Sana animam.
Salvum fac servum suum.
Deus meus.
Propitius esto peccatis, Domine.
Et præ
Convertere, Domine, aliquantulum.
Et
Exurge, Domine, adjuva nos.
Et libera.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor.

Deus, cui proprium est misereri & parcere; suscipe deprecationem nostram, & famulum tuum N. ad confessionem, & pœnitentiam, veramque emendationem & veniam tuæ pietatis aspiratione compunctum, quem delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per

Deinde psalmos, Domine ne in furore tuo. *ts. usque* cor meum. Miserere mei Deus, *usque* averte. Benedic anima mea s. *usque* juventus. Gloria Patri & Filio. Kyrie eleison. Non intres in judicium cum servo tuo. ℟. Quia. Domine ne memineris iniquitatum. ℟. Cito. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte. Illumina faciem tuam super servum tuum. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris: Respice super hunc famulum tuum N. peccata & facinora sua confitentem; veniamque illi donare digneris, ut præteritorum criminum culpas indulgeas; qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, & publicani precibus & confessione placatus es. Tu hujus, Domine, precibus benignus aspira, & remitte ei omnia peccata & crimina: da pro suppliciis veniam, pro morte vitam, cunctisque ejus medera vulneribus, & sicut nemo est nostrum liber a culpa, ita & iste non sit alienus e venia. Per.

Alia.

Exaudi, Domine, supplicum preces, &c.

Alia.

Præveniat hunc famulum, &c.

Alia.

Domine, sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum vulnera nostra curare dignatus es, te supplices rogamus & petimus ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, & remittas omnia peccata & universa crimina huic famulo tuo, donesque ei Domine pro suppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam: ut qui suadente diabolo cecidit in ruinam, te revocante, trahatur ad misericordiam, & ad æterna præmia pervenire mereatur. Per.

Alia.

Deus misericors, Deus clemens, &c.

Alia.

* Brevis iste ordo adhibitus fuisse videtur in quotidianis confessionibus, quales erant monachorum, ad quos iste Sacramentorum liber unde desumptus est pertinuit.

Alia.

Majestatem tuam, &c.

Alia.

Deus misericors, Deus clemens, qui multitudinem indulgentiarum, &c.

Deinde indulgentia.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, præterita, præsentia, & futura, donetque tibi omnes cogitationes malas & iniquas, rectas cogitationes & Deo amabiles: contra facta vero periculosa & multiplicia det tibi Spiritus-sanctus remissionem in perpetuum & compunctionem saluberrimam: infundat te lacrymis competentibus, quatenus possis per Dei gratiam deinceps omni tempore agere & dicere quæ Dei sunt & expediunt proximis, & quæ ad tui emendationem & ad Dei laudem pertineant sempiternam. Succurrat tibi Dominus cum exercitu cælesti, & det tibi pacem, ac perducat in vitam æternam.

Mox subsequitur missa, quam sacerdos pro sibi confesso canere debet.

Justus es Domine & rectum, &c.

Beati immaculati.

Da nobis, quæsumus, Domine, ut sicut Publicani precibus & confessione placatus es; ita & huic famulo tuo placari digneris: Tu precibus ejus benignus aspira, ut in confessione flebili permanens, petitione perpetua te celeriter exoret, sanctisque tuis altaribus & sacramentis restitutus, rursus cælesti gloriæ mancipetur. Per.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ne sit ab hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miseratio. Sana vulnera ejus illiusque remitte peccata, ut nullis iniquitatibus a te separetur, dono gratiæ tuæ perfusus tibi Domino semper valeat inhærere.

AD GALATAS.

Fratres, si vivimus spiritu, spiritu & ambulemus.

Salvum fac servum tuum. Auribus percipe, Domine.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus ad quosdam qui in se.

Bonum mihi, Bonum est confiteri Domino.

Secreta.

Suscipe, clementissime Pater, hostias placationis & laudis, quas ego peccator & indignus famulus tuus tibi præsumo offerre ad honorem & gloriam nominis tui, & pro incolumitate famuli tui, ut omnium delictorum suorum veniam consequi mereatur. Per.

Gustate & videte.

Postcommunio.

Purificent nos, quæsumus Domine, sacramenta quæ sumsimus, & famulum tuum N. ab omni culpa liberum esse concede; ut qui conscientiæ suæ reatu constringitur, cælestis remedii plenitudine glorietur.

Item alia missa.

Omnipotens sempiterne Deus, qui peccantium non vis animas perire, sed culpas: respice propitius super hunc famulum tuum N. & contine quam meretur iram; & quam precamur super eum effunde clementiam: ut de mœrore ad gaudium tuæ misericordiæ transferatur. Per.

Secreta.

Munera, Domine, oblata sanctifica, & famulum tuum N. e peccatorum suorum maculis emunda. Per.

Ad Communionem.

Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia nostra curentur, & famulum tuum N. ab omnibus delictorum suorum catenis absolutum misericordia tua præveniat semper, & subsequatur. Per.

ORDO XIII.

Ex ms. Pontificali ecclesiæ Bisuntinæ, ab annis circiter 600. scripto, quod etiam usui fuit ecclesiæ Turonensi.

INCIPIT ORDO IN CAPITE JEJUNII.

Hora prima conveniant omnes archidiaconi & archipresbyteri in unum. Si archiepiscopus fuerit, veniant ante illum: quod si non; ipsi faciant per se convenire omnes pœnitentes, quibus injungenda est pœnitentia: & diligenter examinatis, detur eis modus pœnitentiæ secundum modum culpæ. His peractis sonantur duo signa ter: & hora sexta veniant omnes ad majorem ecclesiam tam clerus quam populus. Tunc induit se D. archiepiscopus alba & stola & purpurea cappa; & ascendit ambonem, annuncians populo proprietatem diei, qualiter se debeant habere rei, qui ejiciendi sunt ab ecclesia, & quanta instantia debeant pro eis orare, qui per Dei donum remaneant infra ecclesiæ septa. His ita gestis, benedicantur cineres & deportentur in testeo vase, ut cognoscat se homo terram esse, & in cinerem reversurum.

Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio.

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui misereris omnium, & nihil odisti eorum quæ fecisti; &c.

Dum dantur cineres, dicitur: Recognosce homo quia cinis es, & in cinerem reverteris.

Interim dum dantur cineres, cantantur hæ antiphonæ. Exaudi nos, &c. Juxta vestibulum & altare, &c. Immutemur habitu, &c.

Datis cineribus, dicat hanc orationem: Deus qui humili actione flecteris, & satisfactione placaris, &c.

Deinde prosternat se episcopus, & pœnitentes cum clero & populo ad orationem; & dicantur vij. psalmi pœnitentiales: quibus finitis, dicat episcopus hæc capitula: Domine non secundum peccata nostra facias nobis. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Cito anticipent misericordiæ tuæ, quia pauperes. Reminiscere miserationum tuarum, Domine. Et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt. Salvos fac servus tuos & ancillas tuas. Deus meus. Dominus vobiscum.

Oratio super pœnitentes.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, &c.

Alia.

Deus qui juste irasceris, & clementer ignoscis, &c.

Alia.

Exaudi, Domine, preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis, &c.

Alia.

Præveniat his famulis tuis, &c.

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab his famulis tuis clementiæ tuæ longinqua miseratio, &c.

Postea procedat acolythus crucem portans, quem sequuntur pœnitentes, episcopus post eos cum cambuca ejiciens reos ante se de ecclesia. Cantent interim seniores ℟. In sudore vultus tui vesceris, &c. *Cum autem venerint ad sinistrum ostium ecclesiæ, acolythus qui crucem portat, secedat in partem, & episcopus ejiciat illos extra ecclesiam, & claudat illis ostium ecclesiæ dicens:* Ecce ejicimini hodie e sinu matris ecclesiæ propter peccata vestra, sicut Adam primus ejectus est a paradiso propter transgressionem suam. *Et parvo intervallo facto, iterum aperiat ostium, ostendens eis quanta distantia sit inter bonos, qui cum Dno & sanctis ejus remanent in ecclesia, & reos qui pro sua nequitia cum diabolo projiciendi sunt in supplicium æternum, nisi se per pœnitentiam correxerint.*

INCIPIT ORDO IN COENA DOMINI AD RECONCILIANDOS POENITENTES.

Hora diei prima conveniant ante archiepiscopum archidiaconi cum archipresbyteris; & agant scrutinium de pœnitentibus, qui debeant reconciliari, qui extra ecclesiam remanere. Et de singulis consilio accepto, pulsetur Prima, mox veniatur ad capitulum: finito versu, D. archiepiscopus compendiosum sermonem faciat fratribus de tanta diei sollemnitate, & de tam sacro officio peragendo, ut honeste se habeant, cum timore Dei cuncta peragant. Post allocutionem statim prosternat se archiepiscopus, & faciat confessionem fratribus, & fratres illi, ut impleatur illud apostoli: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini. Tunc absolvat illos domnus, & illi domnum. Et statim fratres vadunt ecclesiam, ut in directo cantent omnes horas propter officium quod protenditur in longum: & interim præparat se domnus ibidem in capitulo cum suis processoribus. Tunc pulsentur duo signa ter, sicut mos est in magnis processionibus; & congregetur clerus & populus, & aptent se pœnitentes. D. archiepiscopo præparetur sedes in media porticu ante occidentalem portam dextram, & mox veniens sedeat in sede circumstante clero: & pœnitentes sint extra ecclesiam in atrio, stetque unus archidiaconus cum illis indutus alba & stola sine dalmatica, dicatque excelsa voce, ter indicens manu silentium: State, fratres, cum silentio audientes intente. *Et facto silentio,*

dicat hunc sermonem legendo distincte & aperte ad intelligendum quasi lectionem, Adest, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum, &c.

Tunc surgit episcopus, & dicit antiphonam, Venite. *Et diaconus ex parte pœnitentium*, Flectamus genua. *Tunc omnes pœnitentes flectent genua: & parvo intervallo facto, diaconus ex parte pontificis*, Levata. *Interim domnus*, Venite: *& diaconus ex parte pœnitentium ut supra. Similiter diaconus ex parte episcopi, ut supra. Et interim tertio domnus*, Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos, Venite. *Et diaconus ex parte pœnitentium*, Flectamus genua. *Mox cum diacono pœnitentes corruant ad terram, & jaceant prostrati usque dum episcopus alteri diacono innuat*; Levate. *Prosequatur clerus cum psalmo*, Accedite. Benedicam Dominum. *Interim offerantur pœnitentes a presbyteris episcopo, ut ipse eos matri reconciliet ecclesiæ, interrogetque per unumquemque*, Est dignus reconciliari? *Respondeat presbyter*, Dignus. *Dicat ei episcopus*: Tecum maneat, *& det pœnitenti pacem ita dicendo*: Pax tecum; *& tradat illum diacono & sic intrent ecclesiam. Postquam omnes intra ecclesiam introducti fuerint, veniat episcopus ante altare; & prosternens tam ipse quam ceteri, canitur hæc antiphona cum psalmis*, Cor mundum crea in me Deus. Miserere mei Deus. Miserere mei Deus, miserere mei. *Quibus finitis, dicitur* Kyria eleison, *& capitulum*. Tu mandasti mandata tua. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis. Salvos fac servos tuos & ancillas tuas. Convertere, Domine, usquequo. Esto eis, Domine, turris fortitudinis. Mitte eis Domine auxilium de sancto: Domine exaudi orationem meam.

Sequitur oratio.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & me qui etiam misericordia tua primus indigeo, &c.

Alia.

Præsta quæsumus Domine, his famulis vel famulabus tuis dignum, &c.

Alia.

Deus humani generis benignissime conditor, &c.

Alia.

Deus miserator, Deus clemens, &c.

Alia.

Majestatem tuam, Domine, &c.

Absolutio.

Dominus Jesus Christus, qui discipulis suis dixit, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis, de quorum numero quamvis me indignum & peccatorem, ministrum tamen esse voluit. Intercedente Dei genitrice Maria, & B. Michaele Archangelo, & B. Petro apostolo, cui data est potestas ligandi atque solvendi, egregioque Johanne evangelista, venerandoque Stephano Patrono nostro, & omnibus sanctis, ipse vos absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis vestris, quæcumque cogitatione, aut locutione, aut operatione negligenter egistis, atque a vinculis peccatorum vestrorum absolutos perducere dignetur ad regnum cælorum. Per.

Absolutio.

Absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum percipere mereamini hic & in æternum. Amen.

Et moneantur ab episcopo pœnitentes, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non renovent.

ORDO XIV.

Ex ms. S. Remigii Remensis, annorum 500.

ORATIONES DICENDÆ QUANDO AD EPISCOPUM VENIUNT HI QUI IN CRIMINALI PECCATO DETINENTUR.

Flexis genibus ante episcopum, oret pro se & pro illis hanc orationem.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & me qui etiam misericordia primus indigeo, clementer exaudi, mihique quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum, da fiduciam tui muneris gratiam exsequendi, & ipse in nostro ministerio quod tuæ pietatis est operare. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus Domine, his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarant errando, admissorum reddantur innoxii, veniam consequendo. Per.

Alia.

Deus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum, unici Filii tui sanguine redemisti: vivifica hos famulos tuos, quos nullatenus perire permittis; qui non derelinquis devios, assume correctos. Moveant pietatem tuam, quæsumus Domine, horum famulorum tuorum lacrymosa suspiria. Tu eorum medere vulneribus, tu jacentibus manum porrige salutarem, nec Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exsultet, ne renatos lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices, tibi fletum cordis effundimus. Tu parce confitentibus, ut sic in hac mortalitate peccata sua defleant, te adjuvante, quatenus in tremendo judicii die sententiam damnationis æternæ evadant; & nesciant quod terret in flammis, atque ab erroris via aditus reversi justitiæ nequaquam ultra vulneribus sancientur, sed integrum sis eis atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod misericordia reformavit. Per.

Alia.

Absolvimus vos vice B. Petri apostolorum principis, cui Dominus ligandi atque solvendi potestatem dedit, & quantum ad vos pertinet accusatio, & ad nos pertinet remissio, sit vobis Deus omnipotens vita, & salus, & omnium peccatorum vestrorum indultor: & qui vobis compunctionem cordis dedit, det veniam peccatorum, longævamque atque vobis felicem vitam in hoc sæculo largiatur, & futuram cum Christo & omnibus sanctis ejus sine fine manentem. Per.

Alia.

* Sicut principali constat sententia, quia in multis offendimus omnes, unde ingemiscimus: ita principali sententia consolamur, quia si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est Jesus Christus, Conditor & Redemtor ac Salvator noster, quem habemus advocatum & justum apud Patrem, & est propitiatio pro peccatis nostris, & interpellat fideliter pro nobis confitentibus peccata nostra, & dimittat nobis, ac emundet nos ab omni iniquitate. Quapropter, fratres nostri, confitentibus vobis peccata vestra per ecclesiasticam apostolicæ auctoritatis potestatem, quam Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis dicens: Accipite Spiritum-sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & per eosdem apostolos suos suorumque successores, quorumque videlicet indigni vicem tenemus, etsi non merito, tamen nomine atque officii susceptione, eamdem potestatem donavit, & in se credenti dixit: Fiat tibi secundum verbum tuum, gratia & potentia sua virtute Spiritus-sancti, qui est remissio omnium peccatorum, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet vos semper in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam, & ad sanctorum consortium supernorum. Per.

Alia.

Sicut a Domino nostro Jesu Christo didicimus per doctrinam sanctorum apostolorum de absolutione criminum per invocationem nominis ejus, dicente ipso ad Patrum, quæcumque alligaveris, alligata erunt, & quæcumque solveris, soluta erunt: & quæcumque nos pontificibus & sacerdotibus propagans, confisi in ejus misericordia, procedente pietate divina, ad quem propria remissio pertinet peccatorum: vos fratres, invocato nomine Domini nostri Jesu Christi, absolvimus, ut dimittat vobis Dominus omnia peccata vestra, tam præterita, quam futura: liberet vos ab omni mali adversitate, conservet vos in omni opere bono, & perducat vos Dominus in vitam æternam, & det vobis Dominus, intercedentibus omnibus sanctis suis, remissionem omnium peccatorum & gaudia sanctorum angelorum. Amen.

Alia.

Vice B. Petri principis apostolorum omniumque prædecessorum nostrorum, quibus omnipotens Pater potestatem dedit ligandi atque solvendi, quorum legatione fungimur, absolvimus vos secundum præceptum Domini, & ab omnibus vinculis iniquitatis, ut si retro fuistis filii diaboli, a modo sitis filii Dei vivi; & si fuistis filii tenebrarum, a modo sitis filii lucis, confractaque catena colli vestri, sitis hostia placabilis atque acceptabilis omnipotenti Deo ad serviendum sibi, ipso præstante qui dat vitam mundo in sæcula sæculorum.

Alia.

Precor, Domine, clementiam tuam, ut his famulis tuis N. peccata sua & facinora confitentibus donare veniam, & præteritorum criminum culpas relaxare digneris,

qui

* Hac formula absolutionem a peccatis accepit Robertus Cenomanensis episcopus a coepiscopis circa muros Andegavis, cum Carolo principe in obsidione Normannorum residentibus;

Qui humeris tuis ovem perditam reduxisti, qui publicani Placari confessione dignatus es; tu etiam, Domine, in horum famulorum tuorum precibus benignus sessisse, ut ineffabile confessione persistentes, pietatem tuam celeriter & indifficulter exorent, & sacris altaribus mysteriisque restituti, æternæ vitæ præmia consequantur. Per.

Alia.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum culpas veniæ remissionis evacuas, respice propitius super hos famulos tuos, & remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentes, deprecatus exaudi. Renova in eis, piissime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude violatum est, & in unitate corporis Ecclesiæ tuæ perfecta remissione restitue: Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia, ad sacramentum reconciliationis admitte. Per.

Alia.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut hos famulos tuos N. longo squallore pœnitentiæ maceratos miserationis tuæ veniam largire digneris: ut nuptiale veste recepta; ad regalem mensam eulam, unde ejecti fuerant, mereantur introire. Per.

Feria v. in Cœna Domini omnes pœnitentes veniant ad absolutionem. Episcopo ingrediente ecclesiam, & incipiente antiphonam: Oremus dilectissimi. *Qua finita, prosternentes se ante altare, dicant* confessionem, *& postea decantent septem psalmos pœnitentiales cum litaniis & oratione Dominica, cum psalmo* Deus misereatur, *cum precibus & his collectis.*

Adesto, omnipotens Deus, supplicationibus humilitatis meæ, & me irretitum offensionibus fragilitatis humanæ, in misericordia tua fiducialiter fac confidere; & quem non electione meriti, sed dono tuæ gratiæ mysterii tui participem effecisti, intercedente beata & gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria, ac sancto Petro apostolo cum omnibus sanctis, me clementer adjuva: ut omnium criminum meorum maculis purgatis, e te summo Pontifice cælesti merear perungi sanctificatione; quatinus tuum munus exequi valeam confidenter; & tu, Domine, in nostro mysterio quod tuæ pietatis est misericorditer operare. Emunda, quæso Domine, cælesti gratia conscientiam meam, ut per te Spiritus sancti per os meum resonet organum, & tibi devota mente prostratis per gloriam tuæ divinitatis, & per concessum mihi a te officium apostolatus, perque affamina meæ devotionis cœlitus adveniat nobis omnium peccatorum indulgentia salutaris, annuente Patre ingenito, teque Filio unigenito, & ex utroque procedente Spiritu-sancto, per omnia sæcula sæculorum.

Alia.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condigne tibi possim gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam fecisti sacerdotalis officii ministrum, & mediatorem contulisti ad orandum & interpellandum Dominum nostrum Jesum Christum pro peccatoribus & ad pœnitentiam convertentibus. Ideoque, Dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, qui non mortem peccatorum vis, sed ut convertantur & vivant, intercessione omnium sanctorum tuorum, qui tibi in cœlesti regno quotidie adsistunt, suscipe orationem meam, quam in conspecto majestatis tuæ pronus effundo pro fratribus nostris, pro famulis famulabusque tuis, qui ad impetrandam misericordiam tuam, ad te toto corde confugiunt, & annue benignus, ut nostræ auctoritatis absolutio per te eis fiat omnium peccatorum remissio, te largiente, qui vivis & regnas Deus.

Alia.

Respice, Domine, supplicum vota, & clamantium ad te preces benignus exaudi, & misericordiæ nobis compunctionem luce dilectionis infunde, ut dispensationis tuæ miseratione per lamenta pœnitentiæ delectationum valeamus vulnera tergere, atque censura Spiritus-sancti disciplinæ ad operationem a te promerendæ veniæ: tu, Domine, opus tuum per te in nobis operare, quatinus tibi Redemptori nostro non servili metu, sed caritatis effectu atque amore justitiæ mereamur obedire, sicque obediendo æternaliter tecum regnare, qui factus obediens Patri usque ad mortem, vivis, & gubernas cuncta creata per omnia sæcula sæculorum.

Hic episcopus vertens se ad pœnitentes, ita faciat absolutionem.

Domine, Deus omnipotens, Rex regum, & Dominus Dominantium, æterne Pontifex, ac veri tabernaculi sacerdos, qui propriæ corporis tui salutarem hostiam gratis obtulisti pro nobis, & nunc sanctus atque immaculatus agnus ad dexteram Patris sedes in excelsis, interpellans pro delictis semper nostris, Jesu Christe, clemens & misericors, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas. Respice quæsumus super hos famulos tuos, & remissionem illis omnium peccatorum tota cordis confessione poscentes, deprecatos exaudi. Renova in eis, Piissime, quicquid terrena fragilitate corruperunt. Redintegra quicquid diabolica fraude violaverunt, & quod in eis negligentia polluerunt, aut ira commiserunt, aut ebrietate stimulaverunt, aut libidine subverterunt: tu totum venia misericordissimæ lenitatis absterge; ut qui per se proclivi fuerunt ad labendum, per te semper subleventur ad standum: & qui per se proni fuerunt ad offensam, per te reparentur ad veniam, nec de damno ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, gaudeat inimicus, nec ovem pretioso sanguine tuo redemtam a caulis ovium tuarum crudelis rapiat hostis, sed magis discedat confusus, dum viderit hos famulos tuos corporis Ecclesiæ membrum perfectum, & gratiæ tuæ plenissimam misericordiam consecutos. Miserere igitur illorum gemituum, miserere lacrymarum. Tu, Domine, per prophetam promisisti, Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, & in quacumque die peccator conversus fuerit, & pœnitentiam egerit, omnia peccata ejus in oblivione erunt. Nam si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? Nullus mortalium poterit salvus esse, Nemo enim coram te justo judice justificatur, nisi per te remissio peccatorum tribuatur. Et quidem tu ipse Salvator, per quem facta sunt omnia, in Patre permanens & in Spiritu-sancto ab utroque procedente, nosti quæ sit conditio humana, quæ sit fragilitas terrena. Parce igitur, Redemtor mundi, his famulis tuis ex toto corde peccata sua confitentibus, & ad te, cujus miseratio non habet finem, suppliciter confugientibus; sana animarum eorum vulnera, relaxa facinora, & delictorum eorum catenas absolvens, quicquid in eis alienum est mortifica, & quicquid tuum est vivificans conserva. Et quia tu solus potes mundum facere de immundo conceptum semine, cor mundum in eis recrea, & spiritum rectum in visceribus eorum innova, ut deinceps in te, sine quo nihil potest mortalis infirmitas, vivant, & omnes actus illorum in beneplacito tuo, Domine, dirige, quatenus ad tremendum judicium tuum liberi & securi ab omnibus accusationibus inimici pervenire mereantur. Per te Domine Jesu Christe, qui cum Patre & Spiritu.

Absolvimus vos vice B. Petri apostolorum principis, cui Dominus ligandi atque solvendi dedit potestatem, & quantum ad vos pertinet accusatio, & ad nos pertinet remissio, vobis peccata indulgemus. Sit vobis omnipotens Deus vita & salus, & omnium peccatorum vestrorum pius indultor; & qui vobis compunctionem cordis inspiravit & ad pœnitentiam revocavit, ipse vobis veniam concedat delictorum, longævam & felicem in hoc sæculo vitam, perfectamque in beneplacito suo consummationem, atque in Christo cum omnibus sanctis sine fine conversationem. Per.

Hic Pontifex apprehensa manu dextra pœnitentis, erigat eum de terra, & inclinato eo coram se, hanc super episcopus dicat orationem.

In nomine & misericordia omnipotentis Dei, consurge liberatus ab omnibus peccatis & humanæ fragilitatis contagiis. Porrigat vobis Deus dexteram cœlestis auxilii, qui Petrum in fluctibus ne mergeretur erexit, & ab universis vos erigat animæ & corporis incommoditatibus. Absolvat vos Dominus a vinculis peccatorum vestrorum, qui solvit compeditos & erigit elisos. Convertat Deus ad fidei & veritatis agnitionem, ut conversi lætemini in salute ejus jucunditate & æterna exultatione, & sit in vobis nomen Domini benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

Tunc inferat hæc episcopus homini reconciliato.

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet vos semper in omni opere bono, & perducat vos Christus in vitam æternam.

„ His ita peractis, det eis episcopus monita salutis, per
„ quæ incedant viam veritatis; exhortans ne ad pristinam
„ redeant conversationem, sed cauti perseverent in emen-
„ dationem, jejunium & eleemosynam operando, vigilias
„ quoque cum sanctis orationibus exequendo, caritatem
„ quoque ac castitatem tam corporis quam animæ obti-
„ nendo, & ante omnia ut fidem catholicam fideliter cre-
„ dant ammoneantur.

Finis absolutio.

ORDO XV.

Ex ms. Pontificali insignis ecclesiæ Aquensis, annorum circiter 500. quod extat in Regia Bibliotheca n. 3873.

ORDO AD DANDAM POENITENTIAM.

Q*Uando peccata sua vult aliquis confiteri, sacerdos dicat apud sa hanc orationem.*

Oratio.

Domine Deus omnipotens, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; propitius esto mihi peccatori; & suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ, quo & me pariter, & hunc a peccatis omnibus exuas; & ut peccare de cetero caveamus, efficias. Per Dominum.

Ad hac interroget pœnitentem dicens: Frater, pro que causa venisti ad istam ecclesiam? *Peccator respondet:* Ego veni agere pœnitentiam meam de peccatis meis. *Tunc peccator mittat manus suas inter manus Sacerdotis, & dicat* * *ad Deum tribus vicibus:* In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. *Deinde dicat sacerdos:* Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. *Psalm.* Magnus Dominus & laudabilis nimis. Gloria. ℣. Sicut audivimus. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. *Capitula.* Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus. ℣. Mitte eis auxilium de sancto. ℟. Et de Sion. ℣. Domine exaudi. ℣. Et clamor meus.

Oratio.

Deus qui justificas impium, & non vis mortem peccatoris, majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulum suum de tua misericordia confidentem, cælesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves: ut tibi jugiter famulcent, & nullis tentationibus a te separetur. Per.

Postea prosternat se peccator in terram ante altare, & Sacerdos incipiat litaniam. Finita litania, dicat Pater noster, *& capitula, ut superius scripta sunt, & dicat* Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, & famulum tuum ad confessionem & pœnitentiam veramque emendationem & veniam, tuæ pietatis inspiratione compunctum, quem delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per.

Alia oratia.

Deus miserator, Deus clemens, Deus indulgentiæ, Deus pietatis & pacis, qui pro amore hominum in cruce manus expandisti, qui Cananæam & Publicanum vocasti ad pœnitentiam, convertere dignare famulum tuum, qui ante tuum sacrum altare suum confitetur reatum, & humilem se recognoscit, & facinorum omnium sibi veniam petit; & præsta misericors ei pœnitendi spatium, dignos pœnitentiæ fructus, & finem pœnitentialiter fructuosum Per.

Alia oratio.

Deus sub cujus oculis ** esse cor trepidat, & conscientiæ cunctæ pavescunt, propitiare famuli tui N. gemitibus, & cunctorum ejus omniumque medere languoribus: ut sicut nemo liber est e culpa, ita nemo sit alienus a venia. Per.

„ His actis, interrogat diligenter eum si recte credit,
„ & ne forte iram vel odium teneat, & si vult parce-
„ re iis qui in se peccaverunt, & si vult abstinere a pec-
„ catis, quæ hactenus gessit, & emendare si quid alicui
„ abstulit. Et cum promiserit hæc omnia se facturum,
„ continuo moneat eum confiteri Deo & sibi peccata.
„ Confessum vero interroget quale ministerium facit, & si
„ est comes aut judex, dicat illi, ut non accipiat præ-
„ mia, non judicet injuste. Si est escarius, non teneat
„ annonam familiæ. Si monetarius aut negotians non gra-
„ vet aliquem in negotio, & in *** concambio. Si ha-
„ bet patrem aut matrem, honoret eos, & det illis ne-
„ cessaria. Si animalia pascit, non faciat damnum aliis.
„ Si est massarius, non sit fraudulentus seniori de labo-
„ re suo. Si habet viduam aut orphanos, faciat cum
„ eis misericordiam. Si servus est, sit fidelis Domino
„ suo & laboret in quantum potest, & qui male faciunt
„ emendet eos. Si habet uxorem, non concumbat cum
„ ea festivis diebus, nec in quadragesima usque ad octa-
„ vas Paschæ. Si est monachus, aut monacha, aut presby-
„ ter, aut diaconus, aut subdiaconus, aut clericus, ser-
„ vent quod promiserunt. Deinde consideret si est dives
„ aut pauper; si Dominus aut servus; si sanus aut in-
„ firmus; si sit conjugatus aut non; si sit juvenis aut puer.
„ Omnia consideret, & secundum quod poterit agere,
„ imponat illi pœnitentiam. Et cui non potest imponere
„ jejunium, imponat eleemosynam vel orationem; & ut fle-
„ ctat genua per diem ac noctem. Sed antequam impo-
„ nat pœnitentiam, debet ostendere quam grave est illud
„ malum, & quot annis debeat pœnitere. Debet tamen
„ eum ammonere, ut non desperet: quia misericors est,
„ & ei omnia peccata dimittet, tamen si emendaverit.

„ Tunc sacerdos dicat illi, quot anni temporibus &
„ diebus debet pœnitentiam observare. Isti sunt dies qui
„ non computantur in pœnitentia: Nativitas Domini us-
„ que in Epiphaniam; a Pascha usque ad Pentecosten;
„ nativitas S. Johannis Baptistæ, S. Laurentii, assumptio
„ S. Mariæ, festivitas duodecim apostolorum, festivitas Om-
„ nium Sanctorum, & omnes dies Dominici, vel illorum
„ Sanctorum quorum reliquiæ possident festivitates. Pœ-
„ nitentiales vero dies sunt, Quadragesima major, sabba-
„ tum Pentecostes, quatuor tempora, vigilia S. Johannis
„ Baptistæ, vigiliis apostolorum, vigilia S. Laurentii, vi-
„ gilia S. Mariæ, vigilia Omnium Sanctorum, & aliis
„ diebus, idest feria secunda, feria tertia, & feria se-
„ xta, quibus Dominus dederit ad certamen adjutorium je-
„ junandi.

Tunc sacerdos faciat ei confessionem. Deinde dicat orationem.

Exaudi Domine, quæsumus, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis ut quos conscientiæ suæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Alia oratio.

Deus omnipotens, qui dedit potestatem B. Petro apostolo & ceteris apostolis, deinde episcopis & sacerdotibus ligandi atque solvendi; ipse a tuis peccatis omnibus absolvat & liberet absolutum. Per.

Absolutio.

Absolvimus te vice B. Petri apostoli, cui potestas ligandi atque solvendi a Deo concessa est, cujus vicem, quamvis indigni, nomine tamen, non autem merito gerimus, & oramus, ut quo ad te meretur accusatio, & ad nos pertinet culpæ remissio, omnipotens Deus omnium tuorum peccaminum sit pius indultor. Qui vivit.

Alia oratio.

Ea auctoritate Omnipotentis Dei B. Petrus, cælestis regni claviger, qui habet potestatem in cælo, & in terra ligandi atque solvendi, cujus quamvis immeriti, divina tamen suffragante gratia, vicem gerimus, ipse te absolvat ab omnibus peccatis tuis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium.

OBDO AD RECONCILIANDUM POENITENTEM.

D*Icit sacerdos capitula.* Averte faciem tuam e peccatis meis. ℟. Et omnes iniquitates meas dele. ℣. Coe mundum crea in me Deus. ℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut huic famulo tuo N. longo squallore pœnitentiæ macerato, miserationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde ejectus fuerat, mereatur intrare.

Alia oratio.

Omnipotens de Deo Deus, qui habet potestatem peccata dimittendi, & qui latroni jam in cruce suspenso peccata remisit, & eum ad paradisi delicias perduxit, & sancto Petro, cui dedit potestatem ligandi atque solvendi in cælo & in terra, & ad alios discipulos dixit; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt; ipse te secundum magnam misericordiam suam absolvat ab omnibus peccatis tuis, & faciat te peragere verem pœnitentiam; & sic ad finem perseverare in bonis operibus, ut dicat tibi, jam non te condemnabo; vade, & amplius noli peccare. Qui cum Patre & Spiritus sancto, &c.

Sequitur benedictio.

Bene † dicat te Dominus, & custodiat semper. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & verem det tibi pacem. Qui vivit.

Alia benedictio.

Bene † dicat te omnipotens Deus, & per abundantiam Spiri-

* al. *ad eum.*
** *al.* omne.
*** al. *cambio.*

Spiritus sancti, cor tuum corroboret, mentem tuam sanctificet, vitam tuam amplificet, castimoniam decoret, atque sensum tuum in bonis operibus confirmet, Prospera tibi tribuat, pacem concedat, salutem conferat, quietem tribuat, caritate muniat, & ab omnibus diabolicis & humanis insidiis sua te semper protectione & virtute defendat; & quæcumque postulaveris juste, clementer concedat. Auferat omnia mala quæ gessisti; tribuat tibi gratiam quam semper rogasti, ipso adjuvante & præcedente vos ad regna cælorum. Qui cum Patre.

Alia benedictio.

Bene † dicat te Deus Pater, custo † diat te Dei Filius, & illu † minet te Spiritus-sanctus; corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, & ad perpetuam vitam te perducat Christus Dei Filius. Qui tecum vivit, &c.

O R D O . XVI.

Ex ms. Pontificali insignis ecclesiæ Senonensis annorum minimum 500. quod extat in Bibliotheca Regia n. 4219.

ORDO QUOMODO POENITENTES IN QUADRAGESIMA EPISCOPO DEBENT SE PRÆSENTARE.

IN capite quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, reos se esse ipso habitu & vultu proclamantes. Ibi adesse debent decani, idest archipresbyteri parochiarum & presbyteri pœnitentium, qui eorum conscientias diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Post hæc in ecclesia eos introducat, & deinde sermonem faciat, & cum omni clero septem pœnitentiæ psalmos in terram prostratus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, juxta quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat; deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris suspiriis eis denunciet quod sicut Adam projectus est de paradiso, ita & ipsi ab ecclesia pro peccatis abjiciuntur. Post hæc jubeat ministris ut extra januas ecclesiæ expellant. Clerus vero prosequatur eos cum ℟ In sudore vultus tui, &c. *Quo finito, claudat ei episcopus ecclesiæ januam, & clerus prosequatur* ℟ Ecce Adam, &c. *Ut videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam, non parvipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini Cœna rursus ab eorum decanis & eorum presbyteris ecclesiæ liminibus repræsententur, & in ecclesia introducantur, & sermo fiat.*

ABSOLUTIO POENITENTIUM.

IN primis dicit septem psalmos pœnitentiales. Deinde Kyrie eleison, *postea Dominicam orationem:* Salvos fac servos tuos. Mitte eis auxilium de sancto. Nihil proficiat inimicus in eis. Esto illis Domine turris fortitudinis. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.

Oratio.

Exaudi, Domine preces nostras.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, parce confitentibus.

Alia.

Omnipotens & misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam, &c.

Alia.

Præveniat hos famulos &c.

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab his famulis, &c.

Alia.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, &c.

RECONCILIATIO POENITENTIUM IN COENA DOMINI.

PRimo in ecclesiam introducantur, dicatque episcopus antiphonam Venite *cum psalmo. Deinde faciat episcopus sermonem. Postea faciat omnes pœnitentes se prostrare, simulque cum adstantibus cantet septem psalmos pœnitentiales: quibus finitis, sequitur Dominica oratio, illi versus.* Salvos fac servos tuos & ancillas. Mitte eis auxilium de sancto. Esto eis Domine, turris fortitudinis. Nihil proficiat inimicus in eis. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.

Oratio.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & me qui, &c.

Præsta, Domine, his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, &c.

Deus qui humani generis, &c.

Et moneantur ab episcopo pœnitentes, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent. Et imponat episcopus antiphonam Venite filii Audite me, *& clerus cum episcopo psalmum* Benedicam Dominum in omni tempore. *Et versibus ejusdem psalmi finitis, semper sequatur antiphona* Venite filii. *Interim pœnitentes manuatim ab archidiacono reddantur episcopo, & episcopus reddat diacono qui ex parte ejus est; & ordinatim congregentur, sicque restituantur gremio ecclesiæ. Deinde imponat episcopus antiphonam* Cor mundum crea. *Psal.* Miserere mei. *Quo finito, prosternat se pontifex una cum pœnitentibus, clero faciente litaniam: qua expleta dicat preces.* Kyrie eleison. Pater noster. Salvos fac servos tuos. Convertere, Domine, usquequo. Mitte eis, Domine. Illustra faciem tuam super servos tuos. Vide humilitatem & laborem eorum. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Adjuva nos Deus salutaris noster. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, confitentibus his famulis tuis, &c.

Omnipotens & misericors Deus, qui peccatorum, &c.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, respice propitius super hos famulos tuos, &c.

Omnipotens Deus, qui B. Petro Apostolo suo ceterisque discipulis suis, &c.

O R D O XVII.

Ex ms. Pontificali Christiani Archiepiscopi, qui ab anno 1249. ad 1251. Moguntinam rexit ecclesiam.

PRimo ante fores ecclesiæ expectent pœnitentes episcopum. Erunt autem omnes in vestibus laneis, & caligis, nudis pedibus, capillis circumcisis. Episcopus autem indutus pontificalibus præter casulam, cum crucibus & candelis, incenso & aqua benedicta, aliisque ministris veniens resideat ad ostium ecclesiæ, in loco cortinis & tapetibus ornato. Debent autem & alii sacerdotes & levitæ adesse sacris vestibus induti. Inter quos via præparetur pœnitentibus ad episcopum veniendi; quia diaconi præsentabunt presbyteris pœnitentes, & presbyteri episcopo. His sic ordinatis, unus diaconus pronunciat sic.

Adest, o venerabilis pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ & salutis humanæ, qua mors interitum & vita accepit æterna principium, quando in vinea Domini Sabaoth, sic novorum planta facienda est, ut purgetur execratio vetustatis. Quamvis enim a divitiis bonitatis Dei, nihil temporis vacet, nunc tamen & largior est per indulgentiam remissio peccatorum, & copiosior per gratiam adsumtio renascentium. Augemur regenerandis, crescimus reversis: lavant aquæ, lavant lacrymæ. Inde gaudium de assumptione vocatorum, hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Inde est quod supplex grex tuus posteaquam in varias formas criminum neglectu mandatorum cœlestium & morum probabilium transgressione cecidit humiliatus atque prostratus prophetica ad Dominum voce clamat, dicens: Peccavi, impie egi, iniquitatem feci, miserere mei, Domine, evangelicam vocem non frustratoria aure capiens: Beati qui lugent, quoniam consolabuntur; manducavit, sicut scriptum est, panem doloris, lacrymis stratum rigavit; cor suum luctu, corpus afflixit jejuniis, ut animæ suæ reciperet quam perdiderat sanitatem. Unicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod & singulis prodest, & omnibus in commune succurrit.

Tunc episcopus se prosternens dicit:

Iniquitates meas ego agnosco, & delictum meum contra me est semper. Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Rursum diaconus.

Redintegra in eis, apostolice Pontifex, quidquid diabolo suadente corruptum est; & orationum tuarum patrocinantibus meritis per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, ut qui antea in suis perversitatibus displicebat, nunc jam placere se Domino in regione vivorum, devicto mortis auctore, gratuletur.

Hic episcopus dicit: Venite. *Diaconus* Flectamus genua. *Hic pœnitentes cum episcopo & clero proni cadant in terram.*

Levate. *Rursum episcopus*, Venite, Venite. *Diaconus* Flectamus genue. *Tertio cadsat at supra*. Levate. *Hic preparetur via pœnitentibus, per quam præsententur a diaconibus sacerdotibus, & ab illis episcopo manuatim, clero prosequente antiphonam* Venite. Venite, Filii eudite me, timorem Domini docebo vos. *Psal.* Benedicam Dominum per totum. *Interim qui introducuntur omnes se prosternant in ecclesia. Omnibusque introductis, veniat episcopus, imponatque antiphonam* Cor mundum crea in me Deus, &c. *Psal.* Miserere, *sine* Gloria. *Sequitur litania in qua episcopus cum clero se prosternat: qua finita, dicit:* Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarum antiquarum, adjuva nos Deus salutaris noster. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. Domine exaudi orationem. Dominus vobiscum.

Oratio.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & me qui etiam misericordie, &c.

Deus infinitæ misericordiæ, &c.

Deus sub cujos oculis omne cor trepidat, &c.

Omnipotens & misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam, &c.

Absolutio pœnitentiæ.

Dominus Jesus Christus qui dignatus est dicere discipulis suis: quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis: de quorum numero me esse sua dignatione voluit, quamvis indignum & adstrictum vinculis peccatorum, ipse vos largifluo pietatis suæ dono & nostræ parvitatis ministerio absolvere dignetur ab omnibus fragilitatis vestræ excessibus interius exteriusque contractis; & sicut peccata totius mundi sua traditione & immaculati sanguinis sui effusione dignatus est expurgare: ita quoque vestrorum peccatorum maculas misericorditer emundet ejusdem sancti sanguinis interventione, qui effusus est in remissionem peccatorum. Amen. Devotionem quoque vestram sic deinceps adjutorio suæ gratiæ corroborare dignetur, ut in hoc sæculo subrepentium laqueos delictorum possitis evadere, & in futuro vitam æternam Christi sanguine comparatam sine fine possidere. Amen. Adjuvante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui nos fecit cum non essemus, & redemit cum perditi fuissemus ad laudem & gloriam sancti nominis sui. Qui cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto vivit & regnat.

Absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum per virtutem Dei & ministerium nostrum percipere mereamini: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; & ejus benedictio maneat super vos hic in æternum.

Hic aspergat eos aqua benedicta, & tangat singulos baculo pastorali dicens:

Surge qui dormis & exsurge a mortuis, & illuminabit te Christus.

Postquam omnes surrexerint, moneantur, ut quod pœnitendo diluerunt, caveant iterare. Debent autem omnes missæ interesse in habitu pœnitenti propter chrismatis benedictionem.

ORDO XVIII.

Ex ms. Missali insignis ecclesiæ S. Gatiani Turonensis, ante 400. annos exarato.

CONFESSIO PECCATORUM.

Confiteor tibi, Domine, Rex cæli & terræ, quia peccavi in lege tua, in cogitationibus, in verbis, in factis: multa sunt peccata mea, & negligens sum de opere Dei, & de ordine meo. Peccavi enim de vana gloria, de superbia, de detractione, de fornicatione, de furto, de falso testimonio, de perjurio, de adulterio, de opere Dei quod ego negligenter egi, de concupiscentia carnali, de risu, de auditu, de visu, de gula, de crapula, de ebrietate, vel de omnibus malis meis, quæ ego negligenter commisi, veniam peto, Domine, quia culpabilem me recognosco. Amen.

Item alia plenaria confessio.

Confiteor tibi, Domine, Rex cæli & terræ, & tibi frater, *vel* & vobis fratres, *vel* & vobis pater omnium peccatorum meorum scelera, quæ cogitando, loquendo, vel etiam operando, suadente diabolica fraude, ab ipso pubertatis meæ tempore usque in præsens coram Deo & angelis ejus negligenter commisi, seu & in religione professionis meæ, & memoriæ occurrunt, & quæ subterscripta habentur. Peccavi enim per negligentiam mandatorum Dei, peccavi per superbiam & elationem, peccavi per fornicationem & adulterium, peccavi per avaritiam & vanam gloriam, peccavi per iram & tristitiam, peccavi per acidiam & somnolentiam, peccavi per invidiam & odium, peccavi per sacrilegium & homicidium, peccavi per gulam & cupiditatem, peccavi per vanam gloriam & per jactationem, peccavi per furtum & rapinam, peccavi per falsum testimonium & per mendacium, peccavi per detractionem & murmorationem, peccavi per ebrietatem & comessationem, peccavi per luxuriam & libidinem, peccavi per rixas & contentiones, peccavi per juramentum & maledictiones, peccavi per stultiloquium & per otiosas fabulas, peccavi per pigritiam & amaritudinem, peccavi per suspicionem & susurrationem, peccavi per oblivionem & ignorantiam, peccavi per vanam lætitiam & per tristitiam sæculi, peccavi per suavitatem mentis & per desiderium carnis, peccavi per adulationem, & simulationem, peccavi per malitiam & simulationem, peccavi per curiositatem & æmulationes, peccavi per inobedientiam & indignationem, peccavi per impatientiam & lascivia loca, peccavi in quinque sensu corporis mei, in visu, in auditu, in gusto, odoratu, & tactu; & cogitatione, & in locutione, & in actione. His supra memoratis modis & aliis innumeris, peccavi infelix in conspectu tuo Domine miserabiliter; unde, frater, humiliter obsecro, ut pro meis reatibus Dominum depreceris, ut mihi indulgentiam meorum tribuat clementissime delictorum. Amen.

Oratio post confessionem.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui regnas cum Patre, & Spiritu-sancto: digneris mihi concedere spem, fidem & caritatem, humilitatem & castitatem mentis & corporis, patientiam, obedientiam veram, & emendationem morum meorum. Et hoc quod ego peccavi die noctuque clemens & misericors Deus, & præsta mihi indulgentiam veram & remissionem peccatorum meorum, ut te miserante pervenire merear ad gloriam regni tui, Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORDO XIX.

Ex ms. Pontificali ecclesiæ Lugdunensis, quod fuit olim ecclesiæ Tarentasiensis, annorum circiter 300.

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

In capite jejuniorum solemniter pœnitentes ex institutione concilii Agathensis de ecclesia ejiciuntur hoc modo:

Pœnitentes enim quibus secundum jus vel consuetudinem pro gravioribus criminibus solemnis est pœnitentia imponenda, hac die hora quasi tertia conveniant ad ecclesiam cathedralem in vilibus vestibus, & vultibus ad terram demissis, quorum nomina scribi debent, accipientes pœnitentiam juxta modum culpæ a pœnitentiario episcopi, vel ab iis quibus hoc officium deputatum est. Et postea omnes emittuntur, & manent ante fores ecclesiæ. Et interim pontifex, dicta sexta, paratur amictu, alba, stola, pluviale, seu capa, mitra simplici, & baculo pastorali. Ministri etiam parantur; & benedicit cineres, qui in quibusdam ecclesiis fiunt de ramis benedictis præteriti anni, si habeantur. Hoc modo benedicantur. Incipiat enim ante altare schola prosequente hanc antiphonam: Exaudi nos Domine, &c. *Psalmus.* Salvum me fac Deus, Gloria Patri, &c. *Iterum repetatur antiphona* Exaudi nos Domine, &c. *Deinde dicat episcopus* Dominus vobiscum.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, parce, &c.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ninivitis, &c.

Oratio.

Deus qui non mortem, &c.

Omnipotens sempiterne Deus, qui omnium misereris, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, qui etiam subvenis in necessitate laborantibus, benedi † cere & sancti † ficare hos cineres digneris, quos causa humilitatis & sanctæ religionis, ad emundanda delicta nostra super capita nostra nos ferre constituisti more Ninivitarum: & da ut per invocationem nominis tui, ut omnes qui ad eos ad deprecandam misericordiam tuam super capita sua tulerint a te mereantur omnium delictorum suorum veniam accipere, & hodie sic eorum jejunia inchoare sancta, ut in die resurrectionis purificatis mentibus ad sanctum mereantur accedere pascha, & in futuro perpetuam accipere gloriam. Per. Amen.

Omnipotens sempiterne Deus, qui primo homini transgredienti mandatum tuum, nec confitenti peccatum pro-

prium

prium denunciasti, quod cinis esset, & in cinerem reverteretur, te suppliciter exposcimus, ut parcas nobis peccata nostra tibi veraciter confitentibus, & da ut per impositionem hujus cineris veniam consequamur, & de peccato ad justitiam, de corruptione ad incorruptionem, de morte ad vitam pervenire mereamur æternam. Per.

Oratio.

Deus, qui humiliatione flecteris, &c.

Cineribus benedictis, aspergat episcopus cineres aqua benedicta; & tunc pontifex cum ministris præcedente schola & toto clero, cruces, aqua benedicta, & duobus cereis præcedentibus, egrediatur extra chorum circa medium ecclesiæ, ubi parata est sibi sedes. Tunc clerus coram eo dividitur per duos choros hinc & inde versus valvas ecclesiæ seriatim ordinandos, & quilibet archipresbyter nominatim vocet pœnitentes archipresbyteratus sui. Illi vero omnes ingressi cum candelis accensis in manibus, prosternant se cum lacrymis in ecclesiæ pavimento coram episcopo inter utrumque chorum. Tunc unus archipresbyter aspergat eos genuflectentes aqua benedicta; alter vero archipresbyter sequens vel ipse pontifex imponat cineres super capita singulorum dicens:

Memento, fili, quia pulvis es, & in pulverem reverteris: age pœnitentiam, ut habeas vitam æternam.

Et tunc quilibet debet extinguere candelam suam. Quo facto, pontifex incipiat antiphonam: Ne reminiscaris Domine. *Et mox super faldistorium paratum accumbat. Ministri etiam & totus clerus & ipsi pœnitentes prosternantur ad terram, & pro illorum absolutione dicant septem psalmos pœnitentiales, quos chori distincte dicant alternatim. Et dicatur litania, qua finita, episcopo & clericis surgentibus, cantetur ipsa antiphona:* Ne reminiscaris, &c. Kyrie. Christe. Kyrie. Pater noster. Salvos fac. Mitte eis. Nihil proficiat. Esto eis. Fiat misericordia tua Domine super nos. ℟. Quemadmodum. Domine, Deus virtutum. Converte nos. ℣. Et ostende. Domine exaudi. Dominus vobiscum.

Oremus.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & me qui etiam misericordia tua, &c.

Exaudi, Domine, supplicum preces, &c.

Præveniat hos famulos, &c.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit, &c.

Præsta quæsumus, Domine, his famulis & famulabus tuis, dignum pœnitentiæ fructum, ut ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarant peccando, amissorum reddantur innoxii veniam consequendo. Per.

Alia oratio.

Domine, Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, &c.

Da nobis, Domine, ut sicut publicani precibus & confessione placatus es: Ita & his famulis & famulabus tuis placare, Domine: & eorum precibus benignus aspira: ut in confessione flebili permanentes, & petitione perpetua clementiam tuam celeriter exorent, sanctisque altaribus restituti, rursus cælesti gloriæ mancipentur. Per.

Inde fiat absolutio.

Absolutionem & remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens, pius, & misericors Dominus. In nomine Patris.

His præmissis, surgant pœnitentes, & faciat eis Pontifex sermonem, ostendens qualiter Adam propter peccatum ejectus est de paradiso, & multa maledicta in eo congesta sunt; & qualiter illius exemplo ipsi de ecclesia ad tempus ejiciendi sunt. Quo facto, accipiat unum ex pœnitentibus per dexteram manum, & alii pœnitentes omnes se invicem similiter manibus tenentes candelas in manibus accensas habentes subsequantur eum: & ita ejiciat eos de ecclesia cum lacrymis dicens: Ecce ejicimus vos hodie a liminibus sanctæ matris ecclesiæ, &c. *Et interim schola insequens cantet* ℟. In sudore, &c. *Sequitur aliud* ℟. Ecce Adam, &c.

Et sic eis extra ecclesiam ejectis, & ante valvas flexis genibus gemendo manentibus, Pontifex in limine ostii stans, moneat eos quod de Dei misericordia non desperent: sed jejuniis & orationibus, peregrinationibus, eleemosynis & aliis bonis operibus invigilent, ut Dominus ad fructum veræ pœnitentiæ eos perducat. Quodque feria V. Cœnæ Domini redeant, quoniam tunc in sanctam ecclesiam reducentur, quam usque tunc ingredi non præsumant: Et mox Pontifice cum processione ad chorum redeunte, valvæ ecclesiæ ante oculos illorum clauduntur.

His expletis, hora quasi nona Pontifex paret se ad missam; loco tamen planetæ recipiat pluviale, & imponat cineres capitibus cleri & populi, & ipse primo illos recipiat de manu alicujus archipresbyteri vel sacerdotis, diacono semper aquam benedictam super quemlibet spargendo. Et mox fiat processio publica, præcedente clero, & subsequente populo, cum antiphonis ad hoc statutis, qua expleta, intret vestiarium, & assumpta planeta, procedat in missa ordine suo.

Explicit.

DE RECONCILIATIONE POENITENTIUM IN COENA DOMINI.

SAne in quibusdam ecclesiis pœnitentibus mane jussu episcopi ante fores ecclesiæ exterius humiliter constitutis, unus sacerdos in aliquo altari eisdem foribus proximiori celebrat missam, cujus introitus est Misereris omnium. *Require feria IV. Cinerum.* ℟. Miserere. ℣. Misit de cœlo. *Require feria IV. ante Dominicam de Passione. Epistola* Lavamini, mundi estote. *Evang.* Erant appropinquantes ad Jesum. *Require Dominica IV. post Pentecosten. Offertorium.* Sicut in holocaustum. *Communio.* Amen dico vobis. *Require Dominica vicesima quarta post Pentecosten.*

Missa itaque, si dicatur, expleta, mox sacerdotes quibus impositum est pœnitentium confessiones audire, audiant illas vel in ecclesia, vel in alio loco ad hoc deputato, & qualiter in transacta quadragesima se gesserint, qualiterve injunctas sibi pœnitentias observaverint diligenter inquirant, & notata fideliter habeant nomina, & annos pœnitentiæ, ac delicta, & circumstantias singulorum, ut sic cum hora requisitionis advenerit, quid de singulis pontificalis censeat auctoritas clarescat, & universorum causas & liberius & expeditius decernere possit. Auditis itaque Confessionibus, episcopus ante horam sextam examinet cum sacerdotibus ipsis diligenter qui digni sunt reconciliari, qui non. Deinde paratus cum amictu, alba, stola, mitra simplici & baculo pastorali sine manipulo, ministris etiam & insuper quatuor subdiaconis, cetera fere omnia ut in Pontificali Romano.

O R D O   X X.

Ex Græcorum Euchologio.

OFFICIUM EORUM QUI PECCATA CONFITENTUR.

D*Icit Sacerdos:* Benedictus Deus noster perpetuo nunc & semper & in sæcula.

In pace Dominum precemur.

Pro superna pace.

Pro remissione peccatorum, condonatione delictorum servi Dei N. & ut ei omne delictum spontaneum seu etiam involuntarium condonetur: Dominum precemur.

Ut Dominus Deus ei peccatorum veniam, & pœnitentiæ tempus largiatur: Dominum precemur.

Ut ipse & nos pariter ab omni tribulatione, flagello, periculo, & angustia liberemur: Dominum precemur.

Sanctissimæ, immaculatæ super omnes benedictæ.

Quia tibi convenit omnis gloria.

Deinde præsentem orationem dicit sacerdos: Dominum precemur.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pastor & agnus, qui tollis peccatum mundi, qui duobus debitoribus mutuo datum dimisisti, & peccatrici delictorum ejus indulgentiam largitus es: ipse, Domine, relaxa, remitte, condona peccata, iniquitates, delicta sponte & non libere, scienter vel ignoranter, & transgressione vel inobedientia, a servo tuo isto commissa, & si ut homo carnis infirmitate circumdatus & mundi incola a diabolo, sive in verbo, sive in opere, sive ex scientia, aut ignorantia, deceptus est, aut sacerdotis verbum sprevit, aut ejusdem maledictioni subjectus est, aut in propriam suam exsecrationem incidit, vel jusjurando se astrinxit: ipse ut bonus & malorum immemor Dominus verbo absolvi consentias, relaxato ejus anathemate vel jusjurando secundum magnam misericordiam tuam. Ita fiat, benigne Domine, exaudi nos, clementiam tuam pro famulo tuo deprecantes: & ut misericors valde cunctis ejus peccatis ne attendas. Ab æterna damnatione illum libera. Tu enim dixisti, Domine, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis: quia tu solus es absque peccato, & tibi gloriam referimus Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Et cantat ter sanctus. Venite adoremus. *Et quinquagesimum psalmum & modulos sequentes. Tonus secundus* Miserere nostri Domine, miserere. Gloria. Domine miserere nostri. Et nunc. Misericordiæ portam. Domine miserere, *Quadragies. Ipse vero in terram prostratus dicit ter.* Peccavi, Domine, parce mihi. *Eo exurgens ait.* Deus propitius esto mihi peccatori.

Dominum precemur.

Deus Salvator noster, qui per prophetam Nathan Davidi de propriis peccatis pœnitentiam agenti concessisti indulgentiam: & iterum Manasse orationem in pœnitentia exan-

exaudivisti: Ipse & servum tuum N. de iis quæ perpetravit peccatis pœnitentiam agentem solita tibi humanitate suscipe; ne respicias ad ea quæ egit, tu qui injustitias dimittis, & præteris iniquitates. Tu enim dixisti, Domine nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, & ut septuagies septies remitterentur peccata: quoniam sicut incomprehensa est magnitudo tua; ita & misericordia: Si enim iniquitates observeveris, quis sustinebit? Quia tu es pœnitentium Deus, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Spiritui-sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Tum vero pœnitens sublatis in cœlum manibus dicit: Domine Pater cæli & terræ, quia tu omnia cordis mei secreta nosti.

Mox eum suavi voce interrogat: Frater, ut quid ad Deum & ad me accessisti? Ne verearis: non enim mihi sed Deo eorum quo stas peccata tua enuncies.

Quomodo corrupta est integritas tua, fornicatione, mollitie, vel legitimo nuptiarum proposito?

An propter fornicationem, vel alium quemvis modum, juramentum cruce interposita firmatum irritasti?

Mulieri in ecclesia commixtus es? aut animalis vel maris copula inquinatus?

Tum pluribus circa varia peccata deinceps adjunctis interrogationibus, subditur:

Circa alia quoque pœnitentiarius interrogat. Et postquam minutim interrogaveris de singulis, assume indicem: & quale sit peccatum inquire, & cum hoc libro confer, ut quale sit peccatum dignoscas, & ista deinde subjunge.

Fili mi spiritualis, abjectus sum & humilis peccator: ejus propterea qui apud me confitetur, non valeo remittere super terram peccata, sed Deus est qui illa condonat. Propter illam autem divinitus prolatam, post Christi resurrectionem auditam, & apostolis dicentem vocem: Quorum dimiseritis, *& quæ sequuntur:* propter illam in quam & nos confisi dicimus: Quæcumque tenuissimæ meæ humilitati enarrasti, & quæcumque minus ex ignorantia vel oblivione, qualecumque sit exprimere non valuisti: condonet tibi Deus in præsenti sæculo & in futuro.

Adjunge & istam orationem.

Deus qui Davidi propria peccata confitenti per Nathan pepercit, qui Petrum negationem lugentem, & meretricem ad pedes flentem, & publicanum & prodigum suscepit: ipse Deus per me peccatorem in præsenti & in futuro tibi parcat: & indemnatum te in tremendo suo tribunali sistere faciat. De revelatis autem in confessione hac tuis criminibus nulla sit tibi sollicitudo. Vade in pace.

Oratio in eum qui peccata confessus est.

Domine Deus noster, qui Petro & meretrici per lacrymas peccatorum remissionem largitus es, & publicanum propria fatentem scelera justum reddidisti: confessionem servi tui N. suscipe: & si in aliquo facinore spontaneo vel involontario, verbo, opere vel cogitatione deliquit, ut bonus & misericors Deus remitte. Quia tu condonandi peccata potestate polles, & tibi gloriam referimus, cum principii experte tuo Patre, & cum bono & vivifico Spiritu: nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VII.

De ritibus ad Sacramentum Extremæ-unctionis spectantibus.

ARTICULUS I.

Quibus olim sacramentum Extremæ-unctionis conferretur.

Extrema unctio sanis aut reis capite damnatis non conferenda. Sanis tamen aliquando collata.

I. CUm Extremæ unctionis sacramentum ad curandos & corporis & animæ morbos, hoc est ad restituendam infirmis corporum sanitatem, & delenda commissa peccata proprie sit institutum, ut ex Jacobi apostoli verbis eruitur: hujus sacramenti capaces non videntur ii, qui nulla corporis infirmitate laborant, aut nullis peccatorum maculis sunt infecti. Hinc est quod synodus Carnotensis anni 1526. prohibet (Extremam unctionem dari adultis sanis, quia eis nihil prodesset, cum sit sacramentum pro infirmis solum institutum.) Hinc est etiam quod reis morte damnatis, quia sani sunt corpore, hoc sacramentum denegandum esse censent nonnulli: quamvis id alia ratione fieri existimem: quia nimirum publicis peccatoribus ac pœnitentibus illud denegabant antiqui, ut discimus ex Innocentii Papæ I. epistola ad Decentium: (Nam pœnitentibus, inquit, (loquens de unctione infirmorum), istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?) Eadem est doctrina concilii Regiaticini anno 850. celebrati can. 8. Non desunt tamen veterum exempla, quibus sanos inunctos fuisse comprobemus. Insigne est illud quod refert Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi p. 167 de Odilia filia comitis Hermanni & Mathildis, quæ cum feria IV. ante Pascha ad sancti Vitoni monasterium sana & integra accessisset; a Richardo abbate præmonita de futura sequenti die ejus morte: (Verbis ejus credula, cœpit de fine suo tractare, excessus suos pertractare ... .. In crastinum autem liquore sancti Olei ab eo inuncta, *cum nullam gravedinem pateretur mandato pauperum interfuit* ..... ad Missarum sollemnia ivit, & cum communicasset vivificis mysteriis dolore aliquantulum pulsata, ad cellam rediit; & adveniente viro Dei cum fratribus, exitum suum orationibus muniri petiit, & sic inter manus ejus in cinere & cilicio se reclinans, inter verba orationis læta spiritum efflavit.) Consimile exemplum exhibet liber de Rebus gestis Majoris monasterii Sæculo XI. Benedictino part. 2. de quodam monacho, qui post nocturnos festi S. Martini, cui impense devotus erat, divinitus admonitus de proxima sua ex hoc sæculo migratione, facto mane revelationem abbati manifestavit qui licet somniis fidem non adhibendam diceret (imperat tamen super liceat eum ut inungetur, quo facto Dominicis munitus mysteriis *sanus & incolumis* cum ceteris in conventu versatus) sequenti die obiit. Ita etiam in Rugensi monasterio Ginguriacus frater laicus sanus extremam postulavit unctionem mirantibus cunctis, (quod *quem sanum videbant* ungi se rogaret. Ille autem rogabat, instabat, ut quamdiu loqui poterat ungeretur... Deinde cum missa celebraretur... communionem sanctam de manu sacerdotis accepit,) ductus deinde in infirmorum domum (oleo Sancto unctus est) in vita S. Gildasii n. 43. sæculo primo Bened. p. 151. ubi vides viaticum ante unctionem aliquando porrectum.

Qui usus hodie viget apud Græcos.

Hæc exempla aliquo modo excusare possunt hodiernum Græcorum usum, qui ut docet Allatius lib. 3. de Perpetuo consensu Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ cap. 16. n. 3. (Non tantum infirmos, sed sanos quoque homines Extrema-unctione sæpius inungunt.) Quorum hac in re praxim merito mihi videtur impugnare Petrus Arcudius lib. 5. cap. 4. non solum quia [pœnitentes bene valentes in omnibus iis corporis partibus, adhibita quoque forma sacramenti, non aliter atque infirmos inungunt: sed etiam maxime quod ad hæc multos inungunt feriæ V. sanctioris hebdomadæ, qui non sunt expiati sacramento pœnitentiæ.] Tametsi non vulgaris nominis theologi nonnulli Græcos, sanos & incolumes inungentes, ab omni prorsus errore liberos pronunciare non dubitent.

Infantibus & innocuis non conferenda.

II. Verum cum Extremæ-unctionis sacramentum non solum ad morbos curandos; sed insuper ad delenda remittendaque peccata sit institutum; ea fuit ab omni ævo praxis Ecclesiæ, ut nullus, qui præter ægritudinem in aliquibus saltem non existeret peccatis, inungeretur. Hinc est quod innocentes, infantesque, ac recens baptizati, qui defuncti sunt in albis, numquam inuncti leguntur. Huc etiam respicit quod tradit Paschasius Radbertus in Vita Sancti Adalardi abbatis Corbejensis: (Interim audiens beatus vir Hildemannus episcopus senctum ægrotare Patrem, advenit illico. Interea cum cœpisset idem sanctus episcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, sicut a beato apostolo sancitum est, deberet perungi: interrogavimus eum utrumne vellet? Quem proculdubio sciebamus

pecato-

peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cælum, cominus obsecrabat, ut fieret.) Dubitabant ergo Adalardi discipuli an *peccatorum oneribus* non detentus esset inungendus, quæ sane dubitatio mentem ipsorum usquam incessisset, si unctionis sacramentum innocentibus impertitum fuisset.

Quæ ætas ad unctionem requisita.

III. Jam vero si quis rescire desiderat, quanam potissimum ætate inciperat dari; respondebit Odo Parisiensis episcopus in Constitutionibus Synodalibus: (Ad Sacramentum Extremæ-unctionis moneant populum sacerdotes, non tantum divites & senes; sed pauperes & juvenes, omnes a tempore discretionis, maxime a quatuordecim annis & supra ut se paratos exhibeant cum necesse fuerit.) Idem habent Statuta Synodalia Galonis & Simonis legatorum sedis apostolicæ in Galliam missorum ab Innocentio III, & non multo post ab Honorio III. Constitutiones Richardi episcopi Sarum cap. 67. Constitutiones Synodales episcopi Anonymi anno 1237. editæ, Statuta Petri de Collemedio archiepiscopi Rotomagensis anno 1245. scripta, statuta Synodalia ecclesiæ Meldensis num. 24. tom. 4. Anecdotorum, statuta Synodalia ecclesiæ Nannetensis cap 50, antiquum Rituale ms. Canonicorum Regularium monasterii de Aqua-viva in diœcesi Turonensi, & aliud vetus Rituale Remense.

Paulo serius Extremam-unctionem differt Guillelmus Durandus in Rationali lib. 1. cap. 8. num. 25. (De quibusdam, inquit, ordinarie legitur, quod inungendus debet esse ad minus decem & octo annorum.) Eadem est sententia Anonymi cujusdam Poetæ, qui in Carmine quod ms. legi in Codice S. Martini Turonensis ita canit:

Non nisi mense semel aliquis communicet æger,
Hic idem solo non bis ungatur in anno.
Octo decemque tantum annos ungendus habebit,
Ordine claustrales alio potiuntur in ægris.

Succinit Fredericus Nausea Viennensis episcopus in suo Catechismo lib. 3. c. 107. (Scitu proinde dignum censeo passim haberi catholicum, ut inungendus annos ad minus ætatis suæ habeat octodecim.) Additque (ne quis pluries in anno quam semel inungatur, etsi sæpius ipsum ægrotare contingat: nec inungatur nisi qui suæ sit mentis compos, ipsamque unctionem vel verbis vel signis postulet.) Econtra vero statuta Synodalia eccles. Caturcensis, Ruthenensis & Tutelensis a nobis edita tom. 4. Anecdot. hanc ætatem longe ante vertunt. Sic enim habent cap. 17. (Præcipimus itaque ut doceant populum sacerdotes, ut omnes maxime postquam ad annos discretionis pervenerint, pœnitentes & confessi, & recepta pœnitentia & Eucharistia, vel etiam ex quo aliquam discretionem habere inceperint, puta post quatuor aut quinque annos, & totiens quotiens infirmitas supervenerit, hoc Sacramentum recipiant Extremæ unctionis.) Ex Statutis autem ecclesiæ Parisiensis annis 1557. (Pueri rationis usu carentes, fatui, furiosi, & incompotes mentis inungi non debent.) Statuta quoque Synodalia Germani Valentis, Guellii Aurelianensis episcopi anno 1587. edita decernunt, ut (non detur hoc Sacramentum pueris qui nondum communicaverunt, neve furiosis & dementibus, qui numquam requisiverint, neque etiam reis ad mortem condemnatis.) Statuta Guillelmi Gubernatoris episcopi Macloviensis vetant similiter inungi infantes, fatuos, furiososque qui nullum ab ortu lucidum intervallum obtinuerunt, nec consequentes peccare potuerunt, nondum baptizatos, mulieres in partu laborantes, mortuos, excommunicatos, interdictos, impœnitentes & obstinatos. Quæ desumta videntur ex Actis S. Caroli Borromæi part. 2. p. 270. Et tamen Theodulfus episcopus Aurelianensis in secundo Capitulari apud Baluz. tom. 6. Miscell. infirmis in amentiam versis censet unctionem esse tribuendam juxta illud concilii Arausicensis: (Amentibus quæcumque sunt pietatis conferantur;) quin & ipsos pueros inungendos docet. Pueros autem hic ab infantibus distinguendos existimo.

ARTICULUS II.

Quonam olim tempore Extremæ-unctionis Sacramentum ministraretur.

I. Cum sacræ unctionis Sacramentum ex suæ fine institutionis, non nisi ægris conferri debeat: quonam potissimum ægritudinis tempore, initio, in fine, an medio spatio ministraretur inquirendum est. Qui vim in verbis facere solent, cum infirmus morti vicinus appropinquat, inunctionem agendam esse incunctanter asserere non dubitabunt. Ideo enim dici *Unctionem-extremam* quod desperatis & extremum agentibus spiritum conferri debet, haud dubium pronunciabunt; nec varia nobis exempla, sive ex antiquo, sive ex hodierno usu, quibus infirmi jam semimortui leguntur inuncti, nobis obtrudere non prætermitterant.

II. Verum præterquam quod *Extremæ-unctionis* vocabulum ante annos quingentos vix auditum fuerat: nihil ab Ecclesiæ mente & proposito ita alienum umquam extitit, quæ variis in conciliis & decretis hunc abusum carpsit. Nam etsi non nisi de salute periclitantes ex antiqua Ecclesiæ traditione inungi debeant: nihilo tamen minus ubi aliqua viguit ecclesiastica disciplina, illud semper observatum est (ne mors unctionem præveniat, vel morbo invalescente semimortuus non sentiat,) ut loquitur concilium Remense anni 1583. Nam & illi (gravissime peccant (inquit Concilii Tridentini Catechismus) qui illud tempus ægroti ungendi observare solent cum jam omni salutis spe amissa, vita & sensibus carere incipiat.) Porro, quod antiquitus, statim ut aliquis periclitaretur infirmus, eo ipso inungeretur, nec ut omnino jam desperatus esset aut extremum exhalaturus spiritum expectaretur, triplici comprobari potest argumento. 1. Quod unctio ante viaticum quod non nisi mente integra & corpore non deficiente suscipi debet, ministraretur. 2. Quod unctio per septem dies repeteretur, id quod erga desperatos & pene sensu carentes observari non potuisset. 3. Quod aliqui in Ecclesia, aut sedentes sive genuflexi hoc Sacramentum suscepisse referuntur. Hæc omnia variis veterum testimoniis demonstrare haudquaquam erit difficile.

Unctio ante Viaticum.

III. Et primo quod ante Viaticum inungerentur infirmi, probat Eusebii Papæ decretum apud Ivonem Carnotensem Decreti part. 15. c. 35. jubens, ut sacerdos circa ægrotantem pœnitentem (orationes dicat, & ungat eum oleo sancto, & Eucharistiam ei donet.) Acta S. Tresani presbyteri qui sæculo vi. in pago Remensi florebat, apud Bollandum 7. Februarii. (Oleum sanctæ reconciliationis accepit, & cum cordis intima contritione & humilitate suscepit,... quæ postquam explevit, Viaticum petiit.) Theodori Cantuariensis archiepiscopi Pœnitentiale: (Ab infirmis in periculo mortis positis pura est inquirenda peccatorum confessio...., sacra Unctione olei inuncti secundum statuta Sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.) Acta S. Hunegondis Virginis Sæculo II. Benedictino (Inter hæc conversa ad eos qui assidebant sibi presbyteros, Unctionis oleum & Communionem expetiit.) Dicta Bedæ presbyteri apud Reginonem lib. 1. c. 119. (Postquam infirmus sacra Unctione fuerit delibutus, statim Corpore & Sanguine Domini recreandus est.) Idemque Beda apud Guillelmum Malmeburiensem l. 1. Hist. c. 3. (Accita congregatione, inunctus & communicatus refertur.) Concilium Aquisgranense anni 836. c. 4. (Si autem infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali, necnon Unctione sacrificati olei per ejus (presbyteri) negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam christianam Domino Deo suo more sacerdotali cum acceptione sacræ communionis.) Concilium Moguntinum anni 847. c. 26. (Ab infirmis in mortis periculo positis, per presbyteros pura inquirenda est confessio. Et ideo secundum canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur orationibus & consolationibus ecclesiasticis sacra cum Unctione Dei animati, secundum statuta Sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.) Monachus Engolismensis in Vita Caroli Magni: (Oleo autem sancto inunctus ab episcopis, & Viatico sumto...., obiit.) Hincmari capitulum X. (Si ipse presbyter visitet infirmos, & inungat oleo sancto & communicet per se.) Constitutiones Riculfi Suessionensis episcopi c. 10. (Oportet ut presbyteri infirmos suos post confessionem & reconciliationem, oleo sancto perungant, & tunc eos communicent.) Acta S. Remberti archiepiscopi Sæculo IV. Benedictino (Mysterium Sanctæ unctionis cum oleo Sancto ei fieri præcepit, & una cum communione Corporis & Sanguinis Domini, usque in diem animæ exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit.) Ratherii Veronensis episcopi epistola Synodica ad presbyteros, Spicilegii tomo 2. (Infirmos visitate, & eos reconciliate, & juxta apostolum oleo sancto inungite, & propria manu communicate.) Acta S. Osvaldi Wigorniensis episcopi apud Bollandum 8. Februarii: (Regressus in oratorium convocatis

tis fratribus, hortatur eos impendere sibi ministerium sacræ Unctionis cum Viatico Dominici Corporis.) Acta S. Leonis papæ IX. a Wiberto archidiacono descripta lib. 2. cap. 6. (Decrevit, ut quoniam plures episcoporum, abbatum, ceterorumque fidelium confluxerunt turbæ, eis præsentibus inungeretur sacri olei liquore. Super quo facto exhilaratus usquequaque, munitusque Corporis & Sanguinis Domini communione,) &c. Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi agens de Richardo abbate : (Ubi sensit imminere diem vocationis suæ, filios quos Christo acquisierat, convenire jussit, & inunctus ab episcopo oleo sancto, confessione sancta, Viatico cælesti pastus, expositus est lectulo.) Acta B. Mathildis imperatricis apud Bollandum 14. Martii n. 29. (Finita missa, rursos intravit cubiculum (Mathildis Guillelmus episcopus Moguntinus) & iterando dedit illi remissionem peccatorum : postmodum perunxit eam oleo sacro, & recreavit sacro sancto Corporis & Sanguinis Christi mysterio.) Chronicon S. Tmdonis lib. 4. Spicilegii tomo 7. (Quo etiam anno præpositus Gerardus mortuus est, prius confessus, unctus & communicatus.) Acta S. Idæ comitissæ viduæ apud Bollandum 13. Aprilis: (Sanctam Unctionem veramque ac vivificam Communionem cum lacrymis atque pio affectu a fratribus quæsivit.) Regula Clericorum Petri de Honcstis lib. 2. cap. 22. (Quod si languor magis magisque increverit, per presbyteros aqua benedicta aspersi, oleo sancto perungantur, & Christi Corporis & Sanguinis perceptione muniantur.) Ordericus Vitalis lib. 13. de Henrico I. Anglorum rege loquens: (Peracta confessione, absolutionem & pœnitentiam a sacerdotibus accepit, oleoque sacræ Unctionis delinitus, & Eucharistia refectus, Deo sese commendavit.) Et lib. 5. de Odelerico Patre suo : (Flebili confessione reatus suos detegendos texit, & sacra Unctione unctus & Viatico munitus 3. Nonas Junii obiit.) Et lib. 13. Guarinum abbatem Uticensem (Lacrymosa confessione, assiduaque intenta oratione, oleique sacri unctione & Dominici Corporis salvifica perceptione) munitum obiisse refert. Acta S. Theotonii Canonici Regularis apud Bollandum 18. Februarii: (Cognoscens obitum sibi certissimum venire, sacramentum Unctionis accepit ; & quod pene per dies singulos faciebat, sacramento Dominici Corporis & Sanguinis se munivit.) S. Guillelmus Bituricensis archiepiscopus (Extremæ Unctionis sacramentum humiliter ac devote suscepit, deinde cælesti pane refici instantissime postulavit,) ut legitur in Patriarchio Bitur. c. 68. Idem de Philippo archiepiscopo qui anno 1260. obiit ibidem narratur cap. 71. Denique Vita S. Elisabeth apud Surium 19. Novembris; (Peracta Unctione, sacrosancti Corporis Domini nostri Jesu Christi Viaticum tradiderunt) Ludovico Thuringiæ principi. His adde praxim hodiernam ecclesiæ Orientalis, quam in Orthodoxa ejusdem confessione anno 1662. a Nectario patriarcha Hierosolymitano approbata part. 1. quæst. 90. videre licet : Morbo oppressi id ante omnia operam dabunt, ut quam primum conscientiæ suæ maculas earum confessione cœnæque sacræ participatione eluant: prius tamen summa cum reverentia rite usurpata sancta olei unctione.)

Vitiacum aliquando ante Unctionem.

IV. Ex his omnibus aliisque hujusmodi testimoniis, in quibus ordo ministrandorum infirmis sacramentorum describitur, quæque hic congerere possem, luce meridiana clarius demonstratur, unctionem Viatico olim ordinario usu præmissam fuisse : id quod confirmant omnia pene Ritualia mss. quæ meas in manus aliquando ceciderunt. Non ibo tamen inficias contrariam alicubi consuetudinem obtinuisse. Nam id satis innuit S. Cæsarius in Serm. 265. Appendicis novæ editionis S. Augustini, ubi sic loquitur : [Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi, ille qui ægrotat accipiat, & inde corpusculum unguat.) Et Serm. 279. redarguens eos qui morbos incantationibus curare studebant : (Quantum rectius, inquit, & salubrius erat, ut ad ecclesiam currerent, Corpus & Sanguinem Christi acciperent, oleo benedicto se & suos fideliter perungerent, & secundum quod Jacobus apostolus dicit, non solum sanitatem corporum, sed etiam remissionem acciperent peccatorum.) His succinit S. Eligius in Tractatu de rectitudine catholicæ conversationis n. 5. Et Herardus Turonensis archiepiscopus in Capitulari n. 21. [Ut in infirmitate positi absque dilatione reconcilientur, & Viaticum viventes acipiant, & benedictione sacrati olei non careant.) Similiter & Isaac Lingonensis episcopus, qui etiam ante Herardum nonnulla collegit Capitula tit. 5. c. 23. (Si infirmiter se deprehensus quis fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat.) Adde S. Prudentium Trecensem episcopum qui in Sermone de vita & morte S. Mauræ apud Camusatium in Promtuario antiquitatum Tricassinæ diœcesis, Sanctam virginem sibi sic loquentem inducit: (Hoc etiam munus a te peto, Prudenti Pater episcope, ut in eorum præsentia de manu tua Eucharistiæ & Extremæ unctionis recipiam sacramenta.) Erit forte qui Eucharistiam reverentiæ causa ab istis auctoribus prius nominatam asseras, quamvis ordine unctio præcederet : non deerunt etiam qui interpolationem forte suspicentur. Est certe in Prudentii testimonio Extremæ unctionis vocabulum illis temporibus prorsus inauditum interpolationem sonat. Verum obstat Prudentii ipsius Pontificale ms. eleganter scriptum, quod fuit olim monasterii Arremarensis, in quo Viaticum ante & post unctionem dari decernitur. Idem videre est etiam in vita Roberti de Arbrissello auctore Andrea ejus discipulo. In ms. etiam Pontificali quod in Bibliotheca Patrum Minorum sanctæ Crucis Florentiæ vidit Mabillonius, cujus meminit in Itineris Italici pagina 164. Viaticum unctioni præmittitur. Idem videre est in Vita S. Gilberti institutoris ordinis Sempringhamensis in Anglia apud Boll. 4. Februarii, nisi forte amanuensis sit error. Nam in ejusdem fusiori Vita, qualis extat in Monastico Anglicano tomo 2. Unctionem ante Viaticum accepisse memoratur. Idem etiam videre est apud Thomam Cantipratensem lib. 2. de Apibus, c. 51. n. 8. & cap. ult. n. 62. Ceterum pauca hæc exempla infinitæ Ritualium multitudini, auctorumque veterum turbæ in quibus unctio Viatico præmittenda decernitur, præjudicium afferre non debet.

Unctio per septem dies repetita.

V. Alterum argumentum, quo demonstramus infirmos olim de salute periclitantes, antequam ad extremas essent angustias redacti, inunctos fuisse, repetitur ex consuetudine iteraodæ unctionis per septem continuos dies. Hunc ritum præscribunt Theodulfus Aurelianensis episcopus in suo secundo capitulari apud Baluzium tom. 7. Miscell. & antiqui libri Rituales bene multi, præsertim vero ecclesiæ Tutuncusis duo ante annos 800. exarati, unus B. Mariæ Remensis ejusdem circiter ætatis, alter regius n. 4208. Pontificale Salisburgense, Codex Victorinus annorum circiter 500. ut alios interim omittam. Eumdem ritum videre est in vita S. Remberti Hammaburgensis archiepiscopi scripta ab auctore æquali sæculo IV. Benedictino. (Septimo ante obitum die ministerium sacræ Unctionis ei fieri cœpit, & una cum communione Corporis & Sanguinis Domini usque in diem animæ exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit.) Hæc respicere videtur auctor vitæ S. Wlstani l. 3. n. 21. sæc. 6. Bened. par. 2. (ante octo dies decessus sui a Thoma priore loci sacræ inunctionis suscepit officium, quotidiano post hæc Eucharistiæ viatico curatus exitum.) Ejusdem etiam ritus meminit Matthæus Galenus in Promtuario Theologico, catechesi 180. ubi sic loquitur. (Unde discimus olim non ita parce actum ut nunc ; sed tota infusa delibutaque fuisse corpore, neque tantum organa sensuum, sed omnes illæ partes inungebantur, in quibus moribus potissimum grassabatur, idque interdum per continuos septem dies.) Et Catechesi 181. (Quid enim est mirum raram contingere sanitatem, cum via habeatur nunc ratio partium affectarum, quas majores nostri totis septem diebus inungebant.) Et Catechesi 181. (Ad hæc non fiebat illud perfunctorie ac properanter, sed ubi æger non convalescebat, redibant eodem sacerdotes per septiduum ungentes, non quidem sacramentum toties repetentes, sed statis precibus unctione curantes laborantia membra, præbentesque sacrosanctam Eucharistiam.) Ubi quod ait unctionem, non sacramentum fuisse repetitum, alium desideres testem. Nam verosimilius est Galenum antiquos usus cum hodiernis hic conciliare voluisse, & cum certis sibi constare videret monumentis Unctionem sacram repetitam olim fuisse ; nunc vero semel dumtaxat in eodem morbo hoc sacramentum administrari, existimavit per septem quidem dies inunctos fuisse ægrotos, sed nulla verborum forma enuntiata, ac consequenter absque sacramento. Hujusmodi argutiis & explicationibus miras in antiqua ecclesiæ de sacramentorum administratione disciplina tenebras injecerunt doctores scholastici, quas non sine labore viri eruditi & antiquitatis venerandæ scrutatores studiosi hodie dissipare possunt.

Unctionem numquam repetendam quidam docuerunt.

VI. Ex dictis refutata manet opinio Gaufridi Vindocinensis

nensis l. 2. epist. 29. Ivonis Carnotensis apud eumdem epistola sequenti, Theobaldi Senonensis S. Columbæ abbatis, aliorumque qui sæculo XII. floruere virorum illustrium, qui infirmorum unctionem, non solum in eadem ægritudine, sed in diversa, non magis iterandam censebant quam baptismatis, confirmationis, ordinationis, ecclesiarum, vasorumque ecclesiasticorum unctionem: Quorum sententiam refutavit Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis scripta ad Theobaldum egregia epistola, quæ est libri 5. septima, & Petrus Lombardus lib. 4. Sententiarum, quibus subscripserunt omnes deinceps Theologi, qui saltem in diversa ægritudine unctionem repeti posse docuerunt. Nonnulli tamen censebant (quod ægrotans semel duntaxat debet in anno inungi licet pluries ægrotet,) ut loquitur Durandus Mimatensis episcopus in lib. 1. Rationalis cap. 8. Quæ sententia est etiam Anonymi poetæ a nobis articulo superiori citati. Addit Durandus: [Et quod ab episcopo semel inunctus non debet propter ejus reverentiam ulterius per presbyterum inungi.)

Unctio in ecclesia collata.

VII. Restat ut tertii argumenti probationes quæ ex cæremoniis Unctionis repetuntur, proferamus. Et primo, Unctionem aliquando in ecclesia peractam fuisse probant acta S. Oswaldi Vigorniensis episcopi, qui (regressus *in oratorium*, convocatis fratribus, hortatur eos impendere sibi ministerium sacræ unctionis.) Antiqua statuta Gilbertinorum Monastici Anglicani tomo 2. p. 775. (Provideatur locus *in ecclesia* vel in infirmitoriis earum ad inungendum eas.) Ipsi etiam Græci hodie id plerumque faciunt ut testatur Goartius in Notis ad eorum Euchologium, ubi hæc habet: (Gravi afflictos ægritudine, neque salute recuperanda desperantes, officio præsenti super eos recitato, unanimi cum Latinis consensu, in domibus Græci ungunt. Immo & ægroti plerique e plebe, aliorum manibus & ope ad ecclesiam se deferri student, tum ut sacrorum præsentia & animo levamen & corpori miraculi alicujus experimentum in recuperanda salute obveniat, ibique plurium nonnunquam dierum spatio, in catechumenæis jacent, pernoctant, morantur, & sacra tandem unctione sibi remedium exposcunt.] At nullum hanc in rem S. Cæsarii testimonio præstantius antiquiusve proferri potest. Ipse enim in Sermone 279. Appendicis novæ editionis S. Augustini, redarguens eos qui in morbis divinos consulerent: (Quantum, inquit, rectius & salubrius erat, ut *ad ecclesiam* currerent, Corpus & Sanguinem Christi acciperent, oleo benedicto se & suos fideliter perungerent, & secundum quod Jacobus apostolus dicit, non solum sanitatem corporum, sed etiam remissionem acciperent peccatorum.) Cui concinit Theodulfus Aurelianensis episcopus in 2. capitulari.

Genuflexis.

VIII. Deinde infirmos non semper jacentes, sed genuflexos, aut sedentes, inunctos fuisse constat ex Theodulfo in secundo capitulari, & ex quibusdam Ritualibus, quæ postea describemus, maxime vero ex Salisburgensi, in quo hæc leguntur. (Et sic flectat genua sua, qui est languidus, & stet ad dextram sacerdotis; & canteiur hæc antiphona: Sana Domine infirmum istum] &c. Acta quoque S. Ottonis Babebergensis episcopi apud Surium 2. Julii lib. 4. c. 4. testantur, ipsum non *jacendo, sed sedendo* perunctum fuisse.

Differendæ Unctionis causa.

IX. Cum ergo ex dictis constet, ægrotos olim ante Viaticum inunctos fuisse, per septem continuos dies idque in ecclesia plerumque, flexis genibus aut sedendo, nemini non perspicuum erit, hæc omnia peragi haudquaquam potuisse in eum, qui exhaustis omnino viribus & pene exsangui esset corpore, ac proinde statim ut certum inesset salutis periculum, infirmos inunctos fuisse. Quid igitur abusui, qui jam nunc passim obtinet, ut scilicet extrema infirmi suspiria ad eum perungendum expectarentur, ansam & occasionem præbere potuit? Duo scilicet, quantum suspicari fas est. Falsa nimirum, quæ nonnullos vulgi animos sæculo XIII. persuasio invasit, non amplius post susceptam infirmorum unctionem licere convalescentibus ad opus conjugale reverti, carnes comedere, pedibus nudis incedere. Hinc est quod Richardus episcopus Sarum in Anglia in Constitutionibus anno 1217. editis cap. 68. (Moneant, inquit, sacerdotes frequenter populum, hoc sacramentum licite iterari posse: scilicet in qualibet gravi infirmitate, de qua metus imminet mortis. Dicant etiam & denuncient confidenter, quod post susceptum hoc sacramentum licitum est reverti ad opus conjugale.) Signantius vero Synodus Wigorniensis anni 1240. cap. 19. (Sunt quidam, ut audivimus, qui post perceptionem hujus sacramenti, sanitati pristinæ restituti, nefas reputant vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere, vel aliqua ratione nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem, utpote doctrinæ sanæ contrarium, execramur, & eos excommunicationibus & monitionibus duximus corrigendos.) Et Synodus Exoniensis anni 1287. cap. 6. (Quoniam quidam laici imperiti de hoc sacramento nequiter sentientes, illud abhorrent, in tantum quod vix velint illud suscipere *etiam in extremis*, fatue æstimantes, post ipsius susceptionem carnis esum, nudis pedibus incessum, copulam carnalem etiam cum uxore legitima sibi fore penitus interdicta. Præcipimus parrochialibus presbyteris, ut ubi noverint tantam hæresim pullulare, contrarium prædicent.) Neque hæc solos Anglos incessit opinio. Nam similia lego in Statutis Petri de Collemedio archiepiscopi Rotomagensis Conciliorum Normanniæ, pag. 238.

X. Altera differendæ unctionis occasio fuit avaritia & cupiditas ministrorum, qui plura exigebant ab ungendis: adeo ut vix aliquando pauperes hujus sacramenti participes fieri contingeret. Hanc causam observavit Reinerius Ordinis Fratrum Prædicatorum vir doctus, qui post medium sæculum XIII. florebat. Nam libro quem adversus Waldenses scripsit capite 5. notat eos sacramentum unctionis reprobasse *quia tantum divitibus datur*, illudque *esse ultimam superbiam* asserere, quia nulli daretur *sine pretio*. Et mox addidit: (Item quidam prædicant nulli sacramentum hoc debere dari, nisi qui possit habere saltem duas vaccas: unde pauperes graviter scandalizantur. Item dicunt quod duodecim luminaria sunt necessaria in unctione.) Eamdem sacerdotum cupiditatem notavit Guillelmus Majoris episcopus Andegavensis in Statutis Synodalibus anni 1294. Spicilegii tom. XI. ubi hæc habet: (Nosque accepimus, referentibus fide dignis, quod dictum sacramentum, sine quo, ut dicunt sancti, periculosum est ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittitur: immo ut verius loquamur, ex sacerdotum rapacitate & avaritia, qui in collatione hujus sacramenti novas & insolitas exactiones inducunt aliunde, petendo linteamina quibus jacens inungitur ægrotans.] Huic abusui statim ut electus est, etiam ante consecrationem occurrere studuit idem Guillelmus, ut patet ex ejus gestis ab ipso conscriptis Spicilegii tom. X. pag. 275. ubi hæc lego (Item loquendum est cum magistro Guillelmo *Baril* rectore ecclesiæ de Basogiis, super hoc quod ejus capellanus de Basogiis, ut intelleximus, de novo exigit & extorquere nititur linteamina a Parochianis ecclesiæ prædictæ, quando recipiunt Extremam-unctionem, nec non & aliis rectoribus super simili facto est loquendum.)

XI. Hinc facile conjectari licet qua ratione antiquus ordo hoc in sacramento immutatus fuerit, factumque sit ut non nisi semimortuis conferretur. Nam cum falso opinarentur post unctionem non sibi liberum esse reverti ad opus conjugale, carnes comedere, nec pedibus nudis ambulare, aut omnino perungi recusabant, aut saltem eo usque differebant, quo nulla prorsus spes vitæ superesset. Pauperes aliunde arcebantur sacerdotum rapacitate, qui cum multa exigerent, quibus solvendis haudquaquam illi pares erant, alienos se ab hoc sacramento facile sibi persuaserunt. Hinc falsa illa opinio nata videtur. Unctionem infirmorum divitibus non pauperibus esse conferendam, quam de fidelium mentibus evellere variis editis statutis tentarunt diversis temporibus celebrata concilia.

ARTICULUS III.

De ministro, materia & forma Extremæ-Unctionis.

Episcopi Unctionis ministri.

I. MInistri, materiæ, formaque Extremæ-unctionis, ex verbis apostoli Jacobi satis innotescunt: *Infirmatur quis in vobis?* inquit, *inducat presbyteros ecclesiæ*, ecce ministri. *Et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini.* Ecce materia & forma. At cum *presbyteros* nominet apostolus; dubitatum est aliquando num episcopi hoc sacramentum conferre possent. Controversiam solvit Innocentius Papa I. in epistola ad Decentium respondens in hæc verba: (Ceterum superfluo videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbytero licere non dubium

bium est. Nam idcirco *presbyteros* dictum est, quia episcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum, & benedicere & ungere chrismate; sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere.) Idem docet concilium Regiaticinum can. 8. Eodem modo loquitur Chrodegangus Mettensis episcopus in Regula canonicorum cap. 71. Et certe Carolus Magnus teste monacho Dugolismensi *inunctus est ab episcopis*, S. Adalardus ab Hildemanno Bellovacensi præsule, ut scribit S. Gerardus in ejus vita, Mathildis imperatrix a Willelmo archiepiscopo Moguntino, denique S. Ferdinandus rex Castellæ & Legionis *ab episcopis accepta pœnitentia & gratia ultimæ Unctionis indutus cilicio & conspersus cinere* legitur apud Toletanum lib. 6. cap. 14.

A pluribus presbyteris facta in Oriente.

II. Ceterum cum *presbyteros* ad ungendum infirmum apostolus inducendos esse asserat, non simplicem sacerdotem; antiqua apud Græcos hactenus consuetudo intemerate perseverat, ut a pluribus, hoc est a septem presbyteris ungantur infirmi. Hujus Græcorum consuetudinis testes sunt Simeon Thessalonicensis archiepiscopus, Petrus Arcudius, Julius Antonius Cardinalis in epistola ad episcopum Messanensem, & Leo Allatius in libro 3. de Consensione perpetua utriusque ecclesiæ c. 16. n. 15. Additque Simeon Thessalonicensis, quosdam plures quam septem sacerdotes convocare, ad declarandam majorem fidem animique alacritatem. At vero (nonnulli, inquit, ubi penuria est sacerdotum, tres tantum convocant, idque non est reprehendendum.) Et paulo post (Si vero necessitas fuerit, tres sint ad minus, eaque omnia recitent, quæcumque per traditionem dicenda esse acceperunt.) Succinit Julius Antonius Cardinalis in citata epistola asserens apud Græcos septem, aut tres, aut saltem duos presbyteros infirmos inungere. Quonam ritu id faciant breviter exponit Allatius: (Septem sacerdotes variis Invocationibus oleo benedicunt: recitantur septem epistolæ ex variis novi testamenti libris, septem evangelia, septem item orationes, non tantum animæ, sed corporis etiam salutem atque incolumitatem exoptantes: a singulis sacerdotibus post evangelium & orationem ungitur, ut septies ungatur. Post unctionem imponunt capiti illius librum evangeliorum & manus; & qui aliis præest sacerdos legit aliam orationem, & postquam deosculatus fuerit evangelium unctus, veniam peccatorum a sacerdotibus postulat; & ea impetrata, Deo gratias agit.] Et Arcudius lib. 5. cap. 3. (Mos est Orientalis ecclesiæ septem convocare presbyteros, qui Extremam-unctionem ægrotis administrent. In eo munere perfungendo quamvis varias singuli orationes recitent, eamdem tamen formam sacramenti omnes iterant.)

Et in Occidente.

III. Neque vero id Orientali ecclesiæ singulare extitit: nam in Occidentali id communi usu receptum fuisse probant non solum varia Ritualia e nobis mox edenda & alia a Menardo vulgata: sed etiam plura Sanctorum Acta. Acta S. Chrotildis reginæ (Trigesimo die vocationis suæ secundum apostolum inuncta a *Sacerdotibus* oleo sancto, & sacri Corporis & Sanguinis Christi percepto viatico, in confessione sanctæ Trinitatis corpus exuit.) Acta S. Hunegundis: (Conversa ad eos qui assidebant sibi *presbyteros*, Unctionis oleum & communionem expetit.) Eodem modo loquuntur Acta S. Hildegundis virginis apud Bollandum 20. Aprilis, Ordericus Vitalis lib. 13. Toletanus lib. 6. cap. 14. Hinc etiam Valdenses hæretici hoc reprobant sacramentum *propter plures sacerdotes ibi necessarios*. His addo statuta synodalia eccles. Caducensis, Ruthenensis & Tutelensis cap. 17. in quibus hæc lego: [Debent in collatione hujus sacramenti plures esse sacerdotes, si potest commode fieri: & non debet unus inungere, & alius orationem infundere, ne fiat divisio sacramenti, licet uno inungente & orante, alii postea statim orent, vel uno inungente & orante, possunt quilibet inungere & orare. Sacerdos etiam solus cum clerico suo hoc sacramentum poterit conferre, si non possunt alii sacerdotes adhiberi.) Sed & longe antea concilium Regiaticinum anno 850. celebratum can. 8. jusserat *vicinos presbyteros* ad hujus collationem sacramenti convocari. Theodulfus Aurelianensis tres presbyteros adhibendos docet.

IV. Ex his autem aliquando unus applicabat oleum, altero verba formæ pronuntiante: aliquando singuli omnes corporis partes ungebant, & ungendo formam proferebant; aliquando singuli singulares partes, hoc est unus unam, alter alteram perungebant.

Aliquando tamen ab uno.

V. Hæc tamen in Occidente praxis non ita universalis evaserat, quin sæpe infirmi ab unico sacerdote inungerentur. Nam v. g. Artemius febre correptus ab unico *Sancto Nepotiano visitatus atque oleo perunctus* legitur apud Gregorium Turonensem lib. 1. Hist. cap. 41. S. Eugendus ab *uno de fratribus* in ejus vita apud Boll. 1. Jan. Odilia Herimanni comitis & Mathildis filia a Richardo abbate S. Vitoni in Chronico Hugonis Flaviniacensis, & idem Richardus a solo *Episcopo* ibidem; denique, ut plures alios prætermittam, Mathildis imperatrix a Guillelmo episcopo Moguntino ex ejus vita apud Bollandum Maji 14. & Otto IV. imperator e præposito S. Burchardi de *Habunstat* inunctus est, ex narratione de ipsius morte, tom. 3. Anecdot. Et certe consultus aliquando Alexander papa III. ab episcopo Carnotensi (utrum sacerdos, uno clerico tantum præsente, infirmum debeat inungere?] respondit. (Sacerdos uno præsente clerico, etiam solus potest inungere infirmum) apud Labb. concil. tom. 10. p. 1718.

Contra sententiam Græcorum.

VI. Atque hinc refelli potest error Græcorum, qui, ut scribit Arcudius lib. 5. cap. 6. (Statuunt ne unus presbyter conferat hoc sacramentum, atque ut audio, infit, Constantinopoli si non fuerint ad minus tres, sed unus contulerit, vel etiam duo, ab officio deponuntur.) Hunc errorem hauserunt Græci ex doctrina Simeonis Thessalonicensis, qui in libro de sacramentis hæc habet: (Unus autem presbyter Euchæleum ne conficiat. Quoniam quemadmodum de episcopo scriptum est, non esse ordinandum ab uno; ita etiam de Extrema-unctione non esse peragendam ab uno presbytero. Advocet presbyteros, inquit Jacobus apostolus, & non unum presbyterum.) Verum ad hoc S. Jacobi testimonium respondet S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 83. (Si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere virtute totius ecclesiæ, cujus minister existit, & cujus personam gerit.) *Ipse* tamen S. Doctor approbat plures sacerdotes Extremam unctionem conferre. (Sacramentum hoc enim, inquit, perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, & ideo competit illi ut multi sacerdotes intersint, ut & oratio totius Ecclesiæ effectum hujus sacramenti coadjuvet: unde Jacobus dicit: Inducat presbyteros Ecclesiæ, & oratio fidei salvabit infirmum.)

Unctionis oleum a presbyteris Græcis benedictum.

VII. Materia remota unctionis infirmorum est oleum benedictum. Benedictum, inquam, ab episcopo ex Innocentii Papæ I. epistola ad Decentium. Apud Græcos tamen ab ipsis solet presbyteris benedici, ut docent Johannes Nathanael in epist. ad Episcopum Anegninum, Arcudius lib. 5. c. 2. Allatius l. 3. de Consensu utriusque ecclesiæ cap. 16. & Græcorum Euchologium. Idem de Armenis asserit Johannes XXII. ad Ossinium Armenorum Regem scribens in hæc verba: (Ipsi etiam sacerdotes oleum, quod infirmorum dicitur, consecrent pro sacramento Extremæ-unctionis, cum tamen apud nos ad episcopos solos spectet.) Quæ quidem praxis ex schismatico animo nequaquam processisse credenda est, siquidem in Theodori Cantuariensis archiepiscopi Capitulari ms. hanc his verbis expressam reperio: (Secundum Græcos presbytero licet virginem sacro velamine consecrare, & reconciliare pœnitentem, & facere oleum exorcizatum, & *infirmis chrisma*, si necesse est. Romanis autem non licet, nisi episcopo soli.) Ita traditionem suæ gentis ante annos mille scribebat homo Græcus & in disciplina ecclesiastica versatissimus. Quapropter hoc in usu Græci tolerari merito possent, quem a majoribus acceperunt, nisi oleum ab episcopo consecratum contemnerent, id quod discimus ex Julii Antonii Cardinalis epistola ad episcopum Messanensem, in qua inter alia hæc habet: (Quo ad quintum quod ipsi Græci sacramentorum Extremæ unctionis parvi faciant, & cum casus evenit, negligant infirmum inungere oleo ab episcopo latino consecrato; sed ipsi presbyteri septem, aut tres, aut saltem duo oleum benedicunt, & eo ungentes infirmum legant septem epistolas, & septem evangelia; respondendum est, eos male agere & peccare si parvi facient...... sed nos credimus eos hoc sacramentum non contemnere, quod habent & administrant; potius autem negligere ungere infirmum oleo ab episcopo latino benedicto: Quia juxta suum ritum presbyteri in actu exhibitionis hujus sacramenti, oleum ipsi benedicunt. Quare cum id ad eorum ritum pertineat, nihil modo immutandum videtur;

nam,

nam, ut dictum est superius, sciendum est quod apud Græcos hujusmodi oleum non benedicuns episcopi feria 5. in Cœna Domini, quemadmodum servat ecclesia latina, sicut nec oleum cathecumenorum; verum ipsi etiam simplices sacerdotes numero septem in eo sacramento exhibendo illud omnes sigillatim antee benedicunt; & eo benedicto, infirmum primus eorum, & deinde reliqui omnes simul inungunt.]

Quæ partes olim inunctæ.

VIII. Materia proxima est ipsa unctio, quam Græci adhibent ad (frontem, mentum, ambas genuas, ut fieri videatur unctio in capite ad modum crucis, deinde ad pectus, tum ad manus, idque ex utraque parte, postremo ad pedes,) ex Arcudio lib. 5. cap. 7. qui hic citat Simeonem Thessalonicensem. At sæculo nono ineunte, græci tres tantum unctiones faciebant, teste Theodulfo Aurelianensi episcopo in secundo capitulari apud Baluz. tom. 7. Miscell. qui hanc praxim ex apostolica traditione eos accepisse existimat. In ecclesia Occidentali varia fuit locorum de partibus ungendis consuetudo: Nam ex Pontificali Prudentii Tricassini episcopi, infirmi inungendi sunt (in superciliis oculorum, ad aures deintus, ad nares in summitate, ad labia exterius, ad manus exterius, ad pedes, in guttere, in collo, in scapulis, in umbilico, seu in loco ubi plus dolor imminet.) Ex antiquo codice Toronensi ante annos 800. scripto, [in collo, in gutture, inter scapulas & in pectore, & in quinque corporis sensibus, idest in superciliis oculorum, & in aurium summitate sive interius, & in labiis exterius, & in narium summitete sive deintus, & in manibus deforis, in genibus quoque & in cruribus, suris, pedibus, ac plantis, & pene in omnibus membris, seu in loco ubi dolor plus imminet.] Ex antiquo codice B. Mariæ Remensis ejusdem pene ætatis [in vertice capitis, in superciliis oculorum, in auribus deintus, in narium summitate, in labiis exterius, in planta pedum,) In vetusto codice ecclesiæ Catalaunensis tempore Gibuini episcopi manu exarato præscribitur ut (ungatur ægrotus in pectore & retro sive scapulas, & in vertice nec non & intus manibus, & planta pedum.) Ex Pontificali Cameracensi, (in vertice, in fronte, in temporibus, in facie, in superciliis oculorum, in auribus deintus, in narium summitate, in labiis exterius, in gutture & collo inter scapulas, inter pectora, super manus deforis, in pedibus, in umbilico, seu in loco ubi amplius dolor imminet.] In Statutis monialium Gilbertinarum Monastici Anglicani tomo 2. p. 775. præscribitur ut (unctio, quæ solet fieri circa umbilicum infirmorum, fiat in pectore sororum circa guttur, unctio gulæ in mento.] Denique in ms. Carmine Anonymi cujusdam a nobis jam citato de unctione hæc lego:

Hunc non in capite, si confirmatus, inungas.
In confirmatis non frons, sed tempore debent
Ungi, Pontifices ungunt quia chrismate frontes.
Hinc oculos, aures, nares, loca post labiorum,
Pectus, utrasque manus ungas, postremo pedesque.
Non ungas scapulas, quia mysterio caruerunt.
Presbyteri palmas non intus, sed foris ungas:
Dicunt Doctores quod eas non ungere fas sit,
Quas unxit præsul dum presbyterum faciebat.
Ungere non debes ægrum quem præsul inunxit,
Si facit infirmus crisim, tunc cuncta leventur
Membra: quod inde lavas totum jaciatur in igne.
Si trahit ungendum dolor extremus sine psalmis
Hunc ungas citius, ut non moriatur inunctus,

Observat etiam Durandus lib. Ration. cap. 8. quosdam docere (quod non debent scapolæ inungi, quia in baptismo fuerunt inunctæ, & amodo ministerio carent; & quod confirmatus non debet inungi in fronte, sed in temporibus, nec presbyteri manus ungebantur interius, sed exterius: quia in ordinatione ejus interius inunctæ fuerunt. Et quod ab episcopo semel inunctus non debet propter ejus reverentiam ulterius per presbyterum inungi. Et quod si æger inunctus convalescit, loca inuncta laventur, & aque lotionis in ignem projiciatur. Si vero decedat, non lavetur corpus propter recentem unctionem.) Verum Acta S. Eugendi testantur eum in solo pectusculo inunctum. At alia erat ante annos mille supra ducentos disciplinæ, alia subsecutis sæculis.

Forma extremæ-Unctionis.

IV. Dum peragitur unctio, nonnulla ministri pronunciens verba, quæ e scholasticis doctoribus forma appellantur. Hæc in quibusdam Ritualibus modo absoluto, in aliis deprecativo, in nonnullis partim absoluto, partim deprecativo enuntiantur. Qua de re frustra disputant scholastici, cum parvi referat quovis modo proferantur, dummodo *In nomine Domini*, quod solum requirit apostolus proferantur: Nec omnibus argumentationum suarum cavillationibus formas absolutas convellere poterunt, quas omnis approbavit antiquitas, nec respuerunt insigniores Theologi. Certe S. Bonaventura in 4. dist. 23. q. 4. & post eum Paludanus, Richardus & Gabriel asserunt, formam Ambrosianam, Mediolani suo tempore usu receptam, fuisse absolutam. Similem profert liber Sacramentalis Venetorum a Leone X. approbatus. Similem Rituale Suessionense, Catalaunense & Ambianense, quorum editio necdum ducentos attigit annos. In vetustissimo ecclesiæ Catalaunensis libro sacramentorum tempore Gibuini episcopi manu exarato, unica hæc brevisque formæ ad omnes unctiones semel proferende habetur: *In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, sit tibi hæc perunctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis.* Similiter in antiquo Pontificali Narbonensi, quod est penes Dominum *Pesch* canonicum S. Pauli, unica etiam hæc ad omnes unctiones continetur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti regnantis in sæcula sæculorum, accipe sanitatem corporis, & remissionem peccatorum tuorum.*

ARTICULUS IV.

In quo varii ad ungendos infirmos ordines referuntur.

ORDO I.

Ex ms. Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum circiter 900.

DUm invitati sacerdotes ad infirmum fuerint visitandi ungendique causa, qui eorum ad illud officium dignus jure censetur, induat se superhumerali, alba & stola, cum phanone, atque planeta, si affuerit; sin alias, casula non induatur. Diaconus vero qui evangelii textum ferat & oleum infirmorum, & ceroferarii secundum ordinem suum se induent. Unus caroferariorum dextera cereum, læva thuribulum cum incenso. Sic induti cum domum, in qua infirmus jacet, intrare voluerint; sacerdos læva codicem, quo hujus officii orationes habentur, teneat; dextra se signo Dominicæ crucis muniat, quatenus cum summa humilitate & timore Dei quod inceperit perficere valeat. Et sic intrando istam antiphonam (dicat.)

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Pax ingredientibus & regredientibus.

Oratio quam sacerdos, cum intra januam fuerit, dicere debet.

Omnipotens sempiterne Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostræ hunc famulum tuum hoc in habitaculo fessum jacentem salutifere visitare digneris: & sicut visitasti Tobiam, & Saram, socrumque Petri, nec non & puerum Centurionis: ita & iste pristina sanitate animæ corporisque recepta, a te visitatus, gratiarum tibi in Ecclesia tua sancta referat actionem. Per.

Deinde vero progrediens, undique versus aquam benedictam aspergendo, atque antiphonam, Asperges me Domine ysopo *decantando, ad lectum ægroti, non tumida mentis austeritate, verum cum omni mansuetudinis industria accedere satagat.*

Sequitur oratio post aspersionem.

Præsta, Domine quæsumus, per hanc creaturam aspersionis sanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, hic & in æterna sæcula sæculorum. Amen.

Sequitur & alia oratio, quam sacerdos stans ante lectum ægroti, antequam ei quidquam loquatur, dicere debet:

Domine Deus, qui per apostolum tuum Jacobum locutus es, infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei: Cura, quæsumus Redemtor noster, gratia Sancti Spiritus languores istius infirmi, & vulnera ejus sana, eique dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo expelle, plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde: ut auxilio misericordiæ tuæ in pristinam valetudinem restitutus, ad propria offi-

cia reparetur per virtutem tuæ majestatis, Selvator mundi qui vivis.

Tunc sacerdos flexis genibus ente ægrotum inclinet dicens ei. Ut quid nos vocasti, freter? *Infirmus dicat*: Ut unctionem mihi tradere dignemini. *Sacerdos tunc eum compendiose cum omni levitate divinis instruat dogmatibus si spiritualis est, dicens ei*: Prius te ad puram præpare confessionem, de cetero sanctam accipies unctionem. *Si secularis est, dicat ei:* Tuæ prius dispone domui, & si quid intra tui cordis conscientiam habere censes contre quempiam, indulgendo remitte; quatenus opitulante summi tonantis clementia, per hanc veleas unctionem tuorum percipere peccaminum ebolitionem.

Deinde sacerdos hanc dicat orationem.

Oremus, fratres dilectissimi, Dominum nostrum Jesum cum omni intenta supplicetione, ut hunc famulum visitere & confortare in puram dignetur confessionem. Qui vivit.

Tunc ejus accipiet confessionem. Et si cunctis voluerit dimittere, sanctem ei humiliter tradat unctionem. Quod si noluerit, sacreto eum chrismete omnino non tenget, quia in evangelio legitur: Si non dimiseritis hominibus peccate eorum, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccare vestra.

(Sequitur litanie cum capitulis & oratione sequenti.]

Domine, qui juste irasceris, & clementer ignoscis, efflicti famuli tui lacrymas respice, & item tuæ indignationis, quam juste meremur, propitius everte. Per.

Antiphona. Ingressus Rapheel erchengelus ad Tobiam, salutavit eum dicens: Gaudium tibi semper sit. Cui Tobias eit: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? Cui angelus inquit: Forti animo esto, in proximo est ut a Deo cureris.

Et sic perungat infirmum de oleo sanctificato tancet faciendo.

Unguo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii & Spiritus-sancti, sicut unxit Samuel David regem & prophetam, ut non leteat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum. Sed inhabitet in te virtus Christi eltissimi & Spiritus-sancti: quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacri olei unctionem, etque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicetus sive sanatus, pristinam & melioratam recipere merearis sanitatem. Per.

Antiphona. Sane, Domine, infirmum istum, cujus ossa turbare sunt valde, sed tu Domine, convertere, sane eum & eripe animem ejus. *Psal.* Domine ne in furore tuo 1.

Oratio ad oculos engendos in superciliis oculorum.

Unguo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Dominum nostrum.

Succurre Domine infirmo huic & medica eum spirituali medicamine, ut in pristina sanitete e te restitutus, gratiarum tibi referat actionem. *Psal.* Beati quorum.

Ad eures.

Ungo has eures sacrati olei liquore, ut quicquid delectatione nocua auditus admissum est, medicina spiritelis evacuet. Per.

Antiph. Sanet te Jesus Christus eb omni ægritudine tua, quoscumque habes dolores; dimittat Dominus omnia peccata tue. *Psal.* Domine ne in furore tuo. 2.

Ad nares.

Ungo hes nares de oleo sacrato: ut quicquid noxæ contractum est odoratu superfluo, ista mundet medicatio. Per Dominum nostrum.

Antiph. Opem ferat huic infirmo Deus, super lectum doloris ejus: ipse conservet eum & vivificet eum. *Psel.* Beatus qui intelligit.

Ad labia.

Ungo labie ista consecreti olei medicamento, ut quicquid otiosa vel criminosa peccasti locutione, divina clementie miserante expietur hac unctione. Per.

Antip. Dominus locutus est discipulis suis: In nomine meo dæmonia ejicite, & super ægros manus vestras imponite (& bene) hebebunt. *Psal.* Deus Deorum Dominus.

Ad collum.

Ungo collum tuum de oleo sancto, in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Antiph. Cor contritum & humiliatum Deus non spernit. *Psel.* Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Ad scapulas.

Ungo has scapulas, sive medium scapularum de oleo sancto, ut ex omni parte spiritali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ec procul possis cum robore juveminis repellere. Per Dominum.

Antiph. Salvum fac servum tuum, Domine, Deus meus sperentem in te. Custodi animam ejus, quoniam in te speravit. *Psal.* Inclina Domine.

Ad pectus.

Ungo pectore tua de oleo sancto, ut in hac unctione protectus, fortiter præstare valeas adversus aereas caterves. Per Dominum.

Antiph. Cadent e letere tuo mille, & decem milia a dextris tuis: tibi eutem nullum eppropinquat malum.

Ad manus.

Ungo has manus de oleo consecrato, ut quicquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Antiph. Propitietur Dominus iniquitatibus tuis & sanet omnes ægritudines tuas, & renovetur ut aquilæ juventus tue. *Psal.* Benedic 1.

Ad pedes.

Ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quidquid superfluo vel nocuo incessu commiserunt, iste aboleat unctio. Per.

℟. Ne reminiscaris Domine delicte nostra vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccetis meis. *Psal.* De profundis.

Et in umbilico, sive in loco ubi plus dolor imminerit amplius perungatur.

Item oratio.

Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut more militis uncti præparetus ad luctam possis aereas superare caterves. Per.

Antiph. Memento, Domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis. *Psel.* Domine exaudi.

Hoc enim faciunt, ut si in quinque sensibus mentis & corporis alique macula edhæsit, hac medicina Dei sanetur.

Oratio post unctionem.

In nomine Petris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc olei sanctificati unctio ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defensionem contre jacula immundorum spirituum. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis: ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed habitet in eo virtus Christi altissimi & Spiritus-sancti. Per.

Domine Deus Salvator noster, qui es vere salus & medicine, & e quo omnis sanitas & omne medicamentum venit; quique nos apostoli tui documento instruxisti, ut languentes olei liquore tangeremus: respice propitius super hunc famulum tuum, & quem languor curvat ad exitum, & virium defectus trahit ad occasum, medela gratiæ tuæ restituat in salutem. Per.

Alia.

Per istam unctionem, & per ministerium nostrum, Deique benedictionem, mundentur & sanctificentur ab omni sorde & contagione peccati caput, & sensus tui, visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus; ut quicquid in humeris, vel manibus, aut pedibus, sive toto corpore, cogitatione, locutione, & opere peccasti, misericordie Salvatoris expietur: ut idoneus efficiaris ad invocandum Dominum, & benedicendum, atque sanctificandum Deum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi; redatque tibi lætitiam salutaris sui, & Spiritu principali confirmet te, & Spiritum sanctum innovet in visceribus tuis, & ne euferat illum e te. Sed benedictio Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super te, quæ copiose super caput tuum defluat, & in extrema totius corporis tui descendat, interius exteriusque repleat, atque circumdet, & sit semper tecum. Amen.

Alia.

Sane quoque, Deus omnium medicator, ejus febrium & cunctorum languorum cruciatus, ægritudinemque & dolorum omnium dissolve tormenta, viscerumque ac cordium interne medica: medullarum quoque & cogitationum sane discrimina, ulcerum vanitatumque putredinem evacua, conscientiarumque atque plagarum obducito cicatrices veteres, immensasque remove passiones: carnis ac sanguinis materiam reforme, delictorumque cunctorum veniam tribue: sicque illum tue pietas jugiter custodiat; ut nec ad corruptionem alique sanitas, nec ad perditionem nunc te euxiliante perducat infirmitas: sed fiat ei hæc oleo sacrati perunctio mortis, morbi & languoris præsentis expulsio, atque peccatorum omnium optata remissio. Per.

Alia.

De nobis, Domine, ut sicut publicani precibus & confessione placatus es; ite & huic famulo tuo olei benedictione placare, & precibus ejus benignus aspice, ut in con-

confessione flebili permanens, & petitione perpetua clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus & sacramentis restitutus, rursus divino famulatui mancipetur. Per.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & satiet in omnibus desiderium tuum, qui solus in Trinitate unus Deus vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Super infirmum.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti: ita & famulum tuum a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per.

Alia.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove quam creasti, ut castigationibus emendatus, continuo se sentiat medicina salvatum. Per.

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu: inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum ex adversa valetudine corporis laborantem placatus respice; & visita in salutari tuo, ac cælestis gratiæ præsta medicinam.

Alia.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo, ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis humanæ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas: ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra & membra vegetentur; super hunc famulum tuum propitiatus intende: ut omni necessitate infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per.

ORDO II.

Ex Theodulfi Aurelianensis episcopi secundo Capitulari apud Baluzium tom. 7. Miscellaneorum.

PRimitus autem infirmo pœnitentia detur, deinde si permiserit infirmitas, abluto corpore, albis vestibus induatur, & in ecclesiam deportetur, & jaceat in cilicio superjecto cinere. Portetur ibi crux & aqua benedicta, ut cum venerint ad eum, videlicet tres presbyteri, dicant Capitulum: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Pax ingredientibus & egredientibus in nomine Domini.* Deinde fundat sacerdos de oleo sacrato in aquam benedictam, & spargat eam dicens antiphonam: *Benedic, Domine, domum istam & omnes habitantes in ea, quoniam tu Domine dixisti: Pax huic domui, &c. Benedic, Domine, timentes te pusillos cum majoribus. Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram.* Et iterum dicat antiphonam: *Asperges me, Domine, hyssopo, &c.* Et data oratione, cinerem sacratum imponat capiti & pectori infirmi in crucis modum dicens: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumtus es. Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Deinde incipiant vii. psalmos pœnitentiales pro eo. Et si potest infirmus stet genibus flexis, & capite inclinato, sive omni corpore prostratus.

Post letaniam, dicta oratione, incipiat unctionem, canentibus ceteris psalmos & antiphonam congruentes, & faciat de oleo super eum * duodecim signa crucis, hoc est primum inter scapulas magnam crucem usque ad collum & ex transverso usque super scapulas cum oratione. Deinde in collo usque ad cervicem. Tertiam super caput usque ad frontem in transverso ab aure usque ad aurem. Deinde quartam & quintam in visu, hoc est, in superciliis oculorum. Sextam in olfactu, idest, in naso, sive in naribus. Septimam in gustu, hoc est, in labiis. Octavam & nonam crucem in auditu, idest, in auribus deforis. Decimam in gutture. Undecimam in pectore. Duodecimam & decimam tertiam in tactu, idest, in unaquaque manu deforis. Reliquas duas in pedibus.

Hoc autem numero quindenario facimus cruces de Oleo Sancto super infirmum hominem propter Trinitatis mysterium, & quinque sensuum significationem. Terni enim quinquies quindecim perficiunt. Et quia per imparem numerum sæpius sanctificare solitum est. Quidam viginti cruces facere super infirmum volunt. Quidam ex quatuor, idest, tres inter scapulas, tres super scapulas, tres in collo, in cervice & cerebro, tres in fronte & superciliis, tres in naribus & labiis, duas in auribus, duas in gutture & pectore, duas in manibus, duas in pedibus. Quidam addunt duas in temporibus, duas in manibus interius faciunt. Quidam in fronte ullius, nec in manibus sacerdotis interius crucem de oleo facere oportere dicunt. Sed tamen nihil obest. Episcopus enim non oleum infirmorum, sed chrisma frontibus omnium baptizatorum & manibus sacerdotum imponit. Nam pectus & inter scapulas baptizatis crucem faciendo de oleo exorcizato, non de oleo infirmorum presbyter tangit ante baptismum. Itaque nihil obesse videmus eadem loca tangi in unctione infirmi de oleo infirmorum. Apostoli autem ungentes oleo infirmos, non amplius quam tres cruces cum oleo super eos faciebant. Unde Græci qui ipsam traditionem Apostolorum imitantur, similiter tres tantum cum oleo faciunt, fundentes cum ampulla oleum infirmorum in crucis modum super caput & vestimenta & totum corpus infirmi: incipientes crucem a capite usque ad pedes, in transverso a manu dextra usque ad brachia & pectus usque ad sinistram manum dicentes:

Ungo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut oratio fidei salvet te, & alleviet te Dominus, & si in peccatis sis, remittantur tibi.

Illa autem vestimenta oleo superfusa, quibus infirmandus, non sepeliuntur; & si convaluerit, abluantur in loco mundo, & iterum utitur eis. Non solum autem clericis, sed etiam laicis; nec tantum viris sed & feminis unctio talis tribuenda est, si necesse fuerit: quia quosdam sanctos viros legimus puellas paraliticas Oleo Sancto unxisse, & sanasse. Energumenos etiam legimus Oleo Sancto perunctos & sanatos. Ideo si infirmus in amentiam versus, tamen juxta concilium Arausicense omne officium pietatis exhibeatur ei, & ipsa communio, si tamen in sua sanitate catholicam fidem credebat. Sic enim in eo concilio habetur scriptum: *Amentibus quæcumque sunt pietatis conferantur.* Et rite in hora, quia subito obmutescens baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonia justa fuerint. Sic quandiu vita apparet in infirmo, commendari omnibus officiis pietatis poterit, etiamsi testimonia voluntatis ejus defuerint. Pro fide tamen amicorum omnia ei debent impendi sacramentorum adjutoria, exemplo evangelico, ubi JESUS non ad Paralytici, sed ad illorum, qui eum portabant, fidem respiciens ait: *Homo tibi dimittuntur peccata tua.* Hoc autem omnibus modis observari oportet, ut post mortem communio eucharistiæ in os cadaveris (non) immittatur, aliquo intuitu misericordiæ: quod prohibent valde canones. Sola pœnitentia ab amicis pro mortuo potest post mortem ejus accipi, si tanta in eis fuerit caritas.

Ipsis quoque pueris necessaria est unctio, cum legamus, nonnullos sanctorum oleo membra puerorum unxisse sacrato, & ad sanitatem pristinam revocasse. Nam pœnitentia pueris adeo videtur necessaria, ut legamus quosdam pueros pro meritis peccatorum ministris satanæ traditos, & absque pœnitentia interierunt.

Sicut autem jam diximus, ita licitum est presbyteris episcopos ungere in infirmitate, ut Carthaginense concilium presbyteris concedat fideles chrismare confirmare more episcoporum, si tamen in periculo mortis aliquem viderint, qui ab episcopo chrismate sancto (non) fuerit confirmatus. Similiter de reconciliatione pœnitentium in periculo mortis eis conceditur. Presbyteri enim licet pontificatus apicem non habeant, tamen secundi episcopi sunt.

Uncto vero infirmo cum orationibus, ut dictum est, jubeatur a sacerdote orationem Dominicam & Symbolum dicere, & spiritum suum in manus Dei commendare, & signo crucis se munire, & viventibus vale dicere. Tunc sacerdos det ei pacem, & communicet eum dicens:

Corpus & Sanguis Domini sit tibi remissio omnium peccatorum, & custodiat te in vitam æternam. Et respondeant omnes: *Deo gratias.* Et expletum est. In crastino & usque ad septem dies visitet sacerdos, & fundat super eum orationes ad hoc congruentes.

ORDO III.

Ex ms. Pontificali Prudentii episcopi, qui ante annos 850. Trecensem regebat ecclesiam.

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

C*Um ingreditur sacerdos ad visitandum infirmum, primum dicat:* Pax huic domui III. *Et Resp.* Et cum spiritu tuo. *Deinde antiph.* Benedic Domine domum istam. *Et aspergatur aqua benedicta cum odore incensi. Postea dicat Orationes.*

* l. quindecim.

Domi-

Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es, &c.

Alia.

Dominum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus, &c.

Alia.

Succurre, Domine, infirmo isti N. & medica eum spiritali medicamine, ut pristinæ sanitati restitutus, gratiarum tibi sanus referat actiones. Per.

Alia.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ, ter quinos annos ad vitam, &c.

Alia.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis, &c.

Alia.

Deus qui humano generi & salutis remedium, &c.

Alia.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus, &c.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, &c.

Postea dicat ad infirmum. Quid me vocas frater? *Respondet ille.* Ut mihi pœnitentiam tradas. *Respondet sacerdos:* Det tibi Dominus Jesus Christus veniam. Tamen si Dominus respexerit, custodies illam? *Respondet:* Custodiam.

Tunc sacerdos faciet crucem e cinere super pectus ejus, & imponet cilicium super caput ejus. Post hæc sequitur oratio.

Deum omnipotentem ac misericordem, qui non vult mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant, fratres carissimi, supplices deprecemur, ut conversum ad veniam rectam famulum suum N. misericordiæ suæ veniam propitiatus indulgeat, & si qua sunt culparum suarum vulnera, quæ post sacri lavacri undam attraxit; ita in hac publica confessione delicta sanentur, ut nulla in eo cicatricum signa remaneant. Per.

Alia.

Deus justorum gloria, misericordia peccatorum, da huic famulo tuo N. plenam indulgentiæ veniam, pœnitentiæ loco exoratus indulge, ut qui præterita peccata deplorat, futura mala ne sentiat, neque jam ulterius lugendo committat. Dimitte ei omnia crimina, & in semitis eum justitiæ placatus restaura: ut securus mereatur deinceps inter tuos bene meritis currere, & ad pacis æterna præmia pervenire. Per.

Alia.

Domine, Deus omnipotens, sempiterne, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti, succurre lapsis, miserere lassis, ut quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per.

Tunc infirmus dicat orationem Dominicam & symbolum cum signaculo sanctæ Trinitatis, Interroget sacerdos ita:

Vis dimittere his, qui in te peccaverunt omnia, ut & Deus dimittat tibi omnia peccata tua, ipso dicente: Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra? *Si non vult dimittere, non suscipiat ejus confessionem. Et requirat eum diligenter si est incestuosus; & si vult dimittere ipsa incesta, da ei pœnitentiam; & si non vult, noli dare ei pœnitentiam. Et post hæc confiteatur omnia peccata sua quantum recordari potest: & post hæc dicat hæc verba:* multa sunt, Domine, peccata mea in verbis, in factis, in cogitationibus. *Et inclinet se ad genua sacerdotis, Tunc dicat sacerdos orationem post confessionem.*

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, creator & conservator humani generis, qui peccantium pœnitentiam vis potius, quam mortem; hunc servum tuum, qui mundi erroribus lapsus, atque diaboli infestatione deceptus, prostratus jacet ante conspectum majestatis tuæ, tu qui pius es & misericors, respice, & erige elisum, solve compeditum, illumina cæcum, & revoca eum ad salutem. Tu enim per prophetam dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: concede etiam, Domine, ut fructum dignum pœnitentiæ peragat, & perpetuam veniam percipere mereatur, & Ecclesiæ tuæ sanctæ conjunctus gratuletur. Per.

Alia.

Da nobis, Domine, ut sicut publicani precibus & confessione placatus es, ita & huic famulo tuo N. placare, Domine, & precibus ejus benignus aspira, ut in confessione flebili permanens, & petitione perpetua clementiam tuam clementer exoret, sacrisque altaribus & sacramentis restitutus, rursus cælesti gloriæ mancipetur. Per.

Alia.

Omnipotens & misericors Deus, confitenti tibi huic famulo tuo N. delicta pro tua pietate relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per.

Alia.

Respice, Domine, propitius super hunc famulum tuum N. &c.

Conversus ad infirmum dicat:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi Dominus peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet in omni bono, & perducat te in vitam æternam. Amen.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, custodiat te Jesus Christus, &c.

Benedicat te Deus Pater, sanet te Dei Filius, &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus qui subvenis in periculis, &c.

Benedictiones super infirmum.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat, &c.

Benedicat te Deus cæli, &c.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit, &c.

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus-sanctus, &c.

Oratio ad communicandum infirmum.

Salvator noster Redemtorque omnium, qui non solum pœnitentibus, sed etiam his qui nec ad te venire cupiunt, veniam ultroneus, ac propitius miserator indulges, te supplices quæsumus, ut hunc famulum N. ad corporis & Sanguinis tui communionem indulta venia cælesti benedictione perducas. Per.

Alia.

Exaudi nos, Domine Deus noster, & præsta ut per manus impositionem nostræ descendat super hunc famulum tuum idoneitatis auxilium, qui omnibus lapsis veniam libenter ignoscis, & satisfactionem contentus ad te complectens reverti, da ei ut communionis recepta gratia, referat de sæviente hoste victoriam, quatenus divinis redditus mensis, cælesti pane saturetur. Per.

Tunc jubeat sacerdos recitare Pater noster; *& cum perfecerit, dicat collectam sequentem.*

Humili mente, caritateque devota, immensum atque clementem Deum invisibilem petimus, ut lapsorum gemitus atque obsecrationes exaudiat, oblivioni tradat priorum actuum maculas, ut eumdem N. sub indulgentia pietatis suæ ad sacræ communionis participationem perducat. Per.

Hinc detur sacrificium infirmo ita dicendo:

Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sint tibi ad perpetuam salutem hic & in æternum. Amen.

Post hæc sequitur oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro N. sacrosanctum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corporis, quam animæ sit salus. Per eumdem Dominum.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem.

Deus misericors, Deus clemens, &c.

Hic ungendus est infirmus de oleo sancto. Tunc si episcopus affuerit, imponat sive sacerdotis, sive cujuscumque infirmo capiti manum: alioquin presbyter reconcilians presbytero infirmo manum superponere non debet. Ceteris vero infirmis superponat manum, & dicat hanc orationem.

Omnipotens Deus, qui in nomine Unigeniti sui misit Spiritum-sanctum, &c.

Postea accepta ampulla cum oleo dicat:

Per istam unctionem & Dei benedictionem mundentur ab omni sorde peccati, & sanctificentur manus, & os, cor quoque, tactus, odoratus, sensus, visus, auditus & gustus, totum corpus & anima tua, ut idoneus efficiaris ad invocandum in nomine ejusdem Dei nostri. Reddat tibi Dominus lætitiam salutaris sui, & spiritu principali confirmet te. Spiritum-sanctum innovet in visceribus tuis, & ne auferat illum a te, sed benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti descendat super te, quæ copiosa supra defluat, & in extrema totius corporis tui descendat, interius exteriusque te repleat atque circumdet, & sit semper tecum Amen.

Sic denique ungat ægrotum dicens has orationes vicissim.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc perunctio olei sanctificationis ad purificationem mentis & corporis.

Item.

Item.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ungo te oleo sancto in remissionem tuorum omnium peccatorum in vitam æternam. Amen.

Dum inungitur ægrotus, dicatur antiphona : Sana, me Domine, &c. *Sequuntur octo psalmi ad imitationem octo beatitudinum, sive ad spem octavæ diei Resurrectionis.* Domine ne in furore 1. Ad te levavi. Beati quorum. Domine ne in furore 2. Domine exaudi 1. De profundis. Domine exaudi 2. Kyrie eleison. Pater noster. *Capitula*. Ego dixi, Domine, miserere mei. Convertere Domine. Salvum fac servum tuum. Domine conserva eum. Domine, opem fer ei super lectum. Mitte ei Domine. Nihil proficiat.

Oratio in superciliis oculorum.

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Dominum.

Ad aures deintus.

Ungo aures sacrati olei de liquore, ut quicquid delectatione nocua auditus admissum est, medicina salutaris evacuet. Per.

Ad nares in summitate.

Ungo has nares de oleo sacrato, ut quicquid noxie contractum est odoratu superfluo, ista emundat medicatio. Per.

Ad labia exterius.

Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quicquid otiosa vel criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expietur hac unctione. Per Dominum.

Ad manus exterius.

Ungo has manus de oleo consecrato, ut quicquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Ad pedes.

Ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quicquid superfluo vel nocuo incessu commiserunt, ista aboleat perunctio. Per.

Deinde ungatur in gutture, in colla, in scapulis, in umbilico, seu in loco ubi plus dolor imminuerit, perungatur. Hoc enim faciunt, ut si aliqua macula adhæsit, hac medicina Dei sanetur, & tunc dicantur istæ orationes super eum.

Inungo te de oleo sancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi & Spiritus-sancti, quatenus per hujus orationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicetur, sive fotus pristinam & melioratam recipere merearis sanitatem. Per Dominum nostrum.

Oratio post unctionem olei.

Jesu, Salvator noster & Domine, qui es vera salus, & medicina, &c.

His expletis, communicet eum.

Orationes post communionem.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, &c.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, &c.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ægritudines animarum, &c.

Dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione, &c.

Sequitur missa pro infirmo. Item alia missa pro infirmo qui proximus est morti.

ORDO IV.

Ex antiquo libro Sacramentorum insignis ecclesiæ S. Gatiani Turonensis ante annos 800. *scripto.*

INCIPIT ORDO AD VISITANDUM ET INUNGENDUM INFIRMUM.

IN *primis faciant sacerdotes aquam benedictam extra domum. Et cum ingressi fuerint domum, dicant primum* : Pax huic domui; *& tunc incipiant antiphonam*, Asperges me Domine : *& aspergatur aqua super infirmum, vel super domum ejus, cum psalmo* Miserere mei Deus 1.

Benedictio domus.

Adesto Domine, supplicationibus nostris, & hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra. Descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, ut in his manufactis habitaculis cum salubritate manentes, ipsi tuum semper sint habitaculum. Per.

Alia.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut si qua sunt adversa, si qua contraria in hac domo famuli ill. auctoritate majestatis tuæ pellantur. Per.

Sequitur oratio.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita & famulum tuum ill. a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per.

Post hæc canant sacerdotes, vel ministri ecclesiæ super infirmum septem psalmos pœnitentiales cum antiphona, Ne reminiscaris Domine.

Sequitur oratio.

Respice, Domine, famulum tuum infirmitate corporis sui laborantem, & animam refove quam creasti, ut castigationibus emendata, continuo se sentiat tua medicina salvatum. Per.

Postea vero canant litaniam super infirmum. Et post litaniam dicat sacerdos super infirmum has orationes.

Oratio.

Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostræ hunc famulum tuum fessum jacentem in hoc habitaculo, salutifere visitare digneris; & sicut visitasti, Domine, Tobiam & Saram, Socrum Petri, puerumque Centurionis; ita & iste pristina sanitate animæ corporisque recepta, gratiarum tibi in ecclesia tua referat actionem. Per.

Alia oratio.

Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es, infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei; cura, quæsumus, Redemptor noster, gratia Spiritus sancti languores istius infirmi, & sua sana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis expelle, plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde : ut ope misericordiæ tuæ adjutus & sanatus, ad pristina reparetur officia. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Jacobum apostolum tuum inducere presbyteros Ecclesiæ, & ungere oleo infirmos præcepisti; præsta, quæsumus, ut digneris per manus nostras hunc famulum tuum infirmum de oleo isto sanctificato ungere, & benedicere; & quod nos exterius fideliter postulantes amplectimur; hoc interius spiritaliter divina virtus invisibiliter operetur. Per.

Post has orationes flectat genua languidus, & sedeat ad dexteram sacerdotis, & psallant hanc antiphonam cum psalmo.

Antiphona. Dominus loquutus est discipulis suis dicens : In nomine meo dæmonia ejicite, super ægros manus imponite, & bene habebunt. *Psalm.* Deus misereatur nostri. *Et repetant*, In nomine meo. *Et sic ponant sacerdotes manus suas, & reliqui fideles super infirmum. Et dicat sacerdos hanc orationem.*

Oremus.

Dominum nostrum Jesum Christum & cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum visitare, & confortare, & lætificare dignetur, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit, &c.

Antiphona. Succurre, Domine, infirmo isti, & medica eum spiritali medicamine, ut in pristina sanitate a te restitutus, gratiarum tibi sanus referat actionem. *Psalm.* Ad Dominum cum tribularer. *Et repetant*, Ut in pristina.

Sequitur oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ægritudines & animarum depellis & corporum, auxilii tui super infirmum nostrum ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjutus, ad omnia pietatis tuæ reparetur officia.

Antiphona. Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde, sed tu, Domine, convertere, & eripe animam meam : *Psalm.* Domine ne in furore tuo 1. *Et repetant antiphonam post gloriam.*

Tunc perungat sacerdos infirmum, faciens signum crucis de oleo sanctificato in collo, in gutture, & inter scapulas, & in pectore, & in quinque corporis sensibus, idest in superciliis oculorum, & in aurium summitate sive interius, & in labiis exterius, & in narium summitate sive deintus, & in manibus deforis, in genibus quoque, & in cruribus, suris, pedibus, ac plantis, & pene in omnibus membris, seu in illo loco ubi dolor plus imminet amplius perungatur. Et dum perunxerit eum, dicat unus ex sacerdotibus supplicando humiliter hanc orationem.

Ungo te de oleo sancto : In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Dei ac Domini nostri, ut fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & salus : quatinus per hujus operationem mysterii, & per

hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam & immelioratam recipere merearis sanitatem. Per.

Dicat iterum sacerdos super infirmum in consummatione unctionis hanc orationem.

In nomina Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc perunctio olei sanctificati ad purificationem mentis & sanitatem corporis. Amen.

Hoc enim ideo faciunt sacerdotes in quinque sensibus corporis, & in ceteris infirmi membris; ut si in his aliqua macula inhæsit invidia diaboli, hæc Dei medicina sanetur.

Sequitur oratio.

Domine Deus, Salvator noster, qui es vera salus & medicina, & a quo omnis sanitas & medicamentum venit, quique nos apostoli documento instruis, ut languentes olei liquore omnes tangeremus; respice propitius super hunc famulum tuum ill. & quem languor curvat ad exitum, & virium defectus trahit ad occasum, medela tuæ gratiæ restituat in salutem. Sana, quoque, quæsumus, omnium Medicator, ejus febrium & cunctorum languorum cruciatus, ægritudinumque & dolorum omnium dissolva tormenta, viscerumque ac cordium interna medica, medullarum quoque & cogitationum sana discrimina, ulcerum vanitatumque putredines evacua, conscientiarum atque plagarum obducito cicatrices veteres, immensasque remove passiones, carnis & sanguinis materiem reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue; sicque illum tua pietas jugiter custodiat, ut nec ad corruptionem aliquando sanitas, nec ad proditionem nunc te auxiliante perducat infirmitas; sed fiat ei hæc olei perunctio sacra morbi ac languoris præsentis expulsio, atque a peccatorum omnium optata remissio. Per.

Alia oratio.

Propitietur Dominus iniquitatibus tuis, & sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & satiet in bonis desiderium tuum, qui solus in Trinitate unus vivit & regnat Deus per immortalia secula seculorum. Amen.

Deinde communicet eum Corpore & Sanguine Domini, & sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione, quam de alio officio, & suscitabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei.

Debent præterea sacerdotes & alii ministri Ecclesiæ infirmis cum summa reverentia decantare per singulos dies vesperas & matutinas & nocturnas, cum antiphonia & responsoriis sive lectionibus & orationibus ad hoc pertinentibus.

Orationes in consummationa hujus officii.

Omipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis & in necessitate laborantibus, majestatem tuam supplices exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, qui famulum tuum ill. in angustiis & necessitatibus laborantem, & consolationibus adjuvat, quibus & de præsenti consequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per.

Alia.

Deus, qui peccatores & scelerum onere vulneratos sacerdotibus tuis ostendere jussisti: Deus, qui discipulis tuis, ut bene haberent, manus super infirmos ponere præcepisti: Deus, qui per apostolos tuos, infirmos sacro oleo inungere, & pro eis orare docuisti: Deus, qui per impositionem sacerdotum manus cum sancti nominis tui invocatione peccata relaxare voluisti; exaudi orationes nostras; & da huic famulo tuo ill. infirmitatis noxa presso, per hoc sacrum ministerium, quod nos indignos famulos tuos agere docuisti, remissionem omnium (tribue) peccatorum: quatinus per hanc sacrati olei unctionem, & manus nostræ impositionem, cuncta ei facinora Sancti Spiritus gratia relaxentur, veniæ impetrentur, sanitates corporis & animæ redintegrentur, fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius exteriusque imbuant, & a te sanetur: ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia & reconciliatio tuæ pietatis atque remissionis ad reconciliationem & veniam. Per.

Alia.

Deus, qui humano generi salutis remedium & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo ill. tuarum dona virtutum, & concede ut medelam tuam non solum in corpore sed etiam in anima sentiat. Per.

Alia oratio super infirmum.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis; adesto propitius famulo tuo ill. ut fugatis infirmitatibus & viribus revocatis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ largitione confirmas, & salutaribus remediis & auxilio tuo pietatis corpora nostra & membra vegetentur, super famulum tuum ill. propitius intende, ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterna Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo ill. pro quo misericordiæ tuæ imploremus auxilium, ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actionem. Per.

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum ill. ex adversa valetudine corporis laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, & cælestis gratiæ præsta medicinam. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ægritudines & animarum depellis & corporum, auxilii tui super infirmum nostrum ostende virtutem; ut ope misericordiæ tuæ adjutus, ad omnia pietatis tuæ reparetur officia. Per.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundando corporibus facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem tui nominis benignus assiste, & famulum tuum ill. liberatum ægritudine & sanitati donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, Ecclesiæ tuæ sanctisque altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate restituas. Per.

Benedictio super infirmum.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat. Amen. Intra te sit, ut te reficiat. Amen. Circa te sit, ut te conservet. Amen. Ante te sit, ut te deducat. Amen. Post te sit, ut te muniat. Amen. Super te sit, ut te benedicat, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat.

Alia.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Sanet te Dei Filius. Amen. Illuminet te Spiritus-sanctus. Amen. Corpus tuum custodiat. Amen. Animam tuam salvet. Amen. Cor tuum irradiet. Amen. Sensum tuum dirigat & ad supernam vitam perducat. Amen. Per.

Item alia benedictio.

Benedicat te Deus cæli. Amen. Adjuvet te Christus Filius Dei. Amen. Corpus tuum in servitio suo custodiri & conservari faciat. Amen. Mentem tuam illuminet. Amen. Sensum tuum custodiat. Amen. Ab omni malo te liberet. Amen. Dextra sua te defendat. Amen. Qui sanctos suos semper adjuvat, ipse te adjuvare & conservare dignetur, qui cum Patre in unitate Spiritus-sancti vivit & regnat Deus. Per.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit. Amen. Benedicat te Dei Filius, qui de supernis sedibus pro nobis Salvator descendit. Amen. Benedicat te Spiritus-sanctus, qui in similitudine columbæ in flumine Jordanis requievit in Christo. Amen. Ipseque te in Trinitate sanctificet, quem omnes gentes venturum expectant ad judicium, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivat.

Alia.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Custodiat te Jesus Christus. Amen. Illuminet te Spiritus-sanctus omnibus diebus vitæ tuæ. Amen. Confirmet te virtus Christi. Amen. Indulgeat tibi Dominus omnia peccata tua. Per.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, qui te creavit. Amen. Benedicat te Dei Filius, qui pro te passus est. Amen. Benedicat te Spiritus-sanctus, qui in te effusus est. Amen. Benedicant te Angeli & Archangeli, Principatus & Potestates. Amen. Benedicant te novem ordines angelorum regni cælestis. Amen. Benedicant te viginti quatuor seniores, qui in throno Dei sunt. Amen. Benedicant te Virtutes & Dominationes. Amen. Benedicant te Patriarchæ & Prophetæ atque Apostoli Christi. Amen. Benedicant te Martyres & Confessores sancti. Amen. Benedicant te cœlum & terra & omnia quæ in eis sunt. Amen. Omnes benedictiones quæ in libris & in sanctis continentur scripturis veniant super te, & te benedicant semper. Per eumdem.

Absolutio languentis ad mortem.

Vice sancti Petri apostolorum principis, cui a Domino collata est potestas ligandi atque solvendi, cujus etiam & nos licet indigni vice fungimur, absolvimus te ill. in quantum tua expetit accusatio, & ad nos pertinet remissio, secundum quod nobis, ut diximus, a Domino in sancto Petro est attributum, ab omnibus criminibus tuis; sitque

tibi

tibi omnipotens Deus Redemtor tuus, vita & salus, & & remissio omnium peccatorum tuorum, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem, &c.

Alia.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, &c.

Alia.

Majestatem tuam, quæsumus Domine, sancte Pater, &c.

Alia.

Deus misericors, Deus clemens, qui indulgentiam, &c.

ORDO V.

Ex ms. ejusdem insignis ecclesiæ Turonensis, ante annos 800. exarato.

INCIPIT ORDO AD VISITANDUM ET INUNGENDUM INFIRMUM.

I*N primis faciant sacerdotes aquam benedictam extra domum; & cum ingressi fuerint intra domum infirmi, dicant primum* Pax huic domui: *& tunc incipiunt antiphonam* Asperges: *& aspergatur aqua benedicta super infirmum & domum.* Canetur Miserere mei Deus. *Oratio.* Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos, &c.

Post hec canteut sacerdotes & ceteri super infirmum septem psalmos pœnitentiales cum antiphona, Ne reminiscaris Domine, *cum oratione Dominica & capitulis.*

Sequitur oratio.

Respice, Domine, famulum tuum ill. in infirmitate corporis sui, &c.

Post hæc canant letaniam super infirmum quæ sequitur: & expleta letania, dicat has orationes quæ sequuntur. Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostræ, &c.

Alia.

Deus, qui per apostolum tuum loquutus es, infirmatur quis in vobis? &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Jacobum apostolum tuum inducere presbyteros, &c.

Post has orationes, flectat genua, qui fuerit languidus, & stet ad dexteram sacerdotis, & psallant hanc antiphonam cum psalmo quod sequitur. Antiphona. Dominus loquutus est discipulis suis dicens: In nomine meo dæmonia ejicite, super ægros manus imponite, & bene habebunt. *Psal.* Deus misereatur nostri. *Et repetat.* In nomine.

Hic ponant sacerdotes & ministri Ecclesiæ manus suas super infirmum; & dicatur oratio.

Oremus.

Dominum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum visitare, & confortare ac consolare dignetur. Per.

Sequitur antiphona. Succurre, Domine, infirmo ill. & medica eum spiritali medicamine ut pristina sanitate restitutus, gratiarum tibi sanus referat actionem. *Psal.* Ad Dominum dum tribularer: *Et repetat,* ut pristina.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui ægritudines & animarum depellis & corporum, &c.

Antiphona. Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde; sed tu, Domine, convertere & eripe animam. *Psal.* Domine ne in furore tuo t. *usque in finem cum Gloria. Et repetat.* Et anima mea.

Et sic perunguat infirmum de oleo sanctificato cruces faciendo in collo, in guttare, & inter scapulas, & in pectore, seu loca ubi dolor imminet amplius perunguatur, & supplicando dum ungitur infirmus, dicat unus ex sacerdotibus hanc orationem.

UNCTIO.

Unguo te de oleo sancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Domini ac Dei nostri, ut fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & salus, quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem & nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam & immelioratam recipere merearis sanitatem. Per.

Sequitur oratio.

Domine Deus, Salvator noster, qui es vera salus & medicina, &c.

Alia oratio.

Propitietur, Dominus, iniquitatibus tuis, &c.

Deinde communicet eum Corpore & Sanguine Domini, & sic faciat illi per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione quam & de alio officio, & suscitabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Debet etiam sacerdotes & ministri sanctæ Dei Ecclesiæ cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies vesperas & matutinas cum Hymno Christe Cælestis, *& cum antiphonis & responsoriis, sive lectionibus, & orationibus ad hoc pertinentibus. Multi enim sacerdotes infirmos perungunt insuper in quinque sensus corporis, idest in superciliis oculorum, & in auribus deintus, & in narium summitate sive interius & exterius, & in manibus exterius, id est deforis. In omnibus his membris crucem faciant de oleo sacrato dicentes:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. *Hoc enim ideo faciant, ut qui in quinque sensus mentis & corporis aliquam maculam inhæsit, hac medicina Dei sanetur.*

Sequitur oratio.

Omnipotens, sempiterne Deus qui subvenis in periculis & in necessitate laborantibus, &c.

Item oratio.

Deus, qui peccatores & scelerum onere vulneratos, &c.

Alia.

Deus, qui humano generi salutis remedium, &c.

Alia.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus, &c.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem, &c.

Alia.

Omnipotens, sempiterne Deus, salus æterna credentium, &c.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ, &c.

Benedictio super infirmum.

Dominus Jesus Christus apud te sit, &c.

Alia.

Benedicet te Deus Pater. Amen, &c.

Alia.

Benedicet te Deus cæli. Amen, &c.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio, &c.

Alia.

Benedicet te Deus Pater. Amen, &c.

Sequitur Ordo in agenda mortuorum: *Sub finem vero codicis ista leguntur.*

Antequam unguatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & sacerdoti suo pariter omnia peccata sua; & reconciliationem ab eo percipiat plenam ut ulceribus vitiorum per confessionem prius adapertis, digna ejiciat unctio spiritualis medendo nequitiarum putredinem latitantem. Ingredientes vero sacerdotes domum infirmi, decantent septem pœnitentiales psalmos cum orationibus suprascriptis, & agatur letania quæ sequitur.... & dicantur orationes suprascriptæ pro infirmo & sic unguatur.

ORDO VI.

Ex ms. codice ejusdem insignis ecclesiæ Turonensis ante annos 800. exarato.

ORATIONES AD VISITANDUM ET INUNGENDUM INFIRMUM.

I*N primis faciat sacerdos aspersam sale aquam benedictam & aspergat eum cum antiphona & oratione super infirmum & super domum ejus.*

Benedictio aquæ.

Omnipotens, sempiterne Deus, Pater, & unice Filî Dei, Domine Jesu Christe sempiterne, quæsumus, infunde nobis Spiritum-sanctum Paraclitum, cujus ineffabili sanctificatione sanctificetur hoc mysterium aquæ per nos in hac vice; quatinus quidquid contigerit emundetur ab omni sorde, atque sumentibus se conferat sanitatem ex omni ægritudine. Per.

Exorcismus salis.

Exorcizo te creatura salis, per Deum vivum, per Deum verum, &c.

Be-

Benedictio.

Immenſam clementiem tuam omnipotens æterne Deus &c.

Exorciſmus aqua.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, &c.

Benedictio.

Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque ſacramenta, &c.

Alia.

Te ergo invoco, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hanc aquam exorcizare & benedicere pro tua pietate digneris; ut omnis ſpiritus immundus locum in ea non habeat, ſed ubicumque fuerit aſperſa, angelorum tuorum deſcendat exercitus. Per.

Hic ponitur ſal in aqua.

Deus invictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperii rex ac ſemper, &c.

Oratio quando aqua ſpargitur in domo.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, &c.

Alia.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, &c.

Alia.

Exaudi nos Domine, &c.

In primis aſpergatur aqua benedicta, & canentur vij. pſalmi pœnitentia cum letania.

KYrie eleiſon. ora.
Chriſte audi nos. ora.
S. Maria, ora.
S. Michael, ora.
S. Gabriel, ora.
S. Raphael, ora.
Omnes Sancti Angeli, ora.
S. Johannes, ora.
S. Petre, ora.
S. Paule, ora.
S. Andrea, ora.
S. Jacobe, ora.
S. Johannes, ora.
S. Philippe, ora.
S. Thoma, ora.
S. Bartholomee, ora.
S. Jacobe, ora.
S. Simon, ora.
S. Tadee, ora.
S. Mathia, ora.
S. Marce, ora.
S. Luca, ora.
S. Barnaba, ora.
S. Juda, ora.
S. Cleophas, ora.
Omnes Sancti Apoſtoli, ora.
S. Stephane, ora.
S. Line, ora.
S. Clere, ora.
S. Clemens, ora.
S. Xiſte, ora.
S. Cornell, ora.
S. Cipriane, ora.
S. Laurenti, ora.
S. Yppoliti, ora.
S. Feliciſſime, ora.
S. Agapite, ora.
S. Chriſogone, ora.
S. Johannes, ora.
S. Paule, ora.
S. Petre, ora.
S. Marcelline, ora.
S. Coſma, ora.
S. Damiane, ora.
S. Fabiane, ora.
S. Sebaſtiane, ora.
S. Policarpe, ora.
S. Nicoſtrate, ora.
S. Callixte, ora.
S. Tiburti, ora.
S. Valeriane, ora.
S. Vincenti, ora.
S. Valeri, ora.
S. Dionyſi, ora.
S. Ruſtice, ora.
S. Eleutheri, ora.
S. Maurici cum ſociis, ora.
S. Exſuperi, ora.
S. Candide, ora.
S. Victor ora.
S. Innocens, ora.
S. Gereon, ora.
S. Valentine, ora.
S. Criſpine, ora.
S. Criſpiniane, ora.
S. Georgi, ora.
S. Gervaſi, ora.
S. Protaſi, ora.
S. Celſe, ora.
S. Nazari, ora.
S. Anaſtaſi, ora.
S. Symphoriane, ora.
S. Juliane, ora.
S. Saturnine, ora.
S. Chriſtophore, ora.
S. Ferrenle, ora.
S. Juvenalis, ora.
S. Alexander, ora.
S. Eventi, ora.
S. Theodore, ora.
S. Gordiane, ora.
S. Epimache, ora.
S. Pancrate, ora.
S. Prime, ora.
S. Feliciane, ora.
S. Baſilidis, ora.
S. Cirine, ora.
S. Naboris, ora.
S. Marce, ora.
S. Marcelliane, ora.
S. Proceſſi, ora.
S. Martiniane, ora.
S. Apollinaris, ora.
S. Simplici, ora.
S. Fauſtine, ora.
S. Beatricis, ora.
S. Juſte, ora.
S. Abdon, ora.
S. Sennes, ora.
S. Cyriaci, ora.
S. Timothee, ora.
S. Ermetis, ora.
S. Felix, ora.
S. Audacte, ora.
S. Adriane, ora.
S. Gorgoni, ora.
S. Prote, ora.
S. Jacincte, ora.
S. Nicomedes, ora.
S. Cæſari, ora.
S. Mene, ora.
S. Marcelline, ora.
S. Apullei, ora.
S. Emerentiane, ora.
S. Romane, ora.
S. Quintine, ora.
S. Urſe, ora.
S. Nerei, ora.
S. Achillei, ora.
S. Sergi, ora.
S. Leodegari, ora.
S. Beate, ora.
S. Iſpane, ora.
S. Meſſari, ora.
S. Albane, ora.
S. Patrici, ora.
S. Lamberte, ora.
S. Quintine, ora.
S. Chriſanti, ora.
S. Darie, ora.
S. Firmine, ora.
S. Geneſi, ora.
S. Reſtitute, ora.
S. Machari, ora.
S. Projecte, ora.
S. Erenei, ora.
S. Albine, ora.
S. Maximine, ora.
S. Vite, ora.
S. Florentine, ora.
S. Magne, ora.
S. Rufe, ora.
S. Priſce, ora.

S. Sigiſ-

S. Sigismunde, ora.
S. Cyrici, ora.
S. Viralis, ora.
S. Donatiane, ora.
S. Rogatiane, ora.
S. Potite, ora.
Omnes Sancti Martyres, ora.
S. Silvester ora.
S. Leo, ora.
S. Gregori, ora.
S. Hylari, ora.
S. Martine, ora.
S. Bricci, ora.
S. Perpetue, nra.
S. Enstochi, ora.
S. Lidori, nra.
S. Latanie, ora.
S. Venanti, ora.
S. Ambrosi, ora.
S. Severine, ora.
S. Benedicte, ora.
S. Aniane, ora.
S. Felix, ora.
S. Marcelle, ora.
S. Ensebi, ora.
S. Medarde, ora.
S. Vedaste, ora.
S. Maxime, ora.
S. Maximine, ora.
S. Lupe, ora.
S. Hieronyme, ora.
S. Augustine, ora.
S. Urbane, ora.
S. Stephane, ora.
S. Marce, ora.
S. Basili, ora.
S. Viviane, ora.
S. Su plici, nra.
S. Martialis, nra.
S. Melane, ora.
S. Evurti, ora.
S. Maaenti. ora.
S. Juvine, ora.
S. Albine, ora.
S. Florenti, ora.
S. Abunde, ora.
S. Remigi. ora.
S. Urse, ora.
S. Amande, ora.
S. Lupanti, ora.
S. Senoc, ora.
S. Philiberte, ora.
S. Ermelande, nra.
S. Carileffe, ora.
S. Aredi, ora.
S. Andoene, ora.
S. Arnulfe, ora.
S. Germane, ora.
S. Richari, ora.
S. Donate, ora.
S. Honorate, ora.
S. Avite, ora.
S. Pauline, ora.
S. Domnine, ora.
S. Bonefaci, ora.
S. Desideri, ora.
S. Effrem, ora.
S. Leonarde, ora.
S. Sollemne, ora.
S. Leoparde, ora.
S. Aunoni, ora.
S. Machari, ora.
S. Pachomi, nra.
S. Columbane, ora.
S. Paule, ora.
S. Damasi, ora.
S. Flaviane, ora.
S. Lifardi, ora.
S. Anastasi, ora.
S. Isidore, ora.
S. Leodegari, ora.
S. Sabine, ora.
S. Lantmare, ora.
S. Autmare, ora.
S. Læte, ora.
S. Victor, ora.

S. Calixte, nra.
S. Mamerte, ora.
S. Antoni, ora.
S. Antonine, ora.
S. Chlodoalde, ora.
S. Gundulfe, ora.
S. Firmine, ora.
S. Licine, ora.
S. Maurili, ora.
S. Maure, nra.
S. Sulpici, ora.
S. Simplici, nra.
Omnes Sancti Confessores, ora.
S. Perpetua, ora.
S. Agatha, ora.
S. Lucia, ora.
S. Agnes, ora.
S. Cecilia, ora.
S. Tecla, ora.
S. Anastasia, ora.
S. Eufemia, ora.
S. Christina, ora.
S. Sabina, ora.
S. Columba, ora.
S. Genovefa, ora.
S. Amanda, ora.
S. Locadia, ora.
S. Gaudentia, ora.
S. Engenia, ora.
S. Eulalia, ora.
S. Petronilla, ora.
S. Scolastica, ora.
S. Juliana, ora.
S. Matrona, ora.
S. Afra, ora.
S. Valeria, ora.
S. Prisca, ora.
S. Dorothea, ora.
S. Margarita, ora.
S. Gemma, ora.
S. Regina, ora.
S. Brigida, ora.
S. Elizabeth, ora.
S. Julitta, ora.
S. Radegundis, ora.
S. Monegundis, ora.
S. Aldegundis, ora.
S. Agnita, ora.
S. Elena, nra.
S. Geretrudis, nra.
S. Maximilla, ora.
S. Potentiana, ora.
S. Martha, ora.
S. Maria. ora.
S. Sotheris, nra.
S. Susanna. ora.
S. Judith, ora.
S. Ester, ora.
S. Praxedis, ora.
S. Zoe. ora.
S. Sophia, ora.
S. Magna, ora.
S. Benedicta, ora.
S. Maura, ora.
S. Claudia, ora.
S. Balbina, ora.
S. Beata, ora.
S. Britta, ora.
Omnes S. Virgines, orate.
Omes Sancti, orate.
Propitius esto, Parce.
Propitius esto. Exaudi.
Propitius esto. Libera.
Ab omni malo, libera
A morbo malo, libera.
A periculo mortis, libera.
Ab insidiis diaboli, libera.
Ab inimicis nostris, libera.
A peccatis nostris, libera.
Ab ira tua. libera.
A persecutione paganorum, libera.
Per Passionem tuam, libera.
Per Resurrectionem tuam, libera.
Par Ascensionem tuam, libera.
Per Spiritum Paraclitum, libera.
Per misericordiam tuam, libera.

Per

Per adventum tuum, libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones, te rog.
Ut ecclesiam tuam protegere, & desensare dignesis, te rog.
Ut apostolicum nostrum conservare digneris, te rogamus.
Ut pontificem nostrum conscsvare digneris, te rogamus.
Ut regem nostrum conservare digneris, re rog.
Ut congregationem S. Mauricii & B. Martini conservare digneris, te rog.
Ut cunctum populum christianum conservare dignesis, te rog.
Ut nos in bonis operibus perseverare secias, te rogamus.
Ut misericordia & pietas tue nos custodiat, te rogamus.
Ut locum pœnitentiæ nobis dones, te rog.
Ut pestem vel mortalitatem e nobis auferre digneris, te rog.
Ut fructum terræ, te rog.
Ut cæli serenitatem nobis, te sog.
Ut aeris temperiem bonam nobis dones, te sogamus.
Ut exitum felicem nobis dones, te rog.
Ut servitos nostra tibi compleceat, te rog.
Ut nos esaudire digneris, te rog.
Fili Dei, te sog.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce.
Agnus Dei qui tollis peccate moudi, De nobis veniam,
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos.
Chr ste audi nos, *ter*,
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Finitis autem sanctorum nominibus, dicatur Pater noster *cum capitulis* Ego dixi Domine. Fiat misericordia tua Domine, &c. *Deinde dicat sacerdos hanc orationem*, Deus, qui Ezechiæ famulo tuo ter quinos annos, &c.

Hac oratione expleta, inunguendus est infirmus a sacerdote interim dum ab alio dicantur hæ orationes. Domine Deus qui per apostolum tuum locutus es, &c. *Sequitur antiphona* Dominus loqnutus est. *Psalmus*, Deus Deorum Dominus, Oremus. Dominum noilrum Jesum Christum cum omni supplicatione, &c. *Sequitus antiphona.* Succurre, Domine, infirmo isti. *Psal.* Ad Dominum cum tribulsrer. Omnipotens sempiterne Deus, qui ægritudines, &c. *Sequitur antiphona* Sana Domine. *Psal.* Domiue ne in furore t.

Deinde sequitur unctio.

Ungo te de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sanctr r Obsecrans misericordiam ipsius unius Domini ac Dei nostri, ur fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & salus: quatenus per hujus operationem mysterii, & pes hanc sacrati olei unctionem & nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive sotus, pristinam & immelioratam recipere merearis sanitatem. Per,

Sequitur oratio.

Domine Deus Salvator noster, qui es vere salus, &c.

Alia oratio.

Propitietur Dominus, &c.

Deinde communicet eum, & dicat hanc orationem.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis &c. Respice, Domine, famulum tuum, &c. Deus qui humano generi, &c. Virtutum cælestium, &c. Domine sancte Pates omnipoteus æterne Deus, qui fragilitatem, &c. Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna, &c. Deus qui facturæ tuæ, &c. Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis, &c. Dominus Jesus Christus apud te sit ut te defendat, &c.

ORDO VII.

Ex ms. Bibliotheca regia, cujus caracter accedit ad annos 800.

ORDO AD VISITANDUM ET UNGENDUM INFIRMUM.

Antequam ungeatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti suo puriter omnia peccata sua, & reconciliationem ab eo recipiat plenam, & ulceribus vitiorum per confessionem prius adapertis dignius proficiat & unctio spiritualis medendo nequitiarum putredinem interius latitantem. Ingressi autem Sacerdotes in domum infirmi decantent vii. psalmos pœnitentia, quibus dictis, dicat Sacerdos aut aliquis prælatus orationem.

Parce Domine, parce famulo tuo, quem redemisti Christe Sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivis & regnas.

Deinde incipiat Letania.

Kyrie eleison III. Christe eleison III. Christe audi nos III. S. Maria ora pro illo, S. Dei Genetrix intercede pro illo, S. Michael ora. S. Gabriel ora. S. Raphael ora *& sic provide Letaniam usque ad finem.*

Peracta vero Letania orent pro ipso Pater noster, *& capitula.* Salvum fac servum tuum, Dominus vivificet eum. Dominus opem ferat illi. Dominus custodiat eum ab omni malo. Angelis suis Deus mandavit. Perfice gressus illius, mitte ei Domine. Nihil proficiat inimicus. Esto illi Domine, turris. Convertere Domine usquequo. Cor mundum crea in eo Deus. Adjuva illi, exurge Domine.

Oratio.

Omnipotens mitissime Deus, respice propitius preces nostras, & libera cor famuli tui de malarum tentatione cogitationum, ut Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur. Per.

Alia.

Deus, qui inluminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumine cor famuli tui gratiæ tuæ splendore, ur digne majestati tuæ cogitare & diligere veleat per ejusdem.

Alia.

Dimitte, Domine, peccata nostra & tribue nobis misericordiam tuam, qua oris nostri allogнio deprecatus famuli tui humilitatem & angustiam attendas, vincula solvas, delicta deleas, tribulationem inspicias, adversitatem repellas, effectumque petitionis nostræ largiens clementer exaudias. Pes.

Deinde roget Sacerdos confessor infirmi alios Sacerdotes ut dicant orationes super ipsum, quæ sunt de reconciliatione pœnitentium ad mortem descripta. Tunc faciat aquam benedictam & asperget eam cum antiphona & oratione super ipsum infirmum & in domum, in qua jacuerit. Deinde dicantur hæ orationes.

Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es: infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum ungueutes eum oleo Sancto in nomine Domini, & oratio fidei salvebit infirmum & elleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei. Cura quæsumus Redemtor noster, gratia Spiritus-sancti languores istius infirmi, & ejus sana vulnera ac dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo, & plenam ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ restitutus ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Per.

Alia.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, ut hunc famulum suum ill. per angelum suum sanctum visitare, letificari & consorteri dignetur, qui vivit & regnat.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice super hunc famulum tuum N. & remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo piissime pater, quicquid terrena fragilitate corruptum est, vel quicquid diabolica fraude violatum est in unitate corporis ecclesiæ tuæ membra perfecta remissione restitue. Miserere Domine gemituum, miserere lacrymarum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per Dominum.

Alia.

Deus justorum gloria & misericordie peccatorum, da huic famulo tuo ill. plenam indulgentiæ veniam, & pœnitentiæ loco exoratus indulge: ut qui præterita peccata deplorat, futura mala non sentiat, neque jam ulterius lugenda committat. Dimitte ei Domine omnia crimina, & in semitis justitiæ placatus restaura, ut securus mereatur deinceps inter tuos bene meritos currere, & ad pacis æternæ præmia pervenire. Per.

....

Tibi ergo Domine supplices preces, tibi fletum cordis effundimus, tu parce confitenti, ut sic in hac mortali carne peccata sue, te adjuvante, defleat, quatenus in tremendi judicii die sententiam æternæ damnationis evadat, & nesciat quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ, nequaquam ultra vulneribus sauciatur, sed integrum sit ei atque perpetuum, & quod gratia tua contulit & quod misericordia reformavit. Per.

Tunc singuli Sacerdotes perungent infirmum &c. ut infra in ordine XIV. usque ad orationem sequentem.

Domi-

Domine Deus Salvator noster, qui es vere salus & medicina, & a quo omnis sanitas & medicamentum veniæ, quique nos apostoli documento instruis, ut languentes olei liquore orantes tangeremus, respice propitius super hunc famulum tuum, & quem languor curvat ad exitum, & virium defectus trahit ad occasum, medela tuæ gratiæ restitue ad salutem. Sana quæsumus omnium mediator ejus febrium & cunctorum languorum cruciatus ægritudinesque, & dolorum omnium dissolve tormenta, viscerum ac cordium interna medica, medullarum quoque & cogitationum sana discrimina, ulcerum vanitatumque putredines evacua, conscientiarum atque plagarum abducito cicatrices veteres, immensasque remova passiones, carnis & sanguinis materiem reforma, cunctorum delictorum veniam tribue; sicque illum tua pietas jugiter custodiat, ut nec ad corruptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem inducat infirmitas; sed fiat illi hæc olei perunctio sacra morbi & languoris præsentis expulsio, atque peccatorum omnium optata remissio, per te Christe.

Alia.

Propitietur Dominus omnibus iniquitatibus tuis, & sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & satiet in bonis desiderium tuum, qui solus in Trinitate vivit & regnat per immortalia sæcula sæculorum.

Deinde communicent eum Corpore & Sanguine Domini. Et sic faciant per septem dies, si necessitas fuerit tam de communione, quam de alio officio, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Debent etiam Sacerdotes sive ministri decantare per singulos dies vesperas & matutinas cum devotionis reverentia.

Sequitur oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis & in necessitate laborantibus, majestatem tuam suppliciter exoramus ut mittere digneris sanctum angelum tuum, qui famulum tuum in angustiis & necessitatibus laborantem & consolationibus attollat, quibus & in præsenti consequatur auxilium & æterna remedia comprehendat. Per.

Alia.

Deus qui peccatores, & scelerum onere vulneratos sacerdotibus tuis ostendere jussisti; Deus quis discipulis tuis manus super infirmos, ut bene haberent, ponere præcepisti; Deus qui per apostolum tuum infirmos sacro oleo inungere, & pro ais orare docuisti; Deus qui per impositionem manus sacerdotum cum Sancti nominis tui invocatione peccata relaxare voluisti, exaudi orationes nostras, & da huic famulo tuo infirmitatis noxa depresso, per hoc sacrum mysterium, quod nobis indignis famulis tuis agere docuisti, remissionem omnium peccatorum, quatenus per hanc sacrati olei unctionem & manuum nostrarum impositionem, cooperante Spiritus sancti gratia, venia impetretur, sanitas ei corporis & animæ restituatur, fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius exteriusque imbuant, & a te sanetur, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia & reconciliatio tuæ pietatis atque remissionis ad veniam & reconciliationem. Per.

Alia.

Dominus Jesus Christus apud te sit, & te defendat, amen. Intra te sit & te reficiat, amen. Circa te sit ut te conservet, amen. Ante te sit, ut te deducat, amen. Post te sit, ut te custodiat, amen. Super te sit, ut te benedicat, amen. Qui cum Patre.

Item alia.

Benedicat te Deus Pater, amen. Sanet te Dei filius, amen. Illuminet te Spiritus-sanctus, amen. Corpus tuum custodiat, amen. Cor tuum irradiet, amen. Sensum tuum dirigat, amen. Et ad supernam vitam perducat, qui vivit.

Alia.

Benedicat te Deus cæli, amen. Adjuvet te Christus Filius Dei, amen. Corpus tuum in servitio suo custodiat, amen. Mentem tuam illuminet, amen. Sensum tuum custodiat, amen. Gratiam suam ad profectum animæ tuæ in te augeat, amen. Dextra sua te defendat, amen. Qui Sanctos suos semper adjuvat, & ipse te adjuvare & consolare dignetur, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit, amen. Benedicat te Dei Filius, qui de supernis sedibus pro nobis Salvator descendit, amen. Benedicat te Spiritus-sanctus, qui in similitudine columbæ in Jordanis flumina requievit in Christo, amen. Ipseque te in Trinitate sanctificet, quem omnes gentes venturum expectant ad judicium, qui cum Deo.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, amen. Custodiat te JESUS CHRISTUS, amen. Illuminet te Spiritus-sanctus omnibus diebus vitæ tuæ, amen. Confirmet te virtus Christi, amen. Indulgeat tibi Dominus omnia peccata tua. Per.

Item Alia.

Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, amen. Benedicat te Filius Dei, qui pro te passus est, amen. Benedicat te Spiritus sanctus qui in te effusus est, amen. Benedicant te angeli & archangeli, principatus & potestates, amen. Benedicant te novem ordines angelorum regni cælestis, amen. Benedicant te viginti quatuor seniores, qui in throno Dei sunt, amen. Benedicant te patriarchæ & prophetæ & apostoli Christi, amen. Benedicant te martyres & confessores, amen. Benedicant te monachi & virgines sanctæ, amen. Benedicant te cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, amen. Benedicant te sol & luna, & omnis benedictio, quæ est in scripturis sanctis scripta veniat super te, amen.

ORDO VIII.

Ex ms. libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ Bibliothecæ Colbertinæ n. 1927. qui fuit olim monasterii S. Germani a Pratis.

ORATIONES AD VISITANDUM INFIRMUM.

DEus in adjutorium meum intende: *Deinde psalmum,* Domine ne in furore tuo 1. *& preces, deinde orationes:*

Deus qui famulo tuo Ezechiæ, ter quinos annos ad vitam, &c.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis, &c.

Deus qui facturæ tuæ pio semper affectu, &c.

Deus, qui humano generi & salutis remedium, &c.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus, &c.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, &c.

Ungues eum oleo sancto, & dices:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi in virtute Spiritus-sancti, ejus in Trinitate Deus, miserere huic famulo tuo, & tribue ei remissionem omnium peccatorum, & recuperationem ab imminenti ægritudine per hanc sanctam unctionem, & nostram supplicem deprecationem. Qui vivit.

ORDO IX.

Ex ms. libro Sacramentorum Bibliothecæ Colbertinæ n. 2585. qui fuit olim monasterii S. Dionysii in Francia.

ORATIONES AD VISITANDUM INFIRMUM.

DEus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam, &c.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis, &c.

Deus qui facturæ tuæ pio semper affectu, &c.

Deus qui humano generi, & salutis remedium, &c.

Virtutum cælestium Deus, qui ab hominis corporibus, &c.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem, &c.

Dum angitur infirmus, dicitur a sacerdote hic versiculus.

Ungo te oleo sanctificato in nomine Domini, ut more militis uncti præparatus ad luctam, possis aereas superare catervas. Per.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum, &c.

Item alia oratio.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut huic famulo tuo ill. &c.

Alia oratio.

Majestatem tuam, Domine, sancte Pater, &c.

ORDO X.

Ex ms. insignis ecclesiæ B. Mariæ Remensis, annorum circiter 800.

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

I*Ngrediens sacerdos, dicat ter.* Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deus

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam, &c.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis, &c.

Tunc aspergatur aqua benedicta in odore incensi & interim cantetur hæc antiphona.

Benedic, Domine, domum istam, &c.

Dominus vobiscum.

Præste, Domine, per hujus creaturæ aspersionem, &c.

Exaudi nos, Domine, Deus noster, & præste ut per manus, &c.

Benedic, Domine, Deus omnipotens, &c.

Tunc qui infirmus est dicat symbolum & orationem Dominicam cum signaculo Trinitatis; & faciat confessionem ad sacerdotem de omnibus peccatis suis.

Orationes & preces super pœnitentem confitentem peccata sua, sicut in quadragesima feria quarta.

Exaudi, Domine, preces nostras, &c.

Adesto, Domine, supplicationibus, &c.

Domine Deus noster, qui offensione nostra, &c.

Adsit, quæsumus, &c.

Da quæsumus, Domine, &c.

Postea inungatur infirmus oleo sanctificato primitus in vertice capitis, in superciliis oculorum, in auribus deintus, in narium summitate, in labiis exterius, in planta pedum, ita dicendo:

In nomine, Patris, & Filii & Spiritus-sancti, sit tibi hæc perunctio olei sanctificationis ad purificationem mentis & corporis in vitam æternam. Amen.

Antiphona. Sana me, Domine, &c. *Psal.* Domine, ne in furore tuo I.

Antiphona. Cor contritum. *Psal.* Miserere mei, Deus. *Antiphona.* Vivo ego. *Psal.* De profundis, &c.

Oratio.

Domine Deus, Salvator, &c.

Alia.

Domine Deus, Redemtor, &c.

Alia.

Deus qui humano generi, & salutis remedium, &c.

Alia.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus, &c.

Alia.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, &c.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem.

Primitus canantur vii. pœnitentiæ psalmi. Deinde agatur letania, & ea finita, dicatur oratio Dominica & capitula ad hoc congruentia.

Oratio.

Deus misericors, Deus clemens, &c.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, &c.

Hic communica eum.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro, *vel* (sorori nostræ) sacrosanctum Corpus & Sanguinem Jesu Christi, Filii tui, Domini nostri, tam corporis, quam animæ sit salus. Per eumdem.

Sic fac per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione, quam de alio officio.

Post communionem.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat, &c.

Benedicat te Deus Pater, sanet te Deus Filius, &c.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio, &c.

Benedicat te Deus Pater, custodiat, &c.

ORDO V.

Ex vetustissimo libro Sacramentorum monasterii Moissacensis, nunc Bibliotheca Colbertina, n. 428. annorum circiter 800.

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos, &c.

Alia.

Respice, Domine, famulum tuum ill. in infirmitate sui corporis laborantem, &c.

Alia.

Deus qui facturæ tuæ pio semper domineris affectu, &c.

Alia.

Deus, qui humano generi, & salutis remedium, &c.

Alia.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus &c.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem, &c.

Orationes ad reconciliandum peccatorem ad mortem.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & me qui etiam misericordia tua primus indigeo, &c.

Alia.

Præste quæsumus, Domine, huic famulo tuo pœnitentię fructum, &c.

Alia.

Deus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator, &c.

ORDO AD UNGUENDUM INFIRMUM.

Antequam unguatur infirmus, omnimodis Deo & sacerdoti confiteatur peccata sua, quia unctio nisi per veram confessionem nequaquam proficit ad peccatorum emundationem. Idcirco veraciter confessione peracta secundum quantitatem peccatorum sponte accipiat judicium; & postmodum auxiliante Deo accedat ad unctionis donum.

Oratio post datam confessionem.

Domine, Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti sacerdotalis officii, & me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad orandum, & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccatoribus & ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertantur & vivant; suscipe orationem, quam fundo in conspectu clementiæ tuæ pro hoc famulo tuo, qui ad pœnitentiam confugit, ut verum sentiat medicum, sanando vulnerum cicatricumque sauciamenta. Per.

Alia.

Adsit, quæsumus, Domine, huic famulo tuo inspiratio gratiæ salutaris, quæ cor ejus fletuum ubertate resolvat, sicque macerando conficiat: ut iracundiæ tuæ motus idonea satisfactione compescat. Per.

Alia.

Da, quæsumus, Domine, huic famulo tuo continuam purgationis suæ observantiam pœnitendo gerere, & ut hoc efficaciter implere valeat, gratia eum tuæ visitationis & præveniat & sequatur. Per.

Alia.

Domine Deus noster, qui peccatis nostris offenderis, satisfactione placaris; respice, quæsumus, ad hunc famulum tuum, qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est enim ablutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum quam mortem. Concede ergo, Domine, ut famulus tuus ille, & pœnitentiæ tibi excubias celebret, & correctis actibus suis conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur; & erutus e peccaminum mole (criminibus), te solum Deum pura mente laudare & benedicere mereatur. Qui in Trinitate perfecta vivis.

His peractis orent omnes. Pater noster. *Capitula.* Domine convertere & eripe animam ejus. Salvam fac eam. Ab occultis meis munda me. Delicta juventutis. Delictum meum cognitum. Ego dixi, Domine miserere. Averte faciem tuam a peccatis. Salvum fac servum tuum. Nihil proficiat inimicus. Mittat tibi Dominus. Domine ne memineris iniquitatum ejus antiquarum. Cito anticipet eum misericordię.

Oratio.

Exauditor omnium Deus, exaudi nostrorum fletuum supplicem vocem, & tribue infirmitatibus nostris perpetem sospitatem: ut dum dignanter gemitum nostri laboris suscipis; tua nos semper misericordia consoleris. Per.

Alia.

Emitte, Domine, salutare tuum infirmitatibus nostrorum vulnerum cicatricumque mortalium, potentissime Medicator; ut omnem gemitum doloremque nostrum coram te deplorantes, valeamus evincere insultationes adversantium vitiorum. Per.

Alia.

Persolve miserationes tuas, Domine, nobis, per ineffabile nomen tuum, Trinitas Deus, qui humani pectoris antrum emundans vitiis, super candorem efficis nivis. Innova, quæsumus, in visceribus, Domine, hujus famuli tui

Spiri-

Spiritum-sanctum tuum, quo laudem tuam adnunciare possit, ut recto principalique spiritu confirmatus, mereatur æterna sede in Jerusalem cælesti componi. Per te.

Alia.

Exorabilis, Domine, intende orationem supplicum tuorum, ut hic famulus tuus, qui in peccatis detentus sicut fœnum aruerat, respectu cælestis misericordiæ sublevetur. Per.

Alia.

Intendant, quæsumus Domine, pietatis tuæ aures in orationem supplicum, quia apud te est propitiatio peccatorum: precamurque ut non observes famuli tui iniquitates, sed impertias ei misericordias tuas. Per.

Alia.

Deus, cujus indulgentia omnis homo indiget: memento, Domine, famuli tui, & qui lubrica terrenaque corporis fragilitate circumdatur, quæsumus, ut des veniam confitenti: parce supplici, ut qui suis meritis accusatur, tua miseratione salvetur. Per.

Alia.

Deus infinitæ misericordiæ, veritatisque immensæ, propitiare famuli tui peccatis, & omnibus animæ ejus medere languoribus: ut miserationum tuarum remissione percepta, in tua semper benedictione lætetur. Per.

Alia.

Adesto, Domine, precibus nostris, quibus misericordiæ tuæ imploramus auxilium pro famulo tuo, qui tibi peccata sua patefecit: ut tu qui potens es artifex, iterum eum reparare digneris, tribuendo ei vitam æternam. Per.

Quibus dictis, ingrediantur omnes clerici ad infirmum, conjunctique in unum decantantes septem psalmos pœnitentiæ. His expletis, sequitur oratio.

Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei. Qui cum Patre.

Tunc dicatur letania.

Kyrie eleison. Christe eleison. Christe audi nos.
S. Maria, ora pro illo.
S. Dei Genitrix, ora pro illo.
S. Virgo virginum, ora pro illo.
Sancta Perpetue virgo, succurre huic infirmo in angustiis constituto.
S. Michael, ora pro illo.
S. Gabrial, ora pro illo.
S. Raphael, ora pro illo.
Omnes SS. Angeli, & Archangeli, orate pro illo.
Omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ, orat.
Omnes sancti Justi & Perfecti, orat.
S. Johannes Baptista, ora pro illo.
S. Petre Claviger, ora pro illo.
S. Paule, ora pro illo.
S. Andræa, ora pro illo.
S. Jacobe, ora pro illo.
S. Johannes, ora pro illo.
S. Thoma, ora pro illo.
S. Jacobe, ora pro illo.
S. Philippe, ora pro illo.
S. Bartholomæe, ora pro illo.
S. Matthæe, ora pro illo.
S. Simon, ora pro illo.
S. Juda, ora pro illo.
S. Mathia, ore pro illo.
S. Marca, ora pro illo.
S. Luca, ore pro illo.
Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ, orate pro nobis, & pro hoc infirmo.
S. Stephane, ora.
S. Clemens, ora.
S. Cornelì, ora.
S. Laurenti, ora.
S. Sebastiane, ora.
S. Dionysi, ora.
S. Vincenti, ora.
S. Juliane, ora.
S. Saturnine, ora.
S. Maurici cum sociis tuis, ora.
S. Fremeri, ora.
S. Agricola, ora.
S. Vitalis, ora.
Omnes Sancti, orate pro nobis, & pro hoc infirmo.
S. Hilari, ora.
S. Martine, ora.
S. Marcialis, ora.
S. Bibiane, ora.

S. Ambrosi, ora.
S. Benedicte Pater, succurre huic infirmo in angustiis constituto.
S. Silvester, ora.
S. Gregori, ora.
S. Isidore, ora.
S. Augustine, ora.
S. Leo, ora.
S. Geralde, ora.
S. Albine, ora.
Omnes SS. Confessores, orate pro nobis, & pro hoc infirmo.
S. Felicitas, ora.
S. Perpetua, ora.
S. Agnes, ora.
S. Cecilia, ora.
S. Anastasia, ora.
S. Eufemia, ora.
S. Praxedis, ora.
S. Radegundis, ora.
S. Fides, ora.
S. Fausta, ora.
S. Basilissa, ora.
S. Juliana, ora.
Omnes SS. Virgines, orate pro illo.
Omnes Sancti, orate pro nobis, & pro hoc infirmo.
Propitius esto, Parce ei Domine.
Propitius esto, libera eum Domine.
A peccatis ejus, libera eum Domine.
Ab insidiis diaboli, libera eum.
Ab incursu immundorum spirituum, libera eum Domine.
Ab immundis cogitationibus, libera.
A cruciatu & doloribus, libera.
A peste superbiæ & omnium vitiorum, libera eum Domine.
Ab infestatione diabolica, libera.
Ab ira tua nimium tremenda, libera.
A præsenti tribulatione & a perpetua damnatione, libera eum.
A potestate diaboli, libera eum.
A pœnis inferni, libera eum.
Ab omnibus æternis suppliciis, libera eum.
Ab omni malo, libere eum.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera eum Domine.
Per Adventum tuum, libera eum.
Per Nativitatem tuam, libera.
Per Baptismum tuum, libera.
Per Passionem & Crucem tuam, libera.
Per gloriosam Resurrectionem tuam, libera eum Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera eum Domine.
Per gratiam Sancti Spiritus Paracliti, libera eum Domine.
In hora exitus sui, libera eum.
Peccatores, Te rogamus audi nos. *ter.*
Ut iram vel indignationem tuam ab eo auferas, Te rogamus audi nos.
Ut fructuosam atque salutiferam pœnitentiam ei tribuere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut cor contritum & humiliatum ei tribuere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut fontem lacrymarum ei tribuere digneris, Te rogamus.
Ut misericordia & pietas tua eum custodiat, Te rogamus
Ut repellas ab eo omnes principes tenebrarum, Te rog.
Ut gratiam ei concedas, Te rogamus audi nos.
Ut vitam æternam ei largiri digneris, Te rogamus.
Fili Dei, Te rogamus audi nos. *ter.*
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis, & illi, Domine.
Christe audi nos. *ter.*
Kyrie eleison. *ter,*
Christe eleison, *ter.*

Peracta vero letania, orent omnes pro infirmo,

Pater noster.

Capitula.

Salvum fac servum tuum.
Deus meus.
Dominus conservet eum & vivificet eum.
Dominus opem ferat illi super lectum.

Domiuus custodiat eum ab omui melo.
Angalis suis Deus mandavit de te.
Persice gressus illius in semitis tuis.
Mitte ei, Domine, euxiliem da sancto.
Nihil proficiet inimicus in eum.
Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
Convertere, Domine, usquaquo,
Averta faciam tuem e peccatis illius, & omnes iniquitates ejus.
Cor mundum crea in eum, Domine,
Exurge, Domine, adjuva nos.
His expletis, benedicatur aqua; ac inde aspergatur super infirmum, vel in domo a sacerdote.
Antiphona. Asperge ma Domina. *Psal.* Miserere mei Deus, Gloria Patri.

Oratio.

Domine Deus, qui per apostolum tuum loqnutus es, infirmatur quis in vobis, &c.

Alia.

Oramus te, Domine Jesu Christe, ut per sanctum engelum tuum, &c.

Alia.

Deus misaricors, Deus clemens, qui multitudinem indulgentiarum, &c.

Tunc perungat infirmum sacerdos, faciens de oleo sanctificato cruces in collo & gutture, in pectore & inter scapulas, & in superciliis oculorum, & in auribus intus & foris, & in summitate narium, sive interius, & in labiis exterius, in manibus similiter exterius, id est de foris. Ceteri vero canant antiphonas sicut ordinata sunt. Mox ut sacerdos cœperit infirmum nugere; dicat hanc orationem, quæ subsequitur, atque statim alii circum adstantes incipiant antiphonam.

Oratia.

Deprecamur clementiam tuam, omnipotans Deus, us huic famulo tuo, quem in tue fidentes misericordia sanctificati liquoris effusione præsumimus ungeere, oleum doni cælestis prosit ad emendationam mentis & corporis salutarem; ut percepta divinæ unctionis sospitata, cunctas insidiatoris mortiferi machinationum fraudes invicta vistutis tuæ potentie valaat superara. Per.

Alia ab alio sacerdote dicenda.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui vivificæ unctionis liquore nomen sanctum tuum devotissimo tibi populo imponeus, eumdem Christiana professione censari voluisti: adsit, quæsumus, hæc unctio salotaris huic famulo tuo; sitque munimen ac defensio contre omnium jecula immundorum spirituum, ut sincera meute Creaturem ac Redemptoram, seu in omnibus suum defensorem te valeat benedicere & prædicare. Qui vivis.

Alia ab alio.

Sancti Spiritus gratia, quæsumus omnipotens, Deus, operetur, ut non prævaleat in ullis compaginetionibus mambrorum hujus famuli tui latitare fraus aliquatenus inimicæ jaculationis; sed axpulsis omnium tenebris vitiorum, æterni luminis per hujus olei gratissimam unctionem percipere mereatur illestrationam. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Ad collum.

In nomina Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sis tibi hæc unctio sanctificationis purificatio secræ nativitatis, quatenus præveleas cervicibus tuis onus mortiferæ dominationis deponere, utriusque hominis colla jugo Christi gratenter submittere, ut immensæ benignitatis misericordia, quæ significatur per uleum, custodiat te in æternum, ipso adjuvante.

Ad pectus.

Penetralium cordis inspector Deus, qui lorica inexpugnabili pectora fidelium munire non desinis; protege, quæsumus, unctione salvifica hujus famuli tui pectoris interna, ut carnalium remotis curiositatum delectationibus, omniumqee pestiferis immundorum spirituum commentis, incessenter meditationi divinæ insistere,valeat virtutis. Per.

Ad aures.

Aurem benignitetis tuæ precibus nostris accommoda, pissime Deus, & quicquid hic famulus tuus suarum sensibus eurium noxiæ pruritatis edmisit, hujus olei linitione vacuetur; ut varbis vitæ præceptorumque tuorum deinceps largius delactetur, atqua laudationis earumdem eedita eurium affici meraetur. Per.

Ad supercilia.

Humilitetis glorificæ rector Deus, qui brachio virtutis tuæ supercilium, quo mater omnium gloriatur vitiorum, mirabiliter prosterneus, allidis, ee humilis spiritu gratissime pietate liniando protegis; avarte, quæsumus, oculos hujus sarvi tui, ne videant quod tuæ displicet majastati; & quidqeid proprio hauserunt intuitu, hujus deleatur unctionis salvifico tactu, veræque lustrationis illuminentur sanctissimo nutu. Per.

Ad nares.

Odor vitæ Christe Jesu, qui noxii aldoris odoramenta meretricumque inlecebras, ac diversarum somenta oblectationum reprobaris tuis, abjicis cultibus. Huic famulo tuo discernendi tribue spiritum; ut in actionibus illies nihil inveniatur diversum; sed samper desiderium ejus tuæ voluntati persistat unitum, & quicquid delicti narium admisit odoramine, liniamentis hujus olei tuaque deleatur miseratione. Per.

Ad labia.

Liberatoe enimarum Deus, cujus eloquia intactæ castitatis nitore valuti argentum igua resplendent eaaminatum; libera hunc famulum tum e labiis iniquis & e lingna dolosa; & si quid illorum motione contraxit reatus; oleo tuæ unctionis asperge miseratus; qualiter eorumdem officiu nomen sanctum suum possit digniter laudare cunctis diebus vitæ suæ. Per.

Ad scapulas.

Omnipotens Deus, qui scapulis assumti hominis diversurum flagella tormanturum pati, propriisque humeris erraticam ovem portare ad caulas voluisti; de propitius huic famulo tuo in adversis tolerautiem, in prosperis temperantiam, in spiritualibus constantiam; ut scapulis tuæ ubumbrationis protectus, superni liquoris se gaudeat hujus officio percepisse rorem, atque mortiferi ponderis evasisse gravedinem. Per te Christe Salvator mundi, qui cum Patria.

Ad manus.

Deus æterne, qui in sapientie fecisti omnia, quique etiam in redemtionem tuorum operum Unigeniti tui manus patibulo crucis adfigi voluisti; aperi, quæsumus, manum tuam, & repla hunc famulum tuum, quem creasti, omni benedictione, ut per hanc unctionem emundentur manus istæ ab omni perversæ intentionis operatione; quatenus ad cælestis gratiæ opus earumdem dirigatur remunerationem. Per eumdem.

Ad pedes.

Dirigantur, quæsumus Domine, pedes famuli tui per hujus operationem mysterii in viam pacis & dilectionis; ut tuæ ablutionis percepta emundationa, tuorum viam mandatorum currera valeat, omnium remota tenebrarum caligina, & per semitam justitiæ ad salutiferæ unctionis recreationem feliciter pervenire. Per.

Mox cum cœperit inungi dicantur he antiphone.

Dominus Jesut loquutus est discipulis suis: In nomine meo dæmonie ejicite, & super ægrotos manus imponite, & bene habebunt.
Psalm. Domine quid multiplicati.
Antiphona. Miserere mihi, Domine, quoniam infirmus sum: Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.
Psal. Domine ne in furore.
Antiphona. Custodi me, Domine, ut pupillem oculi, sub umbra elarum tuarum protege me.
Psal. Exaudi, Domine, justitiam.
Antiphona. Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.
Psal. Exaudiat te.
Antiphona. Cor contritum & humilietum ne despicias, Deus, sed propter magnam misericordiam tuam miserere mei Deus.
Psal. Miserere mei Deus secundum.
Antiphona. Intret oratio mee, Domine, in conspectu tuo, quia æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.
Psal. Domine Deus salutis.
Antiphona. Succurre, Domine, infirmo isti, & medica eum spiritali medicamina; ut pristinæ sanitati restitutus, gratiarum tibi referat actionem.
Psal. Ad Dominum cum tribularer.
Antiphona. Domine puer meus.
Psal. Levevi oculos.
Antiphona. Domine non sum dignus.
Psal. Domine probasti me.
Antiphona. Dixit Jesus Centurioni.
Psal. Eripe ma Domine ab homine.
Antiphona. Vivo ego.
Psal. Domine exaudi auribus.

Oratio.

Omnipotens & mitissime Deus, respice propitius preces nostras, & libere cor famuli tui de malorum tentatione cogitationum, ut Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur. Per.

Alia.

Alia.

Deus qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſumus, cor ſemeli tui gratiæ tuæ ſplendore, ut digne majeſtatem tuam cogitare & diligere valeat. Per.

Alia.

Dimitte, Domine, peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam, qua oris noſtri alloquio deprecatus, famuli tui humilitatem & anguſtiam attendas, vincula ſolvas, delicta deleas, tribulationem inſpicias, adverſitatem omnem repellas, affectumque petitionis noſtræ largiter clementer exaudias. Per.

Alia.

Precamur, Domine, clementiam tuæ majeſtatis ac nominis, ut huic famulo tuo peccata & facinora ſua confitenti veniam dare, & præteritorum criminum errata relaxare digneris; qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas, qui publicani precibus vel confeſſione placatus: tu etiam, Domine, & huic famulo tuo placare; tu ejus precibus benignus aſſiſte, ut in confeſſione flebili permanens, clementiam tuam celeriter exoret, & ſacris altaribus ruis reſtitutus, ſpei rurſus æternæ & cæleſti gloriæ reformetur. Per te Chriſte, qui vivis.

Alia.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas; reſpice ſuper hunc famulum tuum, & remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi, renova in eo, piiſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum eſt, & in unitate corporis eccleſiæ tuæ membrum perfecta remiſſione reſtitue. Miſerere, Domine, gemituum; miſerere lacrymarum, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad reconliationis ſacramentum admitte. Per.

Alia.

Majeſtatem, tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo longo ſqualore pœnitentiæ macerato miſerationis tuæ veniam largiri digneris; ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur introire. Per.

Alia.

Præveniat hunc famulum tuum, quæſumus, Domine, miſericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Alia.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo clementiæ longinqua miſeratio, ſana vulnera, ejuſque remitte peccata: ut nullis a te iniquitatibus ſeparatus tibi ſoli Domino ſemper valeat adhærere. Qui in Trinitate.

Hæ orationes dicuntur a ſingulis ſacerdotibus.

Domine Jeſu Chriſte, qui es ſalvatio & redemtio noſtra, qui es vera ſalus & medicina, a quo omnis ſanitas & medicamentum venit, qui Apoſtoli tui voce nos inſtruis, ut languidos olei liquore tangentes, tuæ poſtulemus miſericordiam pietatis: Reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum ab illa mirabili ſummitate cælorum, ut quem languor curvat ad exitum, & virium contractio jam pertraxit ad occaſum, medela tuæ gratiæ ſaluti reſtituat caſtigatum. Extingue in eo libidinum & febrium æſtus, dolorum ſtimulos ac vitiorum obtere cruciatus: ægritudinum & cupiditatum tormenta diſſolve: ſuperbiæ inflationem tumoremque compeſce: vulnera & putredines vitiorum evacua: viſcerum interna cordiumque ac medullarum & cogitationum ſana diſcrimina: conſcientiarum atque plagarum obducito cicatrices: phyſicis typicisque adeſto periculis: * veteras immenſaſque remove paſſiones: opera carnis ac ſanguinis matheriarum compeſce, ac delictorum illi veniam propitiatus attribue; ſicque illum jugiter cuſtodiat pietas tua, ut nec ad corruptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem te auxiliante nunc perducat infirmitas, fiatque illi hæc olei ſacra perunctio concita morbi præſentis expulſio, & peccatorum omnium optata remiſſio, te concedente Salvator mundi, qui cum Patre.

Alia ab alio.

Reſpice ſuper hunc famulum tuum, omnipotens clementiſſime Deus, & concede ut maculæ, quæ per quinque ſenſus corporis ei adhæſerunt, medicina ſpiritali miſericordiæ benignitatis tuæ celerius deleantur. Per.

Alia ab alio.

Propitiatur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos, redimatque de interitu perpetuæ mortis vitam tuam, & corroboret ac ſatiet in bonis omnibus deſiderium tuum. Qui in Trinitate.

* ſ. veternas, *aut* veteres.

Alia ab alio.

Deus qui humani generis & ſalutis remedium, & æternæ vitæ munere contuliſti: conſerva huic famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per.

Alia ab alio.

Domine Jeſu Chriſte, qui ex voluntate Patris, cooperante Sancto Spiritu, per mortem tuam mundum vivificaſti, libera famulum tuum a cunctis iniquitatibus ſuis, & fac eum tuis obedire mandatis, ut in perpetuum glorietur tecum. Qui vivis.

Alia ab alio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis laborantibus; majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut mittere digneris ſanctum angelum tuum, qui in anguſtiis laborantem conſolationibus attollat ſempiternis, quibus & de præſenti tribulatione conſequatur auxilium, & æternitatis tuæ percipiat præmium. Per.

Alia ab alio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate gubernas, ad invocationem tui nominis benignus aſſiſte: ut hunc famulum tuum liberatum ægritudine, & ſanitati donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, Eccleſiæ tuæ ſanctæ ſanctiſque altaribus tuis cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per.

Benedictio ab uno ſacerdote dicenda. Tunc communicetur Corpus Domini.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit. Benedicat te unigenitus ejus, qui de ſupernis ſedibus ad terras pro noſtra ſalute deſcendit. Benedicat te Spiritus-ſanctus, qui in ſpecie columbæ Jordanis in flumine requievit in Chriſto. Ipſe te in Trinitate deifica unitateque individua ſanctificet, quem omnes gentes expectant venturum judicem, qui vivit.

Alia ab alio.

Benedicat te Deus cæli, Pater ingenitus. Adjuvet te ejuſdem Unigenitus, cuſtodiatque corpus tuum, per Spiritus-ſancti gratiam mentem tuam viſitando clementer illuminet, gratiamque ſuam tibi ad profectum animæ tuæ augeat, atque ab omni malo liberans dextera te ſuæ defenſionis eripiat. Qui in Trinitate.

Alia ab alio.

Benedicat te Deus Pater. Sanet te Dei Filius. Illuminet te Spiritus-ſanctus: corpus tuum caſtificando cuſtodiat: animam tuam purificans ſalvet: cor tuum lumine ſuæ viſitationis irradiet: ſenſum tuum in viam pacis ſtudio geminæ dilectionis clementer dirigat, & ad ſupernam te perducat vitam, qui ſanctis tribuit gloriam. Per omnia.

Abſolutio Infirmi.

Implorantes clementiam ineffabilis pietatis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui principi apoſtolorum poteſtatem Petro contulit ligandi atque ſolvendi, deprecamur ut ejuſdem ceterorumque apoſtolorum, nec non & interceſſionibus ſanctorum omnium dimittat tibi omnia peccata tua præterita, præſentia, atque futura vel ventura, noſque benigniſſima ejuſdem auctoritate fidentes, quantum nobis permittitur, tibi indulgemus, ut confracta divinitus tuorum omnium delictorum catena, abſolutus ab omni malo æternæ gratia libertatis ad ſolium juſtiſſimi examinis gaudenter venire merearis, hæreditatemque veræ percipere valeas perennitatis, exultans ſine fine cum omnibus ſanctis. Amen.

MISSA PRO INFIRMO.

Virtutum omnium Deus, qui ab humanis corporibus infirmitates expellis, miſerere ſervo tuo & cæleſtis gratiæ tribue medicinam.

Beatus qui intelligit.

Collecta.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis & neceſſitatibus laborantibus, majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut mittere digneris ſanctum angelum tuum, qui famulum tuum ill. in hac domo conſiſtentem, in anguſtiis & neceſſitatibus laborantem, conſolationibus tuis attollat, qui & de præſenti conſequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per.

Alia.

Deus in cujus libro ſunt vocabula notata mortalium: concede nobis omnibus veniam delictorum; & præſta quæſumus, ut famulum tuum ill. infirmum, quem immenſus languor excruciat, tua miſeratio reparet ad medelam;

& si ei embitio piaculi adduxit dolorem, adducat ei confessio salutis optabilem sanitatem. Per.

Lectio epistola B. Jacobi apostoli.

Fratres, tristatur aliquis vestrum? oret æquo animo & psallat, &c. *usque* Orate pro invicem ut salvemini.

℟. Exurge, Domine, succurre huic infirmo, & libera eum, & sane ejus languorem. ℣. Adjutor in opportunitatibus in tribulatione, opem tuam tribue benignus infirmo. Alleluja. ℣. Mitte ei auxilium de sancto, & de Sion tuere eum.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore, intravit Dominus Jesus Capharnaum. Centurionis autem cujusdam servus male habens erat moriturus, &c. *usque* invenerunt qui languebat sanum.

Offert. Domine, qui publicani precibus & oratione placatus es, qui socrum Petri febre valida liberasti, & nobis pro infirmo supplicantibus adesto, Domine.

Super oblata.

Oblationes in angustia pro peccatis atque offensionibus famuli tui ill. in hac domo consistentis, omnipotens Deus, oblatas assume: quia in te confidimus vere prophetam dixisse, Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Invoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & magnificabis me. Per.

Alia.

Sana, quæsumus Domine, vulnera famuli tui ill. ægritudines ejus perime, peccata dimitte; & hanc oblationem quam tibi pro eo offerimus benignus suscipe; & sic eum flagella in hoc sæculo, ut post transitum sanctorum mereatur adunari consortio. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, famuli tui ill. in hac domo consistentis, quam tibi offerimus ob diem necessitatis suæ pius ac propitius clementi vultu suscipias, ut qui de meriti sui qualitate diffidit, non judicium tuum, sed indulgentiam sentiat, & de adversis prospere habere persicias, ut omni impugnatione inimici depulsa misericordiem tuam prævenientemque clementiam suæ pietatis adipiscatur. Diesque.

Communio. Succurre, Domine, infirmo huic, & medica eum spiritali medicamine, ut pristina sanitate a te restitutus, gratiarum tibi sanus referat actionem.

Ad Complendum.

Muneribus divinis perceptis, quæsumus Domine, devotionem famuli tui ill. confirmes in bono, & mittas ei auxilium de sancto, & de Sion tuearis eum. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ideo delinquentibus occasionem tribuis corrigendi, ut non sit in eis quod puniat censura judicii, ob hoc tibi, pie Pater, exposcimus, ut hoc accipias pro sacrificio laudis, quod famulus tuus ill. accritur vitæ correptionis. Sana eum, quæsumus Domine, ab omnibus infirmitatibus, quo te medicante & plenitudinem salutis recipiat, & tuis semper jussionibus pareat. Per.

ORDO XII.

Ex ms. insignis ecclesiæ Noviomensis ab annis circiter 800 scripto.

INCIPIT ORDO AD INFIRMUM VISITANDUM.

Cum autem venerit sacerdos ante ostium, faciat signum crucis, & sic ingrediatur. Pax huic domui. *Antiphona.* Benedic, Domine, domum istam, &c. *Psal.* Ecce quam bonum.

Oratio.

Introeat, Domine, domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu, &c.

Asperge me, Domine, hysopo. Miserere mei Deus. Exaudi nos Domine sancte Pater. *Tunc infirmus det con* .... *Letania.* Kyrie eleison, &c.

Salvum fac servum tuum. Deus meus sperantem in te.

Dominus conservet eum & vivificet.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiat te in omnibus viis tuis.

Perfice Domine gressus illius. Ut non.

Mitte ei auxilium de sancto. Et de Sion.

Nihil proficiat inimicus in eo. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Esto illi Domine turris fortitudinis.

Convertere Domine usquequo.

Exurge, Christe, adjuva nos.

Domine exaudi orationem meam.

Oratio.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, & cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum per angelum suum sanctum visitare, lætificare, & confortare dignetur. Per.

Alia.

Deus miserator, Deus clemens, &c.

Alia.

Propitietur Dominus omnibus iniquitatibus tuis, &c.

Alia.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus, &c.

Antiphona cum psalmo, Antiphona. Sana me, &c. *Psal.* Domine ne in furore.

Oratio.

Dimitte, Domine, peccata nostra & tribue nobis misericordiam, &c.

Antiphona. Delictum. *Psal.* Beati quorum.

Oratio.

Deus, qui humano generi & salutis remedium & æternæ vitæ, &c.

Antiphona. Dominus loquutus est. *Psal.* Domine ne in furore tuo.

Oratio.

Majestatem tuam, quæsumus Domine, sancte Pater, &c.

Antiphona. Dominus loquutus est. *Psalm.* Deus Deorum *usque* peccatori autem dixit Deus.

Oratio.

Deus qui facturæ tuæ pio semper affectu dominaris, inclina autem, &c.

Antiphona. Cor contritum. *Psal.* Miserere mei Deus.

Oratio.

Oremus & deprecemur, &c.

Antiphona. Succurre Domine infirmo. *Psalm.* Domine exaudi.

Oratio.

Domine sancte Pater, &c.

Antiphona. Vivo ego. *Psal.* De profundis.

Oratio.

Majestatem tuam quæsumus, Domine sancte Pater, &c.

Antiphona. Non intres. *Psal.* Domine exaudi 2. Respice, quæsumus, &c.

Tunc sacerdos infirmum constituat a dextra sua, inungens eum, cruces faciendo de pollice super quinque sensus corporis.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Jacobum apostolum tuum inducere presbyteros ecclesiæ & inungere oleo infirmos præcepisti: Præsta, quæsumus, ut digneris per manus nostras hunc famulum tuum N. de oleo isto sanctificato ungere & benedicere; & quod exterius fideliter postulantes amplectimur, hoc interius spiritualiter divina tua virtus invisibiliter operetur. Per.

Domine Deus, qui per apostolum tuum loquutus es, presbyteros inducere Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo sancto, &c.

Post collectam dic sicut ibi reperies scriptum.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per visum.

Respondeant omnes. Amen. Per gustum, per odoratum, per tactum, per incessum, per ardorem libidinis.

Deinde intincto pollice in oleo, cruces faciat in superciliis oculorum, & dicat:

Oremus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc unctio sanctificati olei ad purificationem mentis & corporis, & omnium absolutionem culparum, ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compage membrorum; sed habitet virtus Christi altissimi & Spiritus-sancti. Per eumdem.

Super oculos.

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per.

Alia.

Ungo te de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Domini & Dei nostri, ut fugatis omnibus doloribus & incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & salus: quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute Sancti Spiritus medicatus sive fotus, pristinam & ma-

& magis robustam recipere merearis sanitatem. Per.

Ad aures infra & supra.

Ungo has aures sacrati olei liquore, ut quicquid peccati delectatione nocui auditus admissum est, medicina spiritualis evacuet.

Ad nares.

Ungo has nares de oleo sacro, ut quicquid noxæ contractum est odoratu superfluo, ista emaculet medicatio. Per.

In labiis exterius.

Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quicquid otiosa vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expurgetur hac unctione. Per.

In collo.

Ungo collum tuum de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Per.

In gutture.

Ungo guttur tuum de oleo exorcizato, ut propitietur Dominus iniquitatibus tuis cunctis, & sanet omnes languores, redimetque de interitu vitam tuam, & satiet in bonis omnibus desiderium tuum, qui solus in Trinitate vivit & regnat. Per.

Ad scapulas.

Ungo has scapulas sive medium locum scapularum de oleo sacrato, ut ex omni parte munitus, spirituali protectione jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul possis cum robore superni juvaminis expellere. Per Dominum.

Ad pectus.

Ungo pectus tuum de oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aereas catervas. Per.

Ad manus.

Ungo has manus de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut quicquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur.

Ad pedes infra & supra.

Ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quicquid superfluo vel nocuo incessu commiserunt, ista aboleatur perunctione. Per.

Per istam unctionem require.

Domine Jesu, qui es salvatio & redemptio nostra, & qui es vere salus, &c.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem conditionis, &c.

Benedictio super infirmum.

Dominus Jesus Christus apud te sit, &c.
Benedicat te Deus Pater, sanet te Deus Filius, &c.
Benedicat te Deus cæli, &c.
Benedicat te Deus Pater, qui in principio, &c.
Benedicat te Deus Pater, custodiat, &c.
Benedicat te Pater, qui te creavit, &c.

Absolutio.

Vice S. Petri apostolorum principis, cui a Deo collata est potestas ligandi atque solvendi; cujus etiam nos licet indigni vice fungimur; absolvimus te frater N. in quantum tua expetit accusatio, & ad nos pertinet remissio, secundum quod nobis, ut diximus, a Domino in sancto Petro est tributum, ab omnibus criminibus tuis; sitque tibi omnipotens Deus redemptor tuus, vita, & salus, & remissio omnium peccatorum tuorum. Qui cum Patre.

Post hæc communicet infirmum.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro N. sacrosanctum Corpus & Sanguinem Jesu Christi Filii tui Domini nostri tam corporis quam animæ sit salus. Per eumdem Dominum &c.

ORDO XIII.

Ex ms. Pontificali Narbonensi ante annos 700. scripto Quod ex Domini Pesob canonici Narbonensis S. Pauli.

INCIPIT ORDO DE INFIRMI VISITATIONE ET* PERVENTIONE, ATQUE SANCTA EI ADHIBENDA COMMUNIONE, IPSIUS; ETIAM MIGRATIONE AC RECOMMENDATIONE.

Omnimodis observandum est in omni cœtu fidelium, ne quisquam absque pœnitentiæ satisfactione, vel sacrati olei unctione, sive Dominicæ communionis perceptione, ab hoc sæculo subtrahatur. Sicut enim ex B. Jacobi apostoli traditione atque ex præmissa canonis ammonitione didicimus, credimus unumquemque per peccatorum puram confessionem, & olei Unctionem, atque sacerdotis manu impositionem, & remedium corporis, & veniam consequi posse delictorum, atque per Dominici corporis perceptionem veram animæ cum Deo reconciliationem. Et ideo cum ille qui infirmis præest, conspexerit forte quempiam graviter infirmari, confestim debet hoc senioribus nunciare: atque ipsos oportet studiose convenire, & eumdem ægrum sollicite admonere, ut circa salutem suam sollicitudinem gerat, ne qui, suadente diabolo, non timuit peccare, ejus fallaciis seductus in suam perniciem peccata sua erubescat confiteri. Et sic relicto illi quem elegerit, vel quoscumque voluerit, faciat veram confessionem Deo & ipsis de omnibus peccatis suis. Sed & ipsi de unoquoque crimine sollicite moneant eum, ne quid supprimere de his quæ commisit, diaboli factione, conetur, unde illum in conspectu Domini accusare possit. Si vero ille qui infirmis præest defuerit, aut propter ignaviam suam hoc agere neglexerit, nullatenus prætermittatur, ut prior aut unus ex senioribus hoc idem non suppleat. Data deinde confessione, unus ex confessionariis, aut per se, aut alius rogatus ab ipso offerat pro eo sacrificium Deo: & sic demum veniens ungat eum oleo, & Dominici corporis ac sanguinis participatione muniat, docens illum quibus verbis valet, quanta sit ejus participatio. Sed & quamdiu æger lecto decubat, quia ipse propter valetudinem languoris non valet, oportet confessionarium cum omni contritione peccata ejus vice ipsius Deo frequenter confiteri, ut satisfactionem mereatur promereri. Si vero miseratione divina sanitati restitutus fuerit; nullatenus omittere debet, quin pro gratiarum actione missam celebrare faciat; & videat ne clementer indulta sibi tempora negligat, & sera dum velit ea reparare non valeat. Cujus rei ordo sic est incipiendus & sic perficiendus.

Dum aut conveniunt fratres ad visitandum infirmum, dicat prior aut unus ex sacerdotibus, cui ipse jusserit. Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Pax ingredientibus & egredientibus. Gloria patri. *Et iterum repetatur* Pax huic domui *usque tertio. Deinde incipiant antiphonam* Benedic, Domine, domum istam, & omnes habitantes in ea: quia tu Domine dixisti, pax huic domui. Benedic, Domine, timentes te, pusillis cum majoribus, benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram.

Qua finita, dicat sacerdos Dominus vobiscum. *Et subjungat has orationes.*

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum angelum tuum de cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per.

Oratio.

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut si qua sunt adversa, si qua contraria in hac domo famuli tui, auctoritate majestatis tuæ pellantur. Per.

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra. Descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ largitas, & large benedictio; ut in his manufactis habitaculis cum salubritate manentes, ipsi tuum semper sint habitaculum. Per.

Tunc, his dictis, confiteatur peccata sua.

Ego peccator confiteor omnipotenti Deo Patri & Filio & Spiritui-sancto, & sanctæ Dei genitrici MARIÆ Dominæ meæ, & omnibus Sanctis, & vobis fratribus omnia peccata, quæ ex die nativitatis meæ usque in hanc horam peccavi, in cogitatione, in locutione, actione. Peccavi enim comessatione, ebrietate, fornicatione, immundicia, libidine, turpiloquio, scurrilitate, ludicro, ac stultiloquio, avaricia, concupiscentia, mendacio, perjurio, sacrilegio, detractione, indignatione, clamore, blasphemia, fraudatione, furto, turpis lucri appetitione, falso testimonio, violentia, inhumanitate, rapacitate, ira, homicidio, odio, tristitia, rancore, pusillanimitate, amaritudine, desperatione, accidia, ociositate, somnolentia, importunitate, inquietudine, pervagatione, instabilitate mentis & corporis, verbositate, curiositate, vana gloria, contentione, jactantiæ, præsumptione, superbia, contentione, protervia, invidia, inobedientia, murmuratione, ignoratione, arrogantia, negligentia, vana & immunda, turpi & incesta voluntate, & cogitatione seu oblectatione: & in his omnibus vitiis meis malis mea culpa, in his & innumerabilibus aliis malis me reum confiteor, & veniam peto omnipotenti Deo & vobis hominibus.

Tunc respondetur ab omnibus.

Intercedente S. MARIA cum omnibus Sanctis, misereatur sit tibi omnipotens Dominus, & dimittat tibi omnia

* I. PERUNCTIONE.

Peccata tue, preterita, præfentia. Liberet te a futuris, conservet & confirmet te in omni opera bono, & perducat te ad vitam æternam. Amen. Remiſſionem omnium peccatorum teorum tribuat tibi omnipotens Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus-fanctus.

Ergo ſi infirmus ita fuerit feſſus, ut non valeat hanc proferre, vel fuerit expers litterarum, alius rogatus ab eo hanc proferat, ipſe tamen quibus verbis valet clamante, Peccavi, Domiue, Peccavi, mea culpa. *Poſt confeſſionem, ſi permiſerit poſſibilitas, dicantur vii. pſalmi pœnitentiales vel certe iſti tres.* Miſerere mei. Deus in adjutorium. De profundis. *Deinde hac Letania.*

KYrie eleiſon III.
Chriſte audi nos III.
S. Maria, ore pro illo.
S. Dei genetrix, ora pro illo.
S. Virgo virginum, ora pro.
Sancta & perperna Virgo ſuccurre huic infirmo in anguſtiis conſtituto.
S. Michael, intercede pro illo.
S. Gabriel, intercede pro illo,
S. Raphael, intercede.
S. Cherubim & Seraphim, intercedita.
Omnes S. Angeli & Archangeli, intercedite.
Omnes Sancti juſti & electi Dei, intercedite.
S. Johannes Baptiſta, intercede.
S. Petra Claviger Ætheraus, inrercede.
S. Paule, ora pro illo.
S. Andrea, ora.
S. Johannes, ore.
S. Jacobe, ora,
S. Philippe, ora,
S. Bartholomæe, ora.
S. Thomas, ora.
S. Mathæe, ora,
S. Jacobe, ore.
S. Simon, ora.
S. Juda, ore.
S. Mathie, ore.
S. Marce, ora.
S. Luca, ora.
Omnes S. Apoſtoli & evangeliſtæ, orate pro,
Omnes S. Innocentes ſ orare.
S. Stephana, ora.
S. Clemens, ore.
S. Laurenti, ora.
S. Vincenti, ora.
S. Dionyſi, ora.
S. Saturnine, ore.
S. Chriſtophore, ora,
S. Juliane, ora.
S. Sebaſtiane, ora,
S. Coſma, ore.
S. Damiane, ora.
Omnes S. Martyres, orate pro illo,
S. Ilari, ora.
S. Martine, ora.
S. Martialis, ora.
S. Ambroſi, ora.
S. Auguſtine, ora.
S. Silveſter, ote,
S. Gregori, era.
S. Germane. ore.
S. Benedicte pater, ſuccurre illi.
Omnes SS. Confeſſores, orete pro,
S. Felicitas, ore.
S. Perpetue, ora,
S. Agnes, ora.
S. Cecilia, ora.
S. Anaſtaſie, ora.
S. Eufemia, ora.
S. Praxedis, ore.
S. Radegundis, ora.
S. Juliana, ora.
S. Sholaſtica, ora.
Omnes Senctæ Virgines, orate.
Omnes Sancti, orate pro nobis & pro hoc infirmo.
Propitius eſto, parce ei Domine.
Propitius eſto, ſuccurre ei Domine.
Propitius eſlo, libera eum Domine.
A peccatis ejus, libera.
Ab inſidiis diaboli, libera.
Ab immundis cogitetionibus; libera.
A cunctis malis imminentibus, libera.
A morbo malo, libera.
Ab omni tribulatione, libera.
A pœnis inferni, libera.
A poteſtate dæmonum, libera.
Ab ire tue nimium tremenda, libera.
Ab omni malo, libera.
Per myſterium S. Incarnationis tuæ, libera eum Domine.
Per adventum tuum, libere.
Per nativitatem tuam, libera.
Per baptiſmum tuum, libera.
Per paſſionem & crucem tuem, libera.
Per glorioſam raſurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem aſcenſionem tuam, libera.
Per gratiam Spiritus-ſancti parachti, libera.
In ſecundum adventum tuum, libere.
In hora exitua ſui, ſuccurre ei Domine.
Peccatores, te rogamus eudi nos.
Ut iram tuam eb eo euferas, te rogamus.
Ut fructuoſam pœnitentiam ei tribuere digneris, te rogamus.
Ut miſericordia & pietas tua eum cuſtodiat, te rogamus.
Ut gratiam tuem ei largiri digneris, te rogamus.
Ut vitam æternem ei dones, te rogamus.
Ut remiſſionem omnium peccatorum ei dones, te rogamus.
Ut dextera tua ſancta eum benedicere digneris, te rogamus.
Ut nos exandire digneris, te rogamus.
Fili Dei, te rogamus.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi ſuſcipe deprecarionem noſtram. Chriſte andi nos. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Pater noſter.

Capitula.

Salvum fac ſervum tuum.
Dominus conſervet eum & vivificet eum.
Dominus cuſtodiat eum ab omni malo.
Angelis ſuis Deus mandevit de te.
Mitte ei, Domine, auxilium.
Nihil proficiat inimicus in eo.
Eſto ei Domine turris fortitudinis.
Convertera Domine uſquequo.
Averte faciem tuam a peccatis meis.
Cor mundum crea in me Deus.
Exurge, Deua, adjuva nos. Dominus,

Oratio.

Omnipotens mitiſſime Deus, raſpice propitius ad preces noſtras, & libera cor ſamuli tui de malarum tentatione cogitationum, ut Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur. Per,

Oratio.

Deus qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſumus, cor famuli tui gratiæ tuę ſplendore, ut digne mejeſtati tuæ cogitare & diligere valeat. Per.

Oratio.

Dimitte, Domine, peccate noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam, quia oris noſtri eloquio deprecamur, famuli tui humilitatem & anguſtiam attendas, vincula ſolvas, delicte deleas, tribulationem inſpicias, adverſitatem omnem repellas, affectumque petitionis noſtræ clementer exandias. Per.

Oratio.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annoa ad vitam donaſti: ita famulum tuum hunc a lecto ægritudinis tua potentie eriget ad ſalutem. Per,

Oratic.

Reſpice, Domine, famulum tuum in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam reſove quam creaſti: ut caſtigationibus emendata, continuo ſentiat ſe sua medicina ſalvetum. Per.

Poſtea ſequuntur iſta orationes.

Omnipotens Deus, qui per os B. Jacobi apoſtuli tui hunc miniſterium infirmis hominibus præcepiſti facera; conſerva famulo tuo ill. tuorum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam percipiat in mente. Per.

Alia.

Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſe conſcientias eb omni vinculo iniquitatis abſolvis, da indulgentiam reo, & medicinem tribue vulnerato, ut percepta remiſſione omnium peccatorum in ſacramenti tui ſincera deinceps devotione permeneat, ut nullum redemtionis æternæ ſuſtineet detrimentum. Per.

Alia.

Domine Sancte Pater, univerſitatis auctor, omnipotens æterne Deus, cui cuncta vivunt, qui vivificas mortuos, & vocas ea quæ non ſunt tamquam ea quæ ſunt ad ſolatium,

tiem, qui es artifex pie, exercere in hoc too plesmate rogamus. Per.

Deus, qui B. Petrum misisti ad Tabitam famulem tuam, ut ejus precibus suscitaretus de morte ad vitam; exaudi nos, quæsumus, & famulo tuo huic, quem in tuo nomine visitat nostre fragilitas, tua protinus medela subveniat. Per.

Dominus JESUS CHRISTUS epud te sit, ut te defendat. Amen. Intra te sit, ut te reficiat. Amen. Circa se sit, ut te conservet. Amen. Ante te sit, ut te deducat. Amen. Post te sit, ut te vivificet. Amen. Supes te sit, ut te benedicat, qui cum Patre.

Absolutiones infirmi.

Dominus noster JESUS CHRITUS, cui omnia possibilia sunt, non ad peccate quæ commisisti, sed ad misericordiam suam respiciens, per intercessionem sanctæ semperque Virginis MARIÆ, Sanctique Michaelis archangeli, & S. Petri epostolorum principis, omniumque Sanctorum suorum ebsolvat te eb omni vinculo delictorum, & perducat ad regnum cœlorum, & nos ex parte nostrà, quantum possumus, totum tibi indulgemus. Per.

Alia.

In ea auctoritate & potestate fidentes, quam Deus omnipotens nobis in B. Petro apostolorum principe tribuit dicens, quæcumque ligeveritis super terram, erunt ligate & in cælis, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retente sunt; quantum nobis permissum est, totum tibi indulgemus, ut confracta de collo tuo omnium delictorum catena libet & absolutus ente tribunal æterni judicis venias, percepturus ab ipso hereditatem in cælestibus regnis, in quibus gaudeas sine fine exultans in glotie cum omnibus sanctis. Ameo.

Alia.

In ministerio & potestate ligandi atque solvendi mihi peccatori e Deo conlate, quam dedit Deus discipulis suis & successoribus illorum dicens: Quæcumque ligàveris super terram, erunt ligate & in cælis, & quæcumque solveris, soluta erunt, absolvo præsentem famulum Dei ab omni vinculo delictorum, ut Deus omnipotens, misericors & miserator, intercedentibus omnibus Sanctis suis, dimittat ei omnia peccata sue, & perducat illum ad vitam æternam, & ad consortium Sanctorum suorum, qui vivit & regnat.

Alia.

Exaudi, Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis; ut quos conscientiæ suæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Alia.

Preveniat hunc famulum tuum, quæsumus Domine, misericordia tua & omnes iniquitetes ejus celeri indulgentie deleantur. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo ill. pro tue pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam juvet indulgentia tuæ pietatis ad veniam.

Alia.

Omnipotens Deus, qui dixit; Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; ille te benedicat, & custodiat, & det tibi remissionem omnium peccatorum tuorum, ut hic bene vaseas vivere, & in futuro communionem & societatem cum angelis & archangelis, & Sanctis omnibus habere merearis in regno Dei. Per.

Alia.

Intercedente pro nobis beata & gloriosa semper Virgine Dei genitrice MARIA, & B. Petro principe apostolorum, qui habet potestetem in cælo & in terra ligandi atque solvendi, omnipotens Dominus te absolvere & liberare ab omni malo dignetur. Per.

Alia.

Sicus e Domino nostro JESU CHRISTO didicimus per doctrinam SS. epostolorum de absolutione criminum per invocationem nominis ejus, dicente ipso ad Petrum: Quæcumque ligaveris, alligata erunt, & quæcumque solveris, soluta erunt, hoc ipsum omnipotens donum in pontificibus & sacerdotibus propagans, confisi in ejus misericordia, præcedente divina pietate, ad quem proprie remissio pertinet peccatorum: Et per invocationem Domini nostri JESU CHRISTI te absolvat, ec dimittat tibi Dominus omnia peccate tua, præterita, præsentia, & futura. Liberet te ab omni malo, conservet & confirmet in omni opere bono, & det tibi intercedentibus omnibus Sanctis suis remissionem omnium peccatorum & gaudie supernorum Sanctorum civium. Absolvimus te etiam vice epostoli Petri, cujus etiam vice nobis conlare est potestas ligandi etque solvendi. Et quantum tua expetit accusatio, & ad nos pertinet remissio, sit tibi omnipotens Dominus redemtor tuos, vita & salus, & omnium peccatorum tuorum indultor, Qui vivit.

Comendatio.

Commendamus tibi, Domine, hunc famulum tuum in vita præsenti, ut ab omni malo eum eripias; & intercedente B. MARIA cum omnibus Sanctis ad vitam eum perducas æternam. Per.

Benedictio super infirmum.

Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, amen. Filius, qui te redemit, amen. Spiritus-sanctus, qui in te effusus est, amen. Remissionem & indulgentiam omnium peccatorum tuorum tribuat tibi Dominus hic in præsenti sæculo, & in futuro vitam æternam concedat, amen.

Postea canatur hæc missa. Misereris. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis. *Epistola.* Tristatur. ℟. Miserere. Alleluja. Ostende. *Tractus.* Ad te levevi. *Evangelium.* Circuibat JESUS castella. *Offertorium.* Exaudi Deus. *Communio.* Redime me.

Si vero æger diu detentus fuerit infirmitate, nec convaluerit, cantetur missa Si oculi. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis. *Epistola.* Tristatur. ℟. Miserere mei Domine. Alleluja. Exaudi. *Tractus.* Domine exaudi. *Evangelium.* Intravit Jesus Capharnaum. *Offertorium.* Domine exaudi. *Communio.* Inclina.

Si vero æger convalescere cœperit, & ad sanitatem pristinam redire, dicatur Officium Benedicta, *aliud* Audivit. *Oratio.* Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ. *Alia.* Deus, ad quem digne. *Epistola* .... ℟. Benedictus es. *Aliud.* In Deo. Alleluje. Benedictus sit. Allelnie. Qui confidunt. *Si autem non fuerit tempus canendi* alleluja, *dicatur hic tractus* Laudate Dominum. *Evangelium.* Dum iret JESUS in Jerusalem. *Offertorium.* Benedictus sit Deus. *Aliud.* Ad te Domine. *Communio.* Benediciemus. *Communio.* Dico vobis.

INCIPIT ORDO QUOMODO UNGUENDUS SIT INFIRMUS.

DUM autem unguendus est infirmus, celebret pro eo missam Sacerdos. Deinde convenientibus omnibus, veniat & ipse cum portione Corporis & Sanguinis Dominici, quam portet Levita, præcedentibus illum duobus subdiaconibus cum candelabris & super accensis cereis, & cruce, & benedicta aqua, & thuribulo. Accedente autem Sacerdote ad ostium domus, ubi infirmus jacet, spargendo benedictam aquam, incipiat hanc antiphonam Exurge Domine. *Psal.* Deus auribus, *cum* Gloria. *Post hæc dicatur capitulum* Ostende nobis.

Oratio.

Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietetem tuam, ut ed introitum humilitetis nostræ &c.

Omnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotum ministerio ad tibi serviendum & supplicandum uti dignaris &c.

His expletis confiteatur infirmus peccata sua, incipiens sic:

Ego peccator confiteor omnipotenti Deo, & omnibus Sanctis, & vobis fratres, omnia peccata mea, quæ ex die nativitatis meæ usque in hanc horem peccavi, in cogitatione, in locutione, voluptate & opere, & in omnibus vitiis malis, mea culpa. In his enim & innumerabilibus aliis malis me reum confiteor, & ideo obsecro, ut omnes pariter intercedere pro me dignemini ad Dominum Deum nostrum.

Tunc respondetur ab omnibus.

Misereatur tibi omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua præterita, præsentia. Liberet te e futuris, conservet & confirmet te in omni opere bono, & intercedentibus omnibus Sanctis suis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Post confessionem, si permiserit possibilitas, dicantur vii. psalmi pœnitentiales, aut isti tres: Miserere. Deus in adjutorium. De profundis. *Deinde dicatur hæc letania* Kyrie eleison, Christe &c.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis, & necessitate laborantibus, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, qui famulum tuum ill. in angustiis, & necessitatibus suis laborantem consolationibus tuis attolat: quibus & de præsenti tribulatione consequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per.

Alia.

Antiphona. Succurre Domine infirmo isti, *Psal.* Ad Dominum cum. *Antiph.* Domine puer meus. *Psal.* Levavi oculos. *Antiph.* Domine non sum. *Psal.* Domine probasti. *Antiph.* Dixit Jesus. *Psal.* Eripe me Domine. *Antiph.* Vivo ego. *Psal.* Domine exaudi 2.

Corpus Domini nostri JESU CHRISTI conservet animam tuam in vitam.

Domine JESU CHRISTE, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu-sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera hunc famulum tuum ill. per hoc sacrum Corpus & Sanguinem tuum, a cunctis iniquitatibus suis, & universis malis, & facias eum tuis obedire mandatis, & a te nunquam in perpetuum separari. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas.

In nomine S. Trinitatis visitet te angelus salutis amen. *Si autem in agone mortis periclitatus fuerit, roget pro eo quis, cantet pro eo missam, offerat sacrificium Deo ita.*

Missa.

Suscipe, piissime Deus, in sinu Abrahæ patriarchæ animam famuli tui, eamque sanctis & electis omnibus adjunge, nec ei noceat culpa carnis ad pœnam, sed prosit illi clementia tuæ miserationis ad veniam. Per.

Secreta.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro anima famuli tui ill. pro qua tibi offerimus sacrificium laudis, ut eam Sanctorum cœtibus sociare digneris. Per.

Postcommunio.

Prosit, Domine quæsumus, animæ famuli tui ill. divini celebratio sacramenti, ut ejus in quo speravit & credidit æternum capiat te miserante consortium.

Ad Corinthios.

Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium, &c.

Secundum Johannem.

In illo tempore dixit JESUS turbis Judæorum, amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis.

Sequitur ordo infirmi ad finem deducti, in quo illud in primis singulare nobis visum est, quod ibi decernatur, *ut illi qui defuncti corpus laverint per septem dies non accedant ad altare, nec Corpus Domini offerre, nec participare præsumant: quia lex Veteris testamenti hoc prohibet.* Præterea ut delatum in ecclesia corpus servetur usquequo vigiliæ celebrentur & missarum solemnia, & offeratur oblatio pro anima ejus.

ORDO XIV.

Ex vetustissimo codice Bibliothecæ Regiæ n. 4208. ab annis circiter 700. scripto.

ORDO AD VISITANDUM ET UNGENDUM INFIRMUM.

A*Ntequam ungeatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & sacerdoti suo pariter omnia peccata sua, ut reconciliationem ab eo percipiat plenam ut ulceribus vitiorum per confessionem prius adapertis, dignæ proficiat & unctio spiritualis medendo nequitiarum putredinem interius latitantem ejiciat. Ingressi autem sacerdotes domum infirmi decantent vii. psalmos pœnitentiæ: quibus dictis, dicat sacerdos aut aliquis prælatus orationem.*

Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei. Qui cum Patre.

Deinde incipiat letania.

Kyrie eleison, *ter.* Christe eleison, *ter.* Christe audi nos *ter.*

S. Maria, ora pro illo.
S. Dei genitrix, intercede pro illo.
S. Michael, ora pro illo.
S. Gabriel, ora pro illo.
S. Raphael, ora pro illo.

Et sic provide letaniam usque in finem. Peracta vero letania, orent pro ipso Pater noster.

Capitula.

Salvum fac servum tuum. Dominus vivificet eum. Dominus opem ferat illi.
Dominus custodiat eum ab omni malo.
Angelis suis Deus mandavit.
Perfice gressus illius.
Mitte ei Domine,
Nihil proficiat inimicus.
Esto illi Domine turris.
Convertere Domine usquequo.
Cor mundum crea in eo Deus.
Adjuva ill. Exsurge Domine.

Oratio.

Omnipotens mitissime Deus, respice propitius preces nostras, &c.

Alia.

Deus, qui illuminas omnem hominem venientem, &c.

Alia.

Dimitte, Domine, peccata nostra, & tribue nobis misericordiam, &c.

Deinde roget sacerdos confessor infirmi alios sacerdotes, ut dicant orationes super ipsum, quæ sunt de reconciliatione pœnitentiam ad mortem descripta. Tunc faciat aquam benedictam, & aspergat eam cum antiphona & orationibus super ipsum infirmum, & in domum in quo jacuerit. Deinde dicantur hæ orationes.

Domine Deus, qui per apostolum tuum loquutus es, &c.

Alia.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum & cum omni, &c.

Alia.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem, &c.

Alia.

Deus justorum gloria & misericordia peccatorum, &c.

. . . .

Hic deleta & abrasa sunt duæ tresve orationes.

Tunc singuli sacerdotes perungant infirmum de oleo sanctificato, facientes cruces in collo, & gutture, & pectore, & inter scapulas, & in supercilia oculorum, & in aures intus & deforis, & in narium summitatem sive interius, & in labia exterius, & in manus similiter exterius, idest deforis. Cantantibus interim antiphonis mystice cum psalmis.

Antiphona. Miserere mihi, Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. *Psal.* Domine ne in furore 1.

Antiphona. Custodi me Domine ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege me. *Psal.* Exaudi, Domine, justitiam meam.

Antiphona. Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. *Psal.* Exaudiat te Dominus.

Antiphona. Domine puer meus. *Psal.* Domine ne in furore tuo 2.

Antiphona. Dominus Jesus loquutus est discipulis suis: In nomine meo dæmonia ejicite, & super ægrotos manus vestras imponite, & bene habebunt. *Psal.* Deus Deorum Dominus.

Antiphona. Cor contritum & humiliatum ne despicias, Deus; sed propter magnam misericordiam tuam miserere mei, Deus. *Psal.* Miserere mei Deus secundum.

Antiphona. Intret oratio mea, Domine, in conspectu tuo, quia æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber. *Psal.* Domine Deus salutis.

Antiphona. Succurre, Domine, infirmo isti, & medica eum spiritali medicamine, ut in pristina sanitate restitutus, gratiarum tibi referat actionem. *Psal.* Ad Dominum cum tribularer.

Antiphona. Vivo ego. *Psal.* Domine probasti me.

Antiphona. Domine non sum dignus. *Psal.* Domine clamavi.

Antiphona. Dixit Jesus centurioni. *Psal.* Domine exaudi orationem meam, auribus percipe.

Dum ergo perungit sacerdos infirmum dicat hanc orationem morosius.

Ungo te oleo sanctificato, In nomine Patris, & Filii & Spiritus-sancti, ut more militis uncti præparatus ad luctamen, possis aereas superare catervas.

Alia ab alio sacerdote dicenda.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc unctio sanctificati olei ad purificationem mentis & corporis, ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum.

Item alia.

Ungo te oleo sancto, invocata magni Creatoris majestate, qui jussit Samuelem prophetam ungere David in Regem. Operare creatura olei, In nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus-sancti: ut non lateat spiritus immundus neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum; sed inhabitet in eo virtus Christi altissimi & sanctificatio Spiritûs sancti. Per eumdem.

Oratio ad oculos.

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per.

Ora-

Oratio ad aures.

Ungo aures has sacri olei liquore, ut quicquid peccati delectatione nocivo auditu admissum est, medicina spiritalis avacuet. Per.

Orationes ad nares.

Ungo has nares de oleo sacro, ut quicquid noxæ contractum est odoratu superfluo, ista emaculet medicatio. Per eumdem.

Oratio ad labia.

Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quicquid otiosa vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expurgetur hac unctione. Per.

Oratio ad manus.

Ungo has manus de oleo consecrato, ut quicquid illicito vel noxio opere egerint, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Oratio ad pedes.

Ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quicquid superfluo vel nocivo incessu commiserunt, ista deleat sacra perunctio. Per.

Absolutio.

Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo; de quorum numero quamvis indignos nos esse voluit; ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogitatione, locutione, operatione, neglegenter egisti, atque a nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regnum cælorum. Per.

Oratio ad communicandum infirmum.

Salvator noster, Redemptorque omnium, qui non pœnitentem, sed etiam cuique ad te venire cupiat, veniam ultroneus ac propitiatus miserator indulges; Te supplices, quæsumus, ut hunc famulum tuum ill. a corporis & sanguinis communione indulta venia cum cælesti benedictione perducas ad te Salvator mundi.

Postea addis & hunc versiculum.

Absolutionem & remissionem omnium peccatorum tuorum percipere merearis & hic & in æternum a Domino Jesu Christo.

Postea sequuntur hæ orationes.

Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostræ, &c.

Alia.

Domine Deus, qui per apostolum tuum loquutus es; Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros, &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Jacobum apostolum tuum inducere presbyteros, &c.

Post hanc orationem flectat genua qui est languidus, vel sedeat ad dexteram sacerdotis, & canant hanc antiphonam. *Antiph.* Dominus Jesus loquutus est discipulis suis, *ut supra* *Psal.* Deus misereatur nostri.

Hic ponant sacerdotes & ministri eorum manus super infirmum.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Sequitur antiphona. Succurre Domine infirmo isti: *ut supra.* *Psal.* Ad Dominum cum tribularer.

Alia oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ægritudines animarum depellis & corporum, &c.

Antiph. Sana me Domine. *Psal.* Domine ne in furore tuo.

Et tunc perungatur infirmus de oleo sanctificato, cruces faciens sacerdos, in collo, in guttura, & inter scapulas, & in pectore, sive in loco ubi dolor imminet amplius perungatur. Dum vero perungitur, dicat unus ex sacerdotibus.

Ungo te de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, obsecrans misericordiam ipsius Dei ac Domini nostri, ut fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & salus: quatenus per hujus operationem mysterii; & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus, pristinam & melioratam recipere merearis sanitatem. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Debent etiam sacerdotes infirmos inungere in quinque sensus corporis, idest in superciliis oculorum, & in naribus deforis, & in aurium summitate sive deintus, & in labiis exterius, & in manibus deforis, & in ceteris ejus membris convenientibus. In omnibus vero membris infirmi cruces faciat sacerdos de oleo sanctificato dicens ita:

In nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc perunctio olei sanctificati ad purificationem mentis & ad sanitatem corporis.

Hoc enim facimus in quinque sensus corporis & in aliis membris, ut si qua macula inhæsit, hac medicina Dei sanetur.

Oratio.

Domine Deus, Salvator noster, qui es vera salus & medicina, &c.

Alia.

Propitietur Dominus omnibus iniquitatibus tuis, & sanet omnes languores tuos, &c.

Deinde communicent eum Corpore & Sanguine Domini, & sic faciant per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione, quam de alio officio, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Debent etiam sacerdotes sive ministri decantare per singulos dies vesperas & matutinas cum devotionis reverentia.

Sequitur oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis & in necessitate laborantibus, &c.

Alia.

Deus, qui peccatores & scelerum onere vulneratos, &c.

Item alia.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat, &c.

Item alia.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Sanet te Dei Filius, Amen, &c.

Alia.

Benedicat te Deus cœli, &c.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit, &c.

Alia.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Custodiat te Jesus Christus, &c.

Item alia.

Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, &c.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem sive ad vitam.

Majestatem tuam quæsumus Domine sancte Pater omnipotens, &c.

Alia.

Deus misericors, Deus clemens, &c....

NOTA.

Duplicem hic retulimus ordinem dandæ extremæ unctionis sine ulla utriusque distinctione, prout extat in codice ms. in quo, nullo præmisso titulo ad secundum ordinem, omnia consequenter unoque tenore conscripta leguntur. An posterior ordo sacerdotes aut clericos singulariter spectat, quibus quotidie officium sit coram recitandum: prior vero quoslibet fideles? An vero duo illi alternis diebus sint usurpandi?

ORDO XV.

Ex ms. Pontificali insignis ecclesiæ Salisburgensis, annorum 600.

ORDO AD VISITANDUM VEL UNGUENDUM INFIRMUM.

I*Ngredientes sacerdotes domum infirmi, primum dicant singuli:* Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Benedic, Domine, domum istam & omnes habitantes in ea; quia tu Domine dixisti: Pax huic domui. Benedic, Domine, omnes timentes te, pusillos cum majoribus. Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram. *Psal.* Ecce quam bonum.

Et aspergatur aqua benedicta cum odore incensi. Deinde cantet hos psalmos, Domine ne in furore 2. Beatus qui intelligit. Miserere mei Deus. Inclina, Domine, aurem. Qui habitat.

Deinde faciant litaniam hoc ordo:

KYrie eleison. Christe eleison. Christe audi nos.
Sancta Maria. ora pro infirmo famulo.
Sancta Dei genitrix, ora pro famulo tuo.
Sancta & perpetua Virgo, succurre in angustiis constituto.
Omnes sancti Angeli & Archangeli, orate pro infirmo.
Omnes S. Patriarchæ & Prophetæ, orate pro eo.
Omnes S. Martyres & Confessores, orate pro eo.
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, orate pro eo.
Omnes sancti Innocentes, orate pro eo.
Omnes sancti Pœnitentes, orate pro eo.

Omnes

Omnes sancti Dei, orate pro eo.
Propitius esto, Libera eum Domine.
Ab omni malo, libera eum.
Ab hoste malo, libera eum.
Ab insidiis diaboli, libera eum.
Ab ira tua, libera eum Domine.
A periculo mortis, libera eum.
Ab omni immunditia mentis & corporis, libera eum, Domine.
A potestate tenebrarum. libera eum.
Per crucem tuam, libera eum.
Per Passionem tuam, libera eum.
Per Resurrectionem tuam, libera eum.
Per Ascensionem tuam. libera eum.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones, te rog.
Ut cordis compunctionem nobis dones, te rog.
Ut fontem lacrymarum isti infirmo donare digneris, te rog.
Ut cogitationes pravas ab eo auferre digneris, te rogamus, audi nos.
Ut illicitas voluptates ab eo auferre digneris, te rogamus audi nos.
Ut fidem, spem, & caritatem perfectam ei concedere digneris, te rog.
Ut ad gaudia æterna eum perducere digneris, te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, Libera nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Kyrie eleison.
Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem.
Salvum fac servum tuum, Domine. Deus.
Dominus conservet eum & vivificet eum. Et.
Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. Universum stratum ejus.
Dominus custodiat te ab omni malo. Cust.
Perfice gressus ejus in semitis tuis. Ut.
Mitte ei auxilium de sancto. Et de Sion.
Nihil proficiet inimicus in eo. Et.
Esto ei, Domine, turris fortitudinis. A facie.
Domine exaudi orationem meam. Et clamor.

Deinde sequuntur orationes.

Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam clementiam tuam, ut ad introitum in tuo nomine humilitatis nostræ, hunc famulum tuum in hoc habitaculo jacentem fessum salutifere visitare digneris, sicut visitasti Domine Tobiam, & Saram, et socrum Petri, puerumque Centurionis; ita & iste pristina sanitate animæ corporisque recepta, gratiarum tibi in ecclesia tua referat actionem. Per.

Alia.

Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, & ne in æternum irascaris ei. Qui vivis.

Alia.

Dimitte, Domine, peccata nostra & tribue nobis misericordiam tuam, quo oris nostri alloquio deprecatus, famuli tui humilitatem & angustiam attendas, vincula solvas, delicta deleas, tribulationem inspicias, adversitatem repellas, effectumque petitioni nostræ largiens, clementer exaudias. Per.

Alia.

Deus qui facturæ tuæ pio dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum ex adversa valetudine corporis laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, & gratiæ cælestis ei præsta medicinam. Per.

Alia.

Deus, qui B. Petrum apostolum misisti ad Thabitam famulam tuam, ut ejus precibus suscitaretur ad vitam: Exaudi nos, quæsumus, & huic famulo tuo N. quem in tuo nomine visitat nostra fragilitas, exorata medicinæ tuæ medela subveniat. Per.

Alia.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam addidisti, quæsumus, ut famulum tuum a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per.

Alia.

Deus, sub cujus nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt; suscipe preces nostras pro ægrotante hoc, pro quo misericordiam tuam suppliciter imploramus; ut de cujus periculo metuimus, de ejus recuperatione lætemur. Per.

Alia.

Respice, Domine, famulum tuum N. in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove quam creasti, ut castigationibus emendatus, continuo se sentiat tua medicina salvatum. Per.

Alia.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis; adesto propitius huic famulo tuo, ut fugatis infirmitatibus, & viribus revocatis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ægritudines animarum depellis & corporum; auxilii tui super infirmum tuum hunc ostende virtutem, ut omni sanitate recepta, gratiarum tibi in ecclesia tua referat actionem. Per.

Alia.

Omnipotens Deus, miserere supplici famulo tuo N. & da, quæsumus, ne plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis prosit ad veniam. Per.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra & membra vegetentur; super hunc famulum tuum N. propitius intende, ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per.

Alia.

Respice, Domine, propitius super hunc famulum tuum N. & opem ei ferre dignare super lectum doloris ejus: impone, piissime Pater, manum tuam in manum meam, & impera ægritudini ejus, ne mei peccatoris manum spernat infirmitas; sed ad invocationem nominis tui vereatur & fugiat: ut hic famulus suus languore depulso, ad sanitatem refectus exsurgat, & repræsentetur ecclesiæ, ut referet gratias nomini sancto tuo. Qui vivit & regnet.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi me indignum famulum tuum pro famulo tuo; & da ei veram pœnitentiam, veram obedientiam. Libera eum, Domine, sicut liberare dignatus es Adam de inferno, Petrum de carcere, Paulum de vinculis, Teclam de bestiis, Susannam de falso crimine, Paralyticum de grabatto, Lazarum de monumento, populum Israeliticum de medio mari, Jonam de ventre ceti, Loth de Sodomis, tres pueros de camino ignis ardentis, Sidraach, Missac, & Abdenago, Danielemque de lacu leonum, David de gladio maligno, Mariam Magdalenam de septem dæmoniis: ita liberare eum digneris, Domine, ab omnibus peccatis suis & ab universis delictis suis. Per Dominum nostrum.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis & necessitate laborantibus; majestatem tuam supplices exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, qui famulum tuum in angustiis & necessitatibus laborantem consolationibus suis attollat; quibus & de præsenti consequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per.

Alia.

Deus qui humano generi & salutis remedium & vitæ æternæ munera contulisti: conserva famulo tuo N. tuarum dona virtutum, & concede ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Alia.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super famulum tuum N. ostende virtutem; ut ope misericordiæ tuæ adjutus, ecclesiæ tuæ sanctæ repræsentari mereatur. Per.

Benedictio ut supra.

Sanet te Deus Pater omnipotens, qui te creavit in carne. Sanet te Dei Filius, qui pro te passus est in cruce. Sanet te Spiritus-sanctus, qui in te fusus est in baptismo. Sanet te sancta & individua Trinitas cum omni sanitate; ab omni dolore & tribulatione eripiat te Christus, qui vivit.

Alia.

Sanet te Deus Pater, sanet te Deus-Filius, sanet te

Deus

Deus Spiritus sanctus. Sanet te fides tua, quæ te liberavit ab omni impedimento satanæ. Benedictio Dei Patris cum angelis suis sit super te. Benedictio Jesu Christi cum apostolis suis sit super te. Benedictio Spiritus-sancti cum septem donis suis sit super te. Benedictio sanctæ Mariæ cum filiabus suis sit super te. Benedictio Ecclesiæ catholicæ cum universis filiis suis sit super te.

Fiant merita & orationes eorum tecum diebus ac noctibus, in verbo, in facto, in cogitatione, in toto corpore. Commendo te sub potestate sanctæ Trinitatis, id est, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Sancta Trinitas sit tecum omnibus diebus vitæ tuæ.

Alia.

Benedicat tibi Dominus, custodiatque te Christus, ostendatque faciem suam tibi, & misereatur tui, convertatque Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem omnibus diebus vitæ tuæ. Impleat te Dominus Spiritu Sancto suo. Ipse Dominus per omnia sanctificet te ad perfectum, ut integer spiritus tuus & anima & corpus sine querela in adventu Jesu Christi servetur. Qui cum Patre.

Alia.

Benedicat te Deus cæli: Adjuvet te Christus Filius Dei: Corpus tuum in suo servitio custodiri & conservari faciat: mentem tuam illuminet, sensum tuum custodiat: gratiam suam ad profectum animæ tuæ in te augeat, ab omni malo te liberet: dextera sua te defendat, qui sanctos suos semper adjuvat, ipse te adjuvare & conservare dignetur in Trinitate & unitate Trinitatis. Per omnia secula seculorum.

Benedicat te Deus Pater, qui te creavit. Benedicat te Deus Filius, qui pro te passus est: Benedicat te Deus Spiritus-sanctus, qui in te effusus est. Crux Christi benedicat te, Crux Christi conservet te, ut habeas vitam æternam. Benedicant te novem ordines angelorum regni cælestis. Benedicant te vigintiquatuor Seniores, qui sub throno Dei sunt. Benedicant te Virtutes & Dominationes: Benedicant te Throni, Cherubim & Seraphim. Benedicant te Patriarchæ & Prophetæ & Apostoli Christi. Benedicant te Martyres & Confessores Christi. Benedicant te Monachi & Virgines Dei, & omnis benedictio quæ est in scripturis super te veniat.

MISSA PRO INFIRMIS.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium.
Lectio Jacobi Apostoli. Tristatur aliquis.
Grad. Miserere mihi, Domine. Alleluja. Qui sanat.
Secundum Lucam. In illo tempore. Intravit Jesus Capharnaum.
Offert. Domine convertere.
Secreta. Deus sub cujus nutibus vitæ nostræ.
Communio. Lætabitur in salutari tuo.
Postcommunio. Deus infirmitatis humanæ singulare.

Oratio pro reddita sanitate.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem nominis tui benignus assiste: ut hunc famulum tuum liberatum ægritudine, & sanitati donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, ecclesiæ tuæ sanctisque altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate restituas. Per.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es via, veritas, & vita, exaudi & conserva hunc famulum tuum, quem pretio magno redimendo, vivificasti sacro sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum.

Deinde sequatur benedictio.

Sancta Trinitas, & inseparabilis Unitas te benedicat & animam tuam in vitam æternam custodiat. Amen.

ORDO AD UNGUENDUM INFIRMUM.

ANtequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & sacerdoti suo puriter omnia peccata sua, & reconciliationem ab eo percipiat plenam: ut ulceribus vitiorum per confessionem purius adapertis, dignius proficiat ei unctio spiritualis, medendo nequitiarum putredinem interius latitantem. Et tunc in primis faciant sacerdotes aspergi salem & aquam benedictam, & aspergant eam cum antiphona. Asperges me Domine. *Psalm.* Miserere mei Deus. *Et oratio dicatur a sacerdote.*

Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es, infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo sancto in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei. Cura, quæsumus, Redemtor noster, gratia Spiritus-sancti languores istius infirmi, omnia ejus sana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo expelle, plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde: & ope misericordiæ tuæ restitutus & sanatus, ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Per.

Et sic flectat genua qui est languidus, & stet ad dexteram sacerdotis, & cantetur hæc antiphona. Sana, Domine, infirmum istum, cujus ossa conturbata sunt, & cujus anima turbata est valde. Sed tu, Domine, convertere, & sana eum, & eripe animam ejus a morte.

Psal. Domine ne in furore. 1.

Sequitur oratio.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, & cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum tuum N. per angelum suum sanctum visitare, lætificare, confortareque dignetur. Qui vivit.

Sequitur antiphona. Dominus locutus est discipulis suis: In nomine meo dæmonia ejicite, & super infirmos manus vestras imponite, & bene habebunt.

Psal. Deus Deorum.

Hinc imponant manus super infirmum omnes sacerdotes & ministri eorum, jubente tamen vel permittente episcopo: quoniam canonicus sic docet ordo.

Oratio.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, huic ex toto corde converso, peccata dimitte, & perennis vitæ gratiam concede. Per.

Sequitur antiphona. Succurre, Domine, infirmo isti, & medicare ei spiritali medicamine, ut in pristinam sanitatem restauratus, gratiarum tibi referat actiones.

Psal. Ad Dominum cum Gloria.

Oratio.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum pro fratre nostro N., quem dure ad præsens malum languoris affligit; ut eum Domini pietas cælestibus dignetur curare medicinis; ut qui dedit vitam, det & salutem. Qui vivit.

Deus, qui humano generi salutis remedium & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo tuarum dona virtutum; & concede ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Et sic perungunt singuli sacerdotes infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo, & gutture, & pectore, & inter scapulas, seu in loco ubi dolor plus imminet, & in quinque sensibus corporis, & in superciliis oculorum, & in naribus intus & foris, & in aurium summitate exterius sive interius, & in labiis exterius, & in manibus exterius, id est deforis, ut si quinque sensibus mentis & corporis aliqua macula inhæsit, medicina spiritali sanetur, & Domini misericordia impetretur. Dum ergo sacerdos unguit infirmum, dicat hanc orationem morosius inungendo.

Adesto, Domine, quæsumus, humilitatis nostræ obsequiis, eisque benignus cooperator assiste; ut qui excusationem mandatorum huic ægroto manus imponentes, olei sacri unctionem exhibemus, hujusmodi servituti nostræ te interesse sentiamus; quatinus Sancti Spiritus gratia nostræ actionis officia comitante, ab hoc famulo tuo N. omnis languor & debilitas abscedat, totius vigoris & sospitatis plenitudo succedat; relictoque imbecillitatis grabbato, ad te medicum supernum vultum & mentem erigat, & pro sospitatis restitutione, laudes nomini tuo competentes in æternum persolvat. Per.

Unctio sacrati olei ad caput.

Unguo caput tuum oleo sanctificato: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: ut more militis uncti præparatus ad luctam, superare possis aerias catervas. Per.

Ad oculos.

Unguo oculos tuos: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; ut quicquid in his cito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per.

Ad aures.

Unguo aures has sacrati olei liquore: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: ut quicquid peccati delectatione nocivo auditu admissum est, medicina spiritalis evacuet. Per eum qui &c.

Ad nares.

Unguo has nares oleo sancto: In nomine Patris, & Filii & Spiritus-sancti; ut quicquid noxio contractum est odoratu vel superfluo, ista emaculet medicatio. Per.

Ad labia.

Unguo labia ista consecrati olei medicamento: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; ut quicquid otiosa vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clemen-

tia

tis miserante, expurgetur hac unctione. Per eum qui venturus.

Alia.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hęc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen, & defensionem contra jacula inimicorum spiritalium. Per.

In gutture.

Inungo te in guttura de oleo sancto: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: ut non lateat spiritus immundus, neque in membris, neque in medulis, neque in ulla compagine membrorum; sed habitet in te virtus Christi altissimi & Spiritus-sancti, quatinus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam & melioratam percipere merearis sanitatem. Per.

Ad pectus.

Unguo pectus tuum de oleo sanctificato: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; ut hac unctione protectus, fortiter certare valeas adversus aereas catervas.

Ad cor.

Unguo locum cordis oleo divinitus sanctificato, cælesti munere nobis attributo: In nomine sanctę & individuæ Trinitatis; ut ipsa te interius exteriusque sanando vivificet, quę universam conditionem suam ne pereat continet. Per.

Ad scapulas.

Unguo has scapulas sive medium locum scapularum oleo sacrato: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; ut ex omni parte spiritali protectionè munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere ac procul possis cum robore superni juvaminis repellere. Per.

Ad manus.

Unguo has manus oleo sacrato: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; ut quicquid illicito vel noxio opera peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Ad pedes.

Unguo hos pedes oleo benedicto: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; ut quicquid superfluo vel nocivo incessu commisemus, ista aboleat perunctio. Per.

Ubi dolor plus imminet.

Inungo te de oleo sancto: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; obsecrans misericordiam ipsius unius Domini nostri Jesu Christi, ut fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperatur in te virtus & sanitas; quatinus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus, pristinam & magis robustam recipere merearis sanitatem. Per.

Ad omnes compages membrorum.

Unguo te de oleo sancto, invocata magni Creatoris majestate, qui per Samuelem prophetam ungui David in regem. Operare creatura olei: In nomine Patris omnipotentis; ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum; sed inhabitet in te virtus Christi, Filii Dei altissimi, & sanctificatio Spiritus-sancti.

Item alia unctio.

Inungo te, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, oleo sancto atque sacrato, ut virtute Spiritus-sancti, tribuat tibi hæc sacra unctio sanitatem animæ & corporis in remissionem omnium peccatorum, & vitam æternam.

Impositio manuum.

Domine Deus, Salvator noster, qui es vera salus & medicina, & a quo omnis sanitas & medicamentum venit; qui apostoli tui voce nos instruis, ut languidos olei liquore tangentes, tuæ postulemus misericordiam pietatis; respice propitius super hunc famulum tuum N. ab illa mirabili summitate cælorum; ut quem languor ad exitum, & vitium contractio jam pertrahit ad occasum, medela tuæ gratiæ saluti restituat castigatum. Extingue in eodem libidinum actus, & febrium stimulos, ac vitiorum obtera cruciatus. Ægritudinem & cupiditatum tormenta dissolve, superbiæ inflationem tumoremque compesce, ulcera & putredines vitiorum evacua, viscera interna cordium ac medullarum atque plagarum obducito cicatrices, physicis typhysicisque adesto periculis, veteres immensasque remove passiones, opera carnis sanguinisque materiam compone, delictorum illi veniam propitiatus attribue; sicque illum jugiter custodiat pietas tua; ut nec ad corruptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem, te auxiliante, perducat infirmitas, fiatque illi hæc unctio olei sancta concita morbi præsentis expulsio, & peccatorum omnium optata remissio, te concedente, Salvator mundi. Qui vivis.

Deinde orationes suprescripta pro infirmis.

Post hæc communicet eum sacerdos Corpore & Sanguine Domini; & sic septem continuos dies, nisi necessitas contigerit, tam de communione, quam & de alio officio se abstineat; & suscitabit eum Dominus ad salutem. Et si in peccatis sit, dimittentur ei, ut apostolus ait.

Oratio ante perceptionem Eucharistiæ.

Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam ęternam. ℟. Amen.

Ac deinde.

Pax & communicatio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.

Post assumptam Eucharistiam.

Domine, Jesu Christe, Redemtor & Salvator noster, exaudi nos pro fratre nostro N. infirmo te rogantes; ut tua sancta Eucharistia ei sit ad tutelam animæ & corporis, & ad capescendam vitam æternam. Qui vivis.

Debent etiam ex ministris sanctæ Dei ecclesiæ cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies & noctes vespertinales & matutinales laudes pleniter, sicut mos est & in ecclesia.

Oratio super infirmum ante faciendam absolutionem.

Domine sancte Pater, universitatis auctor, omnipotens æterne Deus, cui cuncta vivunt, qui vivificas mortuos, & vocas ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, tuum solitum auxilium qui es magnus artifex, pie exerce in hoc tuo plasmate rogamus. Per.

Absolutio cum impositione manuum.

Deus, qui peccatores & scelerum onere vulneratos sacerdotibus tuis se ostendere jussisti. Deus qui discipulis tuis, ut bene habeant, manus super infirmos ponere præcepisti; quique per apostolos infirmos sacro oleo ungere, & pro eis orare docuisti. Deus, qui per impositionem sacerdotum manus cum sancti nominis tui invocatione peccata relaxari voluisti: exaudi orationes nostras, & da huic famulo tuo infirmitatis noxa depresso per hoc sacrum mysterium, quod nos indignos famulos tuos agere docuisti, remissionem omnium peccatorum: quatenus per hanc sacrati olei unctionem, & per manus impositionem cuncta facinora Spiritus-sancti gratia relaxentur. Fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius exteriusque imbuant & foveant, ut non tantum ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quantum prosit indulgentia & reconciliatio pietatis tuæ atque remissionis ad veniam. Per.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, criminum absolutor & indultor peccaminum, qui apostolis tuis apostolorumque successoribus dixisti, sine me nihil potestis facere; & si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, fiet eis a Patre meo: Qui etiam specialiter Petro apostolorum principi ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, & postea generaliter omnibus discipulis insufflasti, atque dixisti: Accipite Spiritum-sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Tu, Domine, in nostro ministerio tuam insere clementiam, & in nobis peccatoribus quod tuum est operare, & quod nostra non exiguot merita, tuæ virtutis impleatur effectu.

Supplices ergo poscimus tuam clementiam, ut famulo tuo N. omnibus cordis & corporis gemitibus suorum relaxationem peccatorum postulanti pius auditor & clemens indultor existas, nihilque ei in præsenti angustia sive exitu obstet, quod fragilitas cumulavit humana. Assit ei Domine, Rex cæli, tua misericordia in tribulatione constituto, sicut affuit latroni confitenti & meretrici gementi ac lacrymanti, cui dimissa sunt peccata multa, quia dilexit multum: Ne reminiscaris, Domine Deus, malorum factorum suorum; sed recordare quod pollicitus es, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Tu enim solus potens es non solum peccata dimittere, verum etiam ipsos peccatores justificare. Per.

Benedictiones episcopales.

Dominus Jesus Christus, qui dignatus est discipulis suis dicere, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quęcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cęlo, de quorum numero quamvis indignum, & peccatorum vinculis astrictum, me esse sua dignatione voluit: ipse te largifluo pietatis suæ dono ac meæ simul parvitatis ministerio, absolvere dignetur ab omnibus fragilitatis tuæ excessibus, interius exteriusque humanitus contractis. ℟. Amen.

Et sicut peccata totius mundi sua traditione atque immaculati sanguinis effusione dignatus est expurgare; ita quoque tuorum peccaminum maculas misericorditer ne dedignetur emundare, ejusdem sancti sanguinis interventione,

ui effusus est in peccatorum remissionem. ℟. Amen.

Devotionem quoque tuam deinceps adjutorio gratiæ suæ non dedigneiur corroborere; quatenus & in hoc sæculo subrepentium laqueos delictorum valeas evadera, & in futuro vitam æternam Christi sanguine comparatam sine fine possidere. ℟. Amen.

Adjuvante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui nos fecit cum non essemus, & redemit cum perditi essemus, ad laudem & gloriam sui nominis. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Orationes unde supra.

Deus, qui mundum in peccati fovea jacentem misericorditer erexisti; Deus, qui leprosos mundare præcepisti; Deus, qui per manus impositionem animarum & corporum valetudines effugasti; idemque opus discipulos tuos eorumque successores agere jussisti: Exaudi preces nostras pro hoc famulo tuo N. e morbo criminum hactenus tabescente, & manum pietatis tuæ manui nostræ subpone; ut per manus nostræ impositionem, te cooperante infundatur in eum Spiritus-sancti gratia. Descendat super eum celestis benedictio: tribuetur ei peccatorum remissio, cunctorumque scelerum piacula relaxentur, & tuorum carismatum munera affluentia conferantur. Per.

Item alia.

Omnipotens sempiterne Deus, conditor humani generis, qui ex nihilo cuncta creasti, & hominem ad similitudinem tuam formare dignatus es: cui cuncta elementa obediunt, & ad cujus nutum omnes infirmitates omnesque morbi fugantur; adesto invocationibus nostris, & huic famulo tuo N. nimiis doloribus oppresso, misericordiæ tuæ manum porrige, & omnem infirmitatem atque languorem animæ & corporis ab eo expellas, & immitte in eum Spiritum-sanctum tuum de cælis, qui eum die noctuque protegat semper, & illuminet, visitet, atque ab omni adversitate mentis & corporis defendat. Per.

Alia.

Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accusantes conscientias suas ab omni vinculo iniquitatis absolvis: da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis; ut percepta remissione omnium peccatorum, in sacramentis tuis sincera deinceps devotione permaneat, & nullum redemptionis æternæ obtineant detrimentum. Per Dominum nostrum.

Alia.

Domine sancte, Pater cæli & terræ, protege famulum tuum N. dimitte illi omnia peccata, diverte illum ab omnibus malis, & fac eum crescere in omnibus bonis: da illi placitam tibi servitutem, cor rectum, fidem perfectam. Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi: adjuve servum tuum N. & salvum fac filium ancillæ tuæ. Per.

Alia.

Dominus sit tibi adjutor & protector, & peccatorum tuorum indultor, & Deus misericordiæ & pietatis det correctionem tuorum peccaminum, & concedens locum pœnitentiæ, tribuat tibi digne male acta deflere, gaudiaque vitæ æternæ feliciter obtinere. Per.

Hic ita expletis, sacerdotes dicant orationes vel benedictiones super infirmum; unusquisque suam. Si autem aderit episcopus; ipsius officium hoc erit.

Missa pro infirmo de cujus salute desperatur.

Deus qui famulo tuo N. dedisti fidei conjunctionem, concede, ut per temporalem corporis incommoditatem ad supernorum civium pertingere mereatur consortium. Per.

Secreta.

Famulum tuum, quæsumus Domine, ab omnibus absolve peccatis, ut qui membrorum jam caret officio, numquam tuæ miserationis destituatur auxilio. Per.

Ad complendum.

Cuncta famuli tui per hanc oblationem purgentur delicta: ut qui tuæ flagello dispensationis in hac atteritur vita, in futuro ei requies æterna tribuetur. Per.

ORDO XVI.

Ex ms. Pontificali insignis ecclesiæ Suessionensis ante annos 600. exarato.

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

Quando ingreditur sacerdos domum infirmi; primo dicendum est: Pax huic domui.

Antiphona. Benedic, Domine, domum istam, & omnes habitantes in ea, *ter*, quia tu, Domine, dixisti, Pax huic domui: Benedic, Domine, timentes te, pusillos cum majoribus: Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum & terram.

Oratio.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam, &c.

Oratio.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis, &c.

Deinde faciat sacerdos aquam benedictam, & aspergat in domum infirmi.

Exorcizo te creatura salis per Deum vivum, &c.

Oratio.

Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter deprecamur, &c.

Benedictio aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi, &c.

Alia.

Deus qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta, &c.

Deinde mittat sal in aquam.

Fiat hæc commixtio salis & aquæ pariter, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Postea oratio.

Deus invictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperii Rex, &c.

Postea dicat sacerdos orationem hanc.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, &c.

Benedictio domus.

Benedic, Domine Deus omnipotens, locum istum, &c.

Tunc infirmus dicat symbolum & orationem Dominicam, cum signaculo sanctæ Trinitatis, & det confessionem suam sacerdoti de omnibus peccatis suis.

Orationes & preces super pœnitentem.

Exaudi, Domine, preces nostras, & tibi confitentium parce peccatis, &c.

Alia oratio.

Præveniat hunc famulum tuum, &c.

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, &c.

Alia.

Omnipotens Deus, criminum ablutor & peccaminum indultor, &c.

Alia.

Supplices ergo poscimus clementiam tuam, ut huic famulo tuo N. &c.

Oratio.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, &c.

Oratio.

Da nobis, Domine, ut sicut publicani precibus, &c.

Postea ungatur infirmus primo ad aurem dextram & ad frontem, & ad sinistram, dicens:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc perunctio olei sanctificationis ad purificationem mentis & corporis in vitam æternam. Amen.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, accipe sanitatem, *ter.*

Deinde ad aures.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti Unguo aures tuas sacrati olei liquore, ut quicquid peccati delectatione auditus admissum est, medicina spiritalis evacuet. Per.

Deinde ad oculos.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Christum.

Deinde ad nares.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Ungo has nares de oleo sacro, ut quicquid noxæ contractum est odoratu superfluo, ista emaculet medicatio. Per Christum.

Deinde ad labia.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Ungo labia consecrati olei medicamento, ut quicquid otiosa vel etiam locutione criminosa peccasti, divina clementia miserante, expurgetur hac unctione. Per Christum.

Benedictio super infirmum.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat. Amen. Intra te sit, ut te reficiat. Amen. Circa te sit, ut te conservet. Amen. Super te sit, ut te benedicat. Qui cum Patre, & Spiritu-sancto, vivit & regnat Deus. Per omnia.

Deinde ad pectus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Ungo pectus tuum de oleo sancto, ut hac unctione perunctus, fortiter certare valeas adversus aereas catervas. Per Christum.

Dein-

Deinde ad scapulas.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, in unoquoque loco ungo has scapulas, sive medium scapularum de oleo sacro, ut ex omni parte spirituali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul possis eum robore superni juvaminis repellere. Per. Christum.

Deinde ad manus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Ungo has manus de oleo consecrato, ut quicquid illicito vel noxio opere peregerunt hac unctione evacuetur. Per.

Deinde ad pedes.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, accipe sanitatem animæ & corporis.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, surge & ambula. In nomine Domini ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quicquid superfluo incessu commiserunt, ista aboleat unctio. Per Christum.

Unxi te oleo sanctificato sicut unxit Samuel David in regem & prophetam. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis; ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum tuorum; sed in te habitet virtus Christi altissimi & Spiritus-sancti; ut more militis uncti & præparati ad luctam aereas possis superare catervas. Per.

Oratio.

Jesu Salvator & Domine, qui es vera salus & medicina, &c.

Alia oratio.

Domine Deus noster, qui per apostolum tuum locutus es, &c.

Alia.

Deus, qui peccatores & scelerum onere curvos, &c.

Alia.

Adesto, Domine, quæsumus humilitatis nostræ obsequiis, &c.

Alia.

Benedicat te Deus Pater qui te creavit. Amen. Filius Dei qui te redemit. Amen. Spiritus-sanctus qui in te effusus est. Amen. Remissionem & indulgentiam omnium peccatorum tuorum tribuat tibi Dominus in præsenti sæculo & in futuro vitam æternam concedat. Amen.

Deinde agatur letania & septem psalmi pœnitentiales. Kyrie eleison, &c.

Orationes.

Exaudi nos, omnipotens æterne Deus, &c.

Alia oratio.

Benedicat te Deus Pater: sanet te Dei Filius: illuminet te Spiritus-sanctus, corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, cor tuum irradiet, sensum tuum dirigat, & ad supernam vitam te perducat, qui in Trinitate perfecta, &c.

Oratio.

Benedicat te Deus cæli: adjuvet te Christus Filius Dei, &c. Benedicat te Deus Pater, qui in principio, &c.

Postea communicet eum his verbis.

Corpus Domini nostri Jesu Christi Sanguine suo tinctum conservet animam tuam in vitam æternam. Amen.

Domine Deus noster exaudi nos pro hoc famulo tuo infirmo te rogantes: ut tua sancta Eucharistia ei sit tutela. Qui cum Deo Patre.

Oratio.

Domine sancte Pater, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro sanctam Eucharistiam Corporis Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corporis, quam animæ sit salus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis & necessitate laborantibus, &c.

Benedictio.

Benedicat te Deus Pater: Custodiat te Jesus Christus: Illuminet te Spiritus sanctus, & gubernet omnibus diebus vitæ tuæ. Confirmet te virtus Christi, Filii Dei vivi; indulgeat tibi Dominus universa delicta tua. Qui in Trinitate.

Oratio.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & corroboret ac satiet in bonis desiderium tuum. Qui solus in Trinitate perfecta.

O R D O XVII.

Ex ms. Missali Ramariensi ante annos 600. scripto.

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM ET INUNGUENDUM.

Benedictio domus.

P*Rimum dicat sacerdos.* Pax huic domui. iij. Benedic, Domine, domum istam & omnes habitantes in ea; quia tu, Domine, dixisti, pax huic domui. Benedic, Domine, timentibus te, pusillis cum majoribus. Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram. Pax tecum, frater.

Sequitur oratio.

Omnipotens & misericors Deus, qui secundum immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostræ hunc famulum tuum N. in hoc habitaculo fessum jacentem, salutifere visitare digneris; & sicut visitasti, Domine, Tobiam & Saram, & socrum Petri, puerumque Centurionis: ita & iste pristina sanitate animæ corporisque recepta, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actionem. Per Dominum nostrum.

Postea fac aquam benedictam, ut supra. Post aspersionem aquæ lege Epistolam.

Carissimi. Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, *ut supra post Pascha.*

Evangelium.

In principio erat Verbum. *Require in Nativitate Domini.*

Postea interroga eum de credulitate sua.

Credis in Dominum Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum? Credo. Credis quod illæ tres personæ, quas modo diximus, Pater & Filius, & Spiritus sanctus, tres personæ sint & unus Deus? Credo. Credis quod in ipsa carne in qua nunc es, in ipsa habeas resurgere in die judicii, & recipere sive bonum sive malum quod gessisti? Credo. Vis dimittere cuicumque in te peccaverit, domino dicente: si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater dimittet vobis peccata vestra? *Si responderit* volo: *Tunc suam confessionem, sicut melius valet, da ei, & doceatur a sacerdote, ut spondeat firmiter in emende sua, si ei Deus vitam concesserit, mores suos & actus ejus in quibus deliquerat omnino corrigere debeat; & quamdiu in infirmitate jacet, plangat gematque peccata sua, quia lacrymæ & gemitus celerem invenire merentur indulgentiam peccatorum: dicente spiritu Domini per prophetam:* Si conversus ingemueris, salvus eris: *Et iterum:* Convertimini, *inquit*, ad me, & ego convertar ad vos. *Et ad ultimum dicendum est confitenti*; multa sunt peccata mea, Domine, in factis, in cogitationibus meis, in verbis otiosis, in pravis operibus: *quia sine confessione nullus peccator de suis peccatis veniam consequi poterit: dicente scriptura:* qui abscondit peccata sua, non dirigetur anima ejus: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Et apostolus:* ore autem confessio fit ad salutem. *Jacobus apostolus dicit:* Confitemini alterutrum peccata vestra: *Esaias propheta dicit:* Narra si quid habes, ut justificeris. *Sic & psalmista ait:* Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. *Et iterum:* Revela Domino viam tuam. *Et moneatur a sacerdote quod si alicui vi aut fraude quid abstulit, hoc læto animo cui nocuit juxta vires suas restituat, & veniam ab illo petat, juxta quod in sancto evangelio legitur fecisse Zacchæus: ut merito ad eum illa vox divina dirigatur, quæ sequitur:* Hodie salus domui huic facta est. *Et si adversum contra aliquem habet, ex toto corde remittat, quia scriptum est:* Zelus & iracundia minuunt dies: *Et* qui odit fratrem suum homicida est: *&* ira viri justitiam Dei non operatur. *Et in Evangelio Veritas dicit:* Dimitte, & dimittetur vobis. *Et iterum:* Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Et in oratione dominica rogamus Dominum, ut dimittat nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus. Et eleemosynam juxta possibilitatem hilariter videas & egenis largiatur: quia eleemosyna, sicut scriptura divina testatur, & a morte liberat animam, & non patietur ire in tenebras, & est fiducia magna coram Domino. Unde propheta dicit:* Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. *Et in Evangelio Veritas dicit:* Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

Interrogatio.

Habes fidem confessam & peccata confessa Deo & sacer-

cerduti ot remittantur tibi peccata tua: Credis hoc? Credo. Habes voluntatem quod egisti contra mandata Dei, ut huc emcodes? Habeo. Unde confessus fuisti vis judicium recipere, & illud bene custodire, & omnibus adinventionibus diaboli renunciare, & Trinitatem custodire? Volo,

Dicat communiter,

Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, qui est vera remissio peccatorum, per intercessionem almæ Dei genitricis Mariæ & omnium sanctorum suorum misereatur tui, & dimittat tibi omnia peccata tua præterita, præsentia & futura; liberet te ab omni malo, conservet & confirmet te in omni opere bono, & perducat te Christus Filius Dei ad vitam æternam & ad consortium sanctorum suorum fidelium. Amen.

Indulgentiam & absolutionem, & veniam omnium peccatorum tuorum, per merita omnia sanctorum & sanctarum, tribuat tibi omnipotens, pius, & misericors Dominus, Amen,

Deinde cantentur septem psalmi pœnitentiales.

Antiphona. Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea conturbata est valde: sed tu, Domine, convertere, & eripe animam meam. *Psal.* Domine ne in furore, &c.

Antiphona, Erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum: Hic cum audisset quia Jesus adveniret in Galilæam, rogabant eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus. *Psal.* Beati quorum, &c.

Antiph. Domine descende, ut sanes filium meum priusquam moriatur: Dicit ei Jesus: Vade filius tuus vivit. *Ps.* Domine ne in furore 2.

Antiph. Cor contritum & humiliatum ne despicias, Deus; sed propter magnam misericordiam tuam miserere mei, Deus, *Psal.* Miserere mei.

Antiph. Domine puer meus jacet paralyticus in domo & male torquetur: amen dico tibi, ego veniam & curabo eum. *Psal.* Domine exaudi orationem.

Antiph. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus. *Ps.* De profundis.

Antiph. Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad Jesum, & curabantur. *Psal.* Domine exaudi 2.

Sequitur Letania,

Kyrie eleison. Christe eleison.
Sancta sanctorum, miserere huic infirmo famulo tuo.
Sancta Virgo virginum, ora pro eo constituto in infirmitate.
Sancta Dei genitrix, ora pro eo.
Sancta Maria, ora pro eo.
Sancta Dei genitrix, ora pro famulo tuo.
Sancta Perpetua Virgo Maria, succurre in angustiis constituto.
Sancte Michael, ora pro famulo Dei.
Sancte Raphael, ora pro famulo Dei.
Sancte Gabriel, ora pro famulo Dei.
Omnes sancti ab initio mundi usque ad præsens, orate pro nobis & pro hoc infirmo.
Propitius esto nobis, & parce ei Domine.
Propitius esto nobis, & libera eum Domine.
Ab omni malo, libera eum Domine.
Ab hoste malo, libera eum Domine.
Ab insidiis diaboli, libera eum Domine.
A cruciatu & morte perpetua, libera eum Domine.
Ab ira tua nimium tremenda, libera eum.
Ab iniqua morte, libera eum.
Ab omni cogitatione immunda, libera eum Domine.
Ab omni iniquitate, libera eum.
Ab omni immunditia cordis & corporis, libera eum Domine.
A cunctis erroribus diaboli, libera eum.
A vinculi diaboli, libera eum.
A potestate diaboli, libera eum.
Per Incarnationem tuam, libera.
Per Nativitatem tuam, libera.
Per Crucem & Passionem tuam, libera eum Domine.
Per Resurrectionem tuam, libera.
Per claram Ascensionem tuam, libera eum Domine.
In die judicii, libera eum.
Peccatores, Te rogamus audi nos, iij.
Ut pacem perpetuam nobis dones, Te rogamus audi nos.
Ut cordis compunctionem ei dones, Te rogamus audi nos.
Ut fontem lacrymarum ei dones, Te rogamus audi nos.
Ut cogitationes pravas ab eo abscindere digneris, Te rogamus.
Ut illicitas voluptates ab eo auferre digneris, Te rogamus audi nos.
Ut spem, fidem, & caritatem ei dones, Te rogamus audi nos.
Ut gratiam Sancti Spiritus cordi illius infundere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut gratiam tuam ei concedere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut in præsenti periculo ei succurrere digneris, Te rogamus.
Ut omnes principes tenebrarum ab eo repellas, Te rogamus,
Ut ad gaudia æterna eum perducere digneris, Te rogamus.
Ut remissionem omnium peccatorum suorum, veniam & indulgentiam concedere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce ei Domine.
Christe audi nos. Kyrie eleison.
Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. Salvum fac servum tuum, Domine. Deus, meus. Dominus conservet eum & vivificet eum. Et beatum. Dominus opem ferat illi. Dominus custodiat te. Angelis suis mandavit. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. Nihil proficiet inimicus. Convertere, Domine. Domine averte faciem tuam. Exurge, Domine, adjuva nos. Et libera nos.

Oratio.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita & hunc famulum tuum a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per,

Alia.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove quam creasti, ut castigationibus emendata continuo se sentiat tua medicina salvatam. Per.

Alia.

Deus qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum N. adversa valetudine corporis laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, ac cælestis gratiæ præsta medicinam, Per.

Alia,

Deus, qui humano generi salutis remedium & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo N. tuarum dona virtutum; & concede ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Alia.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis; adesto propitius huic famulo tuo N. ut fugatis infirmitatibus & viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat, Per.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa te virtutis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra & membra vegetentur; super hunc famulum tuum N. propitiatus intende, ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per.

Alia.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & faciat in bonis omnibus desiderium tuum, qui solus in Trinitate perfecta vivit & regnat. Per omnia.

Alia,

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice super hunc famulum tuum N. & remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quicquid diabolica fraude violatum est, & in unitate corporis ecclesiæ tuæ perfecta membrorum remissione restitue. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia ad sacramentum reconciliationis admitte. Per,

Alia,

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis; ad invocatio-

nem

nem nominis tui benignus assiste, & hunc famulum suum liberatum ægritudine & sanitati suæ, sanctisque altaribus tuis cum omnibus desiderata prosperitate restituas. Per.

Alia.

Omnipotens Deus, criminum absolutor, & indultor peccaminum, qui apostolis tuis apostolorumque successoribus dixisti: Sine me non potestis facere quicquam: Et si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint fiet eis a Patre meo, qui etiam specialiter beato Petro apostolorum Principi ligandi & solvendi pontificium tradidisti; & postea generaliter in omnibus discipulis insufflasti & dixisti: Accipite Spiritum-sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Tu, Domine, in nostro ministerio tuam insere clementiam, & in nobis peccatoribus quod tuum est operare, & quod nostra non exigunt merita, tuæ virtutis impleatur effectu. Supplices ergo poscimus tuam clementiam, ut famulo tuo N. omnibus cordis & corporis gemitibus suorum relaxationem peccatorum postulanti pius adjutor existas, & clemens indultor assistas, nihilque in præsenti angustia sive exitu obsistat, quod fragilitas cumulavit humana. Assit ei, Domine, Rex cœli, tua misericordia in tribulatione constituto, sicut affuit latroni confitenti & meretrici gementi ac lacrimanti, cui dimissa sunt peccata multa, quia dilexit multum. Ne reminiscaris, Domine, malorum suorum, sed recordare quod pollicitus es: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Tu enim solus potens es, non solum peccata dimittere, verum etiam ipsos peccatores justificare. Qui solus in Trinitate vivis & regnas.

Dominus Jesus apud te sit, &c.

Benedicat tibi Deus Pater, sanet te Dei Filius, &c.

Benedicat te Deus cœli, &c.

Benedicat tibi Deus Pater, qui in principio cuncta creavit, &c.

Benedicat tibi Deus Pater, custodiat te Jesus Christus, illuminet te Spiritus-sanctus cunctis diebus vitæ tuæ, confirmet te virtus Christi, intercedentibus omnibus Sanctis suis, indulgeat tibi Dominus universa delicta tua. Qui vivis.

Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis? &c.

Antiphona. Dominus locutus est discipulis suis: In nomine meo dæmonia ejicite, & super infirmos manus vestras imponite, & bene habebunt. *Psal.* Deus Deorum.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, & cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum per angelum sanctum suum visitare, lætificare, & conservare dignetur. Qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat.

Antiphona. Succurre, Domine, infirmo isti, & medicare ei spirituali medicamine; ut in pristina sanitate restitutus, gratiarum tibi referat actionem. *Psal.* Ad Dominum cum tribularer.

Deus qui humano generi. *Require retro.*

Antiphona. Sana, Domine, infirmum istum cujus ossa turbata sunt, & cujus spiritus turbatus est valde: Domine convertere & sana eum. *Psal.* Domine ne in furore.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis & necessitate laborantibus: majestatem tuam exoramus ut mittere digneris sanctum angelum tuum, qui famulum tuum in angustiis & necessitatibus laborantem consolationibus tuis attollat, quibus & de præsenti consequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per.

In unctione.

Unguo caput tuum oleo sanctificato: in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti: ut more militis uncti præparatus ad luctam, possis aereas superare catervas. Amen.

Ad oculos.

Unguo oculos tuos de oleo sanctificato; ut quicquid in his cito visu deliquisti, per hujus olei unctionem expietur. Amen.

Ad aures.

Unguo aures has sacrati olei liquore; ut quicquid peccati delectatione nocivo auditu admissum est medicina spiritalis evacuet. Amen.

Ad nares.

Unguo has nares sacri olei liquore; ut quicquid noxæ contractum est odoratu superfluo, ista emaculet medicatio. Amen.

Ad labia.

Unguo labia ista sacrati olei medicamento; ut quicquid otiosa vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante, expurgetur hac unctione. Amen.

Ad scapulas.

Unguo has scapulas sive medium locum scapularum de oleo sacrato: ut ex omni parte spiritali protectione munitus, jacula diaboli viriliter contemnere, ac procul possis eum robore superni juvaminis repellere. Amen.

Ad manus.

Unguo has manus oleo sacrato; ut quicquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Amen.

Ad pedes.

Unguo hos pedes oleo benedicto; ut quicquid superfluo vel nocivo incessu commiserunt, ista aboleat perunctio. Amen.

Ad pectus.

Unguo pectus tuum de oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter præliari valeas adversus aereas catervas. Amen.

Inunxi te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in regem & prophetam; ut per hanc creaturam olei in nomine Dei Patris tibi allinitam, non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi, & sanctificatio Spiritus-sancti. Amen.

Inunxi te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti oleo sancto atque sacrato, ut per virtutem Spiritus-sancti tribuat tibi hæc sacra unctio sanitatem animæ & corporis, remissionem omnium peccatorum, & vitam æternam. Amen.

Inunxi te oleo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacri olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam & melioratam recipere merearis sanitatem. Per eumdem.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi unctio hæc olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & omnium absolutionem culparum, custodiatque te in hoc sæculo & perducat te ad vitam æternam. Amen.

Alia.

Adesto, quæsumus, Domine, humilitatis nostræ obsequiis, eisque benignus cooperator assiste: ut qui ad executionem mandatorum huic ægro manus imponentes, olei sacri unctionem exhibemus, hujusmodi servituti nostræ te interesse sentiamus; quatinus Sancti Spiritus gratia nostræ actionis officia comitante, ab hoc famulo tuo omnis languor & debilitas abscedat totius vigoris & sospitatis plenitudo succedat; relictoque imbecillitatis grabbato, ad te medicum supernum vultus & mentem erigat, & pro sospitatis restitutione, laudes nomini tuo competentes in æternum persolvat. Per.

Alia.

Domine Deus Salvator noster, qui es vera salus & medicina, & a quo omnis sanitas & medicamentum venit; quique nos apostoli documento instruis, ut languentes olei liquore orantes tangeremus: respice propitius super hunc famulum tuum; ut quem languor curvat ad exitum & virium defectus trahit ad occasum, medelam tuæ gratiæ restituat in salutem. Sana quoque, quæsumus, omnium medicator, ejus febrium & cunctorum languorum cruciatum, ægritudinumque & dolorum omnium dissolve tormenta, viscerum quoque ac cordium putredines evacua: conscientiarum atque plagarum obducito cicatrices veteres, immensasque remove passiones, carnis ac sanguinis materiem reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue, sicque illum tua pietas jugiter custodias, ut nec ad corruptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem nunc te auxiliante perducat infirmitas; sed fiat illi hæc sacra olei perunctio morbi & languoris præsentis expulsio, & peccatorum omnium optata remissio. Per.

Hymnus.

CHriste, cœlestis medicina Patris,
Verus humanæ medicus salutis,
Pro fide plebis precibus potenter
Pande favorem.

Hos & infirmos tibi supplicamus,
Quos nocens pestis valetudo quassat,
Ut pius morbis relaves jacentes,
Queis quatiuntur.

Qui potestate manifestus extans,
Mox Petri socrum febribus jacentem,
Reguli prolem, puerumque salvans
Centurionis.

Corpus a morbis animamque salvas
Vulnerum quas sis adhibe medelam,
Ne sine fructu cruciatus urat
Corpora nostra.

Ferto languenti populo vigorem,
Effue largam populo salutem,
Pristinis more solito reformans
Viribus ægros.

Jam Deus noster, miserante fletu,
Pro quibus te nunc petimus, medere,
Ut tuam cunctis recubans medelam
Sentiat æger.

Omnis impulsus perimens recedat,
Omnes incursus crucians liquescat:
Vigor optatæ foveat salutis
Membra dolentis.

Quo per illata mala dum teruntur
Eruditorum numero decori
Compotes intrent sociante fructu
Regna polorum.

Gloria Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriusque semper
Spiritus almæ deitatis soli (*Alibi* olim.)
Sidera clament. Amen.

Alia.

Deus, qui peccatores & scelerum onere vulneratos sacerdotibus tuis se ostendere voluisti. Deus, qui discipulis tuis, ut bene haberent, manus super infirmos ponere præcepisti. Deus, qui per apostolos tuos infirmos sacro oleo inungere, & pro eis orare præcepisti. Deus qui per impositionem sacerdotum manus cum sancti nominis tui invocatione peccata relaxare voluisti; exaudi orationes nostras, & huic famulo tuo N. infirmitatis noxa depresso per hoc sacrum mysterium quod nos indignos famulos tuos agere docuisti, remissionem tribue omnium peccatorum, quatenus per hanc sacrati olei unctionem, & per manus impositionem, cuncta facinora Spiritus-sancti gratia relaxentur, venia impetretur, sanitas corporis & animæ restituatur, fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius exteriusque imbuant & sanent: ut non tantum ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quantum prosit indulgentia & reconciliatio tuæ pietatis atque remissionis ad veniam. Per.

Alia.

Dominus Jesus Christus, qui dignatus est discipulis suis dicere, quæcumque ligaveritis super terram, erunt soluta & in cœlo, de quorum numero quamvis indignum & peccatorum vinculis astrictum me esse sua dignatione voluit: ipse te largifluo pietatis suæ dono, ac meæ simul parvitatis ministerio absolvere dignetur ab omnibus fragilitatis tuæ excessibus, interius exteriusque humanis contractis: & sicut peccata totius mundi sua traditione atque immaculati sanguinis effusione dignatus est expurgare; ita quoque tuorum peccaminum maculas misericorditer non dedignetur emundare, ejusdem sancti sanguinis interventione, qui effusus est in peccatorum remissionem. Devotionem quoque tuam ita deinceps adjutorio gratiæ suæ dignetur corroborare: quatinus & in hoc sæculo subripientium laqueos delictorum valeas evadere, & in futuro vitam æternam Christi sanguine comparatam sine fine possidere. Adjuvante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui nos fecit cum non essemus, & redemit cum perditi essemus, ad laudem & gloriam sancti nominis sui. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Da nobis, Domine, ut sicut publicani precibus & confessione placatus es; ita & huic famulo tuo placare, Domine, & precibus ejus benignus aspira: ut in confessione flebili permanens, & petitioni perpetuæ clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus tuis & sacramentis restitutus, rursus cælesti gratia mancipetur. Per.

Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus Domine, misericordia tua, & omnes iniquitates ejus celeri indulgentia tua deleantur. Per.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec desit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ larga miseratio. Sana vulnera, ejusque remitte peccata, ut nullis a te iniquitatibus separetur; sed tibi semper Domino valeat adhærere. Per.

ORDO XVIII.

Ex ms. Pontificali insignis ecclesiæ Senonensis annorum 500, quod extat in regia Bibliotheca n. 4219.

DO AD VISITANDUM INFIRMUM.
OR

QUando ingreditur sacerdos domum infirmi dicat: Pax huic domui, *ter*. *Antiphona*. Benedic Domine, domum istam, &c.

Psal. Beati qui habitant in domo tua.

Oratio. *

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos &c.

Alia.

Respice, Domine, famulum tuum ill. in infirmitate corporis, &c.

Alia.

Deus qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu &c.

Alia.

Propitiatur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & sanet omnes languores tuos. Amen. Redimat de interitu vitam tuam & satiet in bonis desiderium tuum. Amen. Convertat ad te faciem suam, & det tibi pacem. Qui vivit & regnat.

Alia.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Custodiat te Jesus Christus. Amen. Illuminet te Spiritus sanctus omnibus diebus vitæ tuæ. Amen. Confirmet te virtus Christi. Amen. Indulgeat tibi Christus omnia peccata tua.

Alia.

Sanet te Deus Pater, qui te creavit. Sanet te Deus Filius, qui pro te passus est. Sanet Spiritus-sanctus, qui in te effusus est. Custodiat te Trinitas sancta, & unigenitus Dei Filius eripiat te de omni malo, ac liberet te ab omni languore & dolore, & angeli benigni custodiant animam tuam: ipsi quoque de corpore egredientem suscipiant eam, & ad societatem sanctorum cum fructu bonorum in choro justorum perducant. Per.

Absolutio.

Omnipotens Deus, qui B. Petro apostolo suo ceterisque discipulis suis licentiam dedit ligandi atque solvendi: ipse te absolvat ab omni vinculo peccatorum, & quantum nostræ fragilitati permittitur, sis absolutus ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, habeasque vitam, & vivas in sæcula sæculorum, intercedente Beata Dei genitrice Maria, cum omnibus sanctis. Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Et sic perungatur infirmus a sacerdote de oleo sanctificato faciendo cruces super oculos, super aures, super nares, super labia, super guttur, super pectus, inter scapulas, & in manus exterius & in plantis pedum, ut macula quæ super quinque sensus mentis & corporis fragilitate carnis aliquo modo inhæserent, hac medicina spirituali Domini misericordia pellantur.

Dum ergo ungit sacerdos infirmum dicat:

Per istam sacri olei unctionem & Dei benedictionem, remittat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum. *Similiter per omnes sensus.*

Oratio post unctionem.

Per istam sacri olei & Dei benedictionem remittat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, per auditum, per olfactum, per gustum, per tactum, per incessum, & per omnes corporis sensus: ut fiat tibi hæc olei sacra perunctio concita morbi præsentis expulsio, & peccatorum omnium optata remissio. Per.

Alia.

Deus qui peccatorum & scelerum oppressos sacerdotibus tuis ostendere voluisti: Deus qui discipulis tuis, ut bene haberent manus super infirmos ponere præcepisti: Deus qui per apostolos tuos infirmos sacro olei * ungere & pro eis orare docuisti, Deus qui per impositionem sacerdotum manus cum sancti nominis tui invocatione peccata relaxare voluisti; exaudi orationes nostras, & da huic famulo tuo ill. infirmitatis noxa presso per hoc sacrum mysterium, quod nos famulos tuos indignos agere præcepisti, remissionem omnium peccatorum: quatenus per hanc sacri olei unctionem, & manus nostræ impositionem, cuncta ei facinora Sancti Spiritus gratia laxentur, venia impetretur, sanitas corporis animæque restituatur ei, fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius exteriusque imbuant; ut a te sanetur, & non plus ei noceat conscientia reatus sui ad pœnam, quam indulgentia & reconciliatio tuæ pietatis & remissionis ad veniam & ad reconciliationem. Per.

ORDO XIX.

Ex antiqua Pontificali insignis ecclesiæ Cameracensis, annorum circiter 500.

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

IN *primis faciant sacerdotes aquam benedictam cum cinere vitis mixtam extra domum.*

Benedictio cineris.

Deus indulgentiæ, Deus pietatis & misericordiæ, qui Ninivitis cinere & cilicio indutis, & misericordiam tuam cla-

* *l.* oleo.

clamantibus subvenisti; hanc creaturam cineris, quo peccatores indulgentiam tuæ misericordiæ implorantes utuntur, benedicere & sanctificationis tuæ gratiam super eos infundere digneris; ut quicumque pulveris hujus conclusione aspersus fuerit, indulgentiam & remissionem omnium peccatorum a te pio Domino mereatur percipere. Per.

Benedictio cilicii.

Omnipotens & misericors Deus, qui peccatoribus & pietatis tuæ misericordiam quærentibus, misericordiam & veniam tribuis, oramus clementiam tuam, ut hoc indumentum, quod vocatur cilicium, benedicere & sanctificare digneris; ut quicumque illud pro peccatis suis indutus fuerit, & misericordiam tuam imploraverit, veniam & indulgentiam tuæ misericordiæ consequatur. Per.

Tunc ingrediantur domum infirmi, & dicat sacerdos: Pax huic domui; *& tunc aspergatur aqua super infirmum, & per domum ejus cum psalmo* Miserere mei Deus secundum magnam.

Oratio.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti; ita & famulum tuum tua potentia erigas ad salutem. Per.

Post hac canant sacerdotes & ministri ecclesiæ hos psalmos Ne reminiscaris Domine delicta, &c. *Psal.* Domine ne in furore tuo 1. Domine ne in furore tuo 2. Beatus qui intelligit. Miserere mei Deus. Inclina Domine aurem tuam. Qui habitat in adjutorio. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, *usque* qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Gloria Patri.

Sequitur oratio.

Respice, Domine, famulum tuum, &c.

Postea cantent letanias super infirmum.

Tunc dicit sacerdos ad infirmum: Quid me huc vocasti, frater? *Infirmus respondet:* Ut mihi tradas unctionem. *Et adjungit sacerdos:* Donet tibi Dominus noster Jesus veram felicemque unctionem; tamen si te respexerit & sanaverit Dominus, custodies illam? *Respondet:* Custodiam.

*Tunc sacerdos facit crucem ex cinere cum aqua supra pectus ejus, & imponit * silentium desuper. Sequitur antiphona:* Sana, Domine, infirmum istum, &c. *Psal.* Domine ne in furore tuo arguas me 1. Gloria Patri. *Et repetatur antiphona:* Sana, Domine, infirmum, &c.

Collecta.

Deus, qui per apostolum Jacobum, &c.

Sequitur antiphona: Succurre, Domine, infirmo huic, &c. *Psal.* Domine ne in furore 2. Gloria Patri, *ibi repetitur*, ut in pristina.

Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem, &c.

Antiph. Sanat te Jesus Christus, &c. *Psal.* Beatus qui intelligit. Gloria Patri. *Et repetitur.* Sanat te.

Oratio.

Deus qui humano generi, &c.

Antiphona. Dominus locutus est. *Psal.* Deus Deorum. Gloria Patri. *Et repetitur:* In nomine meo.

Hic ponat sacerdos manum super infirmum dicens: Omnipotens sempiterne Deus, qui ægritudines animarum depellis & corporum, auxilii tui super infirmum nostrum ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjutus, ad omnia pietatis tuæ reparetur officia. Per.

Sequitur antiphona. Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa. *Psal.* Ad Dominum cum tribularer.

Oratio.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, ut sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & perficiat in bonis desiderium tuum. Qui vivit.

Et postea perungat sacerdos infirmum de oleo sanctificato, cruces faciens in vertice, in fronte, in temporibus, in facie, & cum supplici voce, dum perungitur infirmus, dicit sacerdos:

Unguo te N. oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sicut unxit Samuel David in regem & prophetam: ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi & Spiritus-sancti; quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive sanatus, pristinam & melioratam recipere merearis sanitatem. Amen.

In superciliis oculorum.

Unguo oculos tuos de oleo sanctificato; ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei Patris, qui cum eo, & cum Spiritu-sancto, vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

In auribus deintus.

Unguo aures has sacrati olei liquore: ut quicquid delectati auditus admissum est noxa, medicina spiritalis evacuet. Per Dominum, *ut supra.*

In narium summitate.

Unguo has nares de oleo sacrato: ut quicquid noxie contractum est odoratu superfluo, ista emundet medicatio. Per Dominum, *ut supra.*

In labiis exterius.

Unguo labia ista consecrati olei medicamento: ut quicquid otiosa vel criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expietur hac unctione. Per Dominum, *ut supra.*

In gutture & collo.

Unguo te de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sicut unxit Samuel David. Per Dominum, *ut supra.*

Inter scapulas.

Unguo has scapulas, sive medium scapularum oleo sacrato: ut ex omni parte spirituali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, & procul possis cum robore superni juvaminis repellere. Per Dominum, *ut supra.*

Inter pectora.

Unguo pectora tua oleo sancto: ut hac unctione protectus, fortiter resistere valeas adversus aereas catervas. Per Dominum, *ut supra.*

Super manus deforis.

Unguo has manus oleo consecrato: ut quicquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per Dominum, *ut supra.*

In pedibus.

Unguo hos pedes oleo benedicto; ut quicquid superfluo vel nocuo incessu commiserunt, ista aboleat perunctio. Per Dominum, *ut supra.*

In umbilico seu in loco ubi amplius dolor imminet.

Unguo te oleo sanctificato, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: ut more militis uncti, præparatus ad luctam, possis aereas superare catervas. Per Dominum, *ut supra.*

Sequitur oratio.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc olei unctio ad purificationem mentis & corporis, ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum. Amen. Domine Deus Salvator noster, qui es vera salus, & medicina, & a quo omnis sanitas & medicamentum omne venit, quique nos apostoli tui Jacobi documento instruxisti, ut languentes olei liquore orantes tangeremus: respice propitius super hunc famulum tuum; & quem langor cruciat ad exitum, & virium defectus trahit ad occasum, medela tuæ gratiæ restituat ad salutem. Per Dominum.

Sana quoque Deus, omnium medicator, ejus febrium & cunctorum langorum cruciatus, ægritudinemque, & dolorum omnium dissolve tormenta, viscerum ac cordium interna medica, medullarum quoque & cogitationum sana discrimina, ulcerum varietatumque putredines evacua, conscientiarum atque plagarum obducito cicatrices, veteres immensasque remove passiones, carnis ac sanguinis materiem reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue, sicque illum tua pietas jugiter custodiat, ut nec ad corruptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem nunc te auxiliante perducat infirmitas; sed fiat ei hæc olei sacrati perunctio, mortis, & morbi, atque languoris præsentis expulsio, & peccatorum omnium exoptata remissio. Per.

Tum communicet eum sacerdos & dicat: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vita æterna, ut cum dies judicii advenerit, cum sanctis, & electis suis te jubeat suscitari ad vitam. Amen.

Sequitur oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro sacrosanctum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui tam corporis, quam animæ sit salus. Per eumdem.

Oratio post peractum officium.

Omnipotens Deus, qui subvenis in periculis & necessitatibus laborantibus: majestatem tuam supplices exoramus; ut mittere digneris sanctum angelum tuum Raphaelem, qui famulum tuum in angustiis & necessitatibus laborantem consolationibus tuis attollat: quibus & in præsenti vita auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per.

Alia.

*. I. *cilicium.*

Alia.

Deus qui peccatores & scelerum onere vulneratos sacerdotibus tuis ostendere jussisti. Deus qui discipulis tuis, ut bene haberent, manus super infirmos ponere præcepisti. Deus qui per apostolos tuos infirmos sacro oleo ungi & pro eis orare docuisti. Deus qui per impositionem sacerdotum manus cum sancti nominis tui invocatione peccata relaxari voluisti; exaudi orationes nostras, & da huic famulo tuo infirmitatis nosa oppresso, per hoc sacrum mysterium, quod nos famulos tuos indignos agere docuisti, remissionem omnium peccatorum, quatenus per hanc sacrati olei unctionem & manus nostræ impositionem, cuncte ei facinore Sancti Spiritus gratia releaentus: ut non plus ei noceat conscientie reatus sui ad pœnam, quam indulgentia & reconciliatio tuæ pietatis & remissionis ad reconciliationem & veniam.

Hymnus.

Christe, cælestis medicina Patris, &c.

Tunc dicit sacerdos:

Dominus noster Jesus Christus apud te sit, ut defendat. Amen.

Circa te sit, ut te conservet. Amen.

Ante te sit, ut te benedicat. Amen.

Benedicat te Deus Pater. Amen.

Sanet te Dei Filius. Amen.

Illuminet te Spiritus sanctus. Amen.

Corpus tuum custodiat. Amen.

Animam tuam salvet. Amen.

Cor tuum irradiet. Amen.

Sensum tuum dirigat & ad vitam æternam te perducat. Amen.

Corpus tuum in servitio suo custodire & conservare dignetur. Amen.

Benedicat te Deus Pater, qui cuncta creavit in principio. Amen.

Benedicat te Dei Filius, qui de supernis sedibus pro nobis descendit. Amen.

Ipseque in Trinitate te sanctificet, qui omnes genres judicaturus est, & sæculum per ignem. Amen.

Precamur Deum trinum & unum, omnipotentem mundi factorem, vitæ auctorem, deprecabilem, & terribilem, ut semper te conservet in hoc sæculo & in futuro. Qui vivit.

ORDO XX.

Ex ms. codice insignis Ecclesiæ Bellovacensis a V. C. Godefrido Herman descriptus.

INCIPIT ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

C*Um autem venerit sacerdos ante ostium, faciat signum sanctæ crucis; & sic ingrediatur domum, dicatque ter:* Pax huic domui.

Benedic, Domine, domum istam & omnes habitantes in ea, quia tu Domine dixisti: Pax huic domui: Benedic, Domine, timentes te, pusillis cum majoribus. Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram. Ecce quam bonum.

Introeat, Domine, domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu, &c. Asperges me, &c. Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & mittere digneris, &c.

Post hæc vii. psalmi cum antiphonis & orationibus subscriptis dicantur. Antiph. Sane me, Domine.

Sequitur litania cum quibusdam orationibus.

Deinde intincto pollice in oleo crucem faciat in superciliis oculorum, & dicat:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sit tibi hæc unctio sanctificati olei ad purificationem mentis & corporis, & omnium absolutionem culparum: ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum.

Operare creatura olei in nomine Patris omnipotentis; ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compage membrorum; sed habitet virtus Christi altissimi & Spiritus-sancti. Per eumdem Dominum. In unitate ejusdem Spiritus-sancti Deus. Per.

Ad oculos.

Unguo oculos tuos de oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Christum.

Ad aures.

Unguo aures tuas sacrati olei liquore, ut quicquid peccati delectatione auditus admissum est, medicina spiritalis evacuet. Per.

Ad nares.

Unguo has nares de oleo sacro, ut quicquid noxe contractum est odoratu superfluo, iste emaculet medicatio. Per.

Ad labia.

Unguo labia ista consecrati olei medicamento; ut quicquid otiosa vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expietur hac unctione. Per.

Ad collum.

Unguo collum tuum de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Ad guttur.

Unguo guttur tuum de oleo exorcizato; ut propitietur Dominus iniquitatibus tuis cunctis, & sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & satiet in omnibus desiderium tuum, qui solus in Trinitate vivit & regnat, per omnia sæcula sæculorum.

Ad scapulas.

Unguo has scapulas, sive medium locum scapularum de oleo sacrato: ut ex omni parte munitus, spiritali protectione jacula diabolici impetus viriliter contemnere, & procul possis cum robore superni juvaminis expellere. Per Dominum.

Ad pectus.

Unguo pectus tuum de oleo sancto: ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aereas catervas. Per.

Ad manus.

Unguo has manus de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut quicquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Ad pedes.

Unguo hos pedes de oleo benedicto: ut quicquid superfluo vel nocuo incessu commiserunt, ista aboleant perunctione. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Per istam unctionem & Dei benedictionem mundentur ab omni sorde peccati, & sanctificentur manus, & os, cor quoque, tactus, odoratus, sensus, visus, auditus, & gustus, totum corpus & anima tua, ut idoneus efficiaris ad invocandum in nomine ejusdem Dei nostri: Reddat tibi Dominus lætitiam salutaris sui, & spiritu principali confirmet te. Spiritum Sanctum innovet in visceribus tuis, & ne auferat illum a te, sed benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, descendat super te, quæ copiosa supra defluat, & in extrema totius corporis tui descendat, interius exteriusque te repleat, atque circumdet, & sit semper tecum. Amen.

Domine Jesu Christe, qui es Salvatio & Redemtio nostra, &c.

Benedictio.

Dominus Jesus Christus apud te sit ut te defendat, &c.

Alia.

Benedicat te Deus Pater. Sanet te Deus Filius, &c.

Benedicat te Deus cæli, &c.

Benedicat Deus Pater, qui in principio, &c.

Benedicat te Deus Pater, custodiat te, &c.

Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, &c.

Absolutio.

Vice sancti Petri apostolorum principis, cui a Domino collata est potestas ligandi atque solvendi. Cujus etiam nos licet indigni vice fungimur. Absolvimus te, frater, in quantum tua expetit accusatio, & ad nos pertinet remissio, secundum quod nobis, ut diximus, a Domino in sancto Petro est attributum, ab omnibus criminibus tuis, sitque omnipotens Deus redemtor tuus, vita, & salus, & remissio omnium peccatorum tuorum. Qui cum Patre.

ORDO XXI.

Ex ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, annorum circiter 500.

ORDO COMPENDIOSUS ET CONSEQUENS AD UNGENDUM.

I*Ntincto namque pollice in oleo infirmorum, sacerdos in ægri corpore signum crucis facit in ix. vel aliquibus locis ita dicens:*

Ad caput.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Ungo hanc frontem tuam: ut merearis pristinam salutem recipere atque recuperare per ejus clementiam. Amen.

Ora-

Oratio.

Benedicat te Dominus, corpus tuum corde & mente custodiat: gubernare & conservare te dignetur Trinitas sancta, qui vivit & regnat.

Ad aures.

Ungo has aures de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: ut more militis uncti præparatus ad luctam, possis aerias superare catervas. Per.

Oratio.

Benedicat te Deus cæli: adjuvet te Christus Filius Dei: corpus tuum in suo servitio conservari faciat, mentem tuam illuminet, sensum tuum custodiat, gratiam suam ad perfectum animæ tuæ in te augeat, ab omni malo te liberet, dextra sua te defendat: qui sanctos suos semper adjuvat, ipse te adjuvet & conservet. Qui vivit.

Ad oculos.

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato: ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per.

Oratio.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum. Præstante.

Ad nares.

Ungo has nares oleo sacro: ut quidquid noxio vapore contractum est, vel odore superfluo, ista emundet unctio vel medicatio. Per.

Oratio.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificationis ad purificationem mentis & corporis; misericordiaque Dei, quæ per oleum significatur, custodiat omni tempore, & pietas illius subsequatur te omnibus diebus vitæ tuæ. Qui.

Ad labia.

Ungo labia ista consecrati olei medicamento ut quidquid otiosa vel criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expurgetur hac unctione. Per.

Oratio.

Benedicat Dominus cor & corpus tuum: medelam suam conferat tam cordi quam corpori tuo; augeat in te sensum spiritualem, & ad patriam æternalem perducat te Dominus Jesus Christus. Qui vivit.

Ad pectus.

Ungo pectus tuum de oleo sancto: ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus aereas catervas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis. Per.

Oratio.

Benedictio illa in te descendat spiritualis, quæ descendit super angelos, & gratiam suam super te corroboret. Qui vivit.

Ad scapulas.

Ungo has scapulas, sive in medio scapularum oleo sacrato: ut ex omni parte spiritali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul possis cum robore superni juvaminis impellere. Per.

Oratio.

Virtus Christi altissimi, & benedictio quæ descendit super caput & verticem Aaron & Joseph nazare, ita descendat super dorsum & verticem tuam, & confirmet cor tuum in spe regni cælestis. Qui cum Patre.

Super manus.

Ungo has manus oleo sanctificato: ut quidquid superfluo vel nocivo incessu commiserunt, ista aboleat unctio. Per.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, accipe sanitatem mentis & corporis. Amen.

Hæc tibi unctio per istud signum sanctæ & vivificæ crucis, & per oleum sanctificatum, & per donum Sancti Spiritus, fiat ad sanitatem & sempiternam salutem. Amen.

Benedicat te Deus Pater, qui te creavit,

Filius qui te redemit. Amen.

Spiritus sanctus, qui in te fusus est. Amen.

Remissionem & indulgentiam omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens Dominus, & in præsenti sæculo & in futuro vitam æternam concedat. Amen.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, accipe sanitatem mentis & corporis. Amen.

Concede nobis Domine famulis tuis, ut orantes cum fiducia dicamus. Pater noster.

Liberas nos, Domine, ab omni malo, & custodi nos semper in omni bono, Christe Jesu author omnium bonorum. Qui vivis.

N O T A.

Hic danda extremæ-unctionis ordo compendiosus desumtus est ex ms. Pontificali ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod in majori conventu RR. PP. Prædicatorum Parisiis ab annis circiter 500. exaratum asservatur, in quo idem habetur ordo dandæ pœnitentiæ, & visitandi infirmi, qui extat in Musei Italici tomo secundo, excepto hoc compendiose ritu ministrandæ extremæ unctionis, cujus absoluta est forma pro deprecatoria quam habet Mabilonius, pag. 113. sequitur & ordo ad communicandum infirmum eidem similis.

O R D O XXII.

Ex ms. codice Victorino, n. gg. 15. annorum circiter 500.

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

P*Rimum ad introitum domus dicatur,* Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. *Et aspergat aquam benedictam in circuitu, dicens hanc antiphonam:* Signum salutis pone, Domine Jesu Christe, in habitaculo isto: non permittas introire angelum percutientem. *Psal.* Miserere mei Deus secundum.

Oratio.

Exaudi, Domine sancte, Pater omnipotens æterne Deus, &c.

Oratio pro infirmis.

Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam clementiam, &c.

Alia.

Deus qui B. Petrum apostolum tuum misisti ad Thabitam, &c.

Tunc dicat has preces.

Salvum fac populum tuum, &c. Mitte ei auxilium de sancto. Nihil proficiet. Esto illi, Domine, turris fortitudinis. Dominus opem ferat illi. Da ei, Domine, auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. *Psal.* Ad Dominum cum tribularer. *Psal.* Levavi oculos meos. *Psal.* Ad te levavi.

Deinde orationes istæ.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos, &c.
Respice, Domine famulum tuum infirmitatis, &c.
Deus qui facturæ tuæ pio semper affectu, &c.
Deus qui humano generi & salutis remedium, &c.
Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis, &c.
Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, &c.
Respice, Domine, propitius super hunc famulum, &c.
Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, &c.
Sanet te Deus Pater, &c.

ORDO AD VISITANDUM ET UNGENDUM INFIRMUM.

Ingredientes sacerdotes primum dicant: Pax huic domui, *& faciant aquam benedictam, & dicant:*

Benedic, Domine, domum istam & omnes habitantes in ea; quia tu, Domine, dixisti, pax huic domui. Benedic, Domine, timentes te, pusillos cum majoribus: Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram.

Et tunc spargant aquam benedictam tam supra infirmum, quam supra domum cum antiphona: Signum salutis. *Psal.* Miserere mei Deus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui immensam clementiam, &c.

Alia.

Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei. Per.

Deinde cantentur vij. psalmi pœnitentiales.

Domine ne in furore, &c.

Letania. Kyrie eleison, &c.

Deinde orationes.

Omnipotens mitissime Deus, respice propitius preces nostras, & libera cor famuli tui de malarum tentatione cogitationum: ut Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur. Per.

Alia.

Dimitte, Domine, peccata nostra, & tribue nobis misericordiam tuam, qua oris alloquio deprecatus, famuli tui humilitatem & angustiam attendas, vincula solvas, delicta deleas, tribulationem inspicias, adversitatem repellas, effectumque petitioni nostræ largiens clementer exaudias. Per.

Infirmus faciat hic confessionem suam, & commendet se in oratione omnium, & exquirat sacerdos, si jam credat in sanctam Trinitatem.

Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum? ℟. Credo.

Credis quod istæ tres personæ unus est Deus? ℟. Credo.

Credis quod in eadem carne resurrecturus es? ℟. Credo.

His expletis, roget sacerdos & confessor infirmi alios sacerdotes, ut dicant has orationes, quæ sunt de reconciliatione pœnitentiæ.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem, &c.

Alia.

Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es: Infirmatur quis, &c.

Et sic flectat genua languidus, & stet aut sedeat ad dextram sacerdotis sic. Et decantetur antiphona. Sana Domine infirmum istum, cujus ossa conturbata sunt, & cujus anima turbata est valde; sed tu, Domine, convertere, & sana eum, & eripe animam ejus a morte. *Psal.* Domine ne in furore, *usque in finem cum* Gloria.

Antiph. Dominus locutus est discipulis suis: In nomine meo dæmonia ejicite, & super infirmos manus vestras imponite, & bene habebunt.

Psal. Deus Deorum Dominus loquutus est, &c.

Deinde oratio.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam, &c.

Antiphona. Cor contritum & humiliatum Deus non despicias.

Psal. Miserere mei Deus.

Oratio.

Respice, Domine, famulum tuum N. in infirmitate, &c. *ut supra.*

Antiphona. Succurre, Domine, infirmo isti in præsenti ægritudine, & medica eum spiritali medicatione: ut a te pristinæ sanitati restitutus, gratiarum tibi in ecclesia referat actionem. *Psal.* Ad Dominum, *cum* Gloria.

Deinde istæ orationes.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo longa miseratio tuæ clementiæ: sana vulnera, ejusque remitte peccata: ut nullis a te iniquitatibus separatus, tibi Domino Deo semper valeat adhærere.

Respice, Domine, propitius super hunc famulum tuum N. & opem ei ferre dignare super lectum doloris ejus. *Require ante.*

Et perungant singuli sacerdotes infirmum de oleo sanctificato, facientes crucem in collum, & guttur, & pectus, & inter scapulas, & super quinque sensus corporis, & in supercilia oculorum, & in aures intus & foris: ut maculæ quæ per quinque sensus mentis & corporis fragilitate carnali, quomodo hac medicina spirituali, & Domini misericordia pellantur. Dum igitur ungnit sacerdos infirmum, dicat hanc orationem morosius inungendo.

Ante unctionem oratio.

Adesto, quæsumus, Domine, humilitatis nostræ obsequiis, eisque benignus cooperator assiste; ut qui ad executionem mandatorum huic ægro manus imponentes, olei sacri unctionem exhibemus, hujusmodi servituti nostræ te interesse sentiamus, quatinus Sancti Spiritus gratia nostræ actionis officia comitante, ab hoc famulo N. omnis languor & debilitas abscedat, totius vigoris & sospitatis plenitudo succedat; relictoque imbecillitatis grabbato, ad te medicum supernum vultus & mentem erigat, & pro sospitatis restitutione, laudes nomini tuo competentes in æternum absolvat. Per.

Alia.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, accipe sanitatem. Amen.

Item ante unctionem.

Inungo te oleo sanctificato, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compage membrorum; sed habitet in te virtus Christi altissimi & Spiritus-sancti, quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus, sive fotus, pristinam & melioratam recipere mereatur sanitatem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti in sæcula sæculorum.

Ad caput.

Unguo caput tuum oleo sanctificato: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: ut more militis uncti præparatus ad luctam, possis aereas superare catervas. Per Christum Dominum nostrum.

Ad oculos.

Unguo oculos tuos de oleo sanctificato; ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Christum Dominum nostrum.

Ad aures.

Unguo aures has sacrati olei liquore; ut quicquid delectatione nocivi auditus admissum est, hæc medicina spiritualis evacuet. Per Christum.

Ad nares.

Unguo has nares oleo sacro; ut quicquid noxio vapore contractum est, vel odore superfluo, ista emaculet medicatio. Per Christum.

Ad labia.

Unguo labia ista consecrati olei medicamento; ut quicquid otiosa vel etiam ærumnosa peccati locutione, divina clementia miserante, expurgetur hac unctione. Per Christum.

Ad pectus.

Unguo pectus tuum de oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aereas catervas. Per Christum.

Ad guttur.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum. Per Christum.

Ad collum.

Unguo te de oleo sancto, invocata magni Creatoris majestate, qui jussit Samuelem Prophetam ungere David in Regem. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla contagione membrorum, sed inhabitet virtus Christi altissimi, & sanctificatio Spiritus-sancti. Per Christum.

Ad scapulas.

Unguo has scapulas sive in medium locum scapularum sacrato oleo, ut ex omni parte spirituali protectione munitus jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul possis cum robore superni juvaminis repellere. Per.

Ubi maximus dolor urget.

Unguo te de oleo sancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, obsecrans misericordiam ipsius Dei, & Domini nostri, ut fugatis doloribus omnibus, & incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & salus, quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus, pristinam, & magis robustam recipere merearis sanitatem. Per Christum Dominum nostrum.

Ad manus.

Unguo has manus oleo sanctificato; ut quicquid illicito vel noxio opere peregeris, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Ad pedes.

Unguo hos pedes oleo benedicto; ut quicquid superfluo vel nocivo incessu commiseris, ista aboleat perunctio. Per.

Post unctionem.

Hæc tibi unctio per signum sanctæ crucis, & per oleum sanctificatum, & per donum Spiritus-sancti fiat ad sanitatem. Per.

Alia.

Domine Jesu Christe, qui es salvatio & redemtio nostra, &c.

Alia.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, &c.

Alia.

Deus qui facturæ tuæ pio dominaris affectu, &c.

Alia.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis, &c.

Item oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis, &c.

Deus cujus perspectio, &c.

Domine Deus Salvator noster, qui es salus, &c.

Alia unde supra.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi perunctio hæc olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & omnium absolutionem culparum, custodiatque te in hoc sæculo, & perducat ad vitam æternam. Amen.

Deinde benedicat infirmum dicens:

Benedicat te Deus Pater: Sanet te Deus Filius: Illuminet te Deus Spiritus-sanctus. Corpus tuum custodiat, animam tuam illuminet, cor tuum irradiet, sensum tuum dirigat, & ad supernam vitam te perducat. Qui in Trinitate.

Be-

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti descendat super te. Amen.

Postea quam communicaverit.

Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accusantes suas conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolvis; da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis, ut remissione percepta omnium peccatorum, in sacramentis suis sincera deinceps devotione permaneant, & nullum redemtionis æternæ sustineant detrimentum. Per.

Sic faciat illi sacerdos per vii. dies, si necesse fuerit, tam de communione, quam & de alio officio; & si in peccatis fuerit, dimittentur ei. Deinde debent ministri ecclesiæ cum summa reverentia infirmo decantare vesperas & matutinas quotidie cum hymno isto.

Christa cælestis medicina Patris, &c. *ut supra pag. 327.*

ORDO XXIII.

Ex ms. Pontificali insignis ecclesiæ Apamiensis in Syria.

INCIPIT ORDO VISITATIONIS INFIRMORUM.

Q*Uando ingreditur sacerdos domum infirmi, dicat ter:* Pax huic domui; *& aspergat ipsam domum & infirmum aqua benedicta cum antiphona*, Benedic, Domine, domum istam, &c. *Psal.* Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Deinde dicat septem psalmos pœnitentiales cum antiphonis subscriptis.

Antiphona. Sana, Domine, infirmum istum, &c. *Psal.* Domine ne in furore 1.

Antiphona. Erat quidam Regulus, &c. *Psal.* Beati quorum.

Antiphona. Domina, puer meus jacet, &c. *Psal.* Domine ne in furore 2.

Antiphona. Cor contritum, &c. *Psal.* Miserere mei Deus.

Antiphona. Domine descende, &c. *Psal.* Domine exaudi 1.

Antiphona. Domine non sum dignus, &c. *Psal.* De profundis.

Antiphona. Cum sol autem occidisset, &c. *Psal.* Domine exaudi 2.

Sequitur letania Kyrie eleison, &c. *cum quibusdam versiculis & sequentibus orationibus.*

Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam, &c.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam, &c.

Respice, Domine, famulum tuum infirmitate sui corporis, &c.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus, &c.

Respice, Domine, super hunc famulum tuum, & ei opem ferre, &c.

Deus qui humano generi & salutis remedium, & vitæ æternæ, &c.

Deus qui facturæ tuæ pio dominaris affectu, inclina aurem tuam, &c.

Sanet te Deus Pater qui te creavit in carne, &c.

Hic admoneatur ut faciat confessionem, & dicat ita: Confiteor Deo omnipotenti, &c.

Sequitur capitula.

Salvum fac servum tuum.
Mitte ei auxilium de sancto.
Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
Domine exaudi orationem.
Dominus vobiscum.

Oratio.

Exaudi, Domine, supplicum preces, &c.

Præveniat hunc famulum tuum, &c.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo, &c.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, &c.

Præsta, Domine, quæsumus, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut ecclesiæ tuæ, a cujus integritate deviarat peccando, admissorum reddatur innoxius, & viam consequendo.

Absolutio.

Omnipotens Deus, qui B. Petro apostolo suo ceterisque discipulis suis licentiam dedit ligandi atque solvendi; ipse te absolvat ab omni vinculo peccatorum; & quantum fragilitati nostræ permittitur, sis absolutus ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, habeasque vitam, & vivas in sæcula sæculorum, intercedente B. Dei genitrice Maria cum omnibus Sanctis. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, descendat & maneat super te semper.

Tunc interrogetur infirmus, si velit recipere unctionem, cumque responderit Volo, *hoc ordine ungatur.*

ORDO AD UNGENDUM INFIRMUM.

Primo aspergatur aqua benedicta cum antiphona: Asperges me Domine. *Psal.* Miserere mei Deus secundum, *usque* Asperges me Domine.

Oratio.

Deus qui per apostolum tuum loquutus es: infirmatur quis, &c.

Sequitur antiphona: Sana Domine infirmum istum, &c. *Psal.* Domine ne in ira 1.

Oratio.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, & cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum per angelum suum sanctum visitare, lætificare, confortareque dignetur. Qui vivit.

Sequitur antiphona: Dominus loquutus est discipulis suis, &c. *Psal.* Deus Deorum.

Hic imponat sacerdos manum super infirmum dicens hanc orationem:

Deus qui non vis mortem peccatoris; sed ut convertatur & vivat: huic ex toto corde converso peccata dimitte, & perennis vitæ gratiam concede. Per.

Sequitur antiphona. Succurre, Domine, infirmo isti, &c. *Psal.* Ad Dominum cum tribularer.

Oratio.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum pro infirmo nostro, &c.

Alia.

Adesto quæsumus, Domine, humilitatis nostræ obsequiis, &c.

Alia.

Domine Deus Salvator noster, qui es vera salus, &c.

Postea ungat eum oleo infirmorum. Ad oculos.

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Christum.

Ad aures.

Ungo aures hujus sacrati olei liquore, ut quicquid peccati delectatione nocivo auditu admissum est, medicina spiritualis evacuet. Per.

Ad nares.

Ungo has nares de oleo hoc sacri liquaminis; ut quicquid noxio contractum est odoratu, ista sancta emundet medicatio. Per.

Ad labia.

Ungo labia ista consecrati olei medicamento: ut quicquid otiosa vel etiam criminosa peccaverunt locutione, divina clementia miserante hac unctione expurgetur. Per.

Ad manus.

Ungo has manus de hoc consecrato oleo: ut quidquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem sacri liquaminis evacuetur. Per.

Juxta consuetudinem quorumdam ungitur in pectore; & tunc dicitur:

Per istam unctionem, & suam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per cogitatum.

Similiter & in umbilico; & tunc dicitur:

Per istam unctionem, & suam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per ardorem libidinis.

Ad pedes.

Ungo hos pedes de hujus sacri olei benedictione; ut quidquid superflon vel nocivo incessu gradiendo commiserunt, ista per Christum misericorditer unctio aboleat. Per.

Perunctio infirmo, dicat presbyter: Pater noster. Salvum fac servum tuum. Mitte ei Domine. Esto ei Domine. Nihil proficiat. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.

Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratia, &c.

Alia.

Deus qui peccatores & scelerum onere vulneratos sacerdotibus ostendere voluisti, &c.

Sequitur benedictio.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat; intra te sit, ut te reficiat; circa te sit, ut conservet; ante te sit, ut te deducat; super te sit, ut te benedicat, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat.

Benedicat te Deus Pater: Custodiat te Jesus Christus; illuminet

minet te Spiritus-sanctus omnibus diebus vitæ tuæ: confirmet te virtus Christi altissimi; indulgeat tibi Dominus universa delicta. Qui cum Patre.

Liberet te Dominus ab omni malo, ut custodiat semper in omni bono Christus Jesus auctor bonorum. Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti descendat super te, ut custodiet te, & perducat te Christus Filius Dei vivi ad vitam æternam. Amen.

Expletis autem his orationibus, infirmus lavato ore accipiat Corpus Domini.

Oratio post communionem.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te suppliciter deprecamur pro infirmo accipiente Eucharistiam Sacrosancti Corporis & Sanguinis Filii tui Domini nostri Jesu Christi, ut sibi sit ad salutem tam animæ quam corporis. Per.

ORDO XXIV.

Ex ms. codice Floriacensi, annorum circiter 500.

VISITATIO INFIRMI.

P*Ost expletionem Missæ exuat se presbyter casulam, ferens Eucharistiam, pergat domum infirmorum, & præcedat eum diaconus cum textu & ministri cum candelabris, & thuribulo, cum cruce quoque, & aqua benedicta: Quem omnis congregatio subsequatur cantantes psalmos* Miserere mei Deus *& alios.*

Cum autem pervenerint ante ostium infirmorum; veniat prior, faciat signum † ter de aqua, benedicens: Pax domui huic *ter; & sic ingrediatur domum. Deinde incipiant antiphonam.*

Benedic, Domine, domum istam & omnes habitantes in ea, quia tu Domine dixisti: Pax huic domui: Benedic Domine, timentes te, pusillis cum majoribus. Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum & terram. Ecce quam bonum.

Tunc aspergens aquam, dicat: Asperges me, Domine, hysopo & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. *Psal.* Miserere. Gloria Patri. Asperges me. *Quo dicto adjungat* Dominus vobiscum.

Oremus.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus & mittere digneris S. Angelum, &c.

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra. Descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio; ut in his manufactis habitaculis cum salubritate manentes, ipsi tuum semper sint habitaculum. Per.

Tunc incipiat prior.

Antiphona. Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde; sed tu Domine convertere, & eripe animam meam. *Psal.* Domine ne in furore.

Antiphona. Delictum meum cognitum tibi, Domine, & injustitias meas non abscondi. *Psal.* Beati quorum.

Antiphona. Ne derelinquas Domine Deus meus, ne discedas a me. *Psal.* Domine ne in furore 2.

Antiphona. Cor contritum & humiliatum Deus non despicias, sed propter magnam misericordiam tuam miserere mei Deus. *Psal.* Miserere mei Deus.

Antiphona. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris; sed ut convertatur & vivat. *Psal.* Domine exaudi 1.

Antiphona. Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio. *Psal.* De profundis.

Antiphona. Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Psal.* Domine exaudi 2. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.

Salvum fac servum tuum.
Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
Dominus opem ferat illi.
Nihil proficiet inimicus in eo.
Dominus vobiscum.

Orationes.

Deus qui humano generi & salutis remedia & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo ill. tuarum dona virtutum, & concede ut medelam tuam non solum in corpore sed etiam in animo sentiat. Per.

Item oratio.

Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis; adesto propitius huic famulo tuo ill. ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per.

Alia oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis humanæ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, & salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra & membra vegetentur; super hunc famulum tuum ill. propitiatus intende, ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecte reparetur. Per.

Item oratio.

Da nobis, Domine, ut sicut publicani precibus & confessione placatus es; ita & huic famulo tuo placare, Domine, & precibus ejus benignus aspira: ut in confessione flebili permanens, & petitioni perpetuæ clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus & sacramentis restitutus, rursus cælesti gloria mancipetur. Per.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad invocationem tui nominis benignus adsiste; & hunc famulum tuum ill. liberatum ægritudine & sanitati donatum dextra tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, ecclesiæ tuæ sanctisque altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate restituas. Per.

Item.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacues, respice, quæsumus, super hunc famulum tuum ill. & remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quicquid fragilitate, vel quicquid diabolica fraude violatum est, & ab unitate corporis ecclesiæ tuæ membrum abscissum, concessa ei omnium peccatorum venia restitue. Miserere, Domine, gemituum illius, miserere tribulationum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia ad sacramentum eum tuæ reconciliationis admitte. Per.

Alia.

Ineffabilem pietatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut huic famulo tuo ill. miserationis tuæ veniam largiri digneris ut nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde ejectus fuerat mereatur introire. Per.

Item alia oratio.

Majestatem tuam quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem, sed peccatorum vitam semper inquiris, respice super hunc famulum tuum ill. attende prostratum, ejusque planctum in gaudium tua miseratione converte. Scinde delictorum saccum, & indue eum lætitia salutari; ut satietur de sanctis altaribus tuis, atque ingressus cubiculum regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ semper. Per eumdem.

Alia.

Clementissime & misericordissime Deus, qui multitudine indulgentiarum tuarum nulla temporum lege concluderis; sed pulsantibus misericordiæ tuæ januam aperis, pœnitentes etiam sub ipso vitæ hujus termino non repellis: respice propitius super famulum tuum ill. omnium criminum suorum & delictorum veniam humiliter poscentem, quia nullius animæ difficilis apud te aut tarda curatio est; fidelis enim es in verbis tuis, qui conversum peccatorem non per longa temporum spatia differendum; sed mox ut ingemuisset dixisti esse salvandum. Per.

Alia.

Respice, Domine, quæsumus, super hunc famulum tuum ill. opemque ei conferre dignare, & super lectum laboris ejus impone manum tuam in manu mea, & impera ægritudini, ne meam peccatoris manum spernat; sed invocationem tui nominis vereatur, & fugiat; & hic famulus tuus ill. languore depulso, ad sanitatem perfectam exurgat, & repræsentetur ecclesiæ tuæ, ut grates referat nomini tuo sancto. Per.

Alia.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, & eum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum per angelum sanctum suum visitare, lætificare, & confortare dignetur. Qui vivit.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis, & necessitate laborantibus, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut digneris sanctum angelum tuum, qui famulum tuum in angustiis & necessitatibus laborantem consolationibus attollat, quibus & de præsenti consequatur auxi-

auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per Dominum.

Alia.

Benedicat tibi Deus Pater, qui in principio cuncta creavit. Benedicat te Deus Filius, qui de supernis sedibus pro nobis Salvator descendit, & crucem subire non recusavit. Benedicat te Spiritus-sanctus, qui in similitudinem columbæ in flumine Jordanis requievit in Christo; ipseque te in Trinitate sanctificet, & custodiat omnibus diebus usque in, quem omnes gentes venturum expectant ad judicium. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat.

Alia.

Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis, quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis: de quorum numero quamvis indignos nos esse voluit, ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogitatione, locutione, atque operatione negligenter egisti, atque a nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum. Qui vivit.

Absolutio.

Absolvimus te vice B. Petri apostolorum principis; cui Dominus ligandi atque solvendi potestatem dedit; & quantum ad te pertinet accusatio, & ad nos remissio, sit tibi Deus omnipotens vita & salus, omnium peccatorum tuorum indultor; & qui tibi dedit compunctionem cordis, det & veniam peccatorum, longævamque tibi atque felicem vitam in hoc sæculo largiatur, & in futuro cum Christo & omnibus Sanctis ejus sine fine maneptem. Per eumdem Salvatorem nostrum, qui tecum vivit & regnat.

His expletis, cantetur ab omnibus Credo in unum Deum. *Quo perfecto, interroget eum Prior:* Credis hoc quod dicimus? *Quo respondente:* Credo. *Porrigatur ei a Priore crux, ut osculetur eam & textus, dicaturque ei:* Ecce lex tua. *Deinde ipse Prior ammoneat fratres, quatinus si quis habet aliquid adversus fratrem illum, remittat illi. Eodem modo & agat infirmus. Confessione vero dicta ab infirmo, detur ei Corpus Domini, si quacumque petierit, & dicatur hæc oratio.*

Humili mente, caritate devota, immensum atque clementem Dominum invisibilem petimus, ut lapsorum gemitus atque obsecrationes exaudiat, oblivioni tradat priorum actuum maculas, & eumdem sub indulgentia pietatis suæ ad sacræ communionis participationem perducat.

Item oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro ill. sacrosanctum Corpus & Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, tam corporis quam animæ sit salus. Per.

Hic detur infirmo sacrificium ita dicendo.

Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit tibi ad salutem, & ad remedium hic & in æterna sæcula sæculorum. Amen.

Alia.

Accipe viaticum Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat ad vitam æternam, & resuscitet in novissimo die. Per Dominum.

Oratio post communionem.

Quem refecisti, Domine, cœlesti mysterio Corporis & Sanguinis Jesu Christi, propriis & alienis, quæsumus, absolve delictis; ut divino munere purificatos, corporis & animæ sanctimoniam percipere mereatur. Per.

INCIPIT ORDO QUALITER INUNCTIO INFIRMI AGATUR.

Psal. Domini est terra. *Psal.* In te Domine speravi. 2. *Psal.* Inclina Domine. *Psal.* Qui habitat. *Psal.* Memento Domine David. *Psal.* Ecce quam bonum. *Psal.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei.

Hos psalmos dum congregatio cantaverit ante infirmum, Prior ipsum infirmum constituat ad dexteram suam, inungens eum, cruces faciendo de pollice super quinque sensus corporis. In primis dicat hanc orationem.

Collecta.

Domine Deus, qui per apostolum tuum loquutus es dicens: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum ungentes oleo sancto in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei; cura, quæsumus Redemptor noster, gratia Spiritus-sancti languores istius infirmi, & sana sua vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo expella, plenam ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus & sanatus, ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Per.

Alia oratio.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, & cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum ill. per angelum sanctum suum visitare, lætificare, & confortare dignetur. Qui vivit.

Deinde intincto pollice oleo, cruces faciat super ciliciis oculorum & dicat:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc unctio sanctificati olei ad purificationem mentis & corporis, & omnium absolutionem culparum, ad munimen & ad defensionem contra immundos spiritus. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compage membrorum; sed habitet in eo virtus Christi altissimi, & Spiritus-sancti. Per eumdem.

Ad oculos.

Unguo oculos tuos de oleo sanctificato: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per.

Operare, &c.

Ad cerebrum.

Unguo te de oleo sancto: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Domini & Dei nostri, ut fugatis omnibus doloribus, & incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & salus; quatinus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus atque fotus, pristinam & magis robustam recipere merearis sanitatem. Per. Operare.

Ad aures.

Unguo has aures sacrati olei liquore: ut quicquid peccati delectatione nocui auditus admissum est, medicina spiritualis evacuet. Per. Operare.

Ad nares.

Unguo has nares de oleo sacro: ut quicquid noxæ contractum est odoramento superfluo, ista emaculet medicatio. Per. Operare.

In labiis exterius.

Unguo labia ista consecrati olei medicamento: ut quicquid otiosa vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expurgetur hac unctione. Per.

Operare.

Ad collum.

Unguo collum tuum de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Operare.

Ad guttur.

Unguo guttur tuum de oleo exorcizato; ut propitietur Dominus iniquitatibus tuis cunctis, & sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & satiet in omnibus desiderium tuum, qui solus in Trinitate vivit & regnat. Per. Operare.

Ad scapulas.

Unguo has scapulas, sive medium locum scapularum de oleo sancto, ut ex omni parte munitus spiritali protectione, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul possis cum robore superni juvaminis expellare. Per Dominum. Operare.

Ad pectus.

Unguo pectus tuum oleo sancto: ut hac unctione protectus, fortiter persistere valeas adversus aereas catervas. Per. Operare.

Ad manus.

Si fuerit sacerdos solummodo deforis.

Unguo has manus oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: ut quicquid illicito, vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Operare.

Ad pedes infra & supra.

Unguo hos pedes de oleo benedicto: ut quicquid superfluo vel nocuo incessu commiserunt, ista aboleatur perunctione. Per.

Operare.

Oratio post unctionem.

Domine Jesu Christe, qui es vera salvatio & redemptio nostra, & qui es vera salus & medicina; & a quo omnis sanitas & medicamentum venit, qui apostoli tui voce nos instruis, & ut languidos olei liquore tangentes, tuæ postulemus misericordiam pietatis: Respice propitius super hunc famulum tuum ill. ab illa mirabili summitate cœlorum, ut quem languor curvat ad exitum, & virium con-

tractio jam pertrahit ad occasum, medela tuæ gratiæ saluti sestituat castigatum. Extingue in eo, Domine, libidinum & febrium æstus; dolorum stimulos, ac vitiorum obtere cruciatus; ægritudinum & cupiditatum tormenta dissolve, superbiæ inflationem tumoremque compesce. Vitia & putredines vitiorum evacua, viscerum interna, cordiumque, ac medullarum, & cogitationum sana discrimina, Conscientiarum atque plagarum obducito cicatrices, physicis typicisque adesto periculis, veteres immensasque remove passiones, opera casuis ec sanguinis materiamque compone, ac delictorum veniam propitiatus attribue; sicque illum jugiter custodiat pietas tua, ut nec ad corruptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem te auxiliante perducat infirmitas, fiatque illi hæc olei sacra perunctio concita morbi præsentis expulsio, & peccatorum omnium optata remissio, te concedente, Salvator noster, qui vivis & regnas.

Credo in unum Deum,

ORDO XXV,

Ex ms. Rituali monasterii B. Mariæ de Pontelevio, ab annis circiter 500. exarato.

INCIPIT QUALITER INFIRMORUM AGATUR INUNCTIO,

S*I viderint eum termino vitæ proximari, veniat ipse in capitulum, & petat veniam a Deo, & ab abbate; & fratribus reddat se culpabilem pro malis actibus suis, & accipiet inde judicium quale abbati placuerit. Post hæc dicat culpam suam, si alicui aliquid deliquit, & dimittant ei invicem fratres. Post capitulum autem pergat sacerdos, & induat se sacris vestibus & accipiat oleum benedictum, & conversi crucem & aquam benedictam, & pergant ad domum ubi infirmus jacet, cantantes psalmum* Miserere mei Deus.

Cum autem appropinquaverint ostio domus, faciat sacerdos crucem, dicatque Pax huic domui. *Et sic ingrediantur domum, & incipiat antiphonam istam:* Benedic, Domine, domum istam & omnes habitantes in ea; quia tu, Domine, dixisti: Pax huic domui. Benedic, Domine, timentes te pusillos cum majoribus: benedicti sint a Domino, qui fecit cœlum & terram. *Psal.* Ecce quam bonum, *totus psalmus*, Dominus vobiscum.

Oratio.

Introeat, Domine, domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu æterna felicitas, divina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanctitas sempiterna. Effugiat ex hoc loco accessus dæmonum: adsint angeli pacis ingressui, domumque hanc deserat effugata discordia, & pax illæsa polleat. Magnifica, Domine, super nos nomen tuum, & benedic nostræ conversationi. Sanctifica nostræ humilitatis ingressum. Sanctifica hoc habitaculum, qui sanctus & pius es & permanes cum Patre & sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

Antiphona, Asperges me, Domine, hysopo, *Psal.* Miserere.

Oratio.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere dignare sanctum angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per.

Post hæc cantantur septem psalmi cum antiphonis, duobus sacerdotibus vel tribus inungentibus infirmum.

Antiphona. Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea conturbata est valde: sed tu, Domine, convertere & eripe animam meam. *Psal.* Domine ne in furore 1.

Oratio.

Dimitte nobis peccata nostra, & tribue misericordiam tuam, qua oris nostri alloquio deprecatus, famuli tui N. humilitatem & angustiam attendas, vincula solvas, delicta deleas, tribulationem inspicias, adversitatem repellas, effectumque petitionis nostræ largiens clementer exaudias. Per.

Antiphona. Delictum meum cognitum tibi feci, Domine, & injustitias meas non abscondi. *Psal.* Beati quorum remissæ sunt iniquitates.

Oratio.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus hujus infirmi, & sanet omnes languores illius, redimatque de interitu perpetuæ mortis vitam ejus, & corroboret, & satiet in bonis omnibus desiderium ejus, qui solus in Trinitate unus Deus vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum.

Antiphona, Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discedas a me. *Psal.* Domine ne in furore tuo. 2.

Oratio.

Da veniam, Domine, famulo tuo, & clementer libera ab ægritudine corporis laborantem, & quem a sua justitia corrigis devium, celeri defende miseratione correctum. Per,

Alia,

Iteratis precibus, dilectissimi nobis, oremus Deum Patrem omnipotentem, ut Deus omnipotens allevet eum a lecto doloris ejus, & Ecclesiæ suæ faciat interesse conventibus. Quod ipse præstare dignetur qui vivit.

Antiphona. Cor contritum & humiliatum ne despicias, Deus; sed propter magnam misericordiam tuam miserere mei Deus, *Psal.* Miserere mei Deus,

Oratio.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut huic famulo tuo longo squalore pœnitentiæ macerato miserationis tuæ veniam largiri digneris; ut nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde ejectus fuerat, introire mereatur. Per Dominum.

Antiphona. Succurre, Domine, infirmo isti, & medica eum spirituali medicamine, ut in pristina sanitate a te restitutus gratiarum tibi sanus referat actionem. *Psal.* Domine exaudi, 1.

Oratio.

Oremus & deprecemur Dominum nostrum Jesum Christum, uti benedicendo benedicat hoc tabernaculum & omnes habitantes in eo; Det eis angelum bonum custodem, faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua, avertat ab eis omnes contrarias potestates, eripiat eos ab omni formidine & omni perturbatione, ac sanos in hoc habitaculo custodire dignetur. Qui cum Patre.

Antiphona. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, *Psal.* De profundis.

Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate gubernas; ad invocationem tui nominis benignus assiste, ut hunc famulum tuum ab ægritudine liberatum & sanitate donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, Ecclesiæ tuæ sanctisque altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate restituas. Per.

Antiphona. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, *Psal.* Domine exaudi, 2.

Oratio.

Majestatem tuam, quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem, sed peccatorum vitam inquiris, respice flentem famulum tuum, attende prostratum, ejusque planctum in gaudium tua miseratione converte, scinde delictorum saccum, & indue eum lætitia salutari, ut post longam peregrinationis famem de sanctis altaribus tuis satietur, ingressusque cubiculum Regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ semper. Per eumdem.

KYrie eleison.	Christe eleison.
Kyrie eleison.	Christe audi nos.
Christe exaudi nos,	
Pater de cœlis Deus,	miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,	miserere nobis.
Spiritus sancte Deus,	miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus,	miserere nobis.
Sancta Maria,	Ora pro eo.
Sancta Dei genitrix,	ora pro eo.
Sancta Virgo virginum,	ora pro eo.
Sancte Michael,	ora pro eo.
Sancte Gabriel,	ora pro eo.
Sancte Raphel,	ora pro eo.
Omnes sancti Angeli & Archangeli,	orate pro eo.
Omnes sancti beatorum spirituum Ordines,	orate pro eo.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ,	orate pro eo.
Sancte Petre,	ora pro eo.
Sancte Paule,	ora.
Sancte Andrea,	ora.
Sancte Johannes,	ora.
Sancte Jacobe,	ora.
Sancte Philippe,	ora.
Sancte Bartholomæe,	ora.
Sancte Matthæe,	ora.
Sancte Simon,	ora.
Sancte Juda,	ora.
Sancte Matthie,	ora.
Sancte Barnaba,	ora.
Sancte Luca,	ora.
Sancte Marce,	ora.

Omnes

Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ. orate pro eo.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate pro eo.
Omnes sancti Innocentes, orate pro eo.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Georgi, ora.
Sancte Dionysi cum sociis tuis, ora pro eo.
Sancte Maurici, ora.
Sancte Juliane, ora.
Sancte Sebastiane, ora.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Martine, ora.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Martialis, ora.
Sancte Hilari, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Maure, ora.
Sancte Columbane, ora.
Omne sancti Confessores, orate,
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Sancta Thecla, ora.
Sancta Scholastica, ora.
Omnes sanctæ Virgines, orate,
Omnes Sancti, orate pro eo.
Propitius nobis esto, & parce ei Domine.
Ab omni malo, libera eum Domine.
Ab hoste malo, libera.
Ab insidiis diaboli, libera.
E lesione inimicorum, libera.
A morbo malo, libera.
Per Adventum tuum, libera,
Per Nativitatem tuam, libera.
Per Passionem & crucem tuam, libera eum Domine.
Par sanctam Resurrectionem tuam, libera eum Domine.
Per Ascensionem tuam, libera.
Per Spiritum paraclitum, libera.
Per misericordiam tuam, libera.
In die judicii, libera eum Domine,
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut infirmum nostrum visitere & confortare digneris, te rogamus audi nos.
Ut ei vitam & sanitatem donare digneris, te rogamus audi nos.
Ut gratiam sancti Spiritus ei concedere digneris, te rogemus audi nos.
Ut iracundiæ tuæ flagellum ab eo amoveas, te rogamus audi nos.
Ut spem, fidem & charitatem illi augeas, te rogamus audi nos.
Ut fontem lacrymarum ei dones, te rogamus audi nos.
Ut spatium pœnitentiæ ei dones, te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce ei Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere ei Domine.
Christe audi nos. Kyrie eleison.
Chiste eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. Et ne nos.

Salvum fac servum tuum. Dominus conservet eum & vivificet eum. Dominus opem ferat illi. Dominus custodiat eum ab omni malo. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. Exurge Domine adjuva nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.

Oratio.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, fratres, & cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum per angelum sanctum suum visitare, lætificare & confortare dignetur. Qui vivit & regnat.

Oratio.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata delinquentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas; respice super hunc famulum tuum, & remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem, deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude violatum est, & in unitate corporis Ecclesiæ tuæ membrum perfectæ remissionis restitue. Miserere Domine gemituum, miserere lacrymarum, & non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad sacramentum reconciliationis admitte. Per.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatum Jacobum apostolum tuum inducere presbyteros Ecclesiæ, & ungere oleo infirmos præcepisti; præsta quæsumus, ut digneris per manus nostras hunc famulum tuum infirmum de oleo isto sanctificato ungere, & benedicere: & quod exterius fideliter postulantes amplectimur, hoc interius spiritualiter divina tua virtus & invisibiliter operetur. Per,

Oratio.

Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Cura, quæsumus, Redemptor noster, gratia Sancti Spiritus languores istius infirmi, & sua sana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo expelle, plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus, ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Per.

Oratio.

Respice, quæsumus, Domine, super hunc famulum tuum, opemque ei ferre dignare, & super lectum laboris ejus impone manum tuam in manu mea, & impera ægritudini, ne meam peccatoris manum spernat, sed invocationem tui nominis vereatur & fugiat, & hic famulus tuus languore depulso ad sanitatem perfectam resurgat, & repræsentetur Ecclesiæ tuæ sanctæ, ut gratias referat nomini sancto tuo. Per.

Oratio.

Deus, qui peccatores & scelerum onere vulneratos sacerdotibus tuis ostendere jussisti. Deus, qui discipulis tuis, ut bene haberent manus super infirmos, sacro oleo iounngere, & pro eis orare docuisti. Deus, qui per impositionem manus sacerdotum cum sancti tui nominis invocatione peccata relaxari voluisti; exaudi orationes nostras, & da huic famulo tuo infirmitatis noxa presso per hoc sacrum mysterium, quod nos indignos famulos tuos agere docuisti remissionem omnium peccatorum per hujus operationem mysterii; & per hanc sacrati Dei unctionem, & per manus nostræ impositionem cuncta ejus facinora Sancti Spiritus gratia relaxentur, venia impetretur, sanitas animæ & corporis restituatur; fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius exteriusque imbuant, & a te sanentur, ut non plus ei noceant conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia & reconciliatio tuæ pietatis atque remissionis ad veniam. Per.

Sit autem lectum agroti ad dexteram manum sacerdotis, & faciat crucem intincto pollice in oleo per quinque sensus corporis.

Ad oculos.

Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti.

Ad aures.

Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid per auditum peccasti.

Ad labia, &c.

Inuncto fratre, lavet manus suas sacerdos, & jactet in piscinam, & pergat in Oratorium, & accepto Corpore Domini, preparata processione, mittet incensum in thuribulum & inchoet Miserere: *flectant genua omnes, & dicantur hæ orationes.*

Domine Jesu Christe, qui es salvatio & redemtio nostra, & qui es vera salus & medicina, & a quo omnis sanitas & medicamentum venit, qui Apostoli tui voce nos instruis, ut languidos olei liquore tangentes tuæ postulamus

mut misericordiam pietatis; respice propitius super hunc famulum tuum ab illa mirabili summitate coelorum, ut quem languor curvat ad exitum, & virium contractio jam pertrahit ad occasum, medela tuæ gratiæ saluti restituat castigatum. Extingue in eo, Domine, libidinum & febrium æstus, dolorum stimulos ac vitiorum obtere cruciatus, ægritudinum & cupiditatum tormenta dissolve. Superbiæ inflationem tumoremque compesce: ulcera & putredines vitiorum evacua, cordiumque ac medullarum & cogitationum sana discrimina. Conscientiarum atque plagarum obducito cicatrices. Physicis typicisque adesto periculis, veteres immensasque remove passiones. Opera carnis ac sanguinis materiamque compone, ac delictorum illi veniam propitiatus attribue. Sicque illum jugiter custodiat pietas tua, ut nec ad corruptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem, te auxiliante, non perducat infirmitas. Fiatque illi hæc olei sacra perunctio concita morbi præsentis expulsio, & peccatorum omnium optata remissio, te concedente, Salvator mundi, qui vivis & regnas.

Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra & membra vegetentur; super hunc famulum tuum propitiatus intende, ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratiam in eo pristinæ sanitatis perfecta reperetur. Per.

Benedictio super infirmum.

Dominus Jesus Christus super te sit, ut te defendat. Amen. Intra te sit, ut te reficiat. Amen. Circa te sit, ut te conservet. Amen. Ante te sit, ut te deducat. Amen. Post te sit, ut te custodiat. Amen. Super te sit, ut te benedicat. Amen. Qui cum Deo Patre.

Oratio.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Sanet te Dei Filius. Amen. Illuminet te Deus Spiritus-sanctus. Amen. Corpus tuum custodiat. Amen. Animam tuam salvet. Amen. Cor tuum irradiet. Amen. Sensum tuum dirigat. Amen. Et ad supernam vitam te perducat. Qui in Trinitate.

Oratio.

Benedicat te Deus coeli. Amen. Adjuvet te Christus Filius Dei. Amen. Corpus tuum in suo sancto servitio custodire & conservari faciat. Amen. Mentem tuam illuminet. Amen. Sensum custodiat. Amen. Gratiam suam ad profectum animæ tuæ in te augeat. Amen. Ab omni malo te liberet. Amen. Dextera sua te defendat. Amen. Qui Sanctos suos semper adjuvat, ipse te adjuvare & conservare dignetur. Qui vivit & regnat.

Oratio.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit ex nihilo. Amen. Benedicat te Deus Filius, qui de supernis sedibus pro nobis Salvator descendit. Amen. Benedicat te Deus Spiritus-sanctus, qui in similitudinem columbæ in Jordanis flumine requievit in Christo. Amen. Ipseque te in Trinitate sanctificet, quem omnes gentes venturum expectant ad judicium. Qui cum Deo Patre.

Alia.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Custodiat te Jesus Christus. Amen. Illuminet te Spiritus-sanctus omnibus diebus vitæ tuæ. Amen. Confirmet te virtus Christi. Amen. Indulgeat tibi Dominus universa delicta tua. Qui in Trinitate.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, qui te creavit. Amen. Benedicat te Filius Dei, qui pro te passus est. Amen. Benedicat te Spiritus-sanctus, qui in te effusus est. Amen. Benedicant te angeli & archangeli. Amen. Benedicant te novem Ordines angelorum regni cœlestis. Amen. Benedicant te viginti & quatuor seniores qui in trono Dei sunt. Amen. Benedicant te virtutes & dominationes. Amen. Benedicant te principatus & potestates. Amen. Benedicant te patriarchæ & prophetæ atque apostoli Christi. Amen. Benedicant te martyres & confessores Christi. Amen. Benedicant te sancti monachi & virgines Christi. Amen. Benedicant te cœlum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt. Amen. Omnes benedictiones, quæ in libris & in sanctis continentur scripturis super te veniant & maneant tecum. Per omnia secula.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui benedixisti omnem creaturam a te factam, benedicere & sanctificare digneris & hunc famulum tuum, qui gratiam benedictionis tuæ invenire desiderat. Descendatque super eum tua larga benedictio, sicut descendit ros super faciem terræ. Propitiam quoque manum tuam de cœlis emitte, & caput ejusque illius tange, ut de Spiritu-sancto percipiat gaudium, & benedictus permaneat in æternum.

Tunc appropinquante sacerdote cum Eucharistia, interroget credulitatem fidei catholicæ dicendo ita: Ecce mysterium Redemptionis nostræ & tuæ: Recognoscis hoc? *Quo respondente:* Recognosco Salvatorem meum. *Interroget iterum;* Credis in Deum Patrem omnipotentem? Credis & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum & passum? Credis in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctum Baptismum, & Sanctorum communionem. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem, & vitam æternam? ℟. Credo.

Accipiat crucem & dicat: Ecce vultum Salvatoris, qui te sui Sanguinis pretio pendens in cruce redemit. Adora, & oscula. Recognosce te culpabilem. *Osculataque cruce, dicat confessionem. Post absolvat eum Abbas & ceteri fratres.*

Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta in cœlis; de quorum numero quamvis indignos nos esse voluit; ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogitatione, locutione, operatione, negligenter egisti, atque a nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum. Qui vivit & regnat.

Tunc communicetur infirmus & dicat sacerdos:

Accipe, frater, viaticum Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat & defendat ab hoste maligno, & perducat ad vitam æternam, & resuscitet in novissimo die. Qui venturus est judicare vivos & mortuos.

Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro sacrosanctum Corpus & Sanguinem Jesu Christi Filii tui Domini nostri, tam corpori quam animæ prosit ad remedium sempiternum. Per eumdem.

ORDO XXVI.

Ex ms. codice Cl. V. Domini Desmarais, ante annos 400. exarato.

ORDO AD VISITANDUM VEL UNGENDUM INFIRMUM.

P*Rimitus aquam benedictam faciant, & ut appropiaverint ostio domus, ubi æger jacet, aspergat ex ipsa aqua, & dicat tertio Pax...*

Antiphona. Benedic domum istam, &c. *Psal.* Ecce quam bonum.

Oratio.

Introeat, Domine, domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu, &c.

Postea spargatur aqua. Antiphona. Asperge me. *Psal.* Miserere mei Deus. Exaudi nos, *Domine sancte*, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere dignare &c.

Item.

Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, &c.

(*Sequuntur plures orationes cum antiphonis & psalmis. Deinde letania; qua finita, cum suis versiculis & collectis hæc subjiciuntur.*)

Stante autem sacerdote ad dextram infirmi, intincto pollice in oleo sacro, dicit has orationes & hanc antiphonam: Dominus loquutus est discipulis suis: In nomine meo dæmonia ejicite, & super ægros manus imponite, & bene habebunt. *Psal.* Deus Deorum, *usque* Peccatori autem dixit Deus.

Unctio in superciliis.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc unctio sanctificati olei ad purificationem mentis & corporis, & omnium absolutionem culparum, ad munimen quoque & defensionem contra omnia jacula immundorum spirituum. Operare creatura olei, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris, neque in ulla compage membrorum, sed habitet virtus Christi altissimi sanctificatio Spiritus-sancti. Amen.

Ad oculos.

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato; In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Amen.

In cerebro.

Ungo te oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut obtineas misericordiam ipsius Dei & Domi-

Domini nostri, ut fugatis omnibus doloribus vel incommodatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & salus, quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus atque fotus, pristinam & magis robustam recipere merearis sanitatem. Amen.

Ad aures.

Ungo has aures sacrati olei liquore, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut quicquid peccati delectatione nocui auditus admissum est, medicina spiritualis evacuet. Amen.

Ad nares.

Ungo has nares oleo sacro, In nomine Patris & Filii, & Spiritus-sancti, ut quicquid noxæ contractum est odoramento superfluo, ista evacuet medicatio. Amen.

In labiis exterius.

Ungo labia ista consecrati olei medicamento, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; ut quicquid otiosa vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante, expurgetur hac unctione. Amen.

Ad collum.

Ungo collum tuum de oleo sancto, In nomine Patris & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Ad guttur.

Ungo guttur tuum de oleo exorcizato, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; ut propitietur Dominus iniquitatibus tuis cunctis; & sanet omnes languores tuos redimatque de interitu vitam tuam, & sanet in bonis omnibus desiderium tuum, qui solus in Trinitate vivit & regnat. Amen.

Ad scapulas.

Ungo has scapulas sive medium locum scapularum de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti: ut ex omni parte munitus spiritali protectione, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul possis cum robore superni juvaminis expellere. Amen.

Ad pectus.

Ungo pectus tuum de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; ut hac unctione protectus, fortiter perstare valeas adversus aereas catervas.

Ad manus, si fuerit sacerdos, solummodo deforis.

Ungo has manus de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, ut quidquid inlicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Amen.

Ad pedes infra & supra.

Ungo hos pedes de oleo benedicto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: ut quidquid superfluo vel nocivo incessu commiserunt ista aboleatur perunctione. Amen.

Ubi dolor plus est.

Iteratis precibus, dilectissimi nobis, oremus Deum Patrem omnipotentem, pro famulo suo N. quem salutifero in nomine ejus oleo perunctum allevet eum a lecto doloris ejus, & ecclesiæ suæ sanctæ faciat interesse conventibus.

Oratio post unctionem.

Domine Deus, Salvator noster, qui es vera salus & medicina, & a quo omnis & sanitas & medicamentum venit, &c.

Interim pergat sacerdos pro Corpore Domini, & alius dicat has orationes.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem, &c.

Item benedictio.

Dominus noster Jesus Christus apud te sit, ut te defendat, &c.

Omnipotens sempiterne Deus, qui benedixisti omnem creaturam, &c.

Tunc abbas interrogat eum si recte catholicus est, dicens illi:

Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ?

Credis & in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Deum nostrum, natum & passum?

Credis & in Spiritum-sanctum sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam?

Quo respondente Credo, *faciat ei dicere confessionem; & dimittere omnibus qui in eum peccaverunt. Post faciat ei crucem adorare dicens:*

Ecce frater, mysterium redemptionis nostræ, adora, & confitere Redemptorem.

Tunc communicet eum sacerdos dicens:

Accipe, frater, viaticum Corporis & Sanguinis Domini Jesu Christi, qui te custodiat & defendat ab hoste maligno, & perducat ad vitam æternam, & resuscitet te in novissimo die, quando venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Post communionem.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti huic fratri nostro sacrosanctum Corpus & Sanguinem Jesu Christi Filii tui Domini nostri, tam corporis quam animæ prosit ad remedium sempiternum. Amen.

Absolutio.

Deus noster Jesus Christus qui dixit discipulis suis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis: de quorum numero indignos nos esse voluit; ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus cogitationibus tuis quæcumque cogitatione, locutione, operatione negligenter egisti, atque a nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna cælorum. Qui cum Patre. *Tunc osculetur omnes fratres, & revertantur in claustra.*

ORDO XXVII.

Ex ms. Pontificali insignis ecclesiæ Ambianensis.

ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

C*onveniant sacerdotes & clerici & alii fideles cum cruce & cereis & aqua benedicta. Cum autem venerint ad domum infirmi, dicat sacerdos:* Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea. *Tunc aspergat sacerdos aquam benedictam dicendo:* Asperges me. *Psalm.* Miserere mei Deus. *Antiphona*, Benedic domum istam, &c.

Oremus.

Omnipotens & misericors Deus, qui sacerdotibus tuis præ ceteris tantam gratiam contulisti; ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque agitur ab eis, a te fieri credatur; quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus, visites; ut quidquid benedicturi sumus, benedicas: sitque ad nostræ humilitatis introitum, sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, angelique pacis ingressus. Per Dominum.

Antiphona. Sana Domine. *Psal.* Beatus qui intelligit. *Antiphona.* Sana, Domine, animam meam, quia peccavi tibi. Dominus vobiscum.

Oremus.

Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, ut per adjutorium humilitatis nostræ, hunc famulum tuum jacentem salutifere visitare digneris: & sicut visitasti, Domine, Tobiam, & Saram, socrumque Petri, puerumque Centurionis: ita & iste pristina sanitate animæ corporisque recepta, gratiarum tibi in ecclesia tua referat actionem. Per Dominum.

Deinde si voluerit confiteri, confitetur; & confessione facta, & data pœnitentia, dicat sacerdos: Dominus vobiscum.

Oremus.

Exaudi, Domine, preces nostras, & tibi confitentis parce peccatis; ut quem conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per Dominum.

Oremus.

Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis: De quorum numero quamvis me indignum & peccatorem ministrum tamen esse voluit, intercedente Beata Virgine Dei genitrice Maria, & Beato Michaele archangelo, & sancto N. Patrono nostro, cum omnibus sanctis, ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis quæcumque aut * contagione, aut locutione, aut operatione negligenter egisti, atque a vinculis peccatorum tuorum absolutum perducere dignetur ad regnum cælorum, qui cum Patre & Spiritu-sancto.

Et tunc communicetur, & dicat sacerdos: Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit animæ tuæ & corpori tuo in vitam æternam. Amen.

Oratio.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, Amen. Et sanet omnes languores tuos. Amen. Redimatque de interitu vitam tuam. Amen. Et satiet bonis desiderium tuum. Qui solus in Trinitate unus Deus vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Quando quis voluerit inungi, in primis dicatur hæc oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per B. apostolum tuum, &c.

* l. cogitatione.

Finita oratione, ungatur inter scapulas dicenda.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Ungo te oleo sacro, ut per hanc unctionem accipias plenam peccatorum remissionem, Amen.

Super oculos,

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum. Amen.

Super aures,

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominur quicquid deliquisti per auditum, Amen,

Super nares,

Per istem unctionem & suam piissimem misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per odoratum, Amen,

Super os.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per locutionem illicitam. Amen,

Super guttur.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per gustum, Amen.

Super pectus.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominur quidquid deliquisti per ardorem libidinis. Amen,

Super manus.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per tactum, Amen.

Super pedes.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeet tibi Dominus quidquid deliquisti per incessum pedum.

Oratio.

Deus miseratur, Deus clemens, &c.

Omnipotens Deus, criminum ablutor, & indultor peccaminum, &c.

ORDO XXVIII.

Ex ms. codice Bibliothecæ Regiæ, n. 4234, annorum ad summum 300.

INCIPIT ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

Quando ingreditur sacerdos domum, dicit in ipso introitu: Pax huic domui & omnibus habitentibus in ea. Benedic, Domine, domum istam, &c, Salvum fac servum tuum. Nihil proficiat inimicus in eo. Domine exaudi orationem meam, Dominus vobiscum,

Oremus.

Deus qui famulo tuo ter quinos annos, &c.

Alia oratio.

Deus qui humano generi, & salutis remedium, &c,

Alia oratio,

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ, &c.

Alia oratio,

Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ut non in æternum irescaris ei, qui vivis & regnas,

Alia Oratio.

Omnipotens, mitissime Deus, respice propitius ad preces nostras, & libera cor famuli tui illius, &c.

Oratio.

Deus qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, &c,

Oratio.

Dimitte, Domine, peccata nostra, & tribue nobis misericordiem tuam, &c,

INCIPIUNT ORATIONES ET PRECES SUPER POENITENTEM ET CONFITENTEM PECCATA SUA.

Exaudi, Domine, preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis, &c.

Alia oratio.

Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus Domine, &c,

Alia oratio.

Dominus noster Jesus Christus, cui omnia possibilia sunt, non ad peccata quæ commisisti, sed ad misericordiam suam respiciens, per intercessionem sanctæ Virginis Mariæ, sanctique Michaelis archangeli, & sancti Petri principis apostolorum, omniumque sanctorum suorum, absolvat te ab omni vinculo delictorum, & perducat ad regna cælorum, & nos in quantum nobis commissum est, totum tibi indulgemus,

Absolutio.

Qui in ea auctoritate & potestate confidentes, quam Deus omnipotens nobis in B. Petro apostolorum principe tribuit dicens: Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis; & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt; quantum nobis permissum est, ab omni vinculo delictorum te absolvimus, & quidquid in hoc sæculo contra Dei voluntatem suadente diabolo contrarium commisisti, quantum possumus totum tibi indulgemus, & confracta de collo tuo omnium delictorum catena, liber & absolutus ante tribunal judicis æterni venias, percepturus ab eo hæreditatem in cælestibus regnis, in quibus gaudeas sine fine exultans in gloria cum omnibus sanctis, Amen,

Oratio.

Deus omnipotens, Salvator, & Redemtor humani generis, qui apostolis suis dedit potestatem animas ligandi atque solvendi; ipse te absolvere dignetur a cunctis peccatis & iniquitatibus tuis, & quantum meæ fragilitati permittitur, auxiliante Deo, sis absolutus ante faciem illius, Amen.

Oratio,

Deus, qui per apostolum locutus es: infirmatur quis in vobis? &c.

Tunc flectat genua languidus, si potest, ad dextram sacerdotis, & alii cantent antiphonam.

Sana, Domine, infirmum istum, &c. Domine ne in furore tuo s.

Oratio,

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, & cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum visitare & confortare dignetur. Qui vivit.

Antiphona. Dominus locutus est discipulis suis, &c. *Psal.* Deus Deorum locutus est, &c.

Oratio.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos, &c.

Antiphona. Cor contritum, &c. *Psalm.* Miserere mei Deus.

Oratio.

Respice, Domine, famulum tuum ill, in infirmitate sui corporis, &c.

Antiphona. Succurre infirmo isti, &c, *Psal.* Ad Dominum cum tribularer.

Oratio.

Deus qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, &c.

Antiphona. Vivo ego dicit Dominus, &c. *Psal.* De profundis.

Oratio.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ, &c.

Sic perungatur infirmus.

Ad oculos.

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato: ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per.

Ad aures.

Ungo aures tuas de hoc sacrati olei liquore, ut quidquid peccati delectatione nocivi auditus admissum est, medicina spirituali evacuetur. Per,

Ad nares,

Ungo has nares de oleo sacro: ut quicquid noxæ contractum est odoratu superfluo, ista emundet medicatio.

Ad labia.

Ungo labia ista consecrati olei medicamento; ut quicquid otiosa vel criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expurgetur hac unctione. Per.

Ad manus.

Ungo has manus de oleo sacrato: ut quidquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Ad collum.

Ungo te de oleo sanctificato, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti: ut more militis uncti præparatus ad luctamen possis aereas superare catervas. Per.

Ad guttur.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sit tibi hæc unctio olei sacrati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum. Per Dominum.

Ad pe-

Ad pectus.

Uogo pectus toum oleo sanctificato: ut hac unctione protectus, fortiter perstare valeas contra aereas adversas catervas. Par.

Ad scapulas.

Ungo has scapulas, siva medium locum scapularum da oleo sacrato, ut ax omni parte spiritali protectiona monitus, jacola diabolici impetus viriliter cootemuere, ac procul possis cum robore superoi jovaminis axpellare. Per.

Ad renes.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Daos quidquid peccasti per ardorem libidinis. Per.

Ad pedes.

Ungo hos pedes de oleo benedicto; ut quidquid superfluo vel nocivo incessu commiserunt, ista aboleat perunctio. Per.

Ubi dolor plus tenet.

Ungo ta de oleo sancto, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: ut non lateat in ta spiritus immuudus nequa in membris, neque in medollis, ocque io olla compage membrorum; sed habitet in te virtos Christi altissimi & Spiritus-sancti: quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotos, pristinam & melioratam recipere merearis sanitatem. Par.

Oratio.

Domine Deus Salvatur noster, qoi es vara salus & madiciua, &c.

Oratio.

Saoa quuqua, quæsumus, omoium medicator, ejus febrium, &c.

Oratio.

Propitietur Domioos auctis iniqoitatibos tuis, &c.

Oratio.

Domine sancte Patar, æterue Deus, te fideliter deprecamue, &c.

Oratio.

Omnipotens sampiterna Daus, qui subvenis in periculis &c.

Oratio.

Dominus Jasus Christus apud ta sit, ot te defandat. Ameo. Intra te sit ot te reficiat, &c.

Oratio.

Benedicat te Daus Pater. Amen. Saoet ta Deus Filius. Ameo. &a.

O R D O XXIX.

Ex ms. Rituali ad usum ecclesia S. Maria Magdalena prope Ceuomanos ante annos 300. scripta.

INCIPIT ORDO AD VISITANDOS INFIRMOS.

CUm autem ad domum infirmi sacerdos pervenerit dicat: Paa huic domui. *Et alii respondeant.* Et omnibus habitantibus in ea.

Et post aspergat aquam benedictam incipiendo vij. psalmos pœnitentiales.

Antiph. Ne raminiscaris. *Psal.* Domine ne in furore, &c. *cum litania.*

Deinde faciat confessionem, & absolvatur dicendo: Absolutionem & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen.

HIC INCIPIT UNCTIO.

Sacerdos faciat crucem cineris in pectore dicendo:

In nomioa Patris, & Filii, & Spiritus sancti, memento homo qoia cinis as, & in cinerem revurteris.

Postea ungat dicendo.

Per istam noctionem & suam piissimam misericordiam indolgeat tibi Deus qoidquid peccasti. *Ad oculos.* Per visom. Amen. *Ad aures.* Per auditum. *Ad nares.* Per odoratum. Amen. *Ad labia.* Par gustom. Aman. *Ad manus.* Per tactum. Amen. *Ad pedes.* Per gressum. Ameo. *Ad umbilicum.* Par ardorem iibidinis.

Reiteretur tota unctio. Deinde communicetur si necesse fuerit.

† Io oomioe Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; sit tibi hæc olei unctio ad purificationem mentia & corporis, & ad muuimen & defensionem contra jacola immundorom spirituum. Per.

Corpus Domini oostri Jesu Christi prosit tibi ad salutam corporis & auimæ in vitam ætatuam. Amen.

Postea dicat hanc orationem sequentem si communicetur: aliter non dicatur.

Domine sancta, Pater omnipotens, ætarne Deus te fideliter deprecamur, &c.

Propitietur Dominus cunctis ioiqoitatibus tuis. Amen, &c.

Domions Jesus Christus apud ta sit, ut te defendat Amen, &c.

Benedicat ta Deus, qui in principio, &c.

Benedicat te Deus Pater, &c.

Absolutio.

Dominus nostar Jasus Christus, qui dixit discipulis suis: quæcumque solveritis super terram eruot soluta in cælis; & quæcomque ligaveritis super terram, aruot ligata & in cælis: de quorom nomaro qoamvis indignos oos esse voluit: ipse te absolvat per ministeriom nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumqua cogitatione, locutiona, pollutione, consenso, tactu, visu, verbo & operatione oegligeotee egisti, atque a peccatorum nexibus absolutam perducere dignetur ad regna cælorum. Qoi cum Patra, &c.

O R D O XXX.

Eu veteri Rituali insignis ecclesia Catalaunensis, annorum circiter 200.

INCIPIT ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM VIDELICET AD UNGENDUM EUM.

SCiendum igitur est, quod non ministratur excommunicatis, nec pueris ante decimum quartum annum, nec furiosis, uec fatuis, nec etiom sanis; sed solum graviter infirmis, potestque reiterari, sed non pro eadem infirmitate, nisi ultra annum protrahatur.

Conveniat igitur sacerdos cum clericis; saltem cum clerico ad hoc perita & idoneo, cum cruce, igne in lucerna, & aqua benedicta & pergendo de ecclesia ad domum infirmi, indutus superpelliceo & stola, deferendo oleum sanctum, dicat ipse sacerdos cum clericis septem psalmos pœnitentiales submissa voce. Antiphona. Sana me. *Psal.* Domine ne in furore, &c. (*Sequuntur septem psalmi pœnitentiales cum antiphonis, precibus & orationibus singulis psalmis interserendis.*)

Et presbyter ingrediens domum, in qua æger detinetur, dicat: Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea. *Et aspergat infirmum & locum aqua benedicta dicens:* Asperges me Domioa. *Deinde dicat hanc antiphonam:* Intret in conspectu tuo oratio mea. Inclina ad me aurem tuam ad precem meam. *Accendantur septem candela ad minus, quæ ardeant per totum officium; atque septem boliones stupa canapis ad modum magna nucis inter duas scutellas positos.*

(*Sequitur letania cum orationibus pluribus.*)

His dictis, quærat sacerdos ab infirmo vel infirma, si sciret dicere symbolum aut non. Et si non potest dicere, tunc sacerdos dicat: Credo in unum Deum, &c.

Symbolo dicto, poterit se habere sacerdos secundum ea quæ sequuntur, monendo infirmum, & inquirendo si habeat aliquem sensum rationis, & dicat ei:

Credis ea quæ sunt fidei Christianæ contanta io symbolo; puta articulos fidei, & ea quæ sunt determinata ab Ecclesia esse vera? *Respondeat aut signum faciat,* Credo.

Sacerdos. Letaris quod in fide Christi moraris? ℟. Lætor.

Sacerdos. Cognoscis te in hoc mundo Daum tuom multipliciter offendisse, & doles quod Deum tuum offendisti, & contra ejus præcepta fecisti? ℟. Doleo.

Sacerdos. Habes voluotatem emendandi, si spatium vivandi haberes? ℟. Habeo.

Sacerdos. Credis quod propter te mortuus est Dominus nostar Jesus Christus, & qood salvari non potes, nisi per meritum sanctæ Passionis ejos, & non tuis meritis? ℟. Credo.

Sacerdos. Agis ei gratias de hoc ex bono corde? R. Ago.

Sacerdos. Iodolges his qui tibi aliquod nocomentum contulerint ob amorem Jesu Christi, a quo veniam & misericordiam speras, aa atiam petis fideliter indulgari & remitti tibi ab his qoos offeodisti, & per te ablata vel injuste acqoisita rastitui? ℟. Volo.

Sacerdos. Esto argo, fratar, securus. Quod si aliqoid objiciatur cootra prædicta a te credita, confuge ad memoriam Passioois Christi ardeos & dicens; Passio Domini nostri Jesu Christi est pretium meum, salvatio mea, totiusque

tiusque orbis terrarum, omniumque fidelium animarum consolatio.

His dictis, sacerdos ungat de oleo sacrata cum pollice infirmum vel infirmam, aliis clericis auxiliantibus, & cruces facientibus, in dextro tempore & in sinistro, non in fronte, nec in vertice. Et debet esse aliqua persona ad detergendum dictas cruces cum stuppis, & in qualibet cruce accipiat stuppas novas, candelis accensis. Et dicat sacerdos:

Ungo caput tuum de oleo sanctificato, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: ut more uncti militis præparatus ad luctamen, possis aereas superare catervas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Item in superciliis juxta angulos oculorum, & oculis clausis.

Ungo oculos tuos de oleo † sanctificato, ut quod illicito visu deliquisti, per hujus olei unctionem expietur. Per Christum.

Item ad aures.

Ungo aures corporis tui † ut per has fenestras recipias auditum repromissionis Christi in vitam æternam. Amen. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Item ad nares.

Ungo has nares † de oleo consecrato: ut quicquid noxæ ea his superfluo contractum est odoratu, ista medicatio evacuet. Per Christum.

Item ad labia.

Ungo labia ista † consecrati olei medicamento: ut quicquid otiosa vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expietur hac unctione. Per Christum.

Item super scapulas, non in pectore, neque inter scapulas.

Ungo has scapulas † de oleo sanctificato: ut ex omni parte spirituali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul cum robore superni juvaminis repellere possis. Per Christum.

Item super manus & infra: Si vero sit sacerdos, ungatur tantum extra.

Ungo has manus † de oleo benedicto, ut quicquid illicito, vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per Christum.

Item super pedes.

Ungo hos pedes † ex oleo consecrato: ut quicquid superfluo vel nocuo incessu commiserunt, sanctorum omnium intercessionibus ista aboleat unctio. Per Christum.

Hic lavat sacerdos unctione peracta manus suas cum sale & aqua. Similiter ille vel illa, qui vel quæ extersit cruces de stuppis, quæ debent custodiri & reservari inter duas scutellas ligneas, & reponi in quodam armariolo in ecclesia, & de eisdem facere cineres pro die cinerum, vel recondi in terra sancta.

Post unctionem dicuntur orationes sequentes.

In nomine † Patris, & † Filii, & Spiritus † sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimentum & defensionem contra jacula immundorum spirituum. Amen.

Alia oratio.

Oremus.

Iunxi te de oleo, In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † sancti; ut non lateat in te immundus spiritus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compage membrorum; sed habitet in te virtus Spiritus-sancti, Amen. Quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem atque deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam & melioratam recipere merearis sanitatem. Per Christum.

Absolutio.

Deus qui peccatores, & scelerum onere vulneratos tuis sacerdotibus, ut bene haberent, manus super infirmos ponere præcepisti, qui per apostolos tuos pro infirmis orare docuisti, ut per impositionem manuum sacerdotum, cum invocatione tui sancti nominis, peccata relaxare voluisti; orationes nostras exaudi, & da huic famulo tuo in infirmitatis noxa depresso per hoc sacrum mysterium, quod nos indignos famulos tuos agere docuisti, remissionem omnium peccatorum; quatenus per hanc olei unctionem, & per manus impositionem, cuncta facinora Spiritus-sancti gratia relaxentur, venia impetretur, sanitas animæ & corporis restauretur, fomenta etiam medicinæ tuæ interius exteriusque imbuant & sanent, ut non tam ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia & reconciliatio tuæ pietatis & remunerationis prosit ad veniam. Qui vivis & regnas.

Sequuntur aliæ quædam orationes & benedictiones.

Deinde accipiat sacerdos crucem in qua debet esse imago Christi depicta, & imago gloriosæ Virginis Mariæ, & signet ex ea infirmum signa sanctæ crucis dicendo: Benedicite. ℟. Dominus. Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus-sancti, descendat † super hunc infirmum, & maneat semper. Amen.

Sacerdos præsentet crucem infirmo, & loquatur ei repræsentando memoriam Passionis Christi Domini nostri, & qualiter passus est pro eo, & pro salute totius mundi. Item in fine debet infirmus aspergi aqua benedicta, ac etiam omnes circumstantes, ut ab eodem loco dæmones expellantur: Nequaquam de cetero morienti amici carnales, uxor, filii, divitiæ, & alia temporalia ad memoriam reducantur, nisi in quantum infirmi sanitas spiritualis postulat & requirit. Et notandum est quod in fine inducendæ sunt infirmis aliquæ bonæ & devotæ personæ ad eos visitandum, quæ habeant prodesse ad bonam dispositionem infirmorum dulciter & secrete semper eis loquentes, Passionem Christi, articulosque fidei annuntiantes pro eorum salute: Et per sacerdotem similiter. Crux Christi juxta infirmos relinquatur in loco ubi eam commode aspicere possint. Deinde recedat sacerdos in ecclesiam, & signet populum de oleo sancto, & aspergat eum aqua benedicta, ut moris est.

ORDO XXXI.

Ex Rituali ecclesiæ Leodiensis, anno 1553. edito.

RITUS ADMINISTRANDI ÆGROTIS SACRAMENTUM EXTREMÆ-UNCTIONIS.

PResbyter ingressus cubiculum infirmi inungendi, primum dicat: Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Cui respondeat minister eum, seu pro populo:* Qui fecit cælum & terram. Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc nunc & usque in sæculum. Pax huic domui. Et omnibus habitantibus in ea. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, &c.

Oremus.

Omnipotens & misericors Deus, qui sacerdotibus tuis præ ceteris tantam gratiam contulisti, ut quicquid in tuo nomine digne perfecteque agitur ab eis, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quicquid modo visitaturi sumus, visites; quicquid benedicturi, bene † dicas: sitque ad nostræ humilitatis introitum, sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, & angeli pacis ingressus. Per.

Antiphona. Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei.

Postea dicantur psalmi pœnitentiales cum letania & capitulis, sequentibusque orationibus.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam, &c.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis, &c.

Deus qui creaturæ tuæ, &c.

Deus qui humano generi & salutis remedium & vitæ æternæ, &c.

Hic ponat sacerdos manum super caput infirmi dicendo:

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus, &c.

Propitietur Dominus omnibus iniquitatibus tuis, &c.

Hic suggeratur ægroto memoria confessionis; & si opus fuerit, absolvatur secundum formam sacramenti absolutionis; si autem in genere coram populo confiteatur, adhibeatur subscripta generalis deprecatoria absolutio.

Misereatur tui. Indulgentiam, &c.

Exaudi, Domine, preces nostras, & tibi confitentium, &c.

Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus Domine, &c.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, &c.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere supplici, &c.

Deus humani generis benignissime conditor, &c.

Tunc sacerdos finitis collectis adhibeat ei imaginem crucifixi, ut eam osculetur cum salubri confidentia in Christum crucifixum, & dicat: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Beatum apostolum tuum Jacobum, &c.

Hic linum aut stuppam habeat paratam ad detergendum oleum membris inunctis, & pollicem vel virgulam intingat in oleum dicens:

In

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, prosit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad omnium absolutionem culparum, ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum, custodiatque Jesus Christus, & perducat te in vitam æternam. Amen.

Deinde dicat: Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti. Amen.

Accipe sanitatem. Amen.

Post hæc cum profert formas verborum infrascriptas simul ungat partes infra nominatas, dextram quamque partem prius inungendo. Sed in multum contagiosis morbis creditur sufficere unctio quinque sensuum exteriorum: quod in eis prima sit origo peccati.

Ad oculos.

Per istam unctionem † & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum. Amen.

Ad aures.

Pax tecum. Et cum spiritu tuo. In nomine Patris & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Accipe sanitatem. Amen.

Per istam unctionem † & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per auditum. Amen.

Ad nares.

Pax tecum. Et cum spiritu tuo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Accipe sanitatem. Amen.

Per istam unctionem † & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per olfactum. Amen.

Ad labia.

Pax tecum, Et cum spiritu tuo. In nomine Patris & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Accipe sanitatem. Amen.

Per istam unctionem † & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per gustum & illicitum sermonem.

Ad pectus.

Pax tecum. Et eum spiritu tuo. In nomine Patris & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Accipe sanitatem. Amen.

Ungo pectus tuum † de oleo sancto: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti obsecrans misericordiam unius Dei ac Domini nostri, ut fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus universis per hujus virtutem mysterii, divinæ miserationis gratiam te adeptum esse gaudeas. Per Christum.

Ad manus exterius, si sacerdos sit.

Pax tecum. Et cum Spiritu tuo. In nomine Patris & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Accipe sanitatem. Amen.

Per istam unctionem † & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi quidquid deliquisti per tactum. Amen.

Ad pedes.

Pax tecum. Et eum spiritu tuo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Accipe sanitatem. Amen.

Per istam unctionem † & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per incessum. Amen.

Pax tecum. Et eum spiritu tuo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Sit tibi unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum. Amen.

Post hæc sacerdos, exusta stuppa, manus abluat adhibito sale, & aqua ablutionis, cum cineribus stuppa jubeantur projici in ignem & aquam fluentem. Deinde sacerdos assumto rursus vasculo olei sacri, dicat sequentem benedictionem.

Benedictio.

Benedicat te Deus † Pater. Amen.

Sanet te Deus † Filius. Amen.

Illuminet te Spiritus † sanctus. Amen.

Corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, cor tuum irradiet, sensum tuum dirigat, & ad supernam patriam te perducat, ibique secum te regnare faciat per æterna sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio.

Bene † dicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit. Amen.

Bene † dicat te Dei Filius, qui de supernis sedibus pro nobis Salvator descendit. Amen.

Bene † dicat te Spiritus-sanctus, qui in similitudine columbæ in flumine Jordanis requievit in Christo.

Ipseque te in Trinitate sanctificet, quem omnes gentes expectant venturum ad judicium. Qui cum Patre vivit, &c.

Benedictio.

Benedictio Dei Pa † tris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. Amen.

Benedictio.

Benedicat & custodiat te divina majestas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

Post hæc sacerdos infirmum brevi exhortatione consolatum, atque aqua benedicta aspersum commendabit Domino in pace.

ORDO XXXII.

Ex Rituali Ambrosiano jussu Cæsaris Montii archiepiscopi Mediolanensis anno 1645. edita.

PRECES DICENDÆ IN VISITATIONE INFIRMORUM.

Ingressus parochus cubiculum infirmi, salutabit iis verbis

℣. Pax huic domui. ℟. Et cum omnibus habitantibus in ea.

Deinde orabit super infirmum, ut infra. Et si opportunum judicaveris, poteris etiam prius infirmum alloqui, & consolari, & ad preces majori pietate & fructu audiendas præparare.

Curabis vero etiam clericum saltem adhibere, qui psalmum una cum ipso dicat, & respondeat cum opus est.

Psal. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua, &c.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Lectio S. Evangelii secundum Marcum.

℟. Gloria tibi Domine.

Dum ita sacerdos dicit, crucem sibi primum, deinde infirmo facit in fronte, ore, & pectore; si mas est: si vero fœmina, non sacerdos, sed sibi ipsa crucem facit. Idem in sequentibus Evangeliis servatur.

In illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, &c. *usque* super ægros manus imponent & bene habebunt; Pater noster, *secreto*.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Exaudiat te Dominus in die tribulationis.

℟. Protegat te nomen Dei Jacob.

℣. Mittat tibi auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tueatur te.

℣. Tribuat tibi secundum cor tuum.

℟. Et omne consilium tuum confirmet.

℣. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

℟. Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

℣. Dominus custodiat te ab omni malo.

℟. Custodiat animam tuam Dominus.

℣. Benedicat te Dominus ex Sion.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Domine sancte Pater, æterne Deus, qui fragilitatem humanæ, &c.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison,

Kyrie eleison,

Kyrie eleison.

℣. Benedicat & exaudiat nos Deus.

℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace.

℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Deinde ita benedicet aspergendo aqua benedicta.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super te & maneat semper.

℟. Amen.

Observet parochus, ut genus in pronunciando semper mutet, si fœmina fuerit, quod in sequentibus servabit.

ALIÆ

ALIÆ PRECES.

Parochus ingressus cubiculum infirmi primum dicat.

℣. Pax huic domui.
℟. Et omnibus habitantibus in ea.
Deinde dicit quæ sequuntur capite aperto conversus ad aliquam piam imaginem.
Psalm. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Lectio S. Evangelii secundum Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.
In illo tempore, surgens Dominus Jesus de synagoga, &c. *usque* at ille singolis manus imponens curabat eos.
Pater noster, *Secreto*.
℣. Et ne nos.
℟. Sed libera nos, &c.
℣. Salvum fac famulum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Dominus conservet eum & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra.
℟. Et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
℣. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.
℟. Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.
℣. Domine exaudi orationem nostram.
℟. Et clamor noster ad te perveniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis, &c. *Reliqua ut supra.*

ALIÆ PRECES.

Parochus ingressus cubiculum infirmi primum dicet.

℣. Pax huic domui.
℟. Et omnibus habitantibus in ea.
Deinde dicit quæ sequuntur capite aperto, conversus ad aliquam piam imaginem.
Psal. Qui habitat in adjutorio Altissimi: in protectione, &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Lectio S. Evangelii secundum Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.
In illo tempore: Erat dies festus Judæorum, & ascendit Dominus, &c. *usque* Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.
Pater noster. *Secreto.*
℣. Et ne nos inducas.
℟. Sed libera nos, &c.
℣. Miserere mei Domine, quoniam ego infirmus sum.
℟. Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.
℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.
℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te.
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus, &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. *Reliqua ut supra.*

ORDO MINISTRANDI EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM INFIRMIS.

Parochus convocatis parochiæ suæ clericis, certis campanæ percussionibus, & item confratribus sanctissimi sacramenti, in ecclesia parochiali paratis item cereis & umbella, manus lavabit.

Postea superpelliceo, stola & pluviali rubeis indutus, ad altare genibus flexis paululum tacitus orabit: mox ascendit, genuflectit, aperit tabernaculum, iterum genuflectit, extrahit pixidem suo velo tectam; super corporali in altari explicato collocat, rursus genuflectis, & claudit tabernaculum.

Tectus serico velo rubeo humeris brachiisque, simul pixidem utraque manu eodem velo cooperta, sinistra pedem tenens, dextra nodum ipsius pixidis, & sub umbella procedit; quæ a dignioribus laicis deferetur.

Clericus unus præibit, qui aquæ benedictæ vasculum cum aspergillo deferet; & tintinnabulum item per certa intervalla pulsabit: cujus sonitu populus ad religionis cultum sanctissimo Sacramento tribuendum genibus flexis procidens excitetur.

Alter item clericus, si fieri poterit, adjungetur, qui bursam rubeam corporali inclusa concinne feret ante pectus: & item librum hunc de quo ipse parochus, quæ oporteat, recitabit.

Cerei duo laternis inclusi a confratribus sanctissimi sacramenti præferentur: quæ lumina ventorum vi præsertim per hyemem extingui non possint.

Septem psalmos pœnitentiales parochus in via pie recitabit: quos si longum est iter, repetit, præsertim psalm. Miserere. *Et alias etiam religiosas precationes, hymnos & psalmos accommodatos quatenus spatium dabitur, idque cum sacerdotibus & clericis, qui comitabuntur alternatim.*

Reliqui fideles bini prosequentur orantes ipsi quoque: primo loco scholares sanctissimi sacramenti: deinde reliqui, viri scilicet, postremo fœminæ. Hæ capite velato, illi omnes capite aperto, omnes manu candelas accensas tenentes, ut plures possunt. Viri autem aliqui poterunt a lateribus etiam cum luminaribus comitari. Cubiculum ægrotantis parochus ingrediens ait:

℣. Pax huic domui.
℟. Et omnibus habitantibus in ea.
Tum reponit sanctissimum sacramentum in mensa apparata, candelis accensis, supposito pixidi corporali explicato, & genuflexus illud adorat. Postea surgens, aspergillum cum aqua benedicta accipit, ægrotum aspergit ad similitudinem crucis, cubiculum, & reliquos, qui præsens adsunt, dicens antiphonam.
Asperges me hyssopo, &c. Gloria Patri, &c. *tum repetit antiphonam.*
Mox dicere pergit preces sequentes, ita versus ad ægrotum ut tamen etiam sanctissimum sacramentum reverenter aspiciat.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filium iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici & persequentis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium, &c.

Si ægrotus extra lectum genibus flexis esse poterit, ut supra dictum est, scamnum panno mundo ecclesiastico stratum ante se habeat; aut ipsum pannum saltem a clericis clericove sustentatum. Si vero in lecto esse necesse sit; ut potest, elevatus & amictus communicabit, panno itidem ante se extenso.

Hic clericus versus sanctissimum sacramentum & parochus genuflexus monet ægrotum & cæteros omnes signum crucis sibi adhibere, & ipse signans se dicit: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. *Et manibus junctis, confessionem generalem dicit. Ægrota, si potest cum eo saltem summissa voce pronuntiante, aut saltem attente audiente: percutitque ter pectus ad ea verba* mea culpa. Confiteor Deo &c.

Qua confessione pronunciata parochus dicit Deo gratias. *Tum statim pergit dicere manibus junctis,* Misereatur tui, *& Post manu dextra crucis signum versus ægrotum adhibet & dicit:* Indulgentiam, &c. *Postea dicit sequentem orationem manibus extentis, & clerico librum tenente.*

Orb-

Oratio.

Dominus noster Jesus Christus, qui dixit discipulis suis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo: de quorum numero quamvis indignos nos esse voluit, ipse te absolvat ab omnibus peccatis tuis quæquovis modo cogitatione, locutione & operatione egisti, atque a peccatorum nexibus absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum. Qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto, vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ubi parochus hæc precatus erit, ad mensam se convertit, genuflectit, aperit pixidem, iterum genuflectit, manu sinistra pixidem prehendit, & alterius manus duobus digitis, pollice & indice sacramentum accipit, paululumque de pixide elevat & conversus in medio mensæ versus ægrotum ut illud adoret, brevi pro persona & temporis ratione excitat illius fidem & devotionem, & dicit: Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi. *Tum clericus genuflexus ut supra dicit:* Domine non sum dignus, &c. *quod iterum ac tertio repetet, per singulas vices pectus percutiens. Qua formula etiam utendum est, cum fœminis communio ministratur: & ægrotus una cum clerico eam pronunciabit saltem summissa voce.*

Quibus verbis pronunciatis parochus caute & diligenter præbet ei Sacramentum, & signum crucis super pixidem ante faciem ægroti faciens dicit: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. *Ægrotus respondet:* Amen.

Videat vero parochus, ut antequam sanctissimum Sacramentum præbeat, satis spatii relinquat ad dicendum. Amen.

Si vero infirmo communionem pro viatico ministrat, dicat hoc modo: Accipe frater, *si vero fœmina,* soror, viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in vitam æternam. *Ægrotus respondet:* Amen.

Postea parochus digitis pollice & indice, quibus ministravit, super pixide simul junctis, ad mensam revertitur. Ubi deposita pixide super corporale, eaque contecta, tunc facta genuflexione statim digitos quibus sacramentum tetigit, vino & aqua abluit in vase non consecrato, ad eum usum præcipue parato, quod secum portandum curabit, tum purificatorio abstergit, clericus autem præbet ægroto ablutionem. Quod si ægrotus sumere non potest, eam ad ecclesiam deferet & in sacrarium mittet.

Facta purificatione parochus stans ut supra, dicit manibus junctis.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor noster ad te perveniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde manibus extentis, orationem sequentem.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus te humiliter, &c.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.
℣. Benedicat & exaudiat nos Deus.
℟. Amen.
℣. Procedamus cum pace.
℟. In nomine Christi.
Benedicamus Domino. Deo gratias.

Hic infirmum parochus aliquid admonebit ex iis quæ supra exposita sunt: hocque in primis ut in tempore petat Extremam-unctionem, sique in eo statu est, ut non sit differenda, ipse parochus nullam moram interponet.

Videbit antequam inde discedat, ut si aliquando sanctissimum sacramentum palato ægroti adhæserit; tantum vini aut aquæ det, ut illud glutiat: quod ubi factum viderit, ad mensam genuflectet, & pixidem capiet, ut attulit, & versus ægrotum cum ea crucis signum faciet.

Ita ad ecclesiam rediens, quo ordine venerat, dicit canticum sequens, & item alias religiosas preces ad hunc usum accommodatas, præcipue cum longum est iter, cum sacerdotibus & clericis alternatim, ut supra Canticum: Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.

Reversus vero collocat debita reverentia pixidem cum sacramento super altari, supposito corporali extento, genuflectit, postea stans manibus junctis dicit:

℣. Panem de cœlo præstitisti eis.
℟. Omne delectamentum in se habentem.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde manibus extensis dicit orationem sequentem.

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili, &c.

Qua oratione peracta genuflectit, pixidem utraque manu tenens, signum crucis cum ea versus populum adhibet benedicens his verbis:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, † & Filius & Spiritus-sanctus. Amen.

Deinde conversus ab alia parte ad altare, reponit pixidem in tabernaculo, genuflectit, postea claudit.

Tum indulgentiam publice denuntiat iis concessam qui sacramentum eo modo comitantur: paucis verbis eos cohortans ut in religioso eo instituto perseverent, & ita fideles in pace dimittet.

ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.

Parochus vocatus ad ministrandum sacramentum Extremæ-unctionis, omnibus iis quæ non supra præscripta sunt recte animadversis & præparatis: ut parochia sua fideles excitet ad orandum pro infirmo, & convocet sua parochiæ sacerdotes alios clericosve, quorum ministerio, ut supra dictum est in administratione utatur; campanæ signum statim dandum curabit, quod a signo communionis distinguatur.

Mox vero indutus superpelliceo & stola violacea, accipit vas olei sacri.

Clericus indutus superpelliceo vas feret aquæ benedictæ, cum aspersorio, & librum hunc sacramentalem.

Curabit etiam crucifixi parvam imaginem afferri, si forte ægroto ea desit. Item cereum laterna inclusum: idque per clericum, si adsit.

Tintinnabulum vero non adhibebitur.

Dum in via est & ad ægrotum accedit, psal. dicet: Miserere mei Deus, &c. *& alias pias preces.*

Cubiculum autem, ubi ægrotus jacet, ingrediens dicit: ℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Tunc vas olei sacri reponit in mensa præparata, ubi candela accensa sit, deinde dicit:

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus qui benedixisti vestigia apostolorum tuorum Petri & Pauli atque Andreæ; dignare benedicere domum istam atque ingressum illum: Expelle hinc Domine omnes insidias diaboli, & reple eam omni gaudio, lætitia, sanitate & pace; & fac eam abundare omnibus bonis, ut de tua largitate semper abundet, & angelus tuus bonus semper eam in pace custodiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Propitius sit nobis omnipotens & misericors Deus, qui fecit cœlum & terram, & benedicat nos. ℟. Amen.

Hic aqua benedicta parochus ægrotum ad crucis similitudinem aspergit, & stantes, & cubiculum item dicens:

℣. Pax & benedictio Dei omnipotentis Patris †, & Filii †, & Spiritus † - sancti, descendat super domum istam & super habitantes in ea. ℟. Amen.

Aspersione peracta, & crucifixi etiam imagine ante oculos ægroti collocata, parochus ab illo quærit an aliquid habeat recordeturve, quod confiteri velit: sique nihil quicquam habet, clericus versus sacram imaginem & parochum, genuflexus monet ægrotum & ceteros omnes signum crucis sibi adhibere, & ipse signans se dicit:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen.

Et manibus junctis confessionem generalem dicit; ægroto, si potest, cum eo saltem summissa voce pronunciante, aut saltem attente audiente, percutitque ter pectus ad ea verba: mea culpa. Confiteor Deo omnipotenti, &c.

Deinde parochus manibus junctis dicit: Misereatur tui, *&c.*

Deinde signum crucis dextera formans versus ægrotum dicit: Indulgentiam, absolutionem † & remissionem, &c.

Postea omnes qui adsunt, & præsertim familiam præsentem, genibus flexis orare jubet: tum is genibus etiam flexis, dicit una cum aliis psalmos pœnitentiales & litanias, ut mox infra, si tempus datur: alioqui si non datur, ut supra, dum ab aliis psalmi & litaniæ dicuntur, ipse stata formula inferius descripta unget.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, &c.

Antiphona. Infirmus sum. *Psal.* Domine ne in furore tuo arguas me, &c.

Post litanias. Pater noster. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas.
℟. Sed libera.

℣. Adju-

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
Credo in Deum. *Secreta.*
℣. Carnis resurrectionem.
℟. Vitam æternam. Amen.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici & persequentis.
℣. Domine exaudi orationem nostram.
℟. Et clamor noster ad te perveniat.
℣. Exurge Christe adjuva nos.
℟. Et libera nos propter nomen tuum.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Quam super ægrotum parochus stans, manumque dexteram illi imponens, dicit: quod idem faciunt reliqui sacerdotes qui adsunt.

Sanctum ac venerabile nomen gloriæ tuæ invoco, excelse Deus, Pater omnipotens, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui in altis habitas & humilia respicis, respice super impositionem manuum quam facimus super hunc famulum tuum N. quæ manus spiritualiter operentur super eum. Da ei, Domine, sanitatem corporis & integritatem mentis, longanimitatem vitæ, prosperitatem in valetudine, & ab omni inquietudine inimici libera eum, qui liberasti filios Israel de terra Ægypti, Petrum de custodia carceris, Paulum de vinculis, Susannam de falso crimine, Danielem de lacu leonum, tres pueros de camino ignis ardentis, Jonam de profundo maris, Lot de Sodomis: Ita misereris, Domine, qui misertus es civitati tuæ Ninive. Domine sis ei adjutor, protector atque defensor, sicut fuisti puero tuo David ad expugnandum Goliath; & aperi oculos cordis ejus ad cognoscendum voluntatem tuam, sicut aperuisti oculos capitis Tobiæ ad videndum visibilia, & perduc eum ad regnum tuum cœleste. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

His precibus peractis, vel dum peraguntur, ut supra dictum est, Parochus pollice intincto oleo sacro ungit in formam crucis has septem corporis infirmi partes, oculos, aures, nares, os, manus, pedes, ac renes. Dumque ungit, verborum formam ut infra, in singulis partibus profert, crucis signum singulis etiam adhibenda. Ubi vero unamquamque partem unxit: Ipsemet aut sacerdos alius, si adest, aut clericus sacris initiatus partem inunctam continuo tergit bombacio, quod in vase mundo ponitur, ad eum usum parato, quod secum portandum curabit, quodque deinde peracta tota unctione ad ecclesiam deferat & ibi comburatur: cineres vero projiciuntur in sacrarium.

Ad oculos, primo dexterum, deinde sinistrum.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam † † indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. ℟. Amen.

Ad aures.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam † † indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquisti. ℟. Amen.

Ad nares.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam † † indulgeat tibi Dominus, quidquid per olfactum deliquisti. ℟. Amen.

Ad os, labris compressis.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam † † indulgeat tibi Dominus quidquid per gustum & locutionem deliquisti. ℟. Amen.

Ad manus.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam † † indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquisti. ℟. Amen.

Sacerdoti infirmo non interius sed exterius manus unguntur, ut supra dictum est.

Ad pedes in plantis.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam † † indulgeat tibi Dominus, quidquid per gressum deliquisti. ℟. Amen.

Ad renes.

Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam † † indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborum delectationem deliquisti. ℟. Amen.

Mulieri renes non unguntur, ut supra dictum est.

Postea parochus digitum pollicem quo unxit, medulla panis bene fricat, & aqua abluit in vase supra dicto, tum manutergio abstergit. Ablutionis vero aquam cum mica effert in sacrarium.

His finitis, dicit sequentes orationes ad ægrotum versus manibus extensis.

Oratio.

Domine Deus, qui per beatum Apostolum tuum Jacobum, &c.

Orationes sequentes alternatim, si plures adsint sacerdotes dicunt. Singulæ cum Dominus vobiscum: *Et concluduntur item singulæ* per Dominum, &c. *Si vero parochus solus est, ipse singulas dicit primæque tantum præponit* Dominus vobiscum, *& ultimam solum concludit* Per Dominum &c..

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate, &c.

Oratio.

Deus qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, &c.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, &c.

Oratio.

Deus qui beatum Petrum apostolum misisti ad Tabitham, &c.

Oratio.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium, &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Kyrie eleison. Kyrie eleison, Kyri eleison,
℣. Benedicat & exaudiat nos Deus.
℟. Amen.
℣. Procedamus cum pace.
℟. In nomine Christi.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Pax & benedictio Dei omnipotentis Patris † & Filii † & Spiritus † sancti, descendat super te & maneat semper. ℟. Amen.

QUÆ PAROCHUS AGET POST MINISTRATIONEM.

Parochus ministrato sacramento Extremæ-unctionis si videt spatium vitæ esse, antequam discedat, ægrotum alloquetur, & consolabitur brevibus ac suavibus ardentibusque verbis: quibus illum maxime hortetur ad vim ægritudinis patienter pro Christo Domino sustinendam, ad rerum humanarum cogitationes abjiciendas, ad satanæ suggestiones christiana virtute depellendas, ad spem de divina misericordia concipiendam & ad desiderium imprimis vitæ æternæ. Tum præterea hortabitur, ut se piorum religiosorumque precibus & orationibus commendet: pias lectiones audiat, si potest; præcipue Domini passionem, quam ipse etiam parochus, pro opportunitate leget, eleemosynas si potest det: propositaque ob oculos Christi passione & cruce, assidue pie meditetur mortem quam omni sanctæ christianæque humilitatis significatione fortiter obeat: velitque in cinere & cilicio ut pœnitentem, mori, quemadmodum christianum hominem decere sanctus Martinus affirmavit, & suo exemplo docuit. Quod si infirmus ita velle mori dixerit, tunc parochus cinerem & cilicium benedicet, ut infra suo loco. Manibus etiam junctis instar orantis, exemplo S. Ambrosii proposito, ut moriatur pie poterit moneri.

Ne vero Crucifixi imago & etiam alia pro devotione desit morienti, cujus aspectu excitetur terreaturque: quam crucifixi imaginem ipse etiam moriens manu pie tenere poterit.

Monebit præterea parochus domesticos, ut pro infirmo orent, ac ne corporis curam deserant, hocque imprimis ut aliquem ante mortem horis mittant, qui se vocet, ut in commendatione animæ præsto esse possit.

De cura etiam spirituali ægroti cetera præstare parochus studebit, quæ supra titulo de visitatione infirmorum, ordine præscripta sunt.

Ad ecclesiam demum, quomodo venit redibit devote dicendo psalm. Qui habitat, *& alias pias orationes.*

ORDO XXXIII.

Ex Græcorum Euchologio.

OFFICIUM SANCTI OLEI DECANTATUM A SEPTEM SACERDOTIBUS CONGREGATIS IN ECCLESIA AUT IN DOMO.

A *Benedictione primo sacerdotum auspicato. Incipimus* ter sanctus.

Sanctissima Trinitas, Pater noster.

Quia tuum est.

Domine miserere, *duodecies.*

Venite adoremus, *ter.*

Domine exaudi orationem meam.

Deinde parva collecta dicatur.

Alleluja, *tonus obliquus secundus.*

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Versiculus. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. *Deinde moduli.* Miserere nostri, Domine. Gloria. Domine miserere nostri. Et nunc. Misericordiæ portam.

Psalmus quinquagesimus.

Et canon cujus acrostichis est.

Oratio olei psalmus Arsenii.

Canticum primum, Tonus quartus.

Maris rubrum pelagus.

Oleo misericordiæ, Domine, qui exhilaras semper animas simul & corpora mortalium, & fideles oleo custodis, ipse quoque nunc miseratione moveare, propter eos qui per oleum ad te recurrunt.

Tua misericordia, Domine, tota plena est terra: hinc præclaro tuo oleo qui ungimur hodie, misericordiam earum omnem superantem, fideliter exposcimus nobis concedi.

Unctionem tuam sacram, o benigne, qui apostolis tuis super infirmis famulis perfici præcepisti illorum ope, cunctorum per lignum tuum miserere.

Deipara.

O sola pura, quæ pacis pelago ditata es, juglbus tuis apud Deum precibus, a morbis & calamitatibus, famulum tuum eripe, ut incessanter te magnificet.

Canticum tertium. Io te lætatur.

Qui solus mirandus es & erga fideles homines propitius, pariter infirmato gratiam tuam, Christe, cælitus præbe.

Qui quondam olivæ ramum ad diluvii cessationem divino tuo nutu ostendisti, Domine, salva in misericordia tua hunc infirmum.

Divina lucis lampade, in misericordia tua, Christe, exhilara per unctionem & miserationis tuæ fiduciam ad te nunc recurrentem.

Deipara.

Respice elementer, mater factoris omnium, de superis, & tuis intercessionibus amaram infirmitatem languentis hujus solve.

Sessio. Tonus obliquus quartus.
Aulæ pastoralis.

Ut divinus fluvius misericordiæ existens, ut abyssus benignitatis multæ, misericors, manifesta benignitatis tuæ divina fluenta, & omnibus medere: miraculorum fontes ex te abundanter scaturiant & emanent. Ad te namque omni tempore ferventer recurrentes, tuam gratiam experimus.

Alia sessio. Tonus quartus.
In cruce sponte exaltatus.

Medice & auxiliator in doloribus, liberator & salvator in morbis, ipse Domine & Dominator, medelam ægrotanti tuo famulo largire: compatere, miserere in multis te offendentis, & a reatibus, Christe, illum eripe, ut divinam virtutem tuam glorificet.

Canticum quartum. Sublatum te videns.

O Salvator, qui velut unguentum incorruptum effusum in gratia & expurgans mundum existis: compatere, miserere illius qui divina tua fide carnis cicatrices perungit.

Jucunditate signi misericordiæ tuæ sensus nunc servorum tuorum consignans, Domine, impervium & inaccessum assultum cunctis potestatibus adversariis redde.

Qui sacerdotes divino numine afflatos advocari jubes, ut eorum congressu & unctione misericordiæ tuæ salventur homines, o benigne, salva tua misericordia hunc ægrotum.

Deipara.

Deipara, perpetua virgo sanctissima, protectrix valida, portus & murus, scala & munimen; miserere compatere: ad te namque solum recurrit ægrotus.

Canticum quintum. Tu, Domine, lumen meum.

O bone, qui misericordiæ es abyssus: miserere, misericors, tua divina miseratione ejus qui ægrotat, ceu pius.

Animas nostras, Christe, & corpora signi tui sacri typo ineffabiliter sanctificans, manu tua cunctos sana.

Qui inexplicabili affectu meretricis unguenti unctiones, optime Domine, suscepisti, miserere hujus famuli tui.

Deipara.

Pura, celebranda, super omnes benigna Domina, oleo divino unctorum miserere, & famulum tuum serva.

Canticum sextum. Cum clamore tibi sacrificabo.

Qui tuis verbis, o benigne, olei unctionem in regibus ostendisti, & in pontificibus eam perfecisti: signo tuo & hunc patientem salva, ut humanus.

Virulentorum appulsus dæmonum nec unctione divina signati sensus attingat, Salvator: Verum gloriæ tuæ protectione eum circumvalla.

Manum tuam ex alto præbe, o benigne, & hoc oleum sanctificans, Salvator, in salutem & languorum omnium depulsionem illud famulo tuo impartire.

Deipara.

In Dei tui domo, oliva fructifera, o mater Dei apparuisti, per quam misericordia orbis plenus factus est, serva ideo precum tuarum ope hunc ægrotum.

Breviculum, tonus secundus.

Superna requirens.

Misericordiæ fons existens super omne, bone, ferventi fide oleo tuo ineffabili procidentes, o pie, omnigena libera infirmitate, & eorum morbis sublatis, divinam superne gratiam præbe.

Canticum septimum. In fornace Abrahamæi.

Tu qui in misericordia & in compassione animarum morbos corporumque vulnera curas, Salvator meus, Deus solus, etiam huic morbis affecto medelam largitus salutem præbe.

Dum olei unctione cunctorum capita impinguantur; lætitiæ fructum, huic misericordiam tuam exposcenti largire abundanti pietate salutis, Christe Domine.

Gladius est adversus dæmones signum tuum, Salvator, Sacerdotum vero congressibus fit etiam ignis, animæ pravas affectiones absumens: hinc nos qui medelam hanc excepimus, fideliter te laudamus.

Deipara.

Tu quæ pugillo cuncta continentem divina ratione in utero conclusisti, & ineffabiliter corpus ei dedisti, mater Dei, hunc pro infirmo isto interpella, precamur.

Canticum octavum. Manibus extensis.

Miserere, omnium Salvator, secundum magnam & divinam tuam misericordiam. Huc idcirco convocati sumus, miserationum tuarum cursum mystice repræsentantes, fide servo tuo olei unctionem adhibituri, quem ut ægrotum elementer invise.

Misericordiæ tuæ fluentis, Christe, & sacerdotum tuorum linimentis abstergę, Domine, ut humanus, dolores, infirmitatem, & incrementa languorum hujusce, qui in morborum angustiis deficit, ut salvatus gratanter tibi gloriam reddat.

Superni symbolum effluxus & jucunditatis, divinam nempe miserationem describentibus, a nobis, Domine, benignitatem tuam ne semoveas, neque despicias eum fide jugiter clamantem: Benedicite opera Domini Domino.

Deipara.

Præclaram velut coronam, divinum tuum partum, hostium phalanges abigentem, & viribus eos exsuperantem natura suscepit: propterea gratiarum decore te adornantes, laudes tuas canimus semper celebranda Domina.

Canticum nonum. Lapis sine manibus præcisus.

Annue cælitus, misericors, cunctis misericordiam tuam, manifesta auxilium tuum nunc, virtutemque tuam ad te accedenti per sacerdotum divinam unctionem, præbe o benigne.

Videamus, optime Salvator, lætantes sacrum oleum, præ participibus effluxu divino a te acceptum, iisdemque divini lavacri consortibus typice a te exhibitum.

Compatere, miserere Salvator, libera a malis & languoribus, a maligni jaculis famulos tuos, animas & corpora eripe, ut misericors Dominus divina gratia medelam præbens.

Deipara.

Laudibus & orationibus servorum tuorum susceptis, Virgo, gravibus infirmitatibus & languoribus, tua prece libera, o illibata, eum qui per nos ad tuam divinam protectionem recurrit.

Vere dignum est. Pretiosiorem.
Amandatorium. Visitavit nos.

Benigno respice oculo, bone, ad preces nostras, qui hodie templum sanctum tuum, sacro oleo famulos tuos infirmos uncturi, convenimus.

Ad Laudes: Versus similares.
Tonus quartus.
Dedisti signum.

Dedisti gratiam tuam per apostolos tuos, o Benigne & qui facile reconciliaris, ut sancto tuo oleo cunctorum mederentur vulneribus & morbis. Ad oleum propterea tuum nunc fideliter accedentem sanctifica, & miserere ut humanus: omni morbo expurga illum, & inenrrupta tua voluntate redde dignum, Domine.

Respice, incomprehensibilis, de coelo ut benignus: manu tua invisibili & oleo sancto tuo consigna sensus nostros, & ei qui fideliter ad te accurrit, delictorumque suorum veniam petit, medelam largire corporis & animæ: ut virtutem tuam magnificans affectu te laudet.

Olei tui unctione, & sacerdotum tuorum attactu, sanctifica famulos tuos, o Benigne; a morbis superne libera, animæque sordes expurga: ablue, Salvator, & a multiplicibus offendiculis erue: dolores mitiga, calamitates abige, & angustias depelle, ut miserator & pius.

Gloria. Et nunc.

Deipara.

Te purissimum Regis palatium deprecor, celebranda, sordidum animum meum peccatis omnibus perpurga; & jucundum habitaculum superdivinæ Trinitatis effice, ut potentiam tuam & immensam pietatem a te salvatus inutilis servus tuus laudibus extollam.

Ter sanctus. Sanctissima Trinitas.
Pater noster. Quia tuum est.

Modulus. *Tonus quartus.*

Christe, qui solus ad opem ferendam velox existi, citam e supernis protectionem servis tuis exhibe: a morbis libera illos, & ab amaris languoribus eripe, ut te laudent, & irrequiete celebrent: precibus Deiparæ, sole Benigne.

Et confestim collectam diaconus aut primus sacerdotum subjungit.

In pace Dominum precemur.
Pro superna pace.
Pro salute totius.
Pro sancta hac domo.
Ut oleum hoc virtute & operatione, & adventu Spiritus-sancti benedicatur; Dominum precemur.
Pro servo Dei N. & ejus in Deo visitatione, & ut super eum Spiritus-sancti gratia adveniat, Dominum precemur.
Ut ipse & nos liberemur.
Suscipe, salva, miserere.
Sanctissimæ illibatæ.

Mox primus sacerdotum olei benedictionem recitat coram lucerna. Sciendum in magna ecclesia, vice aquæ, vinum in lucernam oleum benedictum continentem infundi.

Dominum precemur.

Domine, qui in misericordia & miserationibus tuis animarum corporumque contritiones curas: ipse, Domine, oleum hoc sanctifica, ut in medelam omnis passionis carnalis, & spiritualis inquinamenti, & omnis denique mali depulsionem ex illo unctis fiat: ut in eo glorificetur sanctissimum nomen tuum, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Dum recitatur a sacerdotibus oratio, cantantur moduli sequentes.

Christe, qui solus ad opem ferendam velox existi, citam e superis protectionem servis tuis exhibe: a morbis libera illos, & ab amaris languoribus eripe: ut laudent, & irrequiete celebrent, precibus Deiparæ, sole Benigne.

Oculis animæ captus ad te, Christe, accedo, velut a nativitate cæcus, in pœnitentia ad te clamans: Propitiare, qui solus facile reconciliaris.

Animam meam, Domine, omni peccatorum genere & indecoris actionibus graviter dissolutam divina tua ope erige, sicut paralyticum quondam erexisti: ut salvus te invocem, præbe mihi, misericors Christe, medelam.

Ut Domini discipulus suscepisti, o Juste Jacobe, evangelium, ut martyr coronam a nullo describendam consequutus es, ut frater Domini auctoritate poles, ut pontifex jus intercedendi nactus es, interpella Christum Deum, ut animæ nostræ salventur.

Verbum Patris, unigenitus Filius, ultimis temporibus ad nos adveniens, Jacobe venerande; primum te dedit Jerosolymorum pastorem & doctorem, & divinorum sacramentorum œconomum fidelem: hinc omnes, apostole, te colimus.

Tonus tertius.

In unguentis, Sancte, sacerdos probatus es: Christi namque evangelium adimplens, beate Nicolae, animam pro populo tuo posuisti, innocentes morte eripuisti; sanctusque propterea effectus es, ut magnus Dei gratiæ myster.

Tonus tertius.

Magnum te invenit in periculum defensorem orbis, gentes adversas in fugam vertentem, tropheis inclite Demetri. Ut igitur Lyæi elationem repressisti, & in stadio Nestorem animasti: Sic, o Sancte, Christum interpella, ut magnam nobis misericordiam elargiatur.

Tonus Tertius.

Tropheis præclare, sancte & mediator Panteleemon, misericordem Deum roga, ut peccatorum veniam animabus nostris donet.

Tonus obliquus quartus.

Sancti pretio non conducti, & miraculorum operatores, Cosma & Damiane, animas nostras visitate: ut gratis accepistis, sic & gratis elargiamini.

Tonus secundus.

Magnitudinem tuam quis enarrare sufficiat, o virgo Johannes? miraculis enim scaturis, & curationibus abundas, & pro animabus nostris intercedis, ut Theologus & amicus Christi.

Tonus

Tonus secundus.

Intercessio fervens, munimen inexpugnabile, misericordiæ fons, mundi refugium, intense clamamus ad te, Deipara Domine: succurre & a periculis nos eripe, quæ sola protectionem velociter præbes.

Propositum. Tonus primus.

Fiat misericordia, Domine, super nos,
Versiculus. Exultate justi in Domino.

Apostolus.
Catholica epistola Jacobi lectio.

Fratres, exemplum accipite laboris & patientiæ prophetas qui locuti sunt in nomine Domini. *Finis*, Confitemini alterutrum peccata, & orate pro invicem ut curemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.

Alleluja. *Tonus obliquus quartus.*
Misericordiam & judicium cantabo tibi.
Evangelium ex eo quod est secundum Lucam.

In illo tempore quidam Legisperitus accessit ad Jesum tentans eum & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? *Finis*, At ille dixit: qui fecit misericordiam in illum. Et ait Jesus, vade & tu fac similiter.

Deinde dicitur: Miserere nostri, Deus, secundum magnam, *ut supra.*

Adhuc rogamus pro misericordia, vita, pace, sanitate, salute.

Ut illi condonetur omne delictum.

Quia misericors & hominum amator Deus existis, & tibi gloriam.

Et oratio.
Dominum precemur.

Principii successionisque expers, sancte sanctorum, qui Filium tuum unigenitum misisti sanantem omnem morbum & omnem infirmitatem animarum & corporum: Emitte sanctum tuum Spiritum, oleumque hoc sanctifica: & ungendo huic servo tuo, illud in perfectam liberationem peccatorum ejus, & in regni cælorum hæreditatem perficiendam effice.

Sciendum orationem hanc hucusque solummodo quosdam recitare: & confestim exclamationem, Tuum est enim misereri. *Alios vero ad finem usque eam percurrere.*

Tu enim Deus magnus es & mirabilis, qui testamentum tuum & misericordiam tuam diligentibus te observas, qui remissionem peccatorum tribuis per sanctum puerum tuum Jesum Christum, qui regeneras nos e peccato, cæcos illuminas, & contractos erigis, qui justos diligis, & peccatorum misereris, qui e tenebris & umbra mortis novitet nos eruisti dicens in captivitate detentis: exite; & iis qui in tenebris, revelamini: illuxit enim in cordibus nostris lumen cognitionis vultus tui, ex quo in terris visus es, & propter nos cum hominibus versatus es, recipientibus te tribuens potestatem filios Dei fieri per lavacrum regenerationis, cum donata nobis adoptione immunes nos a diaboli tyrannide constituisti: quandoquidem non complacuit tibi in sanguine nos expiari, sed in oleo sanctæ crucis tuæ figuram concessisti, ut Christi simus ovile, regale sacerdotium, gens sancta, emundans nos in aque & Spiritu-sancto tuo nos sanctificans. Ipse, Dominator Domine, huic tuo ministerio gratiam præbe, sicut dedisti Moisi servo tuo, & Samuel dilecto tuo, & Johanni electo tuo, & omnibus in unaquaque generatione & generatione tibi complacentibus. Præsta pari modo novi Testamenti tui ministros nos fieri, in oleo hoc, e te pretioso sanguine tuo acquisito, ut mundi cupiditatibus exuti, peccato moriamur, vivamus justitiæ, induti Dominum nostrum Jesum Christum per unctionem sanctificationis in oleum hoc inducendæ. Fiat, Domine, oleum hoc, oleum exultationis, oleum sanctificationis, regium indumentum, virtutis thorax, omnis diabolici machinamenti depulsio, sigillum insidiis liberum, cordis gaudium, lætitia sempiterna; ut & in hoc uncti, fiant regenerationis oleo adversariis tremendi, & in sanctorum splendoribus effulgeant, non habentes maculam aut rugam, & in æternam requiem admittantur, & tandem supernæ vocationis præmium percipiant. Quia tuum est misereri & salvere nos, Christe Deus noster, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui.

Et post orationem accipit sacerdos sanctum oleum, & Extremam-unctionem suscipientem ungit, sequentem orationem dicens:

Pater sancte, animarum & corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem misisti: sane quoque servum tuum N. a detinente ipsum corporis infirmitate, & vivifica illum per Christi tui gratiam, intercessionibus super omnes sanctæ Dominæ nostræ Deiparæ & semper Virginis Mariæ, protectionibus venerandarum supercælestium virtutum incorporearum, virtute pretiosæ & vivificæ crucis, honorandi gloriosi prophetæ, Præcursoris & Baptistæ Johannis, sanctorum gloriosorum & toto orbe celebrium apostolorum, sanctorum gloriosorum & victoriis clarorum martyrum, & deiferorum Patrum nostrorum, sanctorum medicorum mercede non conductorum, Cosmæ & Damiani, Cyri & Johannis, Pantaleonis & Hermolai, Sampsonis & Diomedis, Photii & Aniceti, sanctorum & justorum Dei parentum Joachim & Annæ, & omnium sanctorum. Amen.

Quia tu es fons sanitatum, Christe Deus noster, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui: nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Hæc oratio dicitur ab unoquoque sacerdotum postquam dixerit evangelium & orationem, tum videlicet infirmum oleo perungit.

Sciendum vero apostolum a diacono legi.

Propositum. Tonus secundus.

Fortitudo & laus mea Dominus.
Versiculus. Castigans castigavit me Dominus.

Apostolus
Ad Romanos epistola Pauli lectio.

Fratres debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. *Finis.* Propter quod suscipite invicem sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei.

Alleluja. *Tonus obliquus primus.*
Versiculus. Misericordias tuas Domine.
Evangelium secundum ex Luca.

In illo tempore, perambulabat Jesus Jerico, & ecce vir nomine Zacchæus, & ipse erat princeps publicanorum & ipse dives, & quærebat videre Jesum quis esset. *Finis.* Venit enim filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.

Miserere nostri Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Adhuc rogamus pro misericordia, vita, pace, sanitate, salute.

Ut condonetur ei.

Quia misericors.

Diaconus.
Dominum Precemur.
Secundus sacerdos subdit orationem.

Deus magnus & excelsus, qui ab omni creatura adoreris, sapientiæ fons, & veræ bonitatis investigabilis abyssus, & pietatis immensum pelagus: Ipse Domine benigne, æternorum & mirabilium Deus, quem nullus hominum contemplatus comprehendere potest: Respice, exaudi nos indignos famulos tuos; & ubi in nomine tuo magno oleum hoc proferimus, emitte liberalitatis tuæ medicamenta, & peccatorum indulgentiam: & sana cunctos in misericordiæ tuæ multitudine. Ite, Domine, facile reconciliande, solus misericors & humanus, pœnitentiam agens super malitia hominum, & cognoscens quia prone est cogitatio hominis in maligna juventute sua, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: qui propter peccatorum salutem, permanens Deus, homo factus es; & propter creaturem tuam creaturarum ordinem ingressus es. Tu es qui dixisti: non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Tu es qui ovem perditam & dragmam diligenter requirens invenisti. Tu es qui dixisti: eum qui venit ad me non ejiciam foras. Tu es qui meretricem honorandos pedes tuos lacrymis rigantem non exhorruisti. Tu es qui dixisti: quoties cecideris, suscitare & salvaberis. Tu es qui dixisti: quia gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente. Ipse respice, benigne Domine, obumbrans nobis peccatoribus & indignis servis tuis in gratia Spiritus-sancti, in hac hora, & super famulum tuum N. propria delicta agnoscentem, & ad te fide accedentem, reside: & propria tibi humanitate suscipiens eum, si quid deliquit in verbo, aut opere, aut cogitatione, veniam præbens, dele; & ab omni peccato illum emunda; & jugiter ei assistens conserva illum residuo vitæ suæ tem-

tempore in justificationibus tuis procedentem, ne ultra gaudium diabolo præbeat, quin potius in illo sanctissimum nomen tuum glorificatur.

Exclamando.

Tuum est enim misereri & salvare nos, Christe Deus, & tibi gloriam referimus, cum principii experte tuo Patre, & sanctissimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu: nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde dicit tertius sacerdos.

Propositum. Tono tertio.

Dominus illuminatio mea & salvator meus. *Versiculus.* Dominus defensor vitæ meæ.

Apostolus.
Ad Corinthios epistolæ Pauli lectio.

Fratres, vos estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas. *Finis.* Omnia suffert, omnia sustinet. Caritas numquam excidit.

Alleluja. *Tonus secundus.*

In te speravi, Domine, non confundar in æternum.

Evangelium ex Matthæo.

In illo tempore; convocatis Jesus duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum. *Finis.* Gratis accepistis, gratis date.

Diaconus.

Miserere nostri Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Adhuc rogamus pro misericordia, vita, pace, sanitate, salute.

Ut ipsi omne delictum condonetur.

Sacerdos.

Quia misericors & hominum amator existis.

Diaconus.
Dominum precemur.
Et tertius sacerdos orationem.

Omnipotens Domine, Rex sancte, qui corripis, & morti non tradis, decidentes fulcis, & contractos erigis, qui corporeas hominum infirmitates in utilitatem eorum disponis; te poscimus, Deus noster, ut misericordiam tuam super oleum hoc; & ex eo in tuo nomine unctos idoneas; ut fiat illis in animæ corporisque salutem, in curam & liberationem omnis doloris, omnis morbi, & infirmitatis, & denique omnis inquinamenti carnis & spiritus. Ita, Domine, medicam tuam virtutem emitte cælitus, ut corpus attingat: febrem extingue, dolorem mitiga, & omnem latentem languorem. Fias medicus hujus servi tui: erige eum e dolorum lecto, ab infirmitatis strato. Salvum & incolumem illum Ecclesiæ tuæ largire, beneplacentem tibi, & voluntatem tuam exsequentem.

Exclamando.

Tuum est enim misereri & salvare, Deus noster, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Spiritui sancto; nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Quartus sacerdos.
Propositum. Tonus quartus.

In quacumque die invocavero te. *Versiculus.* Domine exaudi orationem meam.

Apostolus.
Ad Corinthios epistolæ Pauli lectio.

Fratres, vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis. *Finis.* Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.

Alleluja. *Tonus secundus.*

Expectans expectavi Dominum.

Evangelium ex Matthæo.

In illo tempore, veniens Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem & febricitantem. *Finis.* Et ascendente eo in naviculam, sequuti sunt eum discipuli ejus.

Diaconus.

Miserere nostri Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Adhuc rogamus pro misericordia, vita, pace, sanitate, salute.

Ut illi condonetur omne delictum.

Exclamando.

Quia tu es misericors, & amator hominum existis.

Diaconus.

Dominum precemur.
Et sacerdos orationem.

Bone & humane, pia & valde misericors Domine, qui abundas misericordia, & es dives in bonitate, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui per sanctos apostolos tuos fiduciam dedisti nobis, ut oleo cum oratione infirmitates populi curaremus: ipse & oleum hoc in medelam ex eo ungendis effice, in remedium omnis languoris & infirmitatis, in liberationem malorum, iis qui a te salutem expectant. Ita Dominator Domine Deus noster, rogamus te, omnipotens, ut nos omnes salves, solus animarum corporumque medicus: sanctifica nos omnes, qui morbum omnem curas: sana & præsentem servum tuum: erige eum e lecto doloris per misericordiæ tuæ benignitatem: visita eum in misericordia & miserationibus, omnem morbum & infirmitatem ab eo expelle: ut potenti tua manu erectus, cum omni gratiarum actione tibi serviat, & nos tuæ ineffabilis humanitatis participes laudemus, & glorificemus te facientem magna & mirabilia portenta, & laude digna opera.

Exclamando.

Tuum est enim misereri & salvare nos, Deus noster; & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Sancto-Spiritui; nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Quintus sacerdos.
Propositum: Tonus obliquus primus.

Tu, Domine, custodias nos. *Versiculus.* Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanandus.

Apostolus.
Ad Corinthios epistola Pauli lectio.

Fratres, nolumus vos ignorare de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia. *Finis.* Ut multis personis ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

Alleluja. *Tonus obliquus primus.*

Misericordias tuas, Domine, in æternum.

Evangelium ex Matthæo.

Dixit Dominus parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus. *Finis.* Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam, in qua filius hominis venit.

Diaconus.

Miserere nostri, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Adhuc rogamus pro misericordia, vita, pace, &c.

Ut condonetur ei omne delictum.

Exclamando.

Quia misericors & hominum amator Deus existis.

Et

Et sacerdos orationem.

Dominum precemur.

Domine Deus noster, qui corripis, & iterum sanas, qui de terra suscitas inopem, & de stercore elevas pauperem, orphanorum pater, & fluctuantium portus, ægrotorum medicus, qui infirmitates nostras absque labore portas, & morbos nostros assumis: qui in hilaritate misereris, & supergrederis iniquitates, & injustitias e nobis eufers; qui promptus es ad auxilium, & tardus ad iram: qui insufflasti in discipulos tuos, dicens: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Qui peccatorum pœnitentiam suscipis, & delicta multa graviaque condonandi potestatem habes, & medelam præbes omnibus morbo longaque infirmitate jactatis: qui & me abjectum peccatorem, & indignum servum tuum, multis delictis inundatum, & voluptatum effectibus volutatum, in sanctum & sublimem sacerdotii gradum evocasti, ut in interiora velaminis, in sancta sanctorum, ubi sancti angeli respicere cupiunt, ingrederer, ut evangelium vocem Domini Dei audirem, & facie ad faciem sanctam oblationem intuerer, & divino sacroque ministerio perfruerer: qui & mihi supercælestia tua mysteria sacrificandi potestatem dedisti, & tibi dona & hostias offerendi pro peccatis nostris & populi ignorantiis, & legatione fungendi pro rationalibus tuis ovibus, ut abundanti & inarrata tua humanitate earum delicta deleas. Ipse Rex optime, orationem meam exaudi in hac hora sanctaque die, & in omni loco & deprecationis meæ voci attende, & servo tuo N. corporis & animæ infirmitate detento medelam tribue, peccatorum delictorumque voluntariorum & non sponte commissorum venia ei donata, plagas eius insanabiles, omnemque morbum & omnem languorem cura. Animæ salutem ei tribue: tu qui socrum Petri tetigisti, & reliquit eam febris, & surrexit, & ministravit tibi. Ipse quoque, Domine, servo tuo medelam prebe, & ab omni lethifero morbo immunitatem. Recordare copiosarum miserationum tuarum & misericordiæ tuæ. Recordare quia sedulo prona est cogitatio hominis ad maligna e juventute sua, & nullus invenitur absque peccato super terram. Tu enim solus absque peccato exsistis, qui venisti ut genus humanum salvum faceres, & a servitute inimici nos liberares. Si enim in judicium intraveris cum servis tuis, nullus absque sordibus mundus invenietur; sed & omne os obstruetur, nec respondere valebit, quia sicut pannus menstruatæ omnis justitia nostra ne memineris. Tu enim desperatorum spes laborantium, & iniquitatibus oneratorum requies exsistis; & tibi gloriam referimus cum principii experte tuo Patre, & sanctissimo, & bono, & vivifico tuo spiritu; nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Et sextus sacerdos.
Propositum. Tonus quartus.

Miserere mei Deus, secundum magnam, *Versiculus.* Cor mundum crea in me Deus.

Apostolus.
Ad Galatas epistolæ lectio.

Fratres, fructus spiritus est charitas, gaudium. *Finis.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Alleluja. *Tonus obliquus secundus.*
Beatus vir qui timet.

Evangelium ex Matthæo.

In illo tempore, Secessit Jesus in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Cananæa a finibus illis egressa. *Finis.* Et sanata est filia ejus ex illa hora.

Diaconus.

Miserere nostri Deus, secundum magnam misericordiam tuam.
Adhuc rogamus pro misericordia, vita, pace, sanitate, salute.
Ut ei condonetur omne delictum.

Exclamando sacerdos.

Quia tu misericors & hominum amator Deus exsistis.

Diaconus.

Dominum precemur.

Et sacerdos orationem.

Gratias tibi agimus, Domine Deus noster, qui bonus es, & homines diligis, medicus animarum & corporum nostrorum, ægritudines nostras absque labore portans, cujus livore sanati sumus: pastor bonus ovem errantem requisiturus advenisti, & afflictis consolationem contritisque vitam præstiturus. Qui fontem mulieris profluvio laborantis post annos duodecim sanasti, & filiam Cananææ a molesto dæmonio liberasti, qui dimisisti duobus debitoribus mutuum, & peccatrici indulgentiam impertiisti, qui cum peccatorum venia valetudinem bonam paralytico restituisti: qui publicanum verbo tuo justum reddidisti, & in ultima sua confessione suscepisti latronem, quique peccata mundi tulisti, & cruci cuncta defixisti. Te rogamus, te in bonitate tua obsecramus; condona, remitte, parce, Deus, iniquitatibus & peccatis servi tui hujus, sive voluntaria sint ejus delicta, sive non spontanea, quæ cum advertentia & cum ignorantia, quæ transgressione & inobedientia, quæ in nocte & in die commisit, si sacerdotis maledictioni aut patris aut matris fuerit subjectus: si oculum rerum visu saginavit, aut odoratum emollivit, si tactus delectatione diffluxit, aut gustu fornicatus est, aut quocumque carnis & spiritus motu e tua voluntate & sanctitate quomodolibet alienatus est: sive peccaverit ipse, sive nos, ut bonus & malorum immemor Deus & benignus indulge, neque permittas eum vel nos in immundam diffluere vitam, neque perditionis vias incurrere. Ita, Dominator Domine, exaudi me peccatorem in hac hora pro servo tuo N. deprecantem. Ne respicias, ut malorum immemor Deus, delicta ejus cuncta; ab æterna damnatione illum eripe: os ejus tua laude reple, labia ejus in laudem nominis tui aperi, manus ejus ad mandatorum tuorum opera extendi jube, pedes ejus dirige ad evangelii tui viam, omnia ejus membra mentemque tua gratia communi. Tu enim es Deus noster, qui per sanctos apostolos tuos nobis præcepisti dicens: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis. Et iterum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et sicut Ezechiam exaudivisti in angustia animæ ejus in hora mortis ejus, & deprecationem ejus non despexisti: sic & me abjectum, & peccatorem, & indignum in hac hora exaudi: Tu enim es, Domine Jesu Christe, qui tua bonitate & humanitate septuagies septies delinquentibus condonari præcepisti: qui super malitia nostra pœnitentiam agis, & de errantium conversione lætaris: quia sicut celsitudo tua, ita & misericordia: & tibi gloriam referimus, cum principii experte tuo Patri, & sanctissimo & vivifico tuo Spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Sacerdos septimus. Propositum. Tonus quartus.

Domine ne in furore tuo arguas me. *Versiculus:* Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.

Apostolus.
Ad Thessalonicenses epistola Pauli lectio.

Fratres, rogo vos, corripite inquietos, consolamini pusillanimes. *Finis.* Ut integer spiritus vester, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.

Alleluja, *Tonus secundus.*
Exaudiat te Dominus in die.

Evangelium ex Matthæo.

In illo tempore præteriens Jesus vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine. *Finis.* Euntes discite quid est, misericordiam volo & non sacrificium: non enim veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam.
Miserere nostri Deus, secundum magnam misericordiam tuam.
Adhuc rogamus pro misericordia, vita, pace, sanitate, salute.
Ut ei condonetur omne delictum.

Exclamando.

Qui misericors & hominum amator Deus exsistis.

Dia-

Diaconus.

Dominum precemur,

Et tertius sacerdos orationem.

Dominator Domine, Deus noster, animarum medice, qui temporaneis doloribus mederis, & omnem languorem omnemque infirmitatem in populo sanas: qui vis homines vivere, & in agnitionem veritatis venire: qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Tu enim, Domine, in veteri Testamento, David, Ninivitis, antiquioribus & posterioribus pœnitentiam instituisti: sed & in peregrinatione tuæ dispensationis in carne non justos, sed peccatores in pœnitentiam vocasti, velut publicanum, meretricem, latronem, & blasphemum persecutorem magnum Paulum per pœnitentiam suscepisti; & Petrum coryphæum & apostolum tertio te abnegantem complexus es, & admisisti, insuper ei promisisti dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum. Propterea & nos benigne & humana veracibus tuis pollicitis confisi, rogamus te & obsecramus in hora hac, supplicationem nostram exaudi, & velut incensum tibi oblatum eam suscipe, & visita servum tuum N. & si quid verbo, opere, aut cogitatione, diu aut interdiu deliquit, in sacerdotis maledictionem, aut a se prolatam exsecrationem incidit, juramento se implicuit aut pejeravit, rogamus te & precamur, relaxa, dimitte, condona ipsi, Deus, nec respicias ad iniquitates & peccata ejus, quæ scienter vel ignoranter admisit: & si quodpiam mandatorum tuorum transgressus est, aut ut carne indutus, & mundi incola, vel ex diaboli suggestione neglexit: ipse ut bonus & hominum amator Deus condona. Quia non est homo, qui vivat & non peccet: tu enim solus innoxius existis; justitia tua æterna & verbum tuum veritas est: non enim, ut pereat, hominem formasti, sed ut mandata tua exsequatur, & vitam æternam obtineat: & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Spiritui-sancto: nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Tum vero in medium sacerdotum ingreditur, qui Extremam-unctionem suscipit, & acceptum sanctum evangelium ponit super caput ejus sacerdotum præcipuus, & manus illi sacerdotes alii imponunt: ille autem sacerdotum præses hanc orationem elata voce pronunciat.

Dominum precemur.

Rex sancte, benigne, & misericors, Jesu Christe; Fili & Verbum Dei viventis, qui non vis mortem peccatoris sed ut convertatur & vivat: manum meam peccatricem non appono super alterius peccatoris ad te revertentis, & per nos peccatorum remissionem deposcentis; sed tu manum tuam fortem & potentem in sancto hoc evangelio a comministris meis super caput servi tui hujus imposito, extende. Et cum eis humanissimam & malorum immemorem tuam benignitatem, Deus Salvator noster, obsecro, qui per prophetam tuum Nathan pœnitentiam agenti David, delictorum veniam concessisti, & Manasse pœnitentiam agentis orationem suscepisti: ipse & servum tuum hunc delictorum pœnitentia ductum solite tibi humanitate suscipe, nec ad ejus scelera attende. Tu enim es Deus noster, qui septuagies septies in peccata lapsis condonari jussisti: quia sicut magnitudo tua, sic & misericordia tua: & tibi convenit omnis gloria, honor, & adoratio, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Et osculatur evangelium, & memoriam ejus sacerdos agit, & confestim canunt Gloria *proprii cantus.*

Fontem medelarum possidentes. Et nunc. Annue precibus. Gloria. Et nunc. *Et dimissio.*

Et corporis incurvatione se demittit, qui Extremam-unctionem suscipit, dicens: Benedicite Patres sancti, & mihi peccatori delicta condonate. *Ter, Et accepta ab eis benedictione & indulgentia discedit & gratias Deo agit.*

ORDO SERVANDUS, CUM PRO ÆGROTIS SEPTEM SACERDOTES ADVOCANTIBUS OLEUM SANCTUM VESPERE FACIENDUM EST.

Levatur vitrea lampas, & capacissima lampas septem libras continens impletur oleo. Et sacerdotum quilibet privatim sibi myxon cum Ellychnio accendendo preparat, & vestes sacras sumit, & incipit.

Benedictum regnum Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.

In pace Dominum precemur. Pro superne. Pro sanitate & salute servi Dei. Ut liberemur. Suscipe, salva, miserere. Sanctissimæ. *Sacerdos dicit orationem.* Domine Deus qui in misericordia tua, &c. *Et dum orationem dicit, proprium sibi Ellychnium accendit, & signum crucis facit. Exclamatque.* Quia Deus misericordiæ, miserationum, & humanitatis, &c. *Et vice* Deus Dominus *dicitur* allelnja *tono obliquo & secundo modulus,* Miserere nostri, Domine miserere. *Atque ita canonem incipit; & in tertio cantico alter sacerdos collectam recitat, ut præscriptum est; & incipit orationem, & deinceps septem sacerdotes septem orationes recitant.*

Oratio secunda.

Precamur te, Domine, ut stillet hoc oleum super unctos in nomine tuo, in medelam & curam animæ & corporis, & munditiem, liberationem omnis doloris & omnis ægritudinis & infirmitatis; & omnium sordium animæ & corporis, ut in hoc glorificetur sanctissimum nomen tuum, Patris, & Filii, & Sancti Spiritus in sæcula sæculorum.

Exclamando. Quia tu bonus & clemens.

Similiter & in sexto cantico sacerdos dicit orationem; & alter a collecta recitat quinque versus, ut præscriptum est.

Oratio tertia.

Respice, Domine, de sancto habitaculo tuo, & oleum hoc sanctifica; & visita servum tuum in misericordie & miserationibus, & congruentem ei salutem & integritatem largire: libera eum ab omni ægritudine & languore animæ & corporis, & fiat ei, Domine, oleum hoc in omnis ægritudinis medelam. *Exclamatio.* Quia tu es dator omnium bonorum, & medicus animarum & corporum nostrorum, & tibi gloriam rependimus.

Uno verbo, unoquoque sacerdote ita faciente, cruces tres ellychnio format & accendit illud.

Oratio in laudibus.

Domine, omnipotens, qui castigas, *&c.* omnem ægritudinem & languorem sana, quia tu ægritudines nostras curas: erige servum tuum e doloris lecto & infirmitatis cubili: Serva eum, & integrum Ecclesiæ tuæ restitua ut tibi placeat, & voluntatem tuam omnibus diebus vitæ suæ adimpleat.

Exclamatio. Quia tuum est misereri & salvare nos, & tibi, &c.

Denique postquam singuli sacerdotes orationes suas ordine recitaverint, terminantur vigiliæ sive nocturnum officium, & dicunt singuli orationem.

Domine Deus noster, solus bonus & humanus, solus benignus & mansuetus, solus miserator & misericors: Deus noster, & Pater Domini nostri Jesu Christi, sub Pontio Pilato crucifixi, & tertia die resurgentis, & in gloriam suam & tuam ascendentis: gratia tua super servum tuum veniat, & doctrinæ tuæ evangelium corrobora: illumina ejus viscera & membra tua voluptate, & ab omni peccato illum expurga: mundum & immaculatum ab omni adversarii molestia illum conserva, & juxta benignitatem tuam, Domine, quæ tua sunt cogitare, sapere, & mente volvere concede, tuo timore confige, & tibi placita ad usque ultimum diem nostrum, horam extremam & postremum halitum exequi largire. *Exclamando.* Quia misericors.

Benedictus es, Domine omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui omnem infirmitatem & languorem curas, fortis & benefactor, qui ab alieno oppressos cunctos liberas: ipse clemens bonorum amator, animarum amice, potentem manum tuam & brachium tuum excelsum & sanctum extende, & animam corpusque servi tui tange, & a doloris ejus lecto & ab omni eum infirmitate detinente erige, ut inde exurgens cum omni populo tuo sanctissimum nomen tuum glorificet. *Exclamando.* Tuum est enim miserari & salvare nos.

Pater sancte, medice animarum & corporum. *Scriptum est superius super ægrotos.*

In missa antiphona de more dicenda. Ad introitum Miserere nostri, Domine, miserere nostri.

Propositum. Tono quarto.

Ego dixi, Domine miserere. *Versiculus.* Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.

Apo-

Apostolus.
Catholicæ epistola Jacobi lectio.

Fratres, exemplum, &c.

Evangelium ex Luca.

In illo tempore designavit Jesus, &c.
Atque ita sacerdos alius dicit protensam orationem, & aliter catechumenos ejicit, & cuncta ordine suo peraguntur, & finitur missa.

Atque ita accedit infirmus, & incipiunt psallere modulum Miserere nostri, Domine, miserere. *Et expositis superius orationibus, quisque suam recitat: & ungit frontem, & aures, & manus infirmi, & singuli ellychnium, ut præmissum est, extinguunt. Post hæc totam domum perungunt, signo crucis inter ungendum expresso, & canunt* Qui habitat in adjutorio altissimi. *Et hoc pacto missa finitur.*

F I N I S.

